

SPICILEGIUM BONAVENTURIANUM

cura

PP. Collegii S. Bonaventurae  
Ad Claras Aquas

V

Magistri Petri Lombardi  
Parisiensis Episcopi

SENTENTIAE  
IN IV LIBRIS DISTINCTAE

Grottaferrata 1981

MAGISTRI PETRI LOMBARDI  
Parisiensis Episcopi

SENTENTIAE  
IN IV LIBRIS DISTINCTAE

Editio Tertia  
Ad Fidem Codicum Antiquiorum  
Restituta

Tomus II  
LIBER III ET IV

Editiones  
COLLEGIUM S. BONAVENTURAE AD CLARAS AQUAS  
Grottaferrata (Romae)  
1981



PROPRIETAS LITTERARIA

ISBN 88 - 7013 - 068 - 1

INDEX GENERALIS  
PROLEGOMENORUM

Cap. I. - <i>Magister Petrus in Scholis suis</i> . . . . .	7*
A. Opponitur in Scholis Mauricii . . . . .	8*
B. Quae opera legerit Lombardus ultimo sexennio (1155-1159) . . . . .	11*
Cap. II. - <i>Iter Italicum Lombardi</i> . . . . .	13*
A. Opiniones praeviae . . . . .	13*
B. Quid dicunt fontes? . . . . .	15*
C. Lombardus quid Romae sumpserit . . . . .	18*
D. Librum Sententiarum compingit . . . . .	18*
Cap. III. - <i>Alia opera Magistri Petri</i> . . . . .	19*
A. Interpretatio Obituarii S. Mariae . . . . .	20*
B. An et ubi nunc inveniuntur? . . . . .	22*
C. Quaedam normae ad opera Magistri dignoscenda . . . . .	23*
Cap. IV. - <i>Testimonia ipsius Lombardi</i> . . . . .	28*
A. In Ioel . . . . .	29*
B. Testimonia in Sermonibus Magistri . . . . .	33*
C. Glossa in Isaiam . . . . .	35*
D. Glossa in Exodum . . . . .	36*
Cap. V. - <i>Testimonia post Lombardum</i> . . . . .	39*
A. Petrus Comestor . . . . .	39*
B. Stephanus Langton . . . . .	44*

APPENDICES

<i>Tres Textus Originales Magistri Lombardi</i> . . . . .	53*
I. Tractatus de Incarnatione . . . . .	54*
II. Tractatus de Corpore Domini . . . . .	77*
III. Tractatus de Coniugio . . . . .	84*



Sigla et Abbreviationes . . . . .	89*
Indices Prolegomenorum	
I. Bibliothecae et codices manuscripti . . . . .	95*
II. Auctores et Materia . . . . .	96*

## PROLEGOMENA

*Faciendi plures libros nullus est finis; immo carnis afflictio est, eo quod qui addit scientiam addit et laborem*<sup>1</sup>. Nullus quippe est finis laboris: nam etsi fontes Lombardi undequaque quaesivimus ac bibliothecas manu versavimus diurna ac nocturna, omnino nobis conscii sumus imperfectio- num huius tertiae editionis; unde laeto corde correctionem accipimus, ut successores nostri Collegii (si adhuc restat) saeculo venturo opus omnino perfectum offerant.

His inde paginis quaedam nova, quaedam vetera proponuntur, ad compositionem et historiam *Libri Sententiarum* clarius illustrandum necnon et ad vitam et actuositatem Magistri Petri determinandum. In aliis enim Prolegomenis, ad primum tomum, negligentia seu potius ignorantia nostra sese pluries manifestavit interpretando Obituarium eius, ubi enumerantur *libri eius* in sacram paginam quos Capitulum S. Mariae hereditate possidebat. Quod revera opera Magistri fuerunt, non aliorum glossae ab eo coacervatae, omnino oportet agnoscere<sup>2</sup>. Luce enim talis documenti necnon et alius eiusdem Capituli S. Mariae Parisiensis qua facie, qua statura fuerit Lombardus manifestatur.

His ergo primis capitulis quaedam determinare quaerimus circa labores eius ante compositionem *Sententiarum*; dein per longum et latum quaestio examinabitur circa alia opera eius sive genuina sive ei falso attributa in quibusdam documentis.

### CAPITULUM PRIMUM

#### MAGISTER PETRUS IN SCHOLIS SUIS

Encomia Lombardi ut magistri praestantis non desunt ex parte discipulorum eius, uti Petri Manducatoris et Herberti de Boseham; immo et ex parte aliorum, ut exempli gratia in quadam additione ad Chronicam

<sup>1</sup> Eccles. 12, 12; et 1, 18.      <sup>2</sup> Cf. verba Obituarii in Prolegomenis ad tom. I, 19\*s; necnon et dicta nostra circa « bibliothecam eius » seu circa « omnes libros eius glosatos » in possessione Capituli (pp. 19\*, et 163\*a); immo et nostra felix ignorantia sub rubrica: *Quid et quando docebat Magister?* (30\*ss).



Roberti de Monte: « Magister Petrus Lombardus, vir magnae scientiae et super Parisiensium doctores admirabilis »<sup>1</sup>. Quibus laudibus iuvat alias adiungere cuiusdam non ignoti:

In theologia virum in ea scientia singularem, cuius opera que exstant prudentum chorus cum veneratione amplectitur et colit cum reverentia, virum sana doctrina per omnia commendabilem, Magistrum videlicet Petrum Lombardum, qui postea fuit Parisiensis episcopus, annis sex continuis diligenter audivimus. Magistrum quoque Mauricium, qui ei postmodum in eodem episcopatu succedit, sepius audivimus.

His verbis, plus quam viginti annis post mortem Magistri scriptis, suam formationem theologiam post annos circiter decem in facultatibus artium Parisius recolat Guillelmus Tyrensis<sup>2</sup>. Inde Bononiam postea se contulerat ad ius civile colendum sub magistris aequae famosis. « Horum omnium usque hodie in benedictione vivit memoria et permanet inclita recordatio ». Inde Ierusalem ad suos rediit, circa annum 1165.

#### A. Opponitur in Scholis Mauricii.

Quid audierit, etiam saepe, in scholis Mauricii Sulliaci non apparet quia parum vel nihil scitur de opere et operibus eius; quibus enim et quot annis magister erat<sup>3</sup> et quid docuerit vel scripserit non refertur in annalibus scholarum praeter eius actiones contra nostrum Magistrum. In

<sup>1</sup> *Chronica Roberti de Torigny*, in *Monum. Germ. Hist.*, Scriptores VII, 509.

<sup>2</sup> Omissa in omnibus editionibus suae *Historiae rerum in partibus transmarinis gestarum*, haec verba cap. 12 Libri XIX nuper detecta sunt a cl. R. B. C. Huygens in codice Vat. lat. 2002, ff. 188<sup>v</sup> et 191<sup>r-v</sup>; cf. eius studium *Guillaume de Tyr étudiant: Un chapitre (XIX, 12) de son « Histoire » retrouvé*, in *Latomus* 21 (1962) 811-829. — Iam in c. 4 eiusdem libri loquitur Guillelmus de sua absentia in partibus transmarinis: « nondum de scholis redieramus, sed trans mare adhuc, circa liberalium artium detinebamur studia » (PL 201, 751 D). <sup>3</sup> Magister erat usque ad suam electionem episcopalem (1160); sed quando cathedram ascenderit nondum apparet. Bis autem *signum Mauricii subdiaconi* invenitur iam anno 1147, semel post illud *Petri subdiaconi*, in documentis Capituli Ecclesiae Parisiensis; cf. M. Guérard, *Cartulaire de l'église Notre-Dame de Paris* II, 360, ubi tamen non omnia nomina dantur quae inveniuntur in originali (*Archives Nat.*, LL 76, n° 15, p. 489\*; cf. I. Brady, *Peter Lombard: Canon of Notre-Dame*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 32, 1965, 285); aliud sub die 13 octobri, absente Lombardo, signum portat *Mauricii subdiaconi*, in J. Depoin, *Recueil de chartes et documents de Saint-Martin-des-Champs*, n. 300, tom. II, 183ss; I. Brady, *ibid.* Nihil invenitur sub nomine Mauricii apud *Repertorium Biblicum* cl. F. Stegmüller.

episcopatum si Lombardo successit<sup>1</sup>, non eum secutus est in quibusdam opinionibus theologis.

En duo testes circa oppositionem Mauricii: auctor scilicet tractatus anonymi de peccato originali *Deus primum hominem*, olim Praepositino attributi; et Magister Ioannes Cornubiensis (circa 1179). Primus ita controversiam depingit<sup>2</sup>:

Unde contra preceptum apostoli qui verborum et novitatem sententiarum detestatur iuxta corticem littere nova quedam confingunt et novis traditionibus animos simplicium imbuunt et imbuerunt et multos sui similes faciunt. Nemo tamen obiciat quod viri venerande etatis, apud Deum et homines accepti, vite honestate commendati, omni pene scientia, sed in hac pagina precipue consummati, eis scriptis in quibus talia continentur dant operam. — Respondemus enim quod nos ad pedes [eorum] sedimus, dictis eorum et aures et intellectum humiliter adhibuimus. Sed quod eorum iudicium in talibus forsitan [= fuerit?], ignoramus. Scimus tamen quod Mauritius episcopus parisiensis quando multis precibus et promissionibus<sup>3</sup> ad hoc inductus operibus Lombardi dedit operam, quod ipse de originali peccato noviter excogitatum invenit, non sic esse studiosus affirmavit sed talia de bursa Menhardi dixit procedere. Magistrum Pe. et magistrum G.<sup>4</sup> non aliter cognovi circa predicta veritatem affirmare, nisi quod dicebant sic in sententiis scriptum esse ut sententiarum Lombardi auctoritas habet. Eius fuit sententia quod originale peccatum sit partim vitium, par-

<sup>1</sup> Cf. R. Grégoire, *Maurice de Sully*, in *Dict. de Spiritualité* X, 834-36; T. de Moremberth, *Maurice de Sully*, in *Catholicisme hier aujourd'hui demain* VIII [1979] 957s.

<sup>2</sup> Textum sequimur ut proponitur a Dom. Odone Lottin, in *Psychologie et morale aux XII<sup>e</sup> et XIII<sup>e</sup> siècles*, VI, 19s. <sup>3</sup> Forsitan legendum est *persuasionibus*; nam in versione seu paraphrasi gallica cl. Lacombe invenitur *persuasions*; nihilominus postea *promissionibus* legit A. Landgraf (*Coll. Franc.* 23, 1953, 287). <sup>4</sup> Magister G. probabiliter idem est ac quidam Magister Gualterus cuius nomen invenitur in documentis Ecclesiae S. Mariae saltem ab anno 1152 usque ad annum 1173; qui forsitan etiam praecentor fuit anno 1177; cf. I. Brady, *Peter Manducator and the oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antonianum* 41 (1966) 458. Quod *Magister pe.* idem est ac auctor quaestionum quae incipiunt: *Petre, Satanas expetivit vos ut cribaret sicut triticum*, in codice Trevis 964, ff. 89ss, omnino apparet ex quaestione quae incipit: « Originale peccatum est concupiscibilitas, id est aptitudo concupiscendi » (f. 146r-v). Quae quaestiones manifeste opus sunt Manducatoris, uti monstratur ab I. Brady, uti supra, 460s, 466s. In specie, illa quaestio nihil aliud est quam quidam commentarius seu discussio super doctrinam Magistri de peccato originali, partim in Lib. II, d. 30, c. 8, n. 2 (I, 500), partim in d. 32, c. 1 (511).



tim pena, vel culpa et pena; et secundum quod est pena habet Deum auctorem, sed secundum quod vitium habet diabolum auctorem<sup>1</sup>. Huic opinioni multipliciter obviatur...

Ex parte sua, Magister Ioannes Cornubiensis tres sententias discutens de homine assumpto, plane dicit quod Magistri Robertus Melodiniensis et Mauritius, «hodie» Parisiensis episcopus, «magistri Petri Lombardi doctrinam falsitatis arguebant» in eorum «lectionibus et disputationibus» quibus ipse interfuit<sup>2</sup>.

Inveniuntur etiam testimonia minora ubi innuitur quod Mauritius plura alia loca Sententiarum censuerit vel etiam forsitan totum librum. Legitur enim in quadam glossa in Lib. IV, d. 4, c. 7, n. 5 (infra, 262s): «Concessit episcopus quod parvuli fidem et caritatem habeant in habitu, non in usu. Sed quod nec in habitu nec in usu M[agistri] Odo et Mauritius concedunt»<sup>3</sup>. — Vel iterum<sup>4</sup>: «Magister Mauritius dicit omne peccatum prohibitum est. Distinguit tamen inter prohibitionem et prohibitionem, quia alia est prohibitio venialis, alia mortalis peccati, nec omnis transgressio constituit aliquem reum mortis eterne. Et premissae auctoritates omnes

<sup>1</sup> Cf. P. Lombardus, *Sent.*, II, d. 32, c. 3 (I, 514, 24-26). <sup>2</sup> *Eulogium ad Alexandrum Papam tertium*, c. 4: «Duos etiam venerabiles magistros quos in theologia certissimum est nihil hereticum docuisse, Robertum scilicet Melodiniensem et Mauricium hodie Parisiensem episcopum, silentio preterire non debeo. Eorum utique super hiis questionibus scripta non legi, sed multis eorum lectionibus et disputationibus interfui, in quibus et de homine assumpto et de aliis quibusdam magistri Petri Lombardi doctrinam falsitatis arguebant, ne dicam erroris» (ed. N. M. Haring, *The Eulogium ad Alexandrum Papam tertium of John of Cornwall*, in *Mediaeval Studies* 13, 1951, 268). Verumtamen bis declarat quod illa tertia sententia non fuit proposita a Lombardo ut eius *assertio*, sed solummodo ut *opinio* eius quam a magistris acceperat; sic in c. 3: «Praeterea paulo ante quam electus esset in episcopum Parisiensem, michi et omnibus auditoribus suis qui tunc aderant protestatus est, quod hoc non esset assertio sua sed opinio sola, quam a magistris acceperat. Hec etiam verba subiecit: Nec umquam Deo volente erit assertio mea nisi que fuerit fides catholica» (ibid.). Postea, in cap. 12: «Sed sicut prediximus, que vel in scriptis suis vel in disputationibus asseruisse magister Petrus credebatur, postea nobis non asserenda sed studiosius discutienda reliquit» (284). <sup>3</sup> Comment. anon. in cod. Patr. 128, fol. 5, Bamberg, Staatliche Bibl.; cf. A. M. Landgraf, *Kindertaufe und Glaube*, in sua *Dogmengeschichte der Frühscholastik* III-1, 321-324; cf. etiam Glossa anonyma in cod. Vatic. Barb. lat. 608, ad Dist. 4, c. 4, n. 13: «parvuli... fideles sunt non propter virtutem, sed fidei sacramentum»: ubi haec glossa: «quam [virtutem] in usu habeant et qua credant secundum Magistrum, qui dicebat eos habere in habitu, non in usu. Econtra Magister Odo et Magister Mauricius» (in eadem *Dogmengeschichte* I-1, 212). <sup>4</sup> Cf. A. M. Landgraf, *Some Unknown Writings of the early scholastic period*, in *New Scholasticism* 4 (1930) 19; videtur referri ad Lib. I, d. 45, cc. 6-7 (I, 310ss), vel ad d. 47, cc. 2-3 (I, 323s).

pro eo loquuntur, Magister P. Lombardus dicebat, quia non omne peccatum prohibitum est. Et auctoritates supradictas omnes determinabat».

Non ignarus utique alios studiose eum contra dixisse, Magister leniter et sine ira, ut apparet ex testimoniis Ioannis Cornubiensis supra allatis, suis adversariis respondebat in scholis. Quod si forsitan talis esset sua opinio, non sequeretur quod fuisset etiam sua assertio. «Nec<sup>1</sup> unquam Deo volente erit assertio mea nisi que fuerit fides catholica».

#### B. Quae opera legerit Lombardus ultimo sexennio (1153-1159).

Hic autem magis nobis interest scire quam materiam tractaverit seu quae opera Magister legerit illis sex annis continuis quando eum diligenter audivit Guillelmus Tyrensis. Supponimus, non sine quadam haesitatione, eum scholam Lombardi frequentasse illo sexennio quod praecedit eiusdem electionem episcopalem, scilicet ab autumno anni 1153 usque quasi ad aestatem 1159. Unde sequeretur quod ultimo suo anno scholastico (1158-1159) *Glossam in Psalmos* audierit, quatenus, iuxta verbum Herberti de Boseham, «ad multorum instanciam a Magistro praeter spem iam dicta opera publice» legebantur, licet sine «plenae correctionis sarculo», ante suam promotionem in episcopatum<sup>2</sup>.

Insuper suspicamur quod finita lectione sua in Psalmos Magister de novo se converterit ad *Glossam in Romanos* seu propius ad tractatum primitivum de Incarnatione eliminandum seu rectius abbreviandum qui in pluribus codicibus invenitur ad versum: *de Filio suo, qui factus est ei ex semine David* (Rom. 1, 3)<sup>3</sup>. In quampluribus autem codicibus necnon et in editionibus *Glossae in Apostolum* invenitur fructus talis laboris: scilicet

<sup>1</sup> Ioan. Cornubiensis, *Eulogium ad Alex. Papam tertium*; ed. N. M. Haring, in *Med. Studies* 13 (1951) 265. <sup>2</sup> Cf. textum Herberti in Prolegomenibus ad tom. I, 52\*. <sup>3</sup> Qui primus tractatus editur in parte apud nostra Prolegomena in tom. I, pp. 86\*-88\*. Editio altera et melior infra ponetur. Praeter codices primae versionis iam notatos ad tractatum primitivum de mysterio Incarnationis adiungi libet alius nuper inventus, scil. Dijon 79, ubi legitur f. 301: «Ego Otobonus dedi hunc librum epistolarum [Apostoli] ecclesie B. M. cistercii xviii kal. Sept., Otobonus monachus S. Marie Cistercii». Qui tractatus (ff. 3v-4v) lineis rubeis cancellatur, cum nota: *hoc totum superfluum est in hoc libro, et tamen utile est*. Textus vero ut exstat in editionibus invenitur f. 1r, unacum nota: *Hoc debes legere in tercio huius libri folio ubi est nota rubea*. (Ex communicatione C. De Hamel, Oxoniae). Cf. etiam *Catalogue général des Manuscrits des Bibliothèques Publiques de France. Départements V*, p. 23.



cet quaedam glossa simplicior quae vix aliud est quam catena auctoritatum. Deest quasi omnis discussio theologica eo quod quaestiones maiores in illo tractatu primitivo olim inventae iam incorporantur in tertium librum *Sententiarum*.

Quod talis fortasse sit historia illius Glossae in Rom. 1, 3, deduci potest ex verbis Ioannis Cornubiensis parum supra citata. Ad talem deductionem roborandum notari etiam potest quod reliqua *Glossa in Romanos* et in ceteras Epistolas non mutatur seu abbreviatur: omnes enim alii tractatuli qui in versione originali continebantur adhuc inveniuntur in Glossa in Apostolum uti nunc iacet, nonobstante quod repetuntur in *Sententiis*, seu potius quod materiam iam praebuerant plurimarum quaestionum in omni libro *Sententiarum*<sup>1</sup>. En quaedam exempla: in Rom. 1, 17, de fide: « Quid sit fides; quot modis accipiatur » (PL 191, 1324 A); quae materia incorporatur in *Sententiarum* librum III, dist. 23, cc. 2-3 (II, 141s). Tunc, in Rom. 1, 20, offertur tractatus de processione Filii et Spiritus Sancti (ut in Prolegomenis ad tom. I, 90\*-93\*, ubi loca parallela in Libro I notantur). Postea, in Rom. 2, 5 (PL 191, 1339 A - 1340 C) agitur de peccato in Spiritum Sanctum; unde plurima repetuntur in Libro II, dist. 43 (I, 572ss). Item, in Rom. 4, 11-12: « Hic videndum est in quo primo instituta fuerit circumcisio » (PL 191, 1371 C - 1372 C), unde materia ad c. 9 dist. 1 libri IV (infra, 237ss); necnon et in I Cor. 7, 1: « Hic dicendum quid sit coniugium » (PL 191, 1585 D - 1594 B), cuius materia transformatur et incorporatur in Distinctionibus 27-42 libri IV (infra, 421-509). Idem dicendum est de tractatu *De sacramento corporis et sanguinis Domini* seu *De corpore Christi*, in Glossa in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1641 C - 1647 D)<sup>2</sup>.

Revertamur nunc ad Guillelmum in scholis nostri Magistri, seu potius ad ipsum librum *Sententiarum*, ut accuratius determinetur tempus eius compositionis. Testimonio Petri Manducatoris, in *Glossa in Sententiis* quae olim Petro Pictaviensi attributa fuit, certiores facti sumus quod suum textum Magister bis legit in scholis, et quod ad alteram lectionem quasdam novas auctoritates adiunxit in textu vel saepius in marginibus<sup>3</sup>. Insuper ibidem notatur quod solum quando Romae erat Magister librum *De fide*

<sup>1</sup> Quoad Libr. I-II, cf. Indices ad Tomum I, 601s; quoad libr. III-IV, infra, 592b-593b.

<sup>2</sup> De quo tractatu cf. nota historica, infra, p. 280. Ille et quidam alii infra repetuntur auxilio codicum ad commodum studiosorum et ad Magistri modum operandi illustrandum. Ubique autem in notis textui nostro adiunctis, sicut in primo tomo, fontes et loca parallela indicantur. <sup>3</sup> Cf. nota historica infra, p. 87s; et Prolegomena ad tom. I, 126\*ss.

*orthodoxa* uti opus Ioannis Damasceni cognovit (et non ut Basilii), unde quaedam capitula sumpsit, omnia quidem ex libro tertio<sup>1</sup>.

Unde non solum ad chronologiam *Sententiarum* determinandam, sed etiam ad aliam illuminandam, scilicet versionis *De fide orthodoxa* factae a Burgundione Pisano, maxime nobis interest tempus stabilire itineris italice nostri Magistri.

## CAPITULUM SECUNDUM

### ITER ITALICUM LOMBARDI

Iam ante nos quamplures quaesierunt verba illius Glossae interpretari et circumstantias istius itineris determinare, quia clavem hic recte videbant ad stabiliendum quando Magister *Sententias* suas compleverit.

#### A. Opiniones Praeviae.

Imprimis autem nobis incumbit reicere illam opinionem iuxta quam circa an. 1149-50 Lombardus sese Romam contulisset ut seipsum defenderet coram Eugenio papa III contra magistrum Iozelinum, canonicum Meldensem; in cuius confirmationem offeruntur verba iam relata: « A libro isto sumpsit Magister dum Romae esset »<sup>2</sup>. Talis actio autem refert ad quendam magistrum Petrum qui « studium semper liberalibus artibus applicuit », iuxta testimonium Cardinalis Hugonis Bononiensis<sup>3</sup>. Unde argumentum C. Bulaei, qui hic vidit Magistrum nostrum, aliquantulum ridiculosum apparet quatenus supponit quod titulus *Magister Petrus* « antono-

<sup>1</sup> Scil. capp. 46, n. 2-c. 52 seu ex tertio libro, cc. 2-8, quae omnia inveniuntur in editione E. Buytaert, pp. 171-197. Motu proprio lectorem semel referimus ad Lib. IV, c. 9, in tomo I, 513 (non 573, uti legitur in Indicibus, 599a). Cf. indices ad tom. I, 599a; tom. II, 586b-587a. <sup>2</sup> Cf. Lib. I, d. 19, c. 9, n. 3 (I, 167). Sic interpretati sunt proh dolor nostri antecessores in altera editione P. Lombardi (ad Claras Aquas 1916), I, xv-xx. In hoc nimis secuti sunt coniecturam Caesaris Egassi Bulaei (César-Egasse du Boulay) in eius *Historia Universitatis Parisiensis*, II, 251s, qui nihil novit de *Glossa* pseudo-Petri Pictaviensis; necnon et iudicium J. de Ghellinck in suo *Le mouvement théologique du XII<sup>e</sup> siècle*, Paris 1914, 127, 173s. <sup>3</sup> Epistola Hugonis Romani ad Sugerium: « Latorem praesentium magistrum Petrum, cuius causa discretionem vestrae a domino Papa remittitur... Studium quod semper liberalibus artibus applicuit, et honestas morum, in quantum novimus, apud benignitatem vestrae prudentiam non minimam gratiam debent promereri... » (PL 186, 1415 B-C).



mastice et per excellentiam» solummodo nostro Lombardo competiverit<sup>1</sup>.

Toto iure ergo argumentum reiecit cl. Franciscus Pelster<sup>2</sup> tam ob nobilitatem characteris et ingenium nostri Magistri quam propter eius famam in Ecclesia illius temporis ut celebris theologi. Dein autem idem Pelster ita interpretatus est in favorem Lombardi quandam epistolam Eugenii papae III sub die 19 Ianuarii 1152 ad Henricum scriptam episcopum Bellocensem qua petitur ut lator, quidam magister Petrus, qui «tam longo tempore scholasticis studiis utiliter et honeste per Dei gratiam insudavit, nec tamen adhuc ecclesiastico meruit beneficio sublevari», id tali «interventu assequi mereretur». Unde concludit Lombardum Curiae adfuisse initio illius anni, ac proinde cum omni probabilitate etiam Romae<sup>3</sup>.

Quis esset iste Magister Petrus, nescimus. Non est Lombardus, qui iam canonicus erat Parisiensis ante annum 1145. Insuper, ante diem 9 decembris 1152 Eugenius et sua Curia Signiae inveniuntur, non Romae. Proinde non est valde mirum quod postea idem cl. Pelster suam interpretationem illius epistolae retractaret (licet nihil noverit de canonicatu nostri Magistri, eius possibilitatem suspicatus est)<sup>4</sup>. Agit ergo non de Magistro Lombardo, sed de quodam adhuc ignoto homonymo.

Eodem tempore vel potius parum ante I. de Ghellinck dissertationem suam *Pierre Lombard* editoribus *Dictionnaire de théologie catholique* obtulit<sup>5</sup>, ubi magnum pondus nostrae quaestioni circa iter Romanum attribuit<sup>6</sup>. Quatenus autem Lombardum iterum videt ut obiectum epistolae Eugenii III, de qua supra, conclusionem inde trahit quod *Liber Sententiarum* lumen vidit in secundo trimestri anni 1152<sup>7</sup>.

Quomodo autem chronologiam ita praecisam stabilire potuerit, non indicat. Et mirabile dictu, quando quindecim annis postea, in editione

<sup>1</sup> *Historia*, II, 252. <sup>2</sup> Wann hat Petrus Lombardus die «*Libri IV Sententiarum*» vollendet?, in *Gregorianum* 2 (1921) 388ss. <sup>3</sup> *Ibid.*, 391. <sup>4</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 19\*. <sup>5</sup> Invenitur in *Dictionnaire* XII, 1941-2019; publici iuris tomus ille factus est an. 1935, cum *Imprimatur* sub die 24 oct. 1934; forsitan opus redactum erat annis 1931-33, ut apparet ex bibliographia. <sup>6</sup> «*Quelque temps après [scilicet post concilium Remense, an. 1148], se place un voyage à Rome dont la date est importante... pour la chronologie de la composition des Libri Sententiarum*» (col. 1946). <sup>7</sup> «*Tous les traits fournis par la recommandation pontificale cadrent parfaitement avec ce que nous savons de Pierre Lombard et les mots pro latore praesentium désignent le bénéficiaire, qui reçoit à la curie même la lettre qu'il est venu solliciter. Per le fait même, la date de l'achèvement des Libri Sententiarum se place au plus tôt dans la deuxième moitié du premier semestre de 1152*» (col. 1947).

altera sui *Le mouvement théologique du XII<sup>e</sup> siècle* quaestionem denuo tractat: *Pierre Lombard fit-il vers le milieu du XII<sup>e</sup> siècle le voyage de Rome?*<sup>1</sup>, tale iter italicum ambigue assignat ut post annum 1146 et ante annos 1151-52, eo quod Eugenius papa III, qui «librum Damasceni transferri fecit», electus erat mense februarii 1145, dum Lombardus fine opus suum coronaverit circa an. 1151-1152<sup>2</sup>.

#### B. Quid dicunt fontes?

Ut quid discussio haec? Praemissa supponit invalida, eo quod semper quaerit quoddam documentum ubi aperte nominetur Magister Petrus qui vadat in quaestu beneficii quo Parisius vivere posset et docere. Verum est, iuxta S. Bernardum, quod iam vir venerabilis erat (et quasi pauper) quando venit in Franciam studii causa, approbationem portans episcopi Lucensis qui eum Bernardo commendavit. Quandiu Remis moratus fuit ei victui necessaria per amicos providit ipse Bernardus et forsitan etiam Magister Lutolphus Novariensis<sup>3</sup>. Inde venit Parisius, ubi iterum precibus Bernardi, «per breve tempus» quod facturus esset illic providebatur in cibo in domo S. Victoris.

Quod studens seu scholaris esset apud S. Victorem, mera coniectura erat olim ex parte nostra<sup>4</sup>. Iam vir venerabilis, unde et maturus, venit in Franciam causa studii, privati scilicet seu personalis, parvo tempore, uti indicat S. Bernardus; et mox, ut videtur, cooptatus fuit inter canonicos ecclesiae S. Mariae et magistros scholae cathedralis, ac ultimis annis ante suum episcopatum archidiaconus factus Parisiensis<sup>5</sup>.

Unde opportunius apparet quaerere rationem illius itineris Romani inter res et negotia ecclesiae Parisiensis seu propius ecclesiae S. Mariae et eius officialium; ac quidem circa annum 1154, scilicet post mortem B. Eugenii III (8 iulii 1153), eo quod translationem *De fide orthodoxa* Ioannis Damasceni perfecit Burgundio Pisanus beato Pontifice iam mortuo<sup>6</sup>.

<sup>1</sup> *Le mouvement...*, Bruges-Bruxelles-Paris 1948, 285-88. <sup>2</sup> *Ibidem*, 287. <sup>3</sup> Cf. Prolegomena ad tomum I, 8\* et 16\*. Hic adiungi licet quod epistola S. Bernardi invenitur in cod. Paris. BN lat. 14615 (olim S. Victoris 1060), f. 328r; quamvis saec. XVII sit, *Collectio epistolarum Victorinorum potissimum tum abbatum tum canonicorum* continet, ff. 289r-372r; cf. A. Luchaire, *Études sur quelques manuscrits de Rome et de Paris* (Paris 1899), pp. 40 et 125. <sup>4</sup> Prolegomena, 13\* et 15\*s. <sup>5</sup> Cf. I. Brady, *Peter Lombard: Canon of Notre Dame*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 32 (1965) 277-295; ubi tamen corrigere oportet (p. 291), ut mox infra hic notatur, annum quo archidiaconus factus est Magister. <sup>6</sup> Unde in titulo liber dedicatur «*Domino tertio Eugenio beatae memo-*



Et ecce, nullius negotii est duas saltem litteras pontificias invenire quibus revelatur praesentia et actio Theobaldi Parisiensis episcopi in curia Romana; quarum prima quandam concessionem continet ex parte Theobaldi in praesentia Anastasii papae IV (12 iulii 1153 - 3 dec. 1154); altera vero Adriani IV (4 dec. 1154 - 1 sept. 1159), qua quaedam ordinatio fit seu verius confirmatur de ecclesiis S. Genovefae Parisius. Licet neutra nomen portet Magistri Petri, eius praesentiam non excludunt sed quasi supponunt ut testem episcopi et forsitan ut archidiaconum Parisiensem, saltem in pectore <sup>1</sup>.

Sed lente festinemus, ne conclusio praemissas excedat. Quodam enim documento dato Parisius die 4 septembris monstratur quod tam episcopus quam Lombardus adhuc erant Parisius; immo, quod Magister Bernardus, sacerdos et archidiaconus, adhuc suum officium exercebat <sup>2</sup>. Qui Bernardus postea, anno nobis incerto, munus suum annuente Theobaldo relinquerit ad vitam solitariam ducendum; de facto, S. Victorem intravit <sup>3</sup>. Unde nescimus utrum ei successerit Lombardus antequam se Romam contulerit.

Primum documentum pontificium, datum Lateranis VIII Kalendas Decembris (24 nov. 1154), sub Anastasio IV, privilegium concedit prioratui S. Mariae de Longoponte, iuxta quod canonici saeculares removen-  
 tur ab Abbatia S. Petri de Monte-Letherico « ad ponendum in ea monachos » illius prioratus, « qui divina ibi officia et statum ecclesiae in me-

riae » (ed. E. M. Buytaert, 1955, p. 11); duae aliae translationes iam factae Pontifici adhuc viventi dedicantur (ibid., p. XIII).

<sup>1</sup> Hic iuvat notare quandam epistolam Petri abbatis Trecensis ad Rolandum Bandinelli S.R.E. cancellarium quae invenitur inter epistolas Petri Cellensis, abbatis S. Remigii apud Remos (c. 1162); qui postea (1181) factus est episcopus Carnotensis. Quam epistolam, uti ipse textus indicat, Romam tulit Parisiensis episcopus qui « exponet vobis tenorem facti » (PL 202, 410 B); quod autem ille episcopus Lombardus fuerit sic interpretati sunt Editores *Recueil des historiens des Gaules et de la France*: « Petrum Lombardum, qui anno 1157 vel 1158 Parisiensem post Theobaldum assecutus est episcopatum, intelligendum putamus » (tom. XVI, Paris 1878, 708, nota c). <sup>2</sup> Textus datur in parte in Proleg. ad tomum I, 11\*, et 23\*. Diem omisimus: « Actum apud S. Dionisium anno Verbi incarnati M<sup>o</sup>C<sup>o</sup>LIIII<sup>o</sup>... II nonas septembris », scil. 4 sept. 1154. <sup>3</sup> Cf. G. Dubois, *Historia Ecclesiae Parisiensis* II, Parisiis 1710, 169. Commemoratur in *Obituariis Ecclesiae Paris.*, ed. M. Guérard in *Cartulaire de l'Église Notre-Dame* IV 193s; necnon et in *Obituariis Meldensis*, cuius « ecclesiae fidelis amicus fuit » (ed. A. Molinier, *Obituaires*, IV, 16). Proinde prius est anno 1159, ut nobis videtur, quoddam documentum seu pactum inter canonicos S. Victoris et illos S. Genovefae (PL 182, 720 B-D), ubi Magister Bernardus Parisiensis archidiaconus invenitur inter testes.

lius debeant promovere... Quam donationem ven. frater noster Theobaldus Parisiensis episcopus... in praesentia Nostra concessit » <sup>1</sup>.

Tunc, mortuo Anastasio intra paucos dies (3 dec.), postridie ei successit Hadrianus IV (Nicholaus Breakspear, anglicus), qui parum post (16 dec.) Theobaldo episcopo quaestionem adiudicat de iuribus praelati in ecclesiis S. Genovefae Parisius:

Quod ecclesias beatae Genovefae praedecessor noster felicis memoriae papa Eugenius per regulares canonicos ordinare praecepit, sicut ex litteris eius agnovimus, non hoc fecit, neque id intellexit, ut tu vel successores tui aliquid de iure tuo, quod in eisdem ecclesiis habuisse dignosceris, deberes amittere, aut iustitiam Ecclesiae tuae auferri crederet vel minui, sed ut ipsae ecclesiae potius ab honestis et religiosis viris quam a lascivis et enormiter conversantibus servirentur. Nos igitur quod ipse super hoc statuit auctoritate Sedis apostolicae confirmantes, omnia iura et rationabiles consuetudines quas in praedictis ecclesiis praedecessores tui hactenus habuisse noscuntur, tibi tuisque successoribus sine ulla diminutione volumus conservari. Nulli ergo... Datum Romae, apud S. Petrum, XVIII Kalendas Ianuarii <sup>2</sup>.

Quod tale iudicium et iustitia sic restituta finis principalis fuerit itineris Episcopi et Lombardi, concludi potest, ut nobis res apparet, ex serie actionum beati Pontificis Eugenii III episcopo inconsulto quas longius esset hic recitare <sup>3</sup>. Immo, quod Theobaldus adhuc Romae erat die 20 aprilis (xii kal. Maii) anni 1155 concludi potest ex tribus documentis sub hac die exaratis, scilicet ex epistolis 35-37 eiusdem Hadriani, quibus Theobaldo mandat ut controversiam decidat inter abbatem S. Dionysii (Odonem) et episcopum ac cancellarium Belvacensis Ecclesiae <sup>4</sup>.

<sup>1</sup> PL 188, 1084 A-C; ex I. Mabillon, *Annales Bened.*, VI, 675 [non 725, ut indicatur in editione Migne], ubi et charta Ludovici regis VII. <sup>2</sup> I. Mansi, *Sacrorum Conciliorum... collectio* XXI, 829; PL 188, 1362 A-C. <sup>3</sup> Cf. I. Mabillon, *Annales Benedictini* VI, 382-84: de inquisitione in mores canonicorum saecularium post quandam rixam quando Eugenius III et Ludovicus Rex VII anno 1147 ecclesiam S. Genovefae visitaverunt. Dein Epist. 297 et 298 Eugenii Papae ad Sugerium abbatem S. Dionysii 29 aprilis 1148, de monachis S. Genovefae constituendis; tunc Epist. 305, de canonicis S. Victoris ibi constituendis; Epist. 320, 333s, 383 (PL 180, 1347ss). Inter quae instrumenta ne unam quidem epistolam invenimus ad Theobaldum iam episcopum a mense Oct. 1143, praeter Epist. 547 (PL 180, 1565 D - 1566 D), datum Laterani sexto Idus Ianuarii, quae videtur esse 8 ianuarii 1153. <sup>4</sup> PL 188, 1406 B - 1408 A.



## C. Lombardus quid Romae sumpserit.

Quod etiam Magister noster adhuc Romae esset, forsitan cum aliis sociis episcopi, supponi licet. Amplam inde opportunitatem habuit, ut videtur, ad textum totum Damasceni consultandum et describendum. Imprimis autem sese devovit illis octo capitulis (scil. cc. 45-62; seu secundum divisionem posteriorem, cc. 1-8 libri III) quae iam in latinum reddiderat quidam quasi usque adhuc ignotus nomine *Cerbanus*. Quae capitula Lombardo et aliis ante cognita fuerant sub nomine Basilii, ut apparet saltem ex uno codice, scil. Trecis 1234, ff. 233a-237c: *Liber S. Basilii episcopi de divina dispensatione et beneficio nostre salutis*<sup>1</sup>. Immo, in sua Glossa originali in Rom. 1, 3 (n. 12), Lombardus excerptum praebet sub nomine *Basilii*, licet sine titulo.

Quid inde Romae sumpserit secundum testimonium pseudo-Petri Pictaviensis? Quasdam saltem auctoritates secundum novam translationem quam Burgundio iudex Pisanus de graeco in latinum reddiderat, quae omnes inveniuntur in eisdem capitulis 46-52 ac proinde unacum cap. 45 iam exsistebant in versione Cerbani<sup>2</sup>. Non enim videtur quod ipsum librum *De Trinitate* seu rectius *De fide orthodoxa* Romae acquisierit; praeter enim capitula supranominata nihil inde refertur in *Sententiis*<sup>3</sup> nec nominatur in obituario ubi invenitur *Decreta Gratiani*.

## D. Librum Sententiarum Compingit.

Post Pentecosten (15 maii 1155) ergo Parisius reversus ex itinere suo romano, « in labore multo ac sudore *volumen* » illud compingere suscepit, « Deo praestante, ex testimoniis veritatis in aeternum fundatis », cui

<sup>1</sup> E. M. Buytaert, *Another copy of Cerbanus' version of John Damascene*, in *Antonianum* 40 (1965) 303-310. In codice 767 Admontensis (in Austria) titulus originalis probabiliter fuit: *Sancti Basilii de incarnatione Verbi*; nunc autem post abrasionem legitur *Iohannis Damasceni*. Item, bis citatur sub nomine Basilii « in libro *De dispensatione Dei* » a Gerhoho praeposito Reicherspergensis: in sua *Epistola ad Eberhardum episc. Bambergensem*, anno 1147: « affirmante sancto Basilio... in libro *De dispensatione Dei* » (PL 194, 1067 C; cf. D. Van den Eynde, *L'oeuvre littéraire de Géroch de Reichersberg*, Romae 1957, 208ss); et parum post in libro *Contra duas haereses* (PL 194, 1167 A; cf. *L'oeuvre litt.*, 85).  
<sup>2</sup> Quae capitula satis indicantur in indicibus ad tom. I, 599a; et ad tom. II, 586s. <sup>3</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 121\*. Quem codicem versionis Burgundionis in manu habuerit determinare non potuimus; non invenitur, ut videtur, inter illos Vaticanos vel Romanos a cl. editore E. M. Buytaert descriptos (ed. 1955, pp. xxxiv-xxxviii). Forsitan quaerere oportet inter illos codices (Vatic. lat. 11710-12847) qui anno 1920 ex archiviis in Bibliothecam Apostolicam translati erant.

nomen dedit *Sententiarum in quatuor libris distinctarum*<sup>1</sup>; et hoc forsitan non sine inspiratione et influxu tomi Ioannis Damasceni *De fide orthodoxa*. Quodsi tomus Damasceni postea divisus fuit apud Latinos in quatuor libros, influxum innuit divisionis *Sententiarum* Magistri.

Circa quaestionem de tempore compositionis *Sententiarum* multa iam determinantur quae hic non convenit repetere<sup>2</sup>. Terminum autem post quem transferri oportet aliquantulum post Pentecosten anni 1155, et non ad initium illius anni<sup>3</sup>, quatenus Theobaldus (unde etiam Lombardus) adhuc Romae invenitur die 20 aprilis, uti supra indicatur. Ex alia parte, data immensitate sui laboris, ut dicit in Prologo, et copia ac abundantia auctoritatum, probabilius apparet quod post suum reditum biennio scholastico 1155-1157 *Sententias* compegisset ac simul in scholis suis discipulis tradidisset, ita ut Libri I et II fructus essent an. 1155-1156, reliqui autem anni sequentis, ad cuius finem textum studentibus vel stationariis tradiderit. Dein anno scholastico 1157-1158 totum opus de novo legerit ac quodam modo emendaverit<sup>4</sup>.

Ultimo anno (1158-1159) ante suam electionem in episcopum Parisiensis opus suum in Psalmos legit in scholis<sup>5</sup> ac, iuxta evidentiam codicum, tractatum christologicum in Glossa in Rom. 1, 3, eliminavit seu ad formam simpliciore rediit. Utrum vero hanc novam redactionem publice seu in scholis tradiderit an modo potius privato librariis notam fecerit, non possumus determinare.

## CAPITULUM TERTIUM

## ALIA OPERA MAGISTRI PETRI

Quod alias glossas in Verbum Dei Magister confecerit quodammodo deduci posset ex verbis Guillelmi Tyrensis; iuxta enim nostram chronologiam saltem uno anno ex illo sexennio aliam materiam docuerit praeter *Sententias* et Glossas iam notas.

<sup>1</sup> Cf. Prologus ipsius Magistri, n. 4, ubi opus suum describit ut *volumen in quatuor libris distinctum* (I, 4, lin. 13 et 15), unde derivatur titulus noster. <sup>2</sup> In Prolegomenis ad tomum I, 122\*-129\*. <sup>3</sup> Uti diximus ibid., 124\*. <sup>4</sup> Cf. Proleg. ad tom. I, 126\*-129\*; et praesertim chronologiam (129\*) quae hic quodammodo corrigitur. <sup>5</sup> Iuxta testimonium Magistri Heriberti, uti habetur in Prolegom. ad tom. I, 52\*.



## A. Interpretatio Obituarii S. Mariae

Quod Guillelmus hic tantum innuit alii corroborant; nam luce clarius est testimonium Manducatoris quod Magister eo praesente evangelium Lucae glossaverat ac illud Matthaei, immo et XII Prophetas. Licet praeter titulum *Magister* Lombardum non nominaverit, postea suus discipulus Petrus Cantor expresse attribuit Petro Lombardo eandem glossam in Luc. 7, 43: *Respondens Simon dixit: Aestimo quia is cui plus donavit*. Immo ex utroque magistro apparet quod talis interpretatio invenitur in quadam Glossa Magistri in Lucam. « In <sup>1</sup> expositione, inquit [Comestor], huius loci gloriabatur Magister, quia omnes ante tempus suum pertransibant; ipse longe melius exposuit; et expositionem suam voluit habere ex quadam glosa, sicut ego ostendam. Voluit ergo adherere illo verbo *cui plus donavit*. Nam donare interdum pro dare ponitur, interdum pro condonare. Hic ergo utramque significationem importat, ut ita intelligatur: *cui plus donavit*, id est cui plus dedit et condonavit, et ex hac causa verum est: cui plus donatur plus diligit, id est cui plus datur et condonatur plus diligere tenetur ». Postea Petrus Cantor quaedam verba Comestoris repetit <sup>2</sup>: « Ad hoc ita solvit Petrus Lombardus: Donare interdum pro dare ponitur, interdum pro condonare ».

Item ex Glossa Manducatoris in Matth. 9, 5: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata tua: an dicere: Surge et ambula?* manifeste apparet quod Lombardus hoc etiam Evangelium glossaverat <sup>3</sup>: « ...in glosa super Lucam habes quod utrumque equalis est potentie, sed alterum maioris misericordie, scilicet iustificare impium. Magister voluit quod longe fuit maioris potentie iustificare impium quam creare celum et terram etc., super hoc reddens talem rationem: ideo enim videbatur ei maioris potentie iustificare impium quam creare celum et terram, quia iustificationi impii videtur iustitia reclamare... Vide quia glosa quam hic habes nec obloquitur nec videtur obloqui glose quam habes super Lucam. Videtur autem obloqui opinioni magistri, nisi caveas... Ecce hoc non obloquitur glose que est super Lucam, ubi dicitur equalis potentie, sed obloquitur opinioni Magistri; ideo, ut salves eius opinionem, ubi in littera dicitur: *Quid est facilius supple 'vobis'* ».

His testimoniis et aliis infra allatis corroboratur opinio seu suspicio

<sup>1</sup> Cf. B. Smalley, *Some Gospel Commentaries of the Early Twelfth Century*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 45 (1978) 154. <sup>2</sup> *Ibid.*, 155; ubi et alii passus indicantur. <sup>3</sup> *Ibid.*, 156.

nostra quod usque adhuc male interpretati simus obituarium Magistri, ubi enumerantur *libri eius glosati* quos possedit Capitulum sanctae Mariae <sup>1</sup>:

V. Nonas Maii... Eodem die, obiit magister Petrus episcopus... Habuimus etiam capellam integram... breviarium in duobus voluminibus... Insuper habuimus omnes libros eius glosatos, scilicet: Novum Testamentum, totum; in Veteri Testamento: Psalterium, quinque libros Moysi, quatuor maiores Prophetas, duodecim minores, Cantica, Iob, Hester, Thobiam, Iudith, librum Sapientie, Ecclesiasticum, Sententias eiusdem et Decreta Gratiani.

Qui libri non enumerentur oportet tanquam constituent bibliothecam Magistri <sup>2</sup>; nihil aliud enim sunt quam fructus magisterii sui in scholis S. Mariae ante compositionem *Libri Sententiarum*. Totam nempe Bibliam annotavit seu in scholis explicavit praeter libros Iosue, Iudicum, Ruth, Regum I-IV, Paralipomenon, Esdrae I-II (seu Nehemiae), Proverbiorum, Ecclesiastes, et Machabaeorum. Unde verissime meruit anno 1144 illam collaudationem auctoris *Metamorpheos Goliae*: « Celebrem theologum vidimus Lombardum » <sup>3</sup>.

Luce ergo obituarii ecclesiae Dominae nostrae aliud documentum eiusdem Capituli exaratum vel ad finem saec. XII vel primis decenniis saeculi sequentis interpretari possumus ubi nominantur volumina « quae sunt de armariolo Beatae Mariae Parisiensis » seu de bibliotheca canonicorum:

Hec <sup>4</sup> sunt volumina que [nomina librorum qui *Parv. Past.*] sunt de armariolo [armario *PP*] B. M. Parisiensis. Isti libri de Biblia qui

<sup>1</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 19\*. <sup>2</sup> Uti suggeritur in Indicibus Proleg. ad tom. I, 163\*a: « bibliotheca eius »! Sed et alii ante nos ita interpretati sunt illum elenchum; ex. gr. D. De Bryne: « une donation de livres faite par l'évêque Pierre Lombard », in suo studio *Le plus ancien catalogue des manuscrits de Notre-Dame de Paris*, in *RB* 29 (1912) 481-85. Qui catalogus nihilominus non tangit bibliothecam Sanctae Mariae Parisiensis. <sup>3</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 17\*. <sup>4</sup> Elenchus bis invenitur in fontibus: in *Libro nigro*, circa finem saec. XII (cf. M. Guérard, *Cartulaire de l'Église Notre-Dame*, Paris 1850, I, pag. IIIs), et in *Parvo Pastoralis*, circa 1250 (*ibid.*, p. II). Editur ab eodem M. Guérard, *Cartulaire* I, 462; et a L. Delisle, *Le cabinet des manuscrits de la Bibliothèque Nationale* III, Paris 1881, 1-2. Omnino distingui oportet a diversis elenchis codicum ad usum studentium pauperum; ex. gr., in *Libro nigro*: « Isti sunt libri theologiae quos cancellarius Parisiensis custodit » (*Cartulaire* III, 349s); necnon et a donationibus saec. XIII factis, uti illa Magistri Stephani Cantuariensis anno Domini 1271 (M. Guérard, II, 495s; *Cartularium Univ. Paris.*, I, 493s); et alia Magistri Petri de Joingniaco, anno 1296 (M. Guérard, III, 350ss).



hic intitulantur sunt glosati<sup>1</sup>. 1. *Genesis*, in uno volumine. 2. *Exodus*, in uno volumine. 3. *Leviticus*, in uno volumine. 4. *Numeri*, in uno volumine. 5. *Deuteronomius*, in uno volumine. 6. *Hester cum Thobia*, in uno volumine. 7. *Iudith cum Esdra*, in uno volumine. 8. *Ysaïas propheta*, in uno volumine. 9. *Ieremias propheta*, in uno volumine. 10. *Lamentationes Ieremie*, in uno volumine. 11. *Ezechiel propheta* in uno volumine. 12. *Daniel propheta*, duo paria. 13. *Duodecim prophete*, in uno volumine. 14. *Parabole cum Ecclesiaste*, in uno volumine. 15. *Cantica canticorum*, in uno volumine. 16. *Liber Sapientie cum Ecclesiastico*, in uno volumine. 17. *Iob*, tria paria. 18. *Psalterium maioris glossature* in uno vol. 19. *Psalteria minoris glossature* duo. 20. *Epistole Pauli maioris glossature* in volumine uno. 21. *Epistole Pauli minoris glossature* in uno vol. [Gilberti]. 22. *Matheus* in uno vol. 23. *Marcus*, tria paria. 24. *Lucas*, quatuor. 25. *Iohannes*, in uno vol. 26. *Actus App.*, in uno vol. 27. *Epistole canonice*, duo paria. 28. *Apocalipsis*, duo paria. 29. Item *Cantica Canticorum cum Apocalipsi*, in volumine uno. [nota marg.: Et de tota Biblia glosata perficienda restant isti libri: Iosue, Iudicum, Ruth, quatuor libri Regum, Paralipomenon duo, Machabeorum duo] 30. *Sententie* in uno volumine. 31. *Quaestiones magistri Petri Pictaviensis* in uno volumine.

Quaeri potest circa n. 7: *Iudith cum Esdra in uno volumine*, eo quod Esdras non invenitur in obituario Lombardi. Ubi etiam plus quam unus codex eiusdem operis invenitur (in nn. 12, 17, 23, 24, 27, 28), supponimus quod unum opus Magistri sit, non absque quodam dubio. Magis nobis interest nota post num. 29, eo quod quodammodo innuit quos libros sacros Lombardus non glossaverat secundum necrologium; unde deduci potest quod quasi omnes libri in illo armario Magistri opera erant<sup>2</sup>.

#### B. An et Ubi Nunc Inveniantur ?

Unde oritur quaestio an adhuc inveniri possint haec opera Magistri necnon et quomodo dignosci queant. Antecessores nostri seu Editores

<sup>1</sup> Tituli qui dantur in cursivo secundum nostram interpretationem opera Lombardi sunt. <sup>2</sup> De codicibus Petri Manducatoris et eorum collocazione, cf. F. Stegmüller, *Repertorium Biblicum*, nn. 6543-92; eius Glossae in Evangelia describuntur a B. Smalley, *Some Gospel Commentaries of the early Twelfth Century*, in RTAM 45 (1978) 148-80; et amplius in *Peter Comestor on the Gospels and his Sources*, RTAM 46 (1979) 84-129.

secundae editionis (an. 1916) nequaquam suspicati sunt talem interpretationem obituarium Magistri praeter forsitan quandam *Glossam super Iob*<sup>1</sup>; nec etiam nos, ut apparet in Prolegomenis ad tomum priorem<sup>2</sup>. Interim libros et codices multiplices versavimus, imprimis quendam catalogum confectum anno 1756 ubi enumerantur codices manuscriptos quos Ecclesia Parisiensis seu proprie Capitulum Sanctae Mariae regali Bibliothecae donavit mense Aprilis illius anni<sup>3</sup>. Dum plerique eorum agnoscere possunt ope *Repertorii biblici* cl. F. Stegmüller, nihil pro dolor invenitur quod Lombardum attingeret. Unde deducimus aut quod discipuli Magistri codices eius adquisierunt ad opera propria conficienda aut quod canonici codices Magistri iam vendiderant ad alia debita solvenda (quod non semel fecerunt). Nihilominus etiam haec nostra conclusio hypothesim non excedit.

Nihil aliud proinde concludatur nisi quod ante compilationem suae Glossae in Apostolum necnon et ante Librum Sententiarum, forsitan post Glossam suam in Psalmos (quam, ut suspicamur, Remis quodammodo perfecit ante suum adventum Parisios), alias glossas adumbraverit ad S. Mariam seu in scholis suis quas ob alias pressuras numquam perfecte limaverit; ac proinde nec iuri publico dare voluerit.

#### C. Quaedam Normae ad Opera Magistri Dignoscenda.

Usque adhuc ad opera scripturistica Magistro attribuenda vel neganda iudicia diversa, immo et extrema, inveniuntur: aut enim solus *Liber Sententiarum* unacum *Glossa in Psalmos* et alia *in Apostolum*, necnon et quidam *Sermones*, uti sibi propria agnoscuntur; aut creditur quod totam vel quasi totam Bibliam postillaverit. Haud dubie talis confusio saeculis XII et XIII quodammodo orta fuit ex successione in scholis Parisiensibus seriei magistrorum qui omnes nomen Petri portaverunt: Petrus Lombardus (ante an. 1144-1159), Petrus Manducator seu Comestor (magister 1159-1167?), Petrus Pictaviensis (an. 1167-1205?), et Petrus Cantor

<sup>1</sup> Cf. Editio secunda (1916) I, p. xxxiv, ubi offertur inter *Scripta dubia vel spuria*; talis glossa iuxta Le Long olim exstabat in bibliotheca monasterii Savinianensis prope Avranches; cf. etiam F. Stegmüller, RB n. 6636, tom. IV, 319. <sup>2</sup> Pp. 115\*-117\*; quaedam ibi dicta adhuc restant; alia nequaquam, uti conclusio nostra quod Magister Petrus propriam glossam in Isaiam non confecerit; vel iudicium nostrum in fine illius capituli. <sup>3</sup> Invenitur in cod. 4629 (839 F.H.F.) Bibl. de l'Arsenal, pp. 141-212; ac in alio quem non vidimus: BN, nouv. acq. fr. 3522 (cf. L. Delisle, *Manuscrits latins et français ajoutés aux fonds des nouvelles acquisitions pendant les années 1875-1891*, p. 101).



(c. 1170 - c. 1196). Non semel enim opera unius alii postea vel aliis attribuebantur.

Ex parte autem Magistri nostri quaedam clavis adest, ut nobis videtur, qua distingui possint opera eius ab illis suorum sequacium: nempe quod glossas suas, ut apparet tam ex illa in Psalmos quam ex alia in Epistolas, aperuit absque ope cuiusdam versus biblici quo *prohemio* (sic) illustraretur spiritus et momentum libri glossandi. Ita enim currit simplex initium *Glossae in Psalmos* 1: « Cum omnes prophetas Spiritus Sancti revelatione constet esse locutos... » (PL 191, 55 A); ac similiter illa in Apostolum, ubi utitur Magister verbis Ambrosiastri: « Principia rerum requirenda sunt prius » (ibid., 1297 A) 2. Econtra Petrus Comestor, discipulus Magistri et successor eius, non semel glossis suis, praesertim in Evangelia, praefingit quendam versum alius libri sacri modo ingressus ad librum exponendum. Ita glossa eius in Matthaëum incipit: *Fecit Deus duo luminaria magna in firmamento caeli; luminare maius, ut praeesset diei, et luminare minus, ut praeesset nocti* 3.

1 Videtur esse locus communis apud Patres antiquos, fundatus in symbolis antiquis: « qui locutus est per prophetas [vel: in prophetis] », ut in H. Denzinger - A. Schönmetzer, *Enchirion symbolorum*, ed. 32 (1963), nn. 41, 42, 44, 46, 48 etc. Inter Patres, cf. Hilarius, *Tract. in CXXXVIII Psalmum*, n. 1: « Omnis propheticus sermo ex divini Spiritus instinctu profectus est » (PL 9, 792 C; CSEL 22, 744); Ambrosius, *In Lucam* X, n. 22: « Numquid erraverunt prophetae, quoniam Deus errare non potuit? Sed in prophetis quoque Dominus est locutus... » (PL 15 [1845], 1809 D - 1810 A; CCL 14, 352); id., *De Abraham* II, c. 9, n. 61: « Cognoscimus quia quando venit gratia Dei super prophetam mentem, subito irruit, et inde incubuisse et cecidisse super prophetam Spiritum Sanctum legimus... » (PL 14 [1845] 484 B; CSEL 32-1, 614); et propius, Augustinus, *De consensu evangelistarum* III, n. 30: « Cur autem ita constituerit Deus, prima illa causa utilissima debet facillime cogitari, etiam sic esset insinuatam ita omnes sanctos prophetas uno Spiritu locutos mirabili inter se consensione constare, ut hoc multo amplius sit, quam si omnium omnia prophetarum uno unius hominis ore dicerentur: et ideo indubitanter accipi debere quaecumque per eos Spiritus Sanctus dixit, et singula esse omnium et omnia singulorum » (PL 34, 1175; CSEL 43, 305s); ac Gregorius Magnus, *In Ezech.* I, hom. 2, n. 8: « Sed sciendum est quia hi qui prophetiae spiritu replentur, per hoc quod aperte nonnumquam loquuntur de se, et nonnumquam sic de se verba tanquam de aliis proferunt, indicant quia non propheta, sed Spiritus Sanctus loquitur per prophetas » (PL 76, 799 A; CCL 142, 21). 2 Sic enim incipit Glossa Ambrosiastri *In Romanos*: « Ut rerum notitia plenior habeatur, principia rerum inquirenda sunt prius » (PL 17 [1845], 45; CSEL 81-1, 5, et etiam 4; RB 1249). 3 Gen. 1, 16 et 14. De textu Comestoris cf. RB n. 6575 (IV, 293). Modo simili glossam introducit in Marcum (RB n. 6576, et 6576, 2), necnon in Lucam et in Ioannem (nn. 6577, 6578). Econtra, suus successor, Petrus Pictaviensis, semel tantum, ut videtur, talem usum adoptat (RB n. 6783). Ex parte autem sua, Petrus Cantor quamplurimes modum Manducatoris sequitur (RB 6452-59; 6466, 1; 6469; 6474-75; etc.).

Unde omnino validum hic est monitum clarae B. Smalley circa prologum seu introitum quendam in Isaiam Magistro adscriptum cui praefigitur textus Exodus 26, 26: *Facies vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas in uno latere tabernaculi, et quinque alios in altero, et eiusdem numeri ad occidentalem plagam* 1; nam talis consuetudo Magistro nostro omnino posterior probatur.

Quod tangit ergo opera Lombardo adscripta (RB 6625-6669), sub tali aspectu reici debet n. 6634: *Accessus ad libros Regum*, opusculum quod etiam alio titulo sed aequo iure spurium adiudicatur, quatenus illos libros iuxta Obituarium S. Mariae Magister non glossavit.

Immo, quod auctor seu proprius compilerator *Libri de pluribus: De studio divinarum scripturarum* 2, Praemonstratensium Knechtsteden, saec. XIV, nomine (ut videtur) Rabodon 3, testis fidelis esset et solus quidem operum seu opusculorum Lombardi, parum credibile apparet. Inter alia lectoribus offertur: *Accessus magistri Petri Lombardi super vetus testamentum* (ff. 66r-69v), qui alibi dicitur *Accessus ad Genesim* 4. Idem dicendum videtur de aliis opusculis super Vetus Testamentum ab eodem Rabodone descriptis: *Accessus ad Exodum* (RB 6626), quod rectius Petro Cantori assignatur in RB 6456; *ad Leviticum* (6627), quod alibi non invenitur; ac *ad Num.* et *ad Deut.* (6629, 6631), necnon et *ad XII Prophetas* (6644).

Dein infra, in eodem *Libro de pluribus* (ff. 110r-113v), Magister Rabodon Lombardo attribuit quendam *Accessum ad Mattheum et Novum Testamentum* qui incipit verbis Genesis (1, 16 et 14): *Fecit Deus duo magna luminaria in firmamento caeli*. Licet annumeretur in RB 6648 sub nomine Lombardi (cum *P. Pictaviensis?* inter parenthesim), manifeste pertinet ad Manducatorum, qui non semel, uti hic (RB 6575), phrasim *satis eleganter* adhibet 5. Immo, non est quidam *Accessus* solum, sed revera initium *Glossae Comestoris in Matthaëum* 6. Quae Glossa in Matthaëum clavem

1 Cf. RB 6640, ubi indicatur ut Deut. 26, 26; B. Smalley, *Some Gospel Commentaries*, in RTAM 45 (1978) 157. 2 In cod. Bruxelles 1485-1501 (214); cf. J. Van den Gheyn, *Catalogue des manuscrits de la Bibliothèque royale de Belgique* I, 96-98. 3 Sic enim legitur in fol. 1: « liber praesens... quem Domini donis scripsere manus Rabodonis... » (ibid. 96). 4 Cf. J. Van den Gheyn, ibid., 96; idem est ac RB 6625, ubi tres alii codices indicantur sine nomine auctoris. 5 Sic in sua Glossa in Matth. 6, 9ss, quoad petitiones in oratione dominica: « ut fieret elegantior lectio, introducta est hic satis elegans adoptio » (B. Smalley, *Peter Comestor on the Gospels*, in RTAM 46, 1979, 11). 6 Codex Bibliothecae Antonianae (Paduae) notatus in RB (6575) rectius ut n. 343 legitur. Uti invenitur sub RB 6575, 1, scil. in codice Durham, Cathedralis A I 9, ff. 3-65, nihil aliud est quam textus defectivus, ut notat B. Smalley, *Peter Comestor on the Gospels*, in



forsitan praebet ad illam Magistri inveniendam, eo quod Manducator distinctionem clare facit in suo textu inter glossatorem, scilicet Lombardum, et expositorem, nempe Rabanum Maurum (PL 107, 727-1156; RB 7060), quem ut suum fontem principalem elegit ipse Comestor.

Utrum ante eum etiam noster Magister dependerit a Rabano, incertum sumus. Nihilominus prima facie talis influxus non excluderetur, eo quod inopinanter saltem unum locum sine rubrica invenimus qui aequo iure dependere posset a Rabano ac a Glossa ordinaria in Matth. 7, 7<sup>1</sup>. Sed sine aliis testimoniis argumentum nostrum claudicat. Immo, nos fallit quatenus aliis locis plane apparet quod Magister sibi in manibus non habuerat opus Rabani in primum Evangelium<sup>2</sup>.

Quaerere aliam glossam Magistri, in Marcum scilicet, nihil aliud esset quam intrare alterum labyrinthum sub ductu eiusdem Rabodonis! Uti Accessum enim Lombardi in Marcum textum proponit anonymus qui incipit: « Quoniam omnibus legitime certantibus... evangelium ediderit » (RB 6649); qui etiam sine nomine invenitur in Clm 2627, f. 34 (RB 9879). In quo codice autem immediate praecedit idem Introitus uti supra: *Fecit Deus duo magna luminaria* (RB 9778), qui nihil minus est quam reportatio Comestoris in Matthaicum (RB 6575; cf. etiam 11140). Ope istius notitiae (6575)<sup>3</sup> idem Accessus uti anonymus invenitur in cod. Bamberg., Staatliche Bibl., Bibl. 103, ff. 26ss. Unde inducimus quod haec glossa potius Manducatori pertinet quam Lombardo<sup>4</sup>.

Inter Glossas vero Magistri in Evangelia, illa in Lucam maxime nobis interesset ratione materiae et doctrinae illius Evangelistae circa Annun-

RTAM 46 (1979) 106. Labet indicare etiam quod prologus « *Fecit Deus...* et sic terminat librum suum » invenitur in *Bibliotheca Casinensis*, IV (1880) 285a-287b. Alia versio seu potius quaedam reportatio habetur in RB 7496, sub nomine Roberti Wigorniensis (Worcester), canonici qui dicitur floruisse saec. XII. Quatenus autem monachi, non canonici, Ecclesiae cathedralis serviebant, evanescit ille magister, ut nuper adnotavit eadem B. Smalley, *Some Gospel Commentaries of the early Twelfth Century*, in RTAM 45 (1978) 159.

<sup>1</sup> Cf. *Sent.* II, d. 40, n. 3, de arbore bono (tom. I, 557); Rabanus Maurus, *In Matth.* II, c. 7 (PL 107, 848 A), ubi glossa Origeni attribuitur; necnon et *Glossa interl.* hic (apud Lyranum, V, 29r). <sup>2</sup> In *Sent.* II, d. 11, c. 1, n. 1 (I, 380), ubi reapse verba Hieronymi citantur secundum Glossam ord. in Matthaicum 18, 10 (apud Lyranum, V, 56c), et non secundum Rabanum in h.l. (PL 107, 1009 A). <sup>3</sup> Quae notitia dependet ad litteram ab illa A. Landgraf, *Recherches sur les écrits de Pierre le Mangeur*, in RTAM 3 (1931) 367s. Addi lubet quod Magister Hugo de S. Caro *Proemium Marci* repetit seu rectius adaptat ut suum in *Lucam* (RB 3721; ed. Venet. VI, 125c-d); ipsum textum Manducatoris non semel adhibet in suo *In Marcum* (ex. gr., ibid., f. 91a in fine). <sup>4</sup> Quod Manducatori attribuitur in RB 6576, 1, nuper ei negatur a cl. B. Smalley, quae codicem Durham examinavit; cf. *Peter Comestor on the Gospels*, in RTAM 46 (1979) 106.

tiationem, Incarnationem, Praesentationem, necnon et missionem Baptistae, immo et parabolam de Lazaro et divite, etc. Quatenus autem Magister Rabodon nullum Introitum in Lucam proponit sub nomine Lombardi, sicco pede campum transeamus. Testimonium enim Comestoris monstrat quod ipse in manibus textum Magistri habebat<sup>1</sup>.

Iterum Magister Rabodo in suo *Libro de pluribus* nobis offert uti Petri Lombardi quendam Introitum in Ioannem: « *Omnia poma, nova et vetera, servavi tibi, dilecte mi* » (Cant. 7, 13). Poma nova et vetera, que odore alliciunt et sapore reficiunt, dicit se ecclesia his verbis Christo servare. Hec autem poma divina est scriptura... in activa vita et contemplativa terminat evangelium » (RB 6650; IV, 328). Praeter Rabodonis codicem, iuxta cl. Stegmüller textus invenitur, ac quidem semper anonymus, in Clm 2627, f. 35, et in Salzburg St. Peter a V 44, f. 41; quibus adiungi oportet ille Paris., BN lat. 3535, ff. 7-8, scilicet inter fragmenta codicum S. Martialis Lemovicensis, et quidem ut anonymus; ac BN nouv. acq. lat. 217, f. 105<sup>r-v</sup><sup>2</sup>.

In alia forma invenitur in cod. Bern, Bürgerbibl. A 94, f. 6: « *Omnia poma, nova et vetera, servavi servanti (!) tibi, dilecte mi*. Hec sunt verba sponse in canticis ad sponsum. Per poma nova et vetera intelliguntur sacre scripture novi et veteris testamenti... super litteram legitur, et interlinearibus et marginalibus coaptatur » (RB 8808; VI, 141). Sumus hic in scholis Comestoris. Quatenus enim sua lectio glossa erat super quendam textum iam glossatum, semper quaesivit ordinare suas glossas ad ipsum textum divinum, quandoque distinguendo inter glossatorem et expositorem, uti super Matthaicum ubi distinguit (uti iam notatur) inter fontem viciniorem seu quendam magistrum (Lombardum) et fontem remotiorem glossae istius (Rabanum).

Textus autem integer huius Glossae Comestoris (RB 6578; IV, 297) invenitur in pluribus codicibus<sup>3</sup>: « *Omnia poma, nova et vetera, servavi tibi, dilecte mi* » (Cant. 7, 13). Solet sacra scriptura pomorum nomine censer, quia quarto tempore, id est quarta etate [*probabilius* etate] esibilis facta est, id est in auctoritate recepta est. Habes enim in Levitico [19, 24] quia Dominus fructus arborum, que de novo fuerunt plantate, tribus annis abici precepit... *Hic est Ioannes*. Premittit Hieronymus huic operi prologum ad sequentis operis commendationem, commendans autem se-

<sup>1</sup> Uti notatur ibidem, 105. <sup>2</sup> *Bibl. Nationale. Catalogue général des manuscrits latins* V (1966), 594, ubi uterque indicatur. <sup>3</sup> De quibus, cf. B. Smalley, *Peter Comestor on the Gospels*, in RTAM 46 (1979) 107s.



quens opus a quattuor. ...*Omnibus divine*. Sed magister ad introitum Augustini quodammodo preparavit ingressum. *In principio erat*. In principio huius evangelii ponuntur quatuor comata, id est quatuor clausule sive distinctiones. *Et tertia die* (2, 1). Iohannes ostendens prius Christum Deum esse... *expl.*: non est inconveniens si hyperbolice loquatur sacra scriptura. Et hoc habes in glossa: 'Non dicit spatio [non *spatium*, ut in RB 6578] temporis'. Proinde apparet quod haec Glossa non pertinet ad Magistrum nostrum, contra opinionem Magistri Rabodonis.

Restat adhuc quoddam opusculum examinare in codice Avranches 36, f. 175b-c: *Idem super evangelia* (RB 6647, ubi titulum novum portat: *Introitus super evangelia*). *Idem*, scilicet Magister Petrus Lombardus, eo quod sequitur suum *Super illum locum in Ioele*, de quo postea.

Quod opusculum in evangelia pluribus signis se monstrat spurium, tam in doctrina quam in forma quaestionum quas praesentat circa evangelium. Exempli gratia, aliter hic definitur evangelium quam in Glossa in Rom. 1, 1: *Paulus... segregatus in Evangelium Dei*, ubi scribit Magister: « Est autem evangelium bona annuntiatio; *eu* enim graece, latinum *bonum*; *angelos*, *nuntius*; inde evangelium, bonum nuntium, vel bona annuntiatio. Ea vero est de his quae ad fidem catholicam et bonos mores pertinent » (PL 191, 1305 A). Aliter illud opusculum: « Evangelium est bona annuntiatio de eternis, facta ore ipsius salvatoris »; quae definitio valde affinis est illa Magistri Hugonis de Sancto Caro: « Dicitur<sup>1</sup> autem evangelium ab *Eu*, quod est bonum, et *Angelus*, quod est nuncians. Et licet tota Scriptura possit dici bona nuncians, sola tamen evangelica historia, quae de gestis Christi et doctrina antonomastice dicitur Evangelium. Et sic potest diffiniri: Evangelium est annuntiatio humanae salutis, facta proprio ore Salvatoris ». Unde haec verba sumpserit auctor opusculi, nescimus; supponi potest quod hic dependeat a quodam Magistro (Manducatore?) qui posterior erat Lombardo nostro.

#### CAPITULUM QUARTUM

##### TESTIMONIA IPSIUS LOMBARDI

Proinde, ad normam legum antiquorum, oportet testes fideles arcescere, qui, licet pauci sint, testimonium veridicum praestare possint circa opera scripturistica Magistri nostri. Non desunt quidam saeculi XII qui

<sup>1</sup> In *Evangelium Matthaei*, in titulo (Opera, VI, Venetiis 1754, 3a).

iam testimonium reddiderant circa librum *Sententiarum* et doctrinam ibi propositam, ut apparet ope indaginum A. Landgraf et aliorum nostri saeculi<sup>1</sup>. Sed ex alia parte revera pauci sunt qui nostris diebus quaedam nova invenerunt circa studium Bibliae in medio aevo, et pauciores qui textus seu glossas saeculi illius exquisierunt et publici iuris fecerunt.

Inprimis testimonia ipsius Lombardi quaerenda sunt, ubi saltem indirecte et ex obliquo revelat quos libros Scripturae sacrae exposuit seu glossavit praeter Psalterium et Epistolas beati Pauli. Nusquam autem sive in *Sententiis* sive in *Glossis* in Psalmos et in Apostolum, sive etiam in Sermonibus, sese vel auditorem seu lectorem explicite refert ad alia sua opera. Ad maximum, uti mox infra notatur, semel velum aliquantulum sublevat; a quo inde incipit nostra discussio.

#### A. In Ioel.

In quodam loco *Sententiarum* ipse Lombardus sibi testimonium reddere videtur quod olim librum Ioel glossaverat. Ita enim interpretari possumus eius textum infra in cap. 278 (seu Dist. 48, c. 4) Libri IV (p. 545), ubi disputat de loco iudicii, utrum scilicet Dominus descensus sit in vallem Iosaphat in latere montis Oliveti: « *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat; et disceptabo cum eis ibi super populo meo et haereditate mea, Israel* (3, 2): In cuius capituli expositione ita *reperi*: 'Hoc quidam pueriliter intelligunt...' ». *Ita reperi*, scilicet in Glossa ordinaria, quando Glossam meam confeci<sup>2</sup>.

Immo, quod Magister omnes Prophetas minores glossaverit apparet ex omni libro *Sententiarum* ubi omnes nominantur praeter Abdiam, Ionam et Sophoniam<sup>3</sup>. Quod dependeret a *Glossa ordinaria* libenter conceditur; et a *Summa Sententiarum* quando semel citat Hieronymum in *Expositione*

<sup>1</sup> Cf. A. Landgraf, *Note de critique textuelle sur les Sentences de Pierre Lombard*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 2 (1930) 80-99; ac eius *Introducción a la historia de la literatura teológica de la escolástica incipiente* (Barcelona 1956), 161-192; vel aptius quia recentius, *Introduction à l'histoire de la littérature théologique de la scolastique naissante*, ed. A. M. Landry - L. B. Geiger (Montréal-Paris 1973), 130-152. Circa scholam Magistri, cf. R. M. Martin, *Notes sur l'oeuvre littéraire de Pierre le Mangeur*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 3 (1931) 140-157; et L. Hödl, *Die Geschichte der schol. Literatur und der Theologie der Schlüsselgewalt* (Münster 1960).

<sup>2</sup> Alius locus *Glossae* non invenitur praeter illum in Ioel 2, 28 (infra, p. 242), ex *Glossa ord.*, f. 355r (non ex f. 335r, uti indicatur in nota ibidem).

<sup>3</sup> Cf. Indices in utroque tomo nostro sub nomine cuiusque Prophetarum.



*Habacuc* 1; sed ut in pluribus manifestat quod quendam glossam propriam iam composuerit.

Quid ergo dicendum est de quodam passu in Ioel 1, 14 (vel 2, 15): *Sanctificate ieiunium*, qui invenitur solummodo in cod. Avranches 36, f. 175b (RB 6645), unacum quodam introitu super evangelia (RB 6647) quem licet Lombardo ascribatur iam reiecit? Qui codex ff. 316 continens saec. XIII ineuntis dicitur; Glossam Manducatoris in Matthaum (RB 6575) lectori offert (ff. 69a-111a), necnon in Lucam (RB 6577) et in Marcum (RB 6576, 2); dein, sub titulo: *Magister Petrus Lombardus* (f. 175b), textus profertur qui nobis interest, unacum *Idem super evangelium*, uti supra in fine cap. IV. Quae sequuntur Comestori posteriora sunt: *Summa divinae paginae*, olim Magistro Petro Pictaviensi adscripta 2, et alia anonyma vel sub nomine Magistri Stephani Langton. Ante iudicium autem audire oportet testimonium textus qui nomen portat nostri Magistri 3:

Magister Petrus Lombardus. Super illum locum in Ioele: *Sanctificate ieiunium, sanctificate ieiunium*, etc.

1. Ieiunium est anime et corporis afflictio, qua Deo ut creatori reconciliemur. Ieiunium aliud extrinsecum, aliud intrinsecum. Extrinsecum est cum abstinencia victus, vestitus, et concupiscencie oculorum vel sensuum; intrinsecum in abstinencia male cogitacionis, delectacionis seu operacionis et consuetudinis.
2. Aliud licitum, ut sponte in IV vel VI feria; aliud illicitum, sicut non est licitum quin XL<sup>a</sup> ieiunemus; aliud voluntarium, ut supra licitum.
3. Vel aliter: Quinque sunt necessaria ad sanctificationem ieiunii, scilicet oratio, elemosina, penitencia, obediencia, humilitas.
4. Oratio alia ab ore tantum, ut: *Populus hic labiis me honorat* 4; alia corde tantum, ut de Moyse: *Quid clamas ad me?* 5 nichil tamen dicebat; alia que corde et ore, que bona est. Item, oratio, alia est consecrativa, ut sacramenta; alia obsecrativa, ut in precibus; alia execrativa ut: *Benedictionibus vestris maledicam* 6.
5. Elemosina est in dando et commodando, eodem tandem pondere et doctrina. Hec doctrina est in verbo et exemplo, in voto, quia volumus bonum fieri; et littera, quia monemus per epistolas.
6. « Penitencia 7 est commissa deflere et flenda non committere ». Penitencia est in quinque: quod sibi displiceat, quod odio habeat, quod amplius caveat, quod cum obediencia suscipiat et humilitate perficiat. Contra hoc scilicet quod super-

<sup>1</sup> In *Libro Sententiarum*, I, dist. 39, c. 4 (I, 282); simili modo aliqua verba Hieronymi super *Aggaeum* sumuntur ex *Decreto Gratiani* in Libro IV, d. 15, c. 6, n. 3 (II, 331s).  
<sup>2</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 126\*s, 139\*ss.    <sup>3</sup> Ad commodum lectoris textus integer offertur uti iam editus a cl. G. Lacombe, in *The New Scholasticism* 5 (1931) 159s; divisio textus nostra est, ad accommodandum quendam glossam nostram.    <sup>4</sup> Is. 29, 13; Matth. 15, 8; Marc. 7, 6.    <sup>5</sup> Exod. 14, 15.    <sup>6</sup> Malach. 2, 2.    <sup>7</sup> Definitio Gregorii Magni, uti infra, IV, d. 13, c. 2, n. 2 (317).

bia 1 est primum peccatum recedentibus a Deo et ultimum redeuntibus ad eundem [= Deum], obediencia est qua sub potenti manu Dei cum humilitate submittimur. Et hec, alia racionabilis, ut nostri ad Deum; alia irrationabilis, ut servorum ad dominos. Hoc est quod alibi dicitur: Paciencia cum racione et paciencia sine racione. Humilitas, alia humilitas sola; alia humilitas humilitatis, ut quando inferioribus ad quodlibet, et diu, summittimur; alia simulacio humilitatis.

7. De humilitate procedit compunctio, que filia simillima est matri; et consistit in sex, que sunt: peregrinacio, in qua est miseria quam patitur [patimur?]; dilatio regni celorum; pondus peccatorum; timor gehenne; tamen [tandem?] cum timore iniciali filialis reverencia, que permanet in eternum.

Quatenus iuxta obituarium Magistri Ecclesia Parisiensis glossam eius habuit in duodecim Prophetas minores, excludi nequit quaedam glossa in Ioel. Eo ipso autem non sequitur quod hic habeatur excerptum authenticum opusculi Magistri; immo quaedam militare videntur contra talem attributionem. Unde convenit quoddam commentum facere ope imprimis trium sermonum Magistri ubi discutitur de ieiunio et poenitentia: n. 11: *In (De) Septuagesima* (PL 171, 845 D - 853 B); n. 12: *(In) prima Dominica Quadragesimae* (PL 171, 443 B - 451 A); n. 26: *In Letaniis* (PL 171, 567 D - 572 A), iuxta nostram divisionem huius excerpti.

1. Si ieiunium est afflictio anime et corporis, et inde « aliud extrinsecum, aliud intrinsecum », idem est ac dicere: « Ieiunium duplex est, corporale et spirituale. Corporale est, quo nos contemperamus a cibis; spirituale, quo abstinemus a vitiis. Non sufficit nec valet carnem macerare corporali parcimonia, nisi intus castificet mentem spirituali abstinencia, qua vitia caveamus, delicta vitemus » 2.

2. Loca parallela non invenimus.

3. Quod quinque sunt necessaria, iuxta hunc tractatum: « oratio, elemosyna, poenitentia, obedientia, humilitas », ad sanctificandum ieiunium, quodammodo huic tractatui proprium est. Sermo enim 12 potius loquitur 3 de partibus satisfactionis, quae sunt: ieiunium, oratio et elemosyna.

4. Non tamen turbetur cor nostrum, nam hic clavis invenitur unde mysterium auctoris reveletur: nam ita dicit praedicator sermonis 12: « Similiter est et oratio oris, et oratio cordis. Non valet clamor labiorum sine labore animorum. Clamor autem cordis, etiam silente exterius voce corporis, a Deo semper auditur. De hoc clamore Dominus ad Moysen ta-

<sup>1</sup> In se, dictum est Augustini, *Enarr. I in ps. XVIII*, n. 14, ut parum infra indicatur.    <sup>2</sup> Ut in Sermone 12 (PL 171, 447 C).    <sup>3</sup> Ibid. (447 B).



centem ait: *Quid clamas ad me de terra?*<sup>1</sup>. Tacebat Moyses, sicut ibidem legitur, et Dominus dicit: *clamas*. Sed tacebat ore, clamabat corde<sup>2</sup>. Idem invenitur etiam in sermone 26: « Moyses tacens, in Exodo legitur clamasse ad Deum, quia licet ore sileret, corde tamen clamabat... Clamor iste est magna cogitationis intentio, quae fit cogitationis sublimitate concentuque virtutum »<sup>3</sup>.

5. Eleemosyna, secundum sermonem 12<sup>4</sup>, gemina est, corporalis et spiritualis; et duobus modis expletur: *dando* scilicet aliis bona nostra, et *dimittendo* eis mala sua (*commodando* non apparet hic). Sacra unde et salutifera est haec *doctrina*<sup>5</sup>.

6. Definitio poenitentiae Gregorii est (infra, p. 317). Sed quod in quinque consistere dicitur quodammodo militat contra doctrinam Magistri, ubi docemur quod in tribus consistit: in cordis compunctione seu contritione, in oris confessione, et in operis satisfactione<sup>6</sup>. Sed revera, ut in Sermone 12, doctrina sic expanditur ut quinque vel amplius enumerentur: « Satisfactio<sup>7</sup> maxime in tribus consistit: scilicet ieiunio, oratione et eleemosyna. Ieiunium vero duplex est, corporale et spirituale. Corporale est, quo nos contemperamus a cibis; spirituale, quo abstinemus a vitiis; quae quodammodo innuuntur in tractatu in Ioelem: « odio habeat, amplius caveat, cum obediencia suscipiat ».

Quod hic dicitur de superbia denuo Magistro Petro innuit ut auctori vel saltem fonti eiusdem glossae in Ioelem, eo quod non semel sed ter quasi eadem verba inveniuntur in sermonibus Magistri. Legitur enim in Sermone 11: *In Septuagesima*: « Haec [superbia] est maximum delictum, id est caeleste vitium, primum recedentibus et ultimum redeuntibus » (PL 171, 847 B); dein in Sermone 12, loquens Magister de quatuor aversionibus quibus infelix et miserabilis anima a Deo se elongat, dicit: « Laetitia mundialis... una est et maxima [via] recedendi a Deo » (ibid., 444 A); et iterum in Sermone 25<sup>8</sup>: « Tertius laqueus est superbia vitae, vitium primum recedentibus et ultimum redeuntibus. Aliquando enim qui nec carnis concupiscentia nec rei extrinsecae cupiditate subiugatur, iaculo su-

<sup>1</sup> Exod. 14, 15: *Dixitque Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me?*    <sup>2</sup> PL 171, 447 C.    <sup>3</sup> Ibid., 571 A-B.    <sup>4</sup> Ibid., 447 D - 448 B.    <sup>5</sup> Ibid., 448 D.    <sup>6</sup> Cf. *Sent.* IV, d. 14, c. 3 (318ss), et praesertim d. 16, cc. 1-3 (336ss).    <sup>7</sup> PL 171, 447 C.    <sup>8</sup> Textus integer sermonis deest in PL 171, 871 C - 873 C; unde supplevimus ex cod. K (Pragae), f. 93c. His sermonibus alium oportet adiungi qui certo certius est Lombardi episcopi: « *Filii hominis... Videtis, fratres...* » (PL 171, 921 B - 924 B), ubi quasi eadem verba inveniuntur: « Superbia enim est primum vitium recedentibus a Deo, ultimum vero redeuntibus ad Dominum » (924 A).

perbiae percutitur, quae etiam in bene factis interdum subrepat, et de perfectione originem ducit ».

Nihilominus hoc dictum forsitan parum vel nihil probat, eo quod in se potius Augustini est in Psalmum 18, 14: « *Et mundabor a delicto maximo: quo alio, nisi superbiae? Non enim est maius delictum quam apostatare a Deo, quod est initium superbiae hominis. Et vere ille immaculatus est, qui etiam hoc delicto caret: quia hoc est ultimum redeuntibus ad Deum, quod recedentibus primum fuit* »<sup>1</sup>.

7. Iterum loca parallela non invenimus.

Uti iacet non apparet quod hoc opusculum venerit de manu Magistri; quaedam indubitanter sua sunt, alia forsitan discussiones in scholis evocant. Iudicium finale caute aliis concedimus.

#### B. Testimonia in Sermonibus Magistri.

Aliis etiam relinquimus sermones Magistri aestimare sub aspectu literario<sup>2</sup>; hic nobis magis interest quid revelent circa glossas Lombardi in textum sacrum, et quid determinari possit circa chronologiam tam glossarum quam sermonum.

Quod attinet ad tempus seu annos quibus praedicaverit Magister, quaedam difficultas oritur, ut nobis videtur, ex quodam capitulo seu epistola pseudo-Isidori<sup>3</sup> quae repetitur ab Ivone Carnotensi<sup>4</sup> et postea

<sup>1</sup> *Enarr. I in Ps. XVIII*, n. 14 (PL 36, 156; CCL 38, 104s).    <sup>2</sup> Cf. L. Bourgain, *La chaire française au XII<sup>e</sup> siècle d'après les manuscrits*, Paris 1879: « Les homélies sont des dissertations régulières, nourries de l'Écriture sainte et particulièrement des Prophètes, mais froides et compassées. La critique n'y peut relever un seul passage digne d'intérêt, si ce n'est peut-être dans le quatorzième sermon » (pp. 46s); unde Lombardum adiudicat *celèbre théologien* (iuxta *Metamorphosis Goliae!*) sed *prédicateur médiocre*. Iudicium non dissimile hisce diebus redditur in studio cl. J. Longère, *Oeuvres oratoires de maîtres parisiens au XIII<sup>e</sup> siècle* (Paris 1975): « On devine l'intérêt porté au comportement pénitentiel du fidèle. Pierre Lombard se montre désireux d'aider concrètement les chrétiens dans un idéal de lutte énergique contre le mal et de poursuite du bien; mais il apparaît homme de doctrine, plus que pasteur. On ne saurait lui reprocher de faire appel à la raison plus qu'aux sentiments, cependant sa prédication manque un peu de chaleur » (I, 295). Potest autem quaeri qui essent illi *fratres* qui salutantur et admonentur in omni sermone; quibus dicitur: « *Iubilare scienter et psallite sapienter* » (serm. 4, PL 171, 388 A); qui salutantur uti « *viri caelestes... qui Magi estis et philosophi... per caelestem theologiam qua cognoscitis mysterium regni Dei* » (403 B), et intelligunt quid sit regio dissimilitudinis (404 D). Non sunt illi fratres quos admonet Lombardus episcopus (PL 171, 921 B - 924 B), sed potius eruditi vel saltem studiosi, canonici S. Mariae et studentes scholae eius!    <sup>3</sup> Infra, p. 397, n. 2.    <sup>4</sup> Ivo, *Decretum* VI, 20: *Perlectis* (PL 161, 448 D - 449 A); et *Panormia* III, c. XLI: De officiis illorum qui sunt ordinandi, § 5 (PL 161, 1138 D).



a Magistro Gratiano, unde apparet quod pertineret ad lectorem officium praedicandi super Vetus Testamentum, et ad diaconum illud super Evangelium et Apostolum. Ipse Magister textum praefert in *Sententiis* prout invenitur in *Decreto* Gratiani<sup>1</sup>: «Ad lectorem pertinet lectiones pronuntiare, et ea quae Prophetiae vaticinaverunt praedicare», ut iam ex officio legat in ecclesia prophetias et lectiones». Ut apparet autem ex toto capitulo, hic Magister magis insistit clarae lectioni (sicut etiam S. Isidorus, in prima parte eiusdem capituli) quam praedicationi. Infra autem tangens<sup>2</sup> officia diaconi iterum sequitur epistolam pseudo-Isidori: «Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus..., crucem ferre et praedicare Evangelium et Apostolum. Nam sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconibus Novum praedicare praeceptum est».

Fons huius legislationis, quae iam invenitur in *Decreto* ac in *Panormia* Ivonis Carnutensis, unde (potius ex *Decreto*) repetitur a Gratiano in *Decreto* D. 25, c. 1 *Perlectis*, uti supra, nihil aliud est quam *Epistola ad Leudefredum episcopum* S. Isidoro iam attributa a fabricatore anonymo<sup>3</sup>.

Unde supponi potest quod ante diaconatum Magister ut servus fidelis suos sermones, non autem lectiones suas in scholis<sup>4</sup>, quodammodo coarctaverit ad materiam Veteris Testamenti; ac inde, parum post 1150 diaconus factus, sese extenderit ad Novum Testamentum. De facto quidam sermonesveniuntur ubi parum vel nihil trahitur de Novo Testamento, dum alii librum *Sententiarum* antecedere videntur<sup>5</sup>.

In fine lector advertatur quod ex negligentia seu potius ignorantia in Prolegomenis ad tom. I, p. 111\*, omisimus sermonem authenticum Magistri: *Si Filius vos liberaverit, vere liberi eritis* [Ioan. 8, 36], ex cod. S. Germani 381 seu Paris. BN lat. 12415<sup>6</sup>. Insuper, adiungere oportet quod alius ex cod. S. Germani 383, nunc BN lat. 12453: *Fili hominis, speculatorem*

<sup>1</sup> Uti infra, p. 397, ubi etiam indicatur locus in *Decreto* Gratiani et in aliis fontibus.

<sup>2</sup> In Dist. 24, c. 10, n. 2 (infra, 401s). <sup>3</sup> Circa auctorem Epistolae et tempus compositionis eius disputatur. Cf. PLS IV, 1820; et praesertim C. Silva-Tarouca, *Novi studi sulle antiche lettere dei Papi*, in *Gregorianum* 12 (1931) 588s. Quod hoc capitulum observabatur ubique, non apparet. Immo circa mentem et spiritum cleri, cf. M. Peuchmaurd, O.P., *Le prêtre ministre de la parole dans la théologie du XI<sup>e</sup> siècle (Canonistes, moines et chanoines)*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 29 (1962) 52-75. <sup>4</sup> Quod talis legislatio non tangerit opera eius scholastica patet ex Glossa primitiva in Apostolum; de cuius chronologia cf. Proleg. ad tom. I, 82\*ss.

<sup>5</sup> Inter illos qui potius dependent a glossis in Vetus Testamentum, cf. nn. 6, 13, 22, 23, 25, 28; *Sententiis* priores adiudicamus nn. 12, 14, 15, 16. <sup>6</sup> PL 171, 942 C - 944 D. Invenitur etiam in cod. BN lat. 13752 et in BN lat. 18096, f. 50, iuxta B. Hauréau, *Notices et extraits* II, 225. Loca parallelaveniuntur in sermone 24; doctrina de triplici libertate dependet a *Sent.* II, d. 25, cc. 8-9 (I, 466-469).

*dedi te domui Israel... ex me* [Ezech. 33, 7]<sup>1</sup>, qui cuiusdam episcopi est ad populum suum, cum omni probabilitate Petri Lombardi est: interpretatio Apostoli (923 D - 924 A) doctrinam Magistri redolet; ac iterum thema invenitur: «superbia est primum vitium recedentibus a Deo, ultimum vero redeuntibus ad Dominum» (924 A-B). Inde apparet quod inter desiderata ad saeculum XII illuminandum indubitanter esset editio nova et integra sermonum Magistri Lombardi, cum rubricis ubiveniuntur et cum quadam indagine circa fontes, sine qua non possumus comprehendere latitudinem et profunditatem Magistri in re biblica seu doctrinali et in re morali.

### C. Glossa in Isaiam.

Quod inde tangit nostras investigationes, ne circulus vitiosus fabricari videatur, per modum inductionis oportet procedere ita ut, exempli gratia, ex multiplici usu libri Isaiiae unacum quadam glossa quae ultra illam Ordinariam quasi semper excedit, concludatur quod Magister revera quandam glossam in Glossam sibi confecerit. Argumentum nostrum trahitur ex fontibus iam notis, scilicet ex libro *Sententiarum* ac ex sermonibus Magistri<sup>2</sup>. Concedimus quod nusquam in *Sententiis* lectores refert ad suam Glossam in Isaiam, et recte eo quod illam numquam publici iuris fecerat. Immo, nec omnis recursus ad prophetam quandam glossam postulat; quandoque enim textus dependet ab aliis fontibus<sup>3</sup>. Nihilominus non semel ipse textus *Sententiarum* quandam glossam postulare videtur quae non invenitur in *Glossa ordinaria*, uti super Is. 9, 6: *Filius datus est nobis* (tom. I, 155s); vel in Is. 48, 16 (I, 132); forsitan etiam in Is. 30, 26 (II, 546) et in Is. 60, 19 (II, 547), licet utrobique sufficiat *Glossa interlinearis* in h.l.

An causa inde cadat ob defectum evidentiae in libro *Sententiarum*? Nequaquam, eo quod plures Sermones qui quandam praedilectionem erga Isaiam revelant etiam demonstrant quod Magister non semel *Glossam ordinariam* excedit in sua expositione textus sacri. Ita iam in primo sermone, *De adventu*, exponendo duos versus Prophetiae: *Mittam in fundamentum Sion lapidem angularem, pretiosum, probatum* (28, 16); «et alibi» (8, 14): *Ponam in Sion lapidem offensionis et scandalii*, effectus diversos

<sup>1</sup> PL 171, 921 B - 924 B. <sup>2</sup> Circa quendam *Prologum magistri petri lombardi in ysaiam prophetam*, qui contra usum Magistri incipit verbis Scripturae, cf. *Prolegomena* in tom. I, 115\* et 117\*. <sup>3</sup> Ita pluries materiam trahit Magister ex *Summa sententiarum*, uti in tomo I, 105, 273, 354s, 377, et 379; quandoque ex *Decreto Gratiani*, uti infra, 316, 344, 377.



huius lapidis in vita hominum enarrat qui non inveniuntur in *Glossa ordinaria*<sup>1</sup>. Dein, parum infra, super Isaiam 11, 2: *Et requiescet super eum Spiritus Domini*, sermo aliam glossam indicare videtur. Quod talis glossa, Magistri scilicet, adhuc hypothetica, dependeret ab *Ordinaria*, apparet infra (PL 171, 375 A), ubi verba Prophetiae: *Ecce nomen Domini venit de longinquo* (30, 27) exponuntur iuxta *ordinariam*: « *nomen Domini*, id est 'Filius in nomine Patris' »<sup>2</sup>. Unde videtur quod *Glossa Magistri* vix alia fuerit quam quaedam glossa super *Glossam ordinariam*, uti pluries verificatur in successoribus eius.

Quod forsitan monstratur in Sermone 2 (PL 171, 376 B - 381 C), ubi quaedam apte adiunguntur interpretationi Isaiiae 21, 11: *Ad me clamat ex Seir: Custos, quid de nocte?* Unacum *Ordinaria* (f. 42c), « *Seir* interpretatur hispidus et pilosus »; sed parum infra vocatur etiam locus *horroris et vastae solitudinis* (Deut. 32, 10), dum *nox* dicitur esse « vitiorum et ignorantiae, suppliciorum et miseriae » (378 C-D). Dein, quaedam nova glossa Isaiiae 21, 12, applicatur: « *Dixit custos: Venit mane et nox: nox* scilicet infidelitatis et ignorantiae. Nox caecitatis et vitiorum venit olim, sed modo non est, quia venit mane, quando sedentibus in regione umbrae mortis lux orta est eis » (379 B-C).

#### D. Glossa in Exodum.

Item, iuxta Obituarium S. Mariae Parisiensis inter libros glossatos Magistri enumerantur « in Veteri Testamento... quinque libri Moysi »<sup>3</sup>; ex quibus seligamus, duce Magistro, librum Exodi eo quod post illum Genesis multoties citatur in omni libro *Sententiarum*. Ne taedeat autem lectorem disquisitionis verbosae, hoc solum dicere satis sit, scilicet quod *Glossa Magistri* in Exodum dependerit ab *Ordinaria* in eundem librum monstratur in omni libro *Sententiarum*; immo quod quampluries illam Magister non excedit sed repetit cum omnibus erroribus originalis<sup>4</sup>.

<sup>1</sup> Cf. PL 171, 371 A-D; ac *Glossa ordin.* in h.l. (ed. Venetiis 1586, tom. IV, f. 53). Nihilominus parum post revertit Magister ad *Ordinariam* quando exponit quod « septiformis gratiae plenitudo », seu septem dona, sunt *septem mulieres* (Is. 4, 1): « *mulieres*, quia nemo generatur Deo nisi per Spiritum » (PL 171, 372 A). Immo, quod sequitur (372 B) dependet ad unguem ab eadem *Glossa*. <sup>2</sup> *Glossa ordinaria*, IV, f. 57c. <sup>3</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 20\*. <sup>4</sup> Cf. Lib. I, dist. 8, c. 1, n. 3; et nota 3 (I, 95); non semel etiam Gregorio Magno scriptum super Exodum attribuitur ob eius praesentiam in eadem *Glossa* (cf. I, 498, et 570; et II, 113); necnon et super Genesim (I, 323, 27ss); et semel super Psalmos (II, 513).

Unde non oportet textum nostrum onerare mille minutiis. Si quid novum quaeritur, scilicet quid *Glossae ordinariae* Magister adiunxerit ad propriam glossam conficiendum, revertere oportet, uti supra circa librum Isaiiae, ad sermones eius, multo minus autem ad *Sententias*.

Quod inde tangit Sermones Magistri, non minus quam sedecim loci inveniuntur ubi citantur et non semel exponuntur verba Exodi, quandoque iuxta *Glossam ordinariam*, quandoque cis et ultra. Exempli gratia, in Sermone 25, ubi Moyses, qui « ex quo verba Dei audire coepit, humana infirmitate se gravatum novit, ut non modo ad respondendum Domino, sed ad loquendum cum eo se profitetur imbecillum », sese excusat: *Obsecro, Domine, non sum eloquens ab heri et nudiustertius* (Exod. 4, 10), textus exponitur ad litteram iuxta Origenem, ut in *Glossa ordinaria*<sup>1</sup>.

Ex alia parte, in Sermone 14: *Egredere de terra tua* (Gen. 12, 1), quando Magister textum appellat Exodi 3, 18 (iuxta editorem A. Beaugendre seu verius J. J. Bourassé) seu potius Exodi 5, 3: *Deus Hebraeorum vocavit nos, ut eamus viam trium dierum in solitudinem*, solummodo pauca verba *Glossae interlinearis* adhibentur, dum textus exponitur per longum et latum ab ipso Magistro<sup>2</sup>.

Dein, in Sermone 22, *In Parasceve* (qui ab editore intitulatur *De laudibus sanctae crucis*<sup>3</sup>), ubi in prima parte (686 B-C) exponitur Exodus 4, 3-4, de virga Moysis quae conversa fuit in serpentem, Magister dependet a *Glossa ordinaria* in h.l. (fol. 132a), ubi citantur Gregorius<sup>4</sup> et Isidorus<sup>5</sup>. Parum infra (686 D), virga dicitur esse Filius caro factus, ut in *Glossa* in Exod. 7, 11-12 (fol. 137 c-d); cui adiungitur (686 D - 687 A) interpretatio Origenis, quod « virga qua Aegyptus subiicitur et Pharaeo superatur crux Christi est, per quam mundus et princeps mundi superatur » (fol. 137c)<sup>6</sup>. Hucusque, ut apparet, *Glossa* in Exod. c. 4. Deinde, ante conclusionem sermonis, Magister denuo (694 C) se convertit ad *Glossam* in Exodi 12, 7: *Sumes [Vulg. sument] de sanguine agni, ac pones [ponent] super utrumque postem, et in superliminaribus domorum*,

<sup>1</sup> PL 171, 872 B; ex *Glossa ordin.* I, 132c; ex Origenis *In Exodum homilia* 3, n. 1 (PG 12, 310 A-B; *Die Griechischen Christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte* [GCS], tom. XXIX, Origenes VI, 161s). <sup>2</sup> PL 171, 856 A - 857 A; *Glossa ord.* in Exod. 5, 3 (134b). <sup>3</sup> PL 171, 685 D - 695 D. <sup>4</sup> Scil. in quodam fragmento (n. 3) a Paterio Gregorii Magni *Homiliis in Hiezechielem* adscripto (CCL 142, 412; et PL 79, 726 A-B). <sup>5</sup> Pseudo-Isidorus, *Quaestiones in Exodum*, c. 8, n. 2 (PL 83, 290 B); de quibus cf. R. E. McNally, *The Pseudo-Isidorian «De Vetere et Novo Testamento Quaestiones»*, in *Traditio* 19 (1963) 37-50. <sup>6</sup> Ex Origenis *homilia IV in Exodum*, n. 6 (PG 12, 321 B-C; GCS 29, 177).



unacum *Glossa ord.* (f. 146c), ex opusculo Paterii super hunc locum Exodi<sup>1</sup>.

Sed haec hactenus! ne importuna evadat nostra discussio, sufficiat sermones Magistri notare ubi se delectat petitionem Moysis exponere: *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam... Ostende mihi gloriam tuam* (Exod. 33, 13 et 18); necnon et responsum Altissimi: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo et vivet. Et iterum: Ecce, inquit, est locus apud me, et stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petrae, et protegam dextera mea, donec transeam: tollamque manum meam, et videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris* (Exod. 33, 20-23).

In Sermone 3, *De adventu Domini: Vidi angelum Dei fortem... et facies eius tamquam sol* (Apoc. 10, 1-2)<sup>2</sup>, glossat Magister: « De facie sua dixit Moysi: *Nemo videbit faciem meam et vivet*. Non enim potest quis adhuc in carne mortali degens in faciem deitatis inspicere, nec etiam si fuerit Moyses. Sed dicitur ei: *Sta in foramine petrae*, et cum pertransiero *videbis posteriora*, non faciem. Facies est: *In principio erat Verbum*<sup>3</sup>; posteriora: *Verbum caro factum est*. Haec ergo inferiora, id est eius humanitatem, videre poterimus, sed non nisi steterimus *in foramine petrae*; id est, nisi habeamus fidem Christi, de quo dicitur: *Petra autem erat Christus* »<sup>4</sup>. Sed revera parum vel nihil differt a *Glossa ordinaria* in h.l.<sup>5</sup>.

Dein, in Sermone 4, *De Natali*<sup>6</sup>, qui dependet a *Glossa in Apostolum* et a *Libro Sententiarum*<sup>7</sup>, interpretatio eiusdem textus Exodi parum differt a *Glossa ordinaria*<sup>8</sup> seu a sermone praecedente (PL 171, 385 C). Idem dicendum videtur circa Sermonem 27, ubi repetitur, sed sine glossa, Exodi 33, 22: *Sta in foramine petrae* (438 B); necnon et circa sermonem nuper Magistro attributum: *Si Filius vos liberaverit* (PL 171, 944 A-B), ubi *ostende mihi faciem tuam* clamor est animae contemplativae.

Quid inde deduci potest, nisi quod *Glossa Magistri* in Exodum ita secuta est illam *Ordinariam* et interlinearem ut vix alia erat quam quaedam glossula in illam *Glossam*? Unde forsitan numquam voluit suam glossam tradere librariis.

<sup>1</sup> PL 79, 729 C-D.

<sup>2</sup> Ed. D. Van den Eynde, *Deux sermons inédits de Pierre Lombard*, in *Miscellanea Lombardiana* (Novara 1957) 78.

<sup>3</sup> Ioan. 1, 1, ac 1, 14.

<sup>4</sup> 1 Cor. 10, 4.

<sup>5</sup> Scil. in Exod. 33, 20s (Gl. ord. I, 203a-c).

<sup>6</sup> PL 171, 385 C.

<sup>7</sup> Non semel materia trahitur ex *Glossa in Hebr.*, c. 2, 10 et 14-15 (PL 191, 420s, et 423 C); necnon ex *Libro III Sent.*, d. 1, c. 1; d. 9, c. 3; et d. 23, c. 7.

<sup>8</sup> In Exod. 33, 20s (I, 203a-b).

## CAPITULUM QUINTUM

## TESTIMONIA POST LOMBARDUM

Quod tangit Magistrum nostrum et sua multiplicia opera super Verbum divinum, post mortem Petri Manducatoris paucissimi sunt qui praeter *Glossam* in Psalmos et aliam in Apostolum recordantur labores Lombardi in Sacram Paginam. Nihilominus non desunt quidam testes fideles, ab ipso Manducatore usque ad Magistrum Stephanum Langton et Hugonem de S. Caro, O. Praed.

## A. Petrus Comestor.

Non sine scandalo (minimo quidem) quosdam modernos invenimus qui adhuc credant quod Magister Petrus Comestor, decanus Trecensis, Parisius venerit solummodo post mortem Lombardi (3 maii 1160)<sup>1</sup>, et quidem anno 1164, quando Magistro Odoni successerit in officium cancellarii Parisiensis Ecclesiae. Ex documentis autem manifeste apparet quod Odo Suessionensis cancellarius fuit saltem ab anno 1160 ad 1166 vel forsitan usque ad annum sequentem, antequam se contulit ad monasterium Ursicampi<sup>2</sup>. Et ex aliis documentis et testimoniis sive ipsius Manducatoris sive aliorum manifestius apparet quod Comestor pluribus annis frequentabat scholas Lombardi, cuius successor fuit in scholis S. Mariae.

Ex alia parte etiam Parisius salutatur ut *decanus*<sup>3</sup>, Trecensis scilicet, eo quod nullum beneficium possidebat apud S. Mariam seu in eccle-

<sup>1</sup> Cf. Prolegomena ad tom. I, 40\*-43\*, ubi non apte distinguimus inter ipsam diem mortis Lombardi, V Nonas maii (scil. die 3 illius mensis) iuxta Obituarium ecclesiae S. Mariae, et diversa solemnia Parisius celebrata. Illa apud S. Marcellum illustrat Dom. Lebeuf (1754): « Dans le Choeur, entre l'aigle et le Sanctuaire, est une représentation du tombeau du célèbre Pierre Lombard Evêque de Paris, décédé en 1160... Cette figure et l'inscription, quoiqu'anciennes, ne sont pas du temps de sa mort, mais de plus de cent ans après, comme on en juge par la hauteur de sa mitre. Les Bacheliers en Licence de la Faculté de Paris font tous les ans son service en cette Église le 20 juillet » (*Histoire de la ville et de tout le diocèse de Paris*, I-1, 196s).

<sup>2</sup> Cf. I. Brady, *Peter Lombard: Canon of Notre-Dame*, in *RTAM* 32 (1965) 288s; documenta annorum 1166/67 edidit J. Depoin, *Recueil de chartes et documents de S-Martin-des-Champs* (Archives de la France monastique, 16), II, nn. 391 et 462, pp. 296, 391s. Cf. etiam L. Hödl, *Die Questionenliteratur des Odo von Ourscamp*, in suo studio *Die Geschichte der scholastischen Literatur und der Theologie der Schlüsselgewalt* (BGPTMA XXXVIII, Heft 4), 116-141.

<sup>3</sup> In *Glossa* olim Petro Pictaviensi attributa; cf. textus in Prolegomenis nostris ad tom. I, 127\*.



sia Parisiensi. Immo, ex quadam serie sermonum in cod. Trecensi 1515<sup>1</sup> apparet quod non infrequenter civitatem natalem visitaverit: semel saltem ad Pascha (nn. 39-40); ad synodum celebrandam (n. 46); ad desponsationem sororis suae participandam (n. 43: «Invitatus ut sororis nostre interessem desponsationi»); semel iterum «in solemnibus ieiunio quod ecclesia in septembri agit» (n. 79), quando, ut videtur, schola vacavit; semel saltem ad Natale Domini (n. 131), probabilius autem pluries (nn. 1-4, 11). Nihilominus, quatenus codex olim pertinebat ad bibliothecam Abbatiae Clarae-Vallis ac proinde probabiliter originem Parisius habuerat, nostra interpretatio quodammodo claudicat.

Quod autem Parisius discipulus fuit Petri Lombardi testimonium inopinatum invenitur, licet sine suo nomine, in opere famoso Gualteri S. Victoris *Contra quatuor labyrinthos Franciae!* Inter enim Additamenta posteriora<sup>2</sup> (qui titulus est cl. editoris P. Glorieux) rubrica auctoris legit: *De dialectica Eunomii et Lombardi et Pictavini iam olim damnata in conciliis sanctorum*<sup>3</sup>. Primo deridet (cum Augustino) dialecticam et errorem Eunomii cui postea consociat Lombardum et Petrum Pictavinum; dein adhuc postea discipulum Lombardi inserit sine nomine. Quatenus autem Petrus Pictaviensis Comestorem secutus est in scholis, quis est iste discipulus anonymus? Sed primo legamus ipsum textum<sup>4</sup>:

De dialectica Eunomii et Lombardi et Pictavini  
iam olim damnata in conciliis sanctorum.

Augustinus libro de Trinitate<sup>5</sup>: «Ridenda est dialectica Eunomii, a quo Eunomiani heretici orti sunt. Qui cum non potuisset intelligere nec credere voluisset Unigenitum Dei Verbum filium Dei esse natura, id est de substantia Patris genitum, non nature vel substantie dixit esse filium, sed filium voluntatis Dei».

Eia catholica mater Ecclesia dic et tu, sicut et tota et segura dicis, dic et tu inquam, dic: Ridenda, immo iam in Nicena et aliis

<sup>1</sup> Cf. J. B. Schneyer, *Repertorium der lateinischen Sermones des Mittelalters* (BGPTMA XLIII, Heft 4), 636-647; olim cod. M 43 Bibliothecae abbatiae Claraevallis, uti indicatur in *La Bibliothèque de l'Abbaye de Clairvaux du XII<sup>e</sup> au XVIII<sup>e</sup> siècle I* (Paris 1979), 199.

<sup>2</sup> P. Glorieux, *Le Contra Quatuor Labyrinthos Franciae de Gauthier de Saint-Victor*, in *AHDLM* 19 (1952) 304ss.

<sup>3</sup> *Ibid.*, 320-334.

<sup>4</sup> Uti illic iacet, 320, lin. 12-35.

<sup>5</sup> *Lib.* XV, cap. 20, n. 38 (PL 42, 1087; CCL 50 A, 515); ex *Sententiis Lombardi*, I, dist. VI, cap. unicum, n. 1 (I, 89, 8-13).

sinodis anathema est dialectica et perversa doctrina \*Petri<sup>1</sup> Lombardi et Pictavini\*.

«Qui cum non potuisset intelligere nec credere voluisset Unigenitum Dei Verbum filium Dei esse natura, id est<sup>2</sup> de substantia Patris genitum, non naturae vel substantiae dicit esse filium». Fatetur<sup>3</sup> tamen et si non ex substantia Patris saltem vel genitum ex Patre, «quia esse Patrem non est aliquid esse, quod in sequentibus probatur».

«Quaeritur, inquit<sup>4</sup>, utrum Pater potuerit vel voluerit generare Filium. Ad quod dicimus: Posse et velle generare Filium non est aliquid posse, quia esse Patrem non est aliquid esse». Consequens est ergo esse Filium vel esse Spiritum Sanctum non est aliquid esse.

\*Unde et discipulus eius<sup>5</sup>: «De hoc termino, inquit, Deus de Deo, dici potest quod nihil [*lege nec*] secundum essentiam nec secundum relationem praedicatur de Deo»<sup>6</sup>. Et idem dicit \*Pic-

<sup>1</sup> Verba inter duos asteriscos ascripta adnotationes sunt ipsius Gualteri (cf. P. Glorieux, 195). <sup>2</sup> *id est* Lomb., *idem* Glorieux. <sup>3</sup> Textus dependere videtur ab eodem numero Dist. VI: «sed filium voluntatis Dei» (89, 12-13); dein sequuntur quaedam verba ex Dist. VII, c. 1, n. 1 (92, 5). <sup>4</sup> Conficitur ex eadem Dist. VII, c. 1, n. 1 (91, 16 ac 19-20); ultima verba autem, ex fine eiusdem numeri (92, 5). <sup>5</sup> Licet *discipulo* assignentur, uti iacent haec verba inveniuntur in *Sententiis Petri Pictaviensis*, I, c. 19 (ed. Moore-Dulong, tom. I, 165s, lin. 46s; PL 211, 876 B), cum commento: «nam *regula* illa data est de incomplexis». Quod autem revera Manducatoris sunt apparet ex Glossa in *Sententias olim Petro Pictaviensi attributa*: «Sed si hec nomina dicuntur de Deo secundum essentiam, quomodo stabit regula illa nominum significantium essentiam, scilicet quod omnia dicuntur de singulis personis et de omnibus singulariter et in summa?... Huiusmodi tamen obiectiones non tangunt Manducatorum. Non enim dicit hec nomina et similia dici de Deo secundum essentiam vel predicare divinam essentiam. Non enim aliquid ponunt, sed tantum excludunt. Cum enim dicitur: 'Pater et Filius sunt similes vel equales', cum videatur affirmare, vim habet negationis. Et est idem ac si dicatur: in nullo dissimile[s] in nullo inaequales» (cod. Bamberg. Patr. 128, f. 34; cf. A. Landgraf, *Recherches sur les écrits de Pierre le Mangeur*, in *RTAM* 3, 1931, 294). <sup>6</sup> Res omnino curiosa quod Magister Petrus Comestor, *discipulus* Lombardi, non nominetur a Gualtero. Sed non simus obliti quod, amicus abbatiae S. Victoris qui non semel praedicaverat illic, Manducator etiam fuit cancellarius Parisiensis ac inde inter potentiores et digniores Ecclesiae Parisiensis. Unde etiam apparet quare diatribus titulum non ferat *Contra Quinque Labyrinthos Franciae!* Mortuus, ut videtur, Parisius 22 octobris 1178, Magister Petrus uti canonicus regularis S. Lupi Trecensis sepultus fuit apud S. Victorem, sicut testatur *Obituarium S. Lupi*: «Obiit magister Petrus Manducator, Sancti Petri decanus et canonicus Sancti Lupi, qui sepultus est apud Sanctum Victorem Parisiensem» (cf. A. Longnon, *Obituaires de la Province de Sens IV*, Paris 1923, 297 C).



tavinus<sup>1</sup>: « Filius non est de aliquo, id est non est de essentia, ita ut<sup>2</sup> 'aliquo' neutraliter accipiatur; aliquid enim et aliud ad essentiam referuntur; aliquis et alius ad personam. Unde dicimus hoc nomine aliquis vel unus nil poni cum de Deo dicitur, quemadmodum nec aliis numeralibus. Nomen igitur persone significat substantiam, non usiam sed ypostasim. Nos vero relictis huiusmodi abbagibus<sup>3</sup>, dicimus: Filius non est de aliquo quia non est de essentia. Non ideo dandum est: Filius est de nichilo, quia negatio plus tollit quam affirmatio ponat; removet enim essentiam \* cum persona ».

Proinde Comestor primus exstat inter testes fideles circa opera Magistri sui, immo et primarius. Quod Lombardus evangelium Lucae glossaverat necnon et illud Matthaei, testimonium eius iam audivimus. Innuere etiam videtur, saltem ex silentio, quod Magister Marci evangelium glossaverit quatenus in sua propria glossa in illud dicit quod « quia pedissecus est Mathei<sup>4</sup>, etiam pro difficultate eum reliquerunt antiqui, nec legit eum Magister Anselmus nec Magister Radulfus frater eius »<sup>5</sup>.

Dein, ex obliquo referre videtur ad quandam interpretationem Magistri in Ioannem: *Si non venissem et locutus eis non fuisset, peccatum non haberent* (15, 22). Inter enim Quaestiones Comestoris: *Petre, Satanas expetivit vos*<sup>6</sup>, una agit de peccato infidelitatis et de ignorantia ex contemptu, ubi Comestor quodammodo opponit opinionem Magistri. Magis autem controversia videtur super Libr. II *Sententiarum*, d. 22, c. 5<sup>7</sup>, quam quaedam Glossa in hunc locum. Quasi idem dilemma apparet circa quandam expositionem Lombardi in Apocalypsis 22, 11: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc*: scilicet an inveniatur in sua glossa in hunc librum vel potius in quadam discussione in *Sent.* II, d. 36, c. 1, n. 2<sup>8</sup>. Uti autem expo-

<sup>1</sup> Textus conficitur ex diversis elementis in cap. 5 Libri I *Sententiarum* Pictaviensis (ed. Moore-Dulong, I, 36-37; vel in versione Domni Hugonis Methoud, PL 211, 807s).  
<sup>2</sup> ut *Pict.*, aut *Glorieux*. <sup>3</sup> abbagibus *Glorieux* (Gualterus?), abbagibus *Moore* (Pict.?). <sup>4</sup> Verba sunt Augustini, *De consensu evangelistarum* I, c. 2, n. 4: « Marcus eum [Matth.] subsecutus, tamquam pedissequus et brevior eius videtur » (PL 34, 1044; CSEL 43, 4). <sup>5</sup> Cod. Oxon., Bodl. Laud. misc. 291, f. 93b; apud B. Smalley, *Some Gospel Commentaries of the Early Twelfth Century*, RTAM 45 (1978), 151. <sup>6</sup> Quae Quaestiones inveniuntur in codice Trecensi 964 (olim Claraevallis H 22), ff. 89r-232v, ubi nostra quaestio f. 92v; quaedam, etiam in cod. Paris., BN lat. 18108, uti nostra (f. 99a-c). <sup>7</sup> Tom. I, 446s. <sup>8</sup> *Ibid.*, 537. Textus quaestionis (quae in codice attribuitur Magistro Praepositino) invenitur in ms. Paris. Mazarine. 1708: « Augustinus: Iustum est ut qui in sordibus est, sordescat adhuc ». Ergo iustum est ut qui in peccatis est, peccet adhuc. Ergo iustum est iniustum. — Solutio magistri Pagani: Hoc nomen 'iustum'

nitur in quadam serie Quaestionum in. cod Paris. Mazarine. 1708, f. 260, necnon et sub eodem capitulo II *Sententiarum* in glossa cod. Neapolit. VII C 14, f. 121v<sup>1</sup>, certius refertur ad *Sententias* Magistri.

Quoad Vetus Testamentum idem discipulus et successor Magistri clare monstrat quod Lombardus XII Prophetas minores glossavit in scholis; scilicet, ut videtur, quod coram se seu in manibus suis quandam glossam anteriorem habuit quam inde de novo glossabat. Super textum enim Amos 5, 3: *Urbs de qua egrediebantur mille, relinquuntur in ea centum; et de qua egrediebantur centum, relinquuntur in ea decem de domo Israel*, Comestor commentum facit in eadem serie quaestionum *Petre, Satanas*<sup>2</sup>:

Secundus articulus. Quaeritur utrum a perfecta caritate possit esse descensus ad imperfectam. Et Magistram, inquit, audivi super hoc haesitantem... Huic autem parti contrarium videtur quod in XII Prophetis legitur: *De urbe de qua egrediebantur mille, non egrediebantur nisi centum, et de qua egrediebantur centum, non egrediebantur nisi decem*. Et Glossa super hunc locum innuit<sup>3</sup> quod huiusmodi descensus a mille ad centum, a centum ad decem significat descensum a perfectione caritatis ad imperfectionem et sic a perfecta caritate potest esse descensus ad imperfectam. Sed cum videatur esse illa auctoritas ad infirmationem huius partis, iuxta considerationem, inquit, Magistri potius erat ad eius confirmationem. Aiebat enim quod ideo posuit Propheta limites numerorum, nec ultra vel citra progressus, quia perfectionem significat, ut per hoc innueret quia a perfectione non est descensus ad imperfectionem, quia decem est infimus limes numeri et perfectionem significat. Noluit itaque Propheta citra progredi ad inferiorem numerum, ut innueret quod a perfectione non est descensus ad imperfectionem. Quaerebatur tamen ab eo quid significatur per huiusmodi

multipliciter dicitur... Magister Petrus Comestor, habens solutionem a Magistro Petro Lombardo, dicit quod verba prime coniugationis significant actionem, ut 'sordido', id est 'facio sordidum'. Verba vero secunde coniugationis passionem significant, ut 'sordeo', et inchoativa derivata ab illis, ut 'sordesco', id est 'fio sordidus'. Et secundum hoc ita intelligitur 'iustum est' etc. 'sordescat', id est 'fiat sordidus' » (f. 260b). Cf. RTAM 3 (1931) 295s.

<sup>1</sup> Quoad textum, cf. A. Landgraf, *Drei Zweige der Pseudo-Poitiers-Glosse zu den Sentenzen des Lombarden*, RTAM 9 (1937) 183. <sup>2</sup> Quaestio incipit: « Opera quae possunt fieri in perfecta caritate, possunt fieri sine omni caritate » (cod. Trecensis 964, f. 146v); invenitur unacum quadam quaestione parallela apud A. M. Landgraf, *Der Einfluss des mündlichen Unterrichts auf theologische Werke der Frühscholastik*, in *Collectanea Franc.* 23 (1953) 288-289. <sup>3</sup> Cf. *Glossa ordin.* in Amos 5, 3 (IV, 363 C).



descensum a mille ad centum, a centum ad decem. Ad quod dicebat quod in perfectione caritatis potest aliquis tepescere, non tamen perfectionem amittit.

Post Comestorem pauci sunt qui ultra Glossas in Psalmos et in Apostolum alia opera Magistri memorant in Sacram Scripturam. Immo, Petrus Pictaviensis, « praepositus scholarum Petri Comestoris », uti eum designat Gualterus S. Victoris<sup>1</sup>, illa sola cognovit, ut videtur. Quod scholas Lombardi non frequentabat, uti quidam autumant<sup>2</sup>, deduci potest ex eodem testimonio Gualteri. Dein, Manducatore cancellario facto, « magister Petrus Pictavinus cathedram tenuit theologiam »<sup>3</sup>, donec ipse cancellarius electus fuit, anno 1193. Interim autem Glossas Lombardi in Evangelia novit Petrus Cantor ex illis Manducatoris iam citatis; unde in suis *Glossis super Unum ex quatuor* (c. 1188) ad Luc. 7, 43, solutionem Lombardi proponit:

*Plus debet qui plus accepit...* Si generaliter verum est: qui amplius debuit amplius diligit, ergo Magdalena plus beata Virgine dilexit. Ad hoc ita solvit Petrus Lombardus: Donare interdum pro dare ponitur, interdum pro condonare. Hic utramque significationem habet, ut ita intelligatur: *cui plus donavit*, id est cui plus condonavit et dedit; et secundum hoc verum est: cui plus condonavit de commissis et dedit de caritate plus diligit<sup>4</sup>.

#### B. Stephanus Langton.

In fine duo testes inveniuntur, remotiores quidem sed haud dimittendi: Magister Stephanus Langton, qui post cursum in artibus Parisius factum scientias sacras ita coluit ut inter primos magistros agnoscat

<sup>1</sup> In *Contra quatuor labyrinthos Franciae*, IV, c. 8 (ed. cit. 274s). <sup>2</sup> C. Oudin eum designavit fidelissimum discipulum Magistri, in suo *Commentario de scriptoribus ecclesiae antiquis* (Lipsiae 1722) II, 1499, vel quia in multis dependet a *Sententiis* Lombardi vel potius quia quaedam glossa antiqua, *Summa divinae pagine*, olim ei attributa fuit (cf. Prolegomena nostra ad tom. I, 163\*, sub verbo Petrus Pictav. [pseudo-]). Recentius eum designavit *son principal disciple* cl. J. de Ghellinck, *L'essor de la littérature latine au XIII<sup>e</sup> siècle* I, 73; et *élève de Pierre Lombard*, 79. <sup>3</sup> Ita *Chronica Albrici Monachi Trium Fontium*, ad annum 1169 (MGH, SS. XXIII, 835, lin. 15); infra dicit quod Pictaviensis mortuus fuit anno 1205 post annos 38 ut lector theologiae in scholis. <sup>4</sup> Ex cod. Mer-ton College, Oxoniae, 212, f. 115b-c, uti indicat cl. B. Smalley, *Some Gospel Commentaries of the Early Twelfth Century*, in RTAM 45 (1978) 155.

post Petrum Cantorem (qui probabilius magister eius fuit)<sup>1</sup>; ac parum post, Magister frater Hugo de Sancto Caro († 1263), ordinis Praedicatorum<sup>2</sup>, cuius glossae ex illis saec. XII contexuntur.

Nostri non est elucidare magnum corpus operum Magistri anglici in sacram paginam vel determinare quae opera proprie sua sint et quae opera aliorum ab eo elucidata in quadam glossa in Glossam, etc.<sup>3</sup>. Quomodo enim determinare possimus quas glossas legerit in XII Prophetas antequam procederit ad quandam expositionem allegoricam? Dicit enim: « Perlecta littera cum glossis usque ad hunc locum, scilicet *Concepit adhuc* [Osee 1, 6], redi ad principium, exponendo allegorice »<sup>4</sup>. Immo, quaeri potest quomodo et quantum dependeat a simili opere Petri Cantoris<sup>5</sup>.

Negotium enim nostrum potius est determinare utrum testis fidelis fuerit circa laborem et opera Magistri Lombardi. Quod revera talis sit primo apparet ex hoc quod quasdam lectiones variantes in *Glossam ordinariam* refert ex parte nostri, praesertim in Glossa in Isaiam:

1. In Isaias 7, 15: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, Glossa interlinearis legit: « nunquam vitiorum patet affectibus »<sup>6</sup>. Ubi notat Magister Stephanus<sup>7</sup>: « Nota quod ista interlinearis non est de originali; et ubi nos habemus in interlineari *affectibus* Lombardus habet *aspectibus*. Ex quo verisimile est quod littera sit corrupta, et vera littera sit ista: *que nunquam virorum patet aspectibus* ».

2. In Isai. 8, 1: *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi librum grandem, et scribe in eo stylo hominis*, legitur in Ordinaria<sup>8</sup>: « *Et dixit Dominus ad me: Sume tibi*. Primum propheta praedicat Achaz futurum; ipse Dominus praecepit ut signum petat; inde ad domum David verba convertuntur, et virgo paritura filium promittitur et filius nasciturus ». Ubi Langton<sup>9</sup>:

<sup>1</sup> Circa vitam Magistri Stephani cf. R. Foreville, art. *Étienne Langton*, in *DSpirit.* IV [1961], 1495-1502; et recentius P. B. Roberts, *Studies in the Sermons of Stephen Langton* (Toronto 1968) 1-16; et J. W. Baldwin, *Masters, Princes and Merchants: The social Views of Peter the Chanter and his Circle* (Princeton 1970), I, 25-31. <sup>2</sup> Cf. A. Duval, art. *Hugues de Saint-Cher*, in *Catholicisme* V [1962], 1039-41. <sup>3</sup> Cf. studia adhuc pretiosa G. Lacombe ac B. Smalley, *Studies on the Commentaries of Cardinal Stephen Langton*, in *AHLDMA* V (1930), 5-220; et RB nn. 7704-7939 (V, 232-302). <sup>4</sup> Cf. RB 7843 (V, 284); et etiam 7731, ubi Genesis exponitur componendo allegorias (ibid., 239). <sup>5</sup> Cf. RB, nn. 7746 (V, 243) et 6457 (IV, 253). <sup>6</sup> *Glossa ordin. et interl.* (Venetiis 1588) IV, 19<sup>v</sup>. <sup>7</sup> Cod. Paris. BN lat. 14417, f. 181<sup>a</sup>, uti citatur a cl. B. Smalley, *La Glossa Ordinaria. Quelques prédécesseurs d'Anselme de Laon*, in RTAM 9 (1937) 400. <sup>8</sup> Ed. cit. IV, 21c. <sup>9</sup> Cod. Paris. BN lat. 14417, f. 182<sup>v</sup>; cf. B. Smalley - G. Lacombe, *The Lombard's Commentary on Isaias and other Fragments*, in *The New Scholasticism* 5 (1931) 132; necnon et RB 6640, 1 (IV, 326).



« Et virgo promittitur paritura filium. Talem enim litteram ponit Ieronymus<sup>1</sup>, et est sensus: virgo promittitur paritura filium. Lombardus sic habet: Virgo paritura promittitur et filius nasciturus ».

3. In Isaiiae 8, 9, ipse textus habet: *Congregamini, populi, et vincimini, et audite*. Ubi nos advertit Magister Stephanus: « Nota quod Lombardus non habet hic hoc verbum *vincimini*, sed Hieronymus<sup>2</sup> habet. Lombardus enim sic dicit: *Congregamini, populi, et audite* etc. »<sup>3</sup>.

4. In ipsa Glossa in Isaiiae 8, 14: *Et erit vobis in sanctificationem; in lapidem autem offensionis, et in petram scandali*, ubi legitur: « Horum scholam accepit Achibam [Akibas Hieron.<sup>4</sup>] quem magistrum Aquilae proselyti autumat », notatur quod « Lombardus *autumant* » legit<sup>5</sup>.

5. Item, in ipsa Glossa in Isaiiae 9, 1: « *Primo tempore alleviata est terra Zabulon*: in qua Christus primum praedicavit et miracula fecit »<sup>6</sup>, notat glossa Langton: « In qua Christus primum praedicavit etc. Sic enim habet Ieronymus<sup>7</sup>; Lombardus vero sic: quo Christus primum praedicavit »<sup>8</sup>.

Unde oritur quaestio an Glossam Lombardi in Isaiam revera in manibus habuerit Magister Stephanus, eo magis quia Magister Hugo de Sancto Caro tales textus non cognovit, ut apparet ex Glossa sua in Isaiam. Nihilominus quomodo possimus negare suas affirmationes? Restant enim alii textus ubi eadem quaestio poni posset:

6. In Osee 1, 9: *et ego non ero vester*, ubi in Glossa ordinaria<sup>9</sup> idem textus legit: *et ego non ero Deus vester*, Magister Hugo de S. Caro scribit: « *et ego non ero vester*. Glossa: Deus. Sed Lombardus habet *Dominus* in textu »<sup>10</sup>. Supponi potest quod haec sumpserit Magister

<sup>1</sup> Hieron., *In Isaiam* III, ad cap. 8, 1-4: « Quo respondente: *Non petam, et non temptabo Dominum*, dimisso rege impio, ad domum David Dei verba vertuntur, et promittitur ei virgo paritura filium » (PL 24 [1845], 114 B; CCL 73, 111). <sup>2</sup> In h.l. (PL 24, 117 B; CCL 73, 114). <sup>3</sup> Cod. Paris. BN lat. 14417, f. 183<sup>v</sup>; B. Smalley - G. Lacombe, uti supra; cf. RB 6640, 1. <sup>4</sup> Cf. Hieron., *In Isaiam* III, ad cap. 8, 14: « Duas domos Nazarei, qui ita Christum recipiunt, ut observationes legis veteris non omittant, duas familias interpretantur, Sammai et Hellel, ex quibus orti sunt scribi et pharisaei, quorum suscepit scholam Akibas, quem magistrum Aquilae proselyti autumat et post eum Meir... » (PL 24, 119 A; CCL 73, 116). <sup>5</sup> Cod. cit., f. 183<sup>v</sup>; B. Smalley, *ibid.*; in editione Hieron. (CCL 73, 116, 45) *autumant* legitur in codice B (saec. VIII). <sup>6</sup> Ita Glossa ordinaria in ed. Lugdun. (1539), IV, 24a. <sup>7</sup> Hieronymus: « terra Zabulon et terra Nephthali prima Christi videre miracula », ac parum infra: « Et, iuxta Hebraicum, primo tempore relevata esse dicitur onere peccatorum, quia in regionibus duarum tribuum primum Salvator evangelium praedicavit » (PL 24, 124 C; CCL 73, 122, 29-34). <sup>8</sup> Cod. cit., f. 185<sup>v</sup>. <sup>9</sup> Ed. Venetiis 1588, IV, 334r. <sup>10</sup> Ed. Paris. (1530ss), IV, f. 284<sup>v</sup>; ed. Venetiis (1754), V, f. 168b; cf. B. Smalley, 134.

Hugo ex quadam serie glossarum Magistri Stephani in Prophetas minores<sup>1</sup>.

7. In Zachariae 1, 21: *Et venerunt isti deterrere ea*, post *isti « fabri »* adiungitur « sicut Ieronymus et Lombardus »<sup>2</sup>. In ipsa Glossa ordinaria *fabri* interlinearis est (IV, 407v). In Glossa Hugonis a Sancto Caro incorporatur in ipsum textum: « *Et venerunt isti fabri*, id est Angeli venerunt iam contra Babylonios »<sup>3</sup>.

Insuper Magister Stephanus, iuxta studia et documentationem cl. G. Lacombe, *postillas* confecit *super beati Pauli apostoli Epistolas*<sup>4</sup>, quae revera sunt quaedam glossa in Glossam Magistri<sup>5</sup>. Proh dolor autem pauca exempla offert cl. editor, et non semel ita abbreviata sunt quod doctrinam Magistri revera non illustrent.

1. In Rom. 6, 15: *Quid ergo? peccavimus* [*peccabimus* Vulg.], *quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia?*, notat Langton: « *Quid ergo? peccavimus...?* »<sup>6</sup> hoc quidam heretici qui volentes persuadere Legem esse tenendam, fideles ad hoc inconveniens ducere nitebantur ut confidentia gratie peccarent, ex quo non tenebant Legem a peccato coherentem. *Cohercente[m]*: quidam libri qui correcti esse dicuntur habent *coherentem*, sed male; immo liber Lombardi habet utramque litteram, scilicet *cohercentem* et *coherentem*; unde in glossatura Anselmi *coherentem* est interlinearis »<sup>7</sup>.

Quae verba aenigmatica quodammodo illustrari possunt textu Glossae ordinariae: « *Quid ergo?* Quasi: quia lex a Deo, peccat qui eam dimittit pro gratia? *Quid ergo? Peccabimus?* Quia non sub lege quae terret, sed sub gratia, quae bene promittit; *quid ergo: peccabimus?* Hoc quidam, qui

<sup>1</sup> De quibus, cf. RB nn. 7841-7885; series E, nn. 7886-97, dubia iudicatur a cl. editore Stegmüller. <sup>2</sup> In cod. Paris., BN lat. 505, f. 109r; RB n. 7860, uti pars seriei B in XII Proph. (V, 287); et in cod. Oxon., Exeter College 23, f. 136v, ubi legitur: « *Et venerunt isti, fabri, detrahete ea*: sic enim dicunt Hieron. et Lombardus », uti notat B. Smalley, *The Lombard's Commentary...*, 133. In vanum autem quaesivimus talem additionem apud Hieronymum in h.l. (PL 25, 1427s; CCL 76 A, 760s). <sup>3</sup> Tom. V, 214b. <sup>4</sup> G. Lacombe, *Studies on the Commentaries of Cardinal Stephen Langton*, in AHDLM 5 (1930) 5-151, praesertim c. II: *Postille super Apostolum* 52-63; et testimonia Ottonis de S. Blasio et pseudo-Henrici Gandavensis, *ibid.* 14, in notis 1-3. <sup>5</sup> Cod. Paris. BN lat. 14443 (olim S. Victoris 377) in manibus habuit idem Lacombe, cuius descriptionem breviter limavit, *ibid.* 54-57; quoad alios codices cf. RB nn. 7907-7920 (V, 295-298). <sup>6</sup> Codex S. Victoris *peccavimus* legit (f. 269d), uti etiam textus Hugonis de S. Caro, ubi tamen *peccabimus* invenitur in ipsa glossa Praedicatoris (VII, 39c). Quod *peccavimus* hic legendum sit apparet etiam ex editione Ambrosiastri in Rom. 6, 5 (PL 17 [1845], 103 B-C; CSEL 81-I, 202, 203). <sup>7</sup> Cf. G. Lacombe, art. cit., 59, n. 1.



legem quasi *cohaerentem* vel *coercentem* praedicant et tenendam »<sup>1</sup>. Unde quaedam saltem verba sumpsit Magister Lombardus in suam Glossam<sup>2</sup>:

*Quid ergo? Quasi: quia non sumus sub lege quae terret, sed sub gratia quae bonum promittit. Quid ergo faciemus? an scilicet peccabimus hac fiducia, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia? Hoc quidam dicebant qui legem quasi cohaerentem praedicabant tenendam. Quod Apostolus removens ait: Absit! — Vel ita: Ambrosius\*<sup>3</sup>: Dixi nos sub gratia esse, non sub lege, et « quoniam lex a Deo est, ne per hoc forte ei opponeretur, ipse sibi opponit »<sup>4</sup>. Quasi: quia lex a Deo est, quid ergo dicemus? Dicemus hoc, scilicet, quod peccabimus, quoniam non sumus sub lege, sed sub gratia, id est quod legem dimisimus pro gratia? Absit!*

Testimonium Magistri Stephani non velimus dimittere, utpote fundatum in libris quos in manu habuerit, etsi libris nostris adversetur.

2. In Rom. 11, 7, aenigmaticè notat Magister Langton<sup>5</sup>: « *Sicut illi qui volunt*, etc.: littera ista plana, sed verior est ista littera quae est in libro Lombardi ». Agitur, ut videtur, de recta lectione cuiusdam auctoritatis Augustini quae iuxta rubricam Magistri (in cod. z, f. 33c) sumpta est saltem in parte ex libro *De praedestinatione sanctorum*: « Electio<sup>6</sup> igitur gratiae est, non meritorum ». Dein addit Lombardus: « Excaecatio vero meritorum est ». Dein, sub rubrica *Augustinus de eodem*<sup>7</sup>: « Excaecati sunt enim quia credere noluerunt, sicut et illi quia voluerunt crediderunt. Misericordia igitur et iudicium in ipsis voluntatibus facta sunt... ». Haec ergo est littera in libro Lombardi.

3. In Hebr. 2, 5: *Non enim angelis subiecit Deus orbem terrae futurum* Magister Stephanus iudicium seu difficultatem profert cuius solutionem invenire non possumus sine recursum ad codices Glossae Magistri. Audiamus eius iudicium antequam textus examinatur<sup>8</sup>:

« Ut [= ubi] omnia etiam futura sunt facta » in dispositione « secundum illud: *Qui fecit*, etc. ». Quidam libri sic habent: Secundum illud Ysaie: *Qui fecit*, etc., sed male habent. In libro enim Lum-

<sup>1</sup> *Glossa ordin.* (Venetiis 1588), VI, 15a; ex fonte ignoto. <sup>2</sup> PL 191, 1408 C-D; et cod. Vatic. lat. 695 (= z), f. 21a. <sup>3</sup> Ambrosiaster, uti parum supra. <sup>4</sup> *ei* omittit Ambros.; et loco *opponit* legit *proposuit* (ibid.). <sup>5</sup> Nihil aliud hic notat G. Lacombe (59, nota 2). <sup>6</sup> PL 191, 1482 D - 1483 A; ex *De praedestinatione*, c. 6, n. 11 (PL 44, 969), ex Floro, 210. <sup>7</sup> Ibid. <sup>8</sup> Cod. Paris. BN lat. 14443, f. 415a; G. Lacombe, *Studies*, 59.

bardi non habetur hec dictio Ysaie; nec ista auctoritas: *Qui fecit quae futura sunt* hiis verbis est in Ysaia, nec alibi in nostra translatione. Sed Gregorius in Originali super primam visionem Ezechielis dicit<sup>1</sup>: Ysaias in veteri translatione ait: *Qui fecit quae futura sunt*.

Quid inde scripserat Magister Lombardus in Hebr. 2, 5? Ad initium seu ad *Non enim [angelis]* verba profert Glossae ordinariae<sup>2</sup>:

Dixit negligentes dignos esse poena qui contemnunt gratiam per apostolos et miracula et dona confirmatam. Hic dicit Christum esse potentem vindicare et suos per passionem mortis salvare. Quasi: Vere non effugiemus si neglexerimus salutem Christi, cum pro sermone angelorum non observato puniti sunt Iudaei, quia Filio *subiecit Deus orbem terrae*, quod *non fecit angelis*...

Quibus dein adiungit verba Ioannis Chrysostomi in Homilia IV in Ep. ad Hebraeos (Mutiano Scholastico interprete)<sup>3</sup>:

Vel ita: Deus subiecit, non angelis, sed Filio, orbem terrae futurum. Ita hic dicit futurum, sicut alibi dixit: *Qui est forma futuri*<sup>4</sup>, de Adam et Christo loquens, et respectu temporum Adae futurum secundum carnem Christum dicit, sic etiam nunc futurum orbem dicit quantum ad Christum. Futurus quippe erat orbis quantum ad Filium Dei qui semper erat, et ne de altero orbe disputari intelligeretur, addit de quo orbe loquimur. Hoc addit ne mentem auditoris errare relinqueret, dum alius quaereretur orbis. Hunc ergo orbem futurum non angelis, sed Christo subditum dicit.

In fine, licet non clare appareat in textu Patrologiae, alia auctoritas offertur sumpta de Glossa ordinaria in hunc locum<sup>5</sup>, ubi inveniuntur illa verba quae secundum Stephanum Langton non sunt in libro Lombardi:

Quod comprobatur auctoritate David, qui futura quasi praeterita refert, utpote admissus divinis consiliis ubi omnia etiam futura sunt facta, secundum illud Isaiae: *Qui fecit quae futura sunt*. Sed praestat ut [Cui praemittit, *Glossa ord.*] de Christi humilitate ne per [*rectius*, pro, ut in *Gl. ord.*] ea dubitetur de exaltatione.

<sup>1</sup> Greg. Magnus, *Homil. in Hiezechiellem Prophetam*, Lib. I, hom. X, n. 26: « Unde et in translatione veteri per Esaïam dicitur: *Qui fecit quae futura sunt* » (CCL 142, 157; PL 76, 896 D). <sup>2</sup> PL 192, 415 C-D; ex *Glossa ordin.* VI, 137a. <sup>3</sup> PL 192, 415 D - 416 A; ex PG 63, 261ss (paucis mutatis). <sup>4</sup> Rom. 5, 14. <sup>5</sup> Tom. VI, 137 A.



Utrum haec dictio non sit in libro Lombardi, ut autumat Magister Langton, nescimus. Invenitur saltem in codice vel codicibus qui fontes erant editionis Parisiensis 1535, quae repetitur (et pessime quidem) in *Patrologia latina*. Ex alia parte, in confirmatione dicti Magistri Stephani, oportet adiungere argumentum ex silentio Glossae Magistri Hugonis de Sancto Caro, ubi saltem in parte repetit solum textum seu auctoritatem Ioannis Chrysostomi: « Vel ita: Deus non subicit angelis... de quo orbe loquimur »<sup>1</sup>. Unde supponi potest quod saltem viva voce Magister Petrus ultimam auctoritatem olim delevit de libro suo.

An dstringat nos (cum Seneca, Epist. 2) multitudo librorum necnon et argumentorum? Nihilominus, ut clare apparet, nos conducunt ad conclusionem quod Magister Stephanus Langton testis omnino fidelis est quoad opera nostri Magistri, etsi cathedram tenuerit in scholis S. Mariae iam multis annis post mortem Lombardi. Concedimus quod stallum non possidebat in ecclesia Parisiensi<sup>2</sup>; nihilominus cathedram tenebat prope eam. Ita enim innuere videtur Innocentius papa III in duabus epistolis, sub die 1 februarii 1206, directis priori S. Victoris Parisiensis, Symoni succentori Silvanectensi, et Magistro S. de Languet theologo Parisius com-

<sup>1</sup> Ed. Venetiis 1754, tom. VII, f. 241a. <sup>2</sup> Quidam Magistrum Langton vident inter canonicos S. Mariae eo quod in quadam epistola ad Ioannem regem Angliae anno 1207 Innocentius III laudat tam doctrinam Stephani quam vitam eius, « ac sic per hoc cum vita concordaret doctrinae, dignus est habitus praebendam obtinere Parisiensem » (Ep. CCXIX, PL 215, 1328 B-C; Potthast n. 3111, tom. I, 264). Nihilominus non sequitur talis illatio, eo quod Clemens papa III, sub anno 1188, Mauricio Parisiensi episcopo concessit seu statuit « ut, sicut predecessoribus tuis et tibi licuit ab antiquo, sit etiam liberum in futurum, cum prebendas [ad te pertinentes] ipsas vacare contigerit, eas personis idoneis assignare... » (*Cartulaire de l'église Notre-Dame de Paris* I, 33; PL 204, 1291 C-D). Unde *praebenda parisiensis* non ex se significaret quandam praebendam apud S. Mariam. Revera in documentis S. Mariae semel tantum quidam Stephanus presbyter cuidam autentico Capituli subscripsit, et quidem primis mensibus an. 1191 (*Cartulaire de l'Église Notre-Dame* I, 45). Suspiciamus quod casu vel ad experimentum adfuerit sessioni Capituli, et non ex officio (semel satis?). Immo planum est ex Obituario eiusdem Ecclesiae quod Magister Stephanus non fuerat canonicus S. Mariae, licet frater suus Magister Symon fuisset: « Non. Iulii. Eodem die, debet celebrari translatio beati Thomae martiris, Cantuariensis archiepiscopi, et debet fieri semiduplum... Eodem vero die, debet celebrari anniversarium Stephani, bone memorie Cantuariensis archiepiscopi, et Magistri Symonis, fratris dicti archiepiscopi et concanonici nostri. In quo anniversario tenetur capitulum Parisiense distribuere... Pro his autem distributionibus faciendis, dedit nobis magister Symon de Languetone, concanonicus noster, archidiaconus Cantuariensis, ducentas libras Parisiensium ad emendos redditus » (*Eccl. Paris. Chartul.* IV, 105).

moranti<sup>1</sup>. Parum post Stephanus presbyter cardinalis tit. S. Chrysogoni documenta pontificia subscriberet, Ferenti eodem anno sub die 22 iunii, et Laterani 27 martii 1207<sup>2</sup>.

Ex alia parte eo quod Magister Hugo de S. Caro fontes non indicat unde traxerit maiorem partem operum suorum, non pleno iure titulum testis fidelis mereri videtur<sup>3</sup>. Casu enim invenimus quod quaedam (sed pauca) verba Petri Comestoris in Matth. 9, 5: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur tibi peccata: an dicere: Surge et ambula?* incorporantur sine nomine in glossam Hugonis in Luc. 5, 23: *Quid est facilius*, etc.<sup>4</sup>. Simili modo in Luc. 7, 43: *Respondens Simon dixit: Aestimo quia is cui plus donavit*, verba Manducatoris quae iam in parte citantur supra ad initium cap. III, plene et quasi adamussim repetuntur a Magistro Hugone in sua Glossa in h.l.<sup>5</sup>:

*Respondens Simon* etc. Nota: « donare interdum pro dare ponitur, interdum pro condonare. Hic ergo utramque significationem importat, ut ita intelligatur: id est, *cui plus donavit*, et condonavit. Ex hoc ergo sensu verum est: cui plus donatur plus diligit; id est, cui plus datur et condonatur, plus diligere tenetur. *Mystice*: Duo debitores significant duos populos, Iudaicum scilicet et Gentilem ».

Praeter rubricam: *Mystice* (ubi Comestor: « Prosequere glosam secundum misticum sensum ») et *Ex hoc ergo sensu* (ubi Comestor: « ex hac causa ») omnia excerptuntur ex *Glossa* eiusdem Magistri Petri, et semper sine suo nomine. Unde saltem sub hoc aspectu non est testis fidelis. Quis scit quanti alii loci inveniri possint!

Non desunt ergo quamplures scholastici saeculi XII qui nos instruunt circa textum Libri Sententiarum et eius compositionem: quomodo, exempli gratia, et quando Magister textum perfecit vel notulas seu novas auctoritates marginibus apposuit. Quod facile intelligitur eo quod lectio secunda illius Libri primam quasi statim subsecuta est, scilicet proximo anno scholastico.

<sup>1</sup> PL 215, 791 A - 792 A (Potthast, n. 2678); et 793 A - 795 B (n. 2674). <sup>2</sup> A. Potthast, *Regesta Pontif. Rom.*, 2823; et n. 3064 (et PL 215, 1335ss). <sup>3</sup> Quoad *Sententias* eius et *Quaestiones*, cf. D. Van den Eynde, *Stephen Langton and Hugh of Saint-Cher on the Causality of the Sacraments*, in *Franc. Studies* 11, nn. 3-4 (1951) 141-155; ac K. F. Lynch, *Some Fontes of the Commentary of Hugh de Saint-Cher: William of Auxerre, Guy d'Orchelles, Alexander of Hales*, in *Franc. Studies* 13 (1953) 119-146. Neuter auctor merita negaret Magistri Hugonis quoad progressum theologiae in illo tempore. <sup>4</sup> Tom. VI, 160d, ad K. Quoad textum Comestoris, cf. B. Smalley, *Some Gospel Commentaries of the early Twelfth Century*, in *RTAM* 45 (1978) 156. <sup>5</sup> Tom. VI, 175d, lin. 1-9; ac B. Smalley, 154. Cf. etiam supra, p. 44\*.



Perpauci autem testimonia reddunt, uti iam vidimus, circa alia opera Lombardi, illa scilicet super Scripturas sacras. Vocem iucundam Comestoris audivimus gloriantis in expositione Magistri in Luc. 5, 23: *Quid est facilius dicere: Dimittuntur peccata...?* Ipse etiam Lombardus quandoque innuere videtur quod alia opuscula in Verbum Dei composuerit quae publici iuris non fecerit. Ex alia parte, Petrus Pictaviensis cognoscere videtur illa solummodo in Psalmos et in Apostolum: forsitan defuerit occasio ad alias referendas. Quod supponi potest quatenus suus discipulus, Petrus Cantor, glossas in Evangelia adhibuit seu potius cognovit ope illarum Comestoris.

In fine, maximi valoris esse possunt testimonia Magistri Stephani Languetoni. Non desunt autem difficultates seu quaestiones: utrum, exempli gratia, Glossam ipsius Lombardi in Isaiam et in alios libros sacros cognoverit an solummodo eius codices *Glossae ordinariae* cum quibusdam annotationibus seu quadam correctione ipsius textus.

Quod autem « omnes libros eius glosatos », scilicet ipsius Lombardi, in manibus potuerit habere manifeste apparet ex ipso obituario Beatae Mariae ubi enumerantur, eo quod illud documentum morti Lombardi revera est longe posterius. Ibi enim statuitur quod statio anniversarii eius mortis solvenda sit de domo eius, seu ab illo canonico cui usus fuerit concessus eiusdem domus. Unde etiam ante compositionem illius obituarium quidam Henricus iam defunctus locum occupaverat<sup>1</sup>; postea, ad annum 1217, eandem domum Capitulum Ebrardo canonico concessit eo tenore ut solveret stationem unam die anniversarii Magistri nostri<sup>2</sup>. Quod autem alios libros Lombardi glossaverit Magister Stephanus post suas glossas in Glossam Magistri in Apostolum, non apparet. Immo quod tangit Epistolas canonicas dependet saltem in parte a glossis Petri Cantoris<sup>3</sup>.

Alia aliis libenter relinquimus ad investigandum, ad senectutem festinantes.

<sup>1</sup> « Statio illa persolvitur de domo Henrici, fratris Arnulfi Ruffi de Orliaco, que in morte illius Henrici venit in manu capituli. Henricus enim erat de familia beate Marie. Domus illa sita est iuxta sanctum Christophorum » (M. Guérard, *Cartulaire* IV, 60; A. Molinier, *Obituaires de la province de Sens* I-1, 126). Mirum omnino videtur quod Henricus agnoscat ex nomine fratris sui, Arnulfi Ruffi de Orliaco; immo quaeri potest utrum legendum esset *Orliaco* an potius *Oreliaco* (Aureliaco), uti invenitur saeculo sequenti (AFH 3, 1910, 294), eo quod Arnulfus Rufus (Arnoul le Roux), homo satis famosus in scholis artium liberalium, originem habuit Aureliani seu propius ex districtu Abbatiae Sancti Evurtii. Cf. B. Hauréau, HLF XXIX, 573-79; necnon et R. Crozet, *Arnoul de Saint-Euverte*, in *Dict. de biographie française* 3 (1939) 986s. <sup>2</sup> M. Guérard, *Cartulaire* III, 358; cf. Proleg. ad tom. I, 19\*-20\*. <sup>3</sup> Cf. RB, nn. 6526-30 vs. nn. 7921-27 (IV, 273; et V, 298s).

## APPENDICES

## TRES TEXTUS ORIGINALS MAGISTRI LOMBARDI

Iam in Prolegomenis ad tomum I *Tractatus* editur de *processione Filii et Spiritus Sancti* uti invenitur in quibusdam codicibus Glossae Magistri in Rom. 11, 36: *Quoniam ex ipso, et per ipsum, et in ipso sunt omnia: ipsi gloria in saecula. Amen*<sup>1</sup>. Talis titulus revera nostrae est confectionis, non Magistri, qui post *Sententias* absolutas hanc materiam (quasi duas columnas in cod. z) sustulit de Glossa sua.

Aequo modo in eisdem codicibus antiquioribus Glossae in Apostolum alii tractatusveniuntur, uti iam pluries innuimus, qui non solum illustrant modum operandi seu docendi Petri Lombardi in primis annis sui magistratus sed etiam multam materiam offerunt quam postea iunxit *Libro Sententiarum*. Ita iam auditoribus proposuerat quaestiunculas (uti iam notavimus in Prolegomenis), ex. gr. *Quid sit fides, et quot modis accipiatur fides, et de quibus sit*, quas postea non eliminavit<sup>2</sup>.

Tres tractatus proinde hic offeruntur qui textum huius tomi II quodammodo illustrant (unde non semel infra lector ad illos refertur): ille in Rom. 1, 3: *de Filio suo, qui factus est ei de semine David*, qui revera est tractatus originalis seu primitivus de Incarnatione Domini, in codicibus antiquioribus<sup>3</sup>; cui succedit alius: *De sacramento Corporis et Sanguinis Domini*, seu secundum codices *De corpore Christi*, ex Glossa in I Cor. 11, 25<sup>4</sup>; dein, tractatulus *De coniugio*, ex Glossa in I Cor. 7, 1, qui omnino primitivus exstat prae illo in Libro IV *Sententiarum*<sup>5</sup>.

<sup>1</sup> Cf. Proleg. ad tom. I, 90\*-93\*; in ipso textu primitivo Magistri (uti apparet ex codicibus) inventus fuit inter *lucet Trinitas... et Nam* [non add. codd.] *propter hoc naturam summi boni* (PL 191, 1495 C). <sup>2</sup> In Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 A). <sup>3</sup> Quatuor saltemveniuntur ubi talis tractatus lectori offertur: cod. Paris., BN lat. 649, ff. 2v-3b, ubi *vacat* inscribitur; et alter Paris. BN lat. 17246, ff. 2a-3d, sine signo cancellationis; Vatic., Vat. lat. 144, ff. 4b-6d; dein Vat. lat. 695, ff. 3a-4c. De quibus cf. Prolegomena ad tom. I, 65\*-68\*. <sup>4</sup> PL 191, 1641 C - 1647 D; unde invenitur inter fontes tractatus in *Sent.* IV, Dist. 8-13 (pp. 280-315). <sup>5</sup> Scil. Dist. 26-42 (pp. 416-590) cf. nota historica, 416.



## .I.

## TRACTATUS DE INCARNATIONE

## .1.

Qui<sup>1</sup> factus est, etc. Ecce commendatio auctoris quem commendat quatuor modis: ab origine, ibi: *ex semine David*; a virtute, ibi: *qui<sup>2</sup> praedestinatus est Filius Dei in virtute*; a gratia, ibi: *secundum spiritum sanctificationis*; a liberalitate, ibi: *per<sup>3</sup> quem accepimus gratiam* etc. Quasi: Scripturae sanctae agunt *de Filio, qui Filius factus est ei*, scilicet Deo Patri, id est ad honorem eius. Factus, dico, tantum *secundum carnem<sup>4</sup>*, non secundum divinitatem.

AUGUSTINUS\*. Hoc dicit<sup>5</sup> ne putetur homo tantum. Dicendo namque eum factum *secundum carnem* innuit alteram esse naturam secundum quam est infectus, scilicet divinam.

AMBROSIUS\*. «Eum<sup>6</sup> namque qui erat Dei Filius secundum Spiritum sanctum, id est secundum quod Deus spiritus est et sine dubio sanctus est, factum dicit secundum carnem iuxta illud: *Et Verbum caro factum est ut iam unus sit Dei et hominis Filius, Iesus Christus*». Qui factus est secundum carnem opere Spiritus Sancti de Virgine, id est natus.

AUGUSTINUS, IN EPISTOLAM AD ROMANOS: Ubi «occurritur<sup>7</sup> impietati haereticorum», qui obtuso corde hoc capitulum intelligentes, «Christum tantum hominem accipiunt; divinitatem vero in eo non intelligunt». «Addendo<sup>8</sup> enim *secundum carnem* servavit divinitati suam dignitatem» qua Christus «Verbum<sup>9</sup> Dei est per quod facta sunt omnia. Non est enim factus secundum id quod Verbum Dei est. Omnia enim per ipsum facta sunt; nec fieri cum omnibus posset per quem facta sunt omnia. Neque ante omnia factus est, ut per eum fierent omnia. Ideoque Apostolus cum factum diceret Christum addidit *secundum carnem*; ut secundum Verbum quod est Filius Dei, non factum a Deo, sed natum esse monstraret».

<sup>1</sup> Rom. 1, 3. <sup>2</sup> Rom. 1, 4. <sup>3</sup> Rom. 1, 5. <sup>4</sup> Rom. 1, 3. <sup>5</sup> Cf. Augustinus, *Epistolae ad Romanos inchoata expositio*, n. 4: «Et ideo Apostolus cum factum diceret Christum, addidit *secundum carnem*, ut secundum Verbum quod est Filius Dei, non factum a Deo, sed natum esse monstraret» (PL 35, 2090; CSEL 84, 150). <sup>6</sup> Ambrosiaster, *In Epist. ad Romanos* 1, 3, n. 2 (PL 17, 51s; CSEL 81-I, 15); Ioan. 1, 14. <sup>7</sup> *Inchoata expositio*, n. 4, multis omissis (2090; 148s). <sup>8</sup> *Ibid.*, parum infra (2090; 149). <sup>9</sup> *Ibid.* (2090; 150).

ORIGENES\*\*: «Factus<sup>1</sup> est autem sine dubio id quod prius non erat secundum carnem. Secundum Deum vero erat prius; et non erat quando non erat».

CASSIODORUS, IN PSALMUM LIIII\*: «Factus<sup>2</sup> est autem, ut ita dixerim, humanatus Deus; qui etiam in assumptione carnis Deus esse non destitit; inconvertibilis manens, assumpto convertibili homine; naturam suam non minuens», hominis assumpta natura.

AMBROSIUS, IN LIBRO III DE TRINITATE: «Secundum<sup>3</sup> carnem ergo ex semine David factus est. Deus autem ante saecula ex Deo natus est».

AUGUSTINUS, CONTRA V HAERESSES\*: «Qui<sup>4</sup> ergo erat factus est. Sed quid erat? Quid est factus? Verbum erat [, caro factus est]; Filius Dei erat, filius hominis factus est; Deus erat, homo factus est. Suscepit humanitatem, non amisit divinitatem. Factus est humilis, mansit sublimis».

AUGUSTINUS, CONTRA FAUSTUM\*: «Christus<sup>5</sup> enim Iesus, in quantum Deus est, *omnia per ipsum facta sunt*; in quantum autem homo est, et ipse factus est», «ut esset Iesus, id est Salvator, qui iam erat Creator».

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM\*: «Dei<sup>6</sup> ergo Filius hominis factus est filius; natus secundum naturae veritatem ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturae ex homine hominis filius, ut non adoptione vel appellatione, sed vere in utraque nativitate Filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus et verus homo, unus Filius. Non ergo duos Christos vel duos filios, sed tantum Deum et hominem unum filium confitemur quem et propterea unigenitum dicimus manentem in duabus substantiis sive naturis non confusis neque inmixtis».

AMBROSIUS, IN LIBRO DE TRINITATE\*: «Nec<sup>7</sup> semper tamen factum esse ad creationem refertur, sicut ibi<sup>8</sup>: *Domine, refugium factus es nobis*; et item: *Factus es mihi in salutem*. Non utique creationis diffinitio vel editio hic declaratur, sed nobis in refugium vel in salutem esse dicitur quod prius non erat».

<sup>1</sup> Cf. infra, Lib. III, d. 7, c. 1, n. 2 (p. 59). <sup>2</sup> *Expositio Psalmorum*, Ps. 56, Divisio (PL 70, 400 C; CCL 97, 507); in parte infra, p. 64, n. 17. <sup>3</sup> Scil., *De fide*, III, c. 4, n. 34 (PL 16 [1845], 596 B-C; CSEL 78, 126; Rom. 1, 3. <sup>4</sup> Ps-Augustinus, cap. 5, n. 7 (PL 42, 1107). <sup>5</sup> Ita rubrica parum supra in opere Flori Lugd. (col. 34); revera *Ex Libro Enchiridion* (ita etiam Florus), c. 38, n. 12 (PL 40, 251; CCL 46, 71); in parte in Libro III *Sent.*, d. 4, c. 2, n. 4 (p. 40). Ultima phrasid «ut... Creator», ex *Enarrat. in Ps. 118*, sermo 32, n. 5 (PL 37, 1595; CCL 40, 1775). <sup>6</sup> Cf. infra, Lib. III, d. 1, c. 1, n. 4 (25, lin. 19ss). <sup>7</sup> Id est, *De fide*, III, c. 5, n. 35 (PL 16 [1845], 596 C; CSEL 78, 120). <sup>8</sup> Ps. 89, 1; dein Exod. 15, 2.



## .2.

AMBROSIUS IN LIBRO QUAESTIONUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI, QUI AB IGNORANTIBUS PRAETITULATUR AUGUSTINI \*. Sed quaeri potest: « Cum <sup>1</sup> nos Salvatorem natum profiteamur, cur Apostolus *factum* eum dicat *ex*<sup>2</sup> *semine David*, cum aliud sit fieri, aliud nasci? Qui etiam alio loco inquit: *factum ex muliere*. Aliquid ergo significavit hoc dicto. Quia enim non humano semine concreta est caro Domini in utero Virginis et corpus effecta, sed effectu et virtute Spiritus Sancti, ideo Apostolus dicit *factum*, non *natum*. Aliud est enim semine admixto et sanguinis coagulo generare; aliud non permixtione sed virtute procreare ». Possunt homines generare filios homines, sed non facere.

AUGUSTINUS IN LIBRO DE TRINITATE \*. Item <sup>3</sup>: « Etsi non intercessit semen hominis in conceptione Virginis, tamen quia ex ea carne Christus formatus est, quae constat ex semine, recte dicitur *factus ex semine* ».

## .3.

AUGUSTINUS IN LIBRO QUARTO DE TRINITATE: « Si <sup>4</sup> autem quaeritur: ipsa incarnatio quomodo facta sit, ipsum Verbum Dei dico carnem factum, id est hominem factum, non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum », « sed <sup>5</sup> carne, ut carnalibus congruenter appareret indutum. Ita sane factum, ut ibi sit non tantum Verbum Dei et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima; atque hoc totum et Deus dicatur propter Deum et homo propter hominem ».

« Tanta <sup>6</sup> est enim unio utriusque naturae, ut totum dicatur Deus, totum homo, et vicissim Deus-homo, homo-Deus, quod non in substantiis hominis contingit ».

<sup>1</sup> Cf. Lib. III, d. 4, c. 3, n. 1 (p. 40s).

<sup>2</sup> Rom. 1, 3; dein resp. Gal. 4, 4.

<sup>3</sup> Repetitur infra in Libro III, d. 1, c. 3, n. 2 (p. 41); forsitan Syagrii est, ut ibi notatur.

<sup>4</sup> Cf. infra, III, d. 6, c. 6, n. 4 (57s). <sup>5</sup> Ibid., 58, lin. 3ss. Inutilis nunc nobis videtur promissio facta in *Prolegomenis* ad tom. I (p. 88\*, nota 2), scilicet ut ostenderetur quod hic Magister sese opponeret Glossae Magistri Roberti de Meliduno. Quaestio ageretur potius circa chronologiam confectam a suo editore, cl. R. M. Martin, O.P., ratione cuius oppositionem erga Lombardum supponit ex parte Melidunensis. Cf. R. M. Martin, O.P., *Oeuvres de Robert de Melun II: Questions theologice de epistolis Pauli*, in *Spicil. sacrum Lovan.* 18 (Louvain 1938). Sicco pede transeamus.

<sup>6</sup> Auctoritas aenigmatica quae adhuc quaerit suum auctorem. Ambrosio attribuitur a Roberto de Meliduno in *Sententiis* II, p. 2, c. 258 (cf. nota R. M. Martin, in *Oeuvres de Robert de Melun*, II, 11); non invenitur apud Ambrosiastrum. Communius Augustino assignatur, forsitan ob eius dictum in *De*

AUGUSTINUS IN EODEM \*: « Quod <sup>1</sup> si difficile intelligitur, mens fide purgetur, magis magisque a peccatis abstinendo et bona operando. Difficilia enim sunt haec ».

## .4.

Hic autem quaeritur quomodo hic dicat Augustinus totum, cum alibi <sup>2</sup> dicat humanam et divinam naturam illius personae non esse partes, his verbis (AUGUSTINUS, CONTRA MAXIMUM HAERETICUM \*): « Christus <sup>3</sup> una persona est geminae substantiae, nec tamen Deus vel homo pars huius personae dici potest. Alioquin Filius Dei antequam formam servi susciperet non erat totus, et crevit cum homo divinitati eius accessit ».

SOLUTIO \* <sup>4</sup>. Ad quod respondetur totum non accipi hic tamquam ex partibus compositum, sed quadam similitudine personam Christi, quae Deus est et homo, totum appellat, quia sicut in toto integrali partes uniuntur, ita in persona Christi duae naturae unitae sunt. — AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM: « Est <sup>5</sup> enim Christus gigas geminae substantiae » biformisque naturae, sed differt quia ibi uniuntur ut conficiant totum. Hic vero non uniuntur ut personam constituent.

*Trinitate* I, c. 13, n. 28: « Talis erat illa susceptio quae Deum hominem faceret, et hominem Deum » (PL 42, 840; CCL 50, 69; vide infra, pp. 60 et 136). Cf. *Biblia cum Glossa*, Lugdunensi 1610, I, f. 15: « Qui factus [Rom. 1, 3], tantum secundum carnem. Aug.: Etsi infectus secundum divinam, Tanta est unio... »; *Sententiae divinitatis*, ed. B. Geyer, BGPTMA VII, 2-3 (1909), 70\*; Rolandus Bandinelli, *Super epistolam ad Romanos* (ed. A. M. Gietl, Fribourg 1891), 177s: « Item quod sit homo et Verbum probatur auctoritate Augustini dicentis de Christo super epistolam ad Romanos. Inquit enim: 'Tanta est unio... Deus homo'; sine nomine habetur in cod. Paris., BN lat. 2579 [Glossa *Pro altercatione*], fol. 1r in margine exteriori; item in *Summa sententiarum* I, c. 15 (PL 176, 71 C; 171, 1098 A).

<sup>1</sup> Scil., in libro quarto *De Trinitate* (uti supra, ante auctoritatem praecedentem), c. 21, n. 31 (PL 42, 910; CCL 50, 204); cf. III, d. 6, c. 6, n. 4 (58, 7ss). <sup>2</sup> Supra, in n. 3.

<sup>3</sup> Cf. infra, III, dist. 7, c. 1, n. 13 (63); et nota subsequens. <sup>4</sup> Ibid., n. 14 (63s); sed aptius, Dist. 22, c. 3 (138s). <sup>5</sup> In *Ioan.*, tr. 78, n. 3: « Agnoscamus geminam substantiam Christi » (PL 35, 1836; CCL 36, 524); ad litteram invenitur in *Contra Sermonem Arianorum*, c. 8, n. 6 (PL 42, 689), quod accipitur ut genuinum a cl. Franc. Moriones, *Enchiridion theologicum S. Augustini*, 708, et ab anno 419 (bis citatur, n. 1035, p. 305s; et n. 1041, p. 307); et ab editore *Patr. Lat. Suppl.* I, 764. Iam anno 418, ita scripsit Leporius: « Ideoque una persona accipienda est carnis et Verbi, ut fideliter sine aliqua dubitatione credamus unum eundemque Dei Filium inseparabilem semper, geminae substantiae etiam gigantem nominatum, in diebus carnis suae et vere semper omnia gessisse quae sunt hominis, et vere semper possedissee quae Dei sunt... » (PL 31, 1225s); cf. etiam Ioan. Cassianus, *De incarnatione Christi contra Nestorium haereticum*, L. 1, c. 5, ubi citat verba Leporii (PL 50, 29 A; CSEL 17, 241s); necnon et Ambrosius, infra in textu, 135, 16ss.



CONFIRMATIO SOLUTIONIS. Quod vero illae duae naturae non sint partes<sup>1</sup> illius personae exinde probatur, quia persona de altera earum, scilicet de divina natura, praedicatur, et ipsa de persona. Enuntiamus enim sic: Persona Filii est divina natura, et e converso. Item dicimus: Christus vel Dei Filius est divina natura, et e converso. — AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM: « Qui<sup>2</sup>, Christus, totum habet commune cum Patre, quod aeternus naturaliter sine initio habuerit ». « Una<sup>3</sup> autem est natura sive essentia Patris et Filii et Spiritus Sancti ». « Per<sup>4</sup> hanc unitatem naturalem totus Pater in Filio et in Spiritu Sancti est, totus quoque Spiritus Sanctus in Patre et Filio est. Nullus horum extra quemlibet ipsorum est, quia nemo alium aut praecedit aeternitate aut excedit magnitudine aut superat potestate, quia nec Filio nec Spiritu Sancto, quantum ad naturae divinae unitatem pertinet, aut anterior aut maior est Pater, nec Filius Spiritu Sancto. Aeternum quippe et sine initio est, quod Filius de Patris natura exstitit; et aeternum ac sine initio est, quod Spiritus Sanctus de natura Patris Filiique procedit. Ob hoc ergo tres unum recte credimus et dicimus Deum, quia una prorsus aeternitas, [una immensitas,] una naturaliter trium est personarum divinitas », quas (AUGUSTINUS IN LIBRO DE TRINITATE \*): « unam<sup>5</sup> essentiam vel eiusdem essentiae esse dicimus, non ex eadem essentia ».

AUGUSTINUS, DE FIDE \*: « In<sup>6</sup> illa igitur sancta Trinitate unus est Deus Pater, qui solus essentialiter de se ipso unum Filium genuit; et unus Filius, qui de uno Patre solus est essentialiter natus; et unus Spiritus Sanctus, qui solus essentialiter a Patre Filioque procedit. Hoc autem totum una persona non posset, id est gignere se, et nasci de se, et procedere de se ». — AUGUSTINUS, ibidem: « Si<sup>7</sup> enim in una illa natura Patris et Filii et Spiritus Sancti una esset tantum persona, non diceretur in Genesi: *Faciamus hominem ad imaginem et similitudinem nostram*. Cum enim dicit *ad imaginem et similitudinem*, ostendit unam naturam esse, ad cuius imaginem homo fieret ». — IDEM \*: « Cum<sup>8</sup> vero dicit *nostram*, ostendit eundem Deum ad cuius imaginem homo fiebat, non unam sed plures esse personas. Una enim imago trium naturarum inaequalium esse non

<sup>1</sup> Quod sint partes secundum quosdam, innuitur infra in libro III, d. 6, c. 3 (52ss).

<sup>2</sup> Id est, Fulgentius, c. 2, n. 8 (PL 65, 676 B; CCL 91 A, 717). <sup>3</sup> Ibid., c. 1, n. 5 (PL 65, 674 B-C; CCL 91 A, 714s).

<sup>4</sup> Ibid., c. 1, n. 4 (674 A; 714). <sup>5</sup> *De Trinitate*, VII, c. 6, n. 11 (PL 42, 945; CCL 50, 264); in *Sent.*, I, d. 5, c. 2, n. 4 (88, lin. 12ss).

<sup>6</sup> Cap. 1, n. 6 (675 A; 715s); in *Sent.*, I, d. 3, c. 4 (77, 11ss). <sup>7</sup> Cap. 1, n. 5 (674 A; 715); in *Sent.*, I, d. 2, c. 4, n. 2 (64, 13ss); Gen. 1, 26. <sup>8</sup> Ibidem; secunda phrasis non invenitur in *Sententiis*.

posset », sed ex praedictis verbis « una<sup>1</sup> sanctae Trinitatis essentialiter divinitas » et imago « intimatur ». « Si<sup>2</sup> enim sicut est Patris et Filii et Spiritus Sancti una substantia sic esset una persona, veraciter Trinitas non diceretur. Rursus quidem Trinitas esset vera, sed unus Deus trinitas ipsa non esset, si quemadmodum Pater et Filius et Spiritus Sanctus personarum sunt ab invicem proprietate distincti, sic fuissent naturarum quoque diversitate discreti ». « Fides autem patriarcharum, Prophetarum atque Apostolorum unum Deum praedicat Trinitatem ».

.5.

QUAESTIO. Sed quaeritur quomodo supra imaginem Augustinus retulit ad essentiam, cum ipse alibi dicat imaginem referri ad personam, his verbis (AUGUSTINUS IN LIBRO VI DE TRINITATE \*): « Non<sup>3</sup> Pater et Filius simul ambo imago, sed Filius solus imago Patris, quemadmodum et filius ». — IDEM IN LIBRO VII \*: Item: « Non<sup>4</sup> ipse Pater Verbum est, sicut nec filius nec imago ». Item: « Quid autem absurdius quam imaginem ad se dici ? »

SOLUTIO \*. Ad<sup>5</sup> quod respondetur imaginem interdum referri ad personam, et tunc relative dici de Filio tantum; interdum vero ad essentiam, et tunc ad se dici et de tribus personis pariter enuntiari.

.6.

QUAESTIO \*. Item quaeritur quid non sit in substantiis hominis quod est in substantiis Christi, sicut supra<sup>6</sup> positum est: « Totum Deus totum homo, et vicissim homo Deus et Deus homo dicitur ».

SOLUTIO \*. Ad<sup>7</sup> quod respondetur non sic posse dici: 'homo est caro', vel 'caro est anima', sicut dicitur 'Christus est Deus', 'Christus est homo', et 'homo est Deus' et 'Deus est homo', quod est propter nimiam et ineffabilem naturae divinae et humanae unionem.

<sup>1</sup> Ibidem; in *Sent.*, I, d. 28, c. 7 (215, lin. 1-2). <sup>2</sup> Reliqua huius numeri ex *De fide ad Petrum*, c. 1, n. 4 et n. 6 (PL 65, 673, 675; CCL 91 A, 713s, 715s); omnia in Lib. I, d. 3, c. 4 (77). <sup>3</sup> Cap. 2, n. 3 (PL 42, 925; CCL 50, 230); in *Sent.*, I, d. 27, c. 3, n. 4 (I, 206, lin. 21ss). <sup>4</sup> Cap. 1, nn. 1-2 (PL 42, 933, 934; CCL 50, 244, 247); in *Sent.*, I, d. 27, c. 3, n. 5 (I, 207, 5-7). <sup>5</sup> Cf. *Sent.*, I, d. 27, c. 3, n. 6 (I, 207). <sup>6</sup> In fine n. 3. <sup>7</sup> Cf. *Sent.*, III, d. 6, c. 1 (II, 49).



## .7.

QUAESTIO \*. Sed <sup>1</sup> item quaeritur utrum sit similis vel dissimilis in praedictis locutionibus praedicatio, ut quemadmodum cum dicimus 'anima est caro' vel 'caro est anima', aliam de alia substantiam praedicamus et partem de parte; unde et falsa iudicatur huiusmodi enuntiatio; ita cum dicitur 'Deus est homo' vel 'homo est Deus', substantia vel natura de alia substantia vel natura praedicetur. Atque si hoc non est, quid de quo praedicetur: an idem de se, an aliud de alio? et si idem de se, an persona de se, an natura de se? si vero de alio, an de alia persona, an de alia natura?

Quod si quis propositis quaestionibus satisfacere dissimulans, huiusmodi verbis calumniatur, dicens ea sacris paginis non esse cognata et in philosophicis disceptationibus tantum admittenda, audiat aliis verbis a sacris paginis nullatenus eliminandis easdem quaestiones moveri.

## .8.

QUAESTIO \*. Quaeritur <sup>2</sup> enim utrum cum dicitur 'homo est Deus' vel 'Deus est homo', an Deus et homo eiusdem rei vel diversarum sint nomina vel neutrum. Item si eiusdem, an eiusdem personae vel eiusdem naturae vel eiusdem rei, nec naturae tamen nec personae? Si vero diversarum rerum sint nomina, quaeritur utrum diversarum naturarum vel diversarum personarum vel diversarum rerum, nec tamen naturarum vel personarum.

RESPONSIO \*. Ad quod sine praeiudicio aliorum, non arroganti assertionem sed humili indagine aliis cupientes prodesse, respondemus: In his locutionibus: 'Deus est homo', 'homo est Deus', idem de se praedicari dicimus. Praedicatur enim Filius Dei de filio hominis cum dicitur 'homo est Deus', et filius hominis de Filio Dei cum dicitur 'Deus est homo'; unus autem et idem est Dei Filius et hominis filius, Iesus Christus.

AUGUSTINUS IN LIBRO DE TRINITATE \*. Unde Augustinus: « Quemadmodum <sup>3</sup> secundum deitatem una est Patris Filiique natura, ita etiam iuxta humanitatem eadem est Matris et Filii natura. Ex utraque

<sup>1</sup> Quaestio innuitur in *Sent.*, III, d. 6, c. 1 (II, 49s); hic explicatur potius in numero sequenti (n. 8). Nihilominus in libro *Sententiarum* minus agitur de locutionibus et praedicationibus, scilicet in expositione trium sententiarum de unione hypostatica. <sup>2</sup> Cf. *Sent.*, III, d. 6, c. 1 (II, 49s). <sup>3</sup> Immo, ut notatur infra (p. 54), in *Sermone* 238, n. 3 (inter opera Augustini, PL 39, 2185s).

autem substantia, et divinitatis et humanitatis, unus atque idem est Deus, Dei et hominis Filius, Dominus noster Iesus Christus, ut Deus verus, ita etiam homo verus ».

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*. Item: « Qui <sup>1</sup> est Deus verus homo verus factus est, non ut alter Deus esset, alter homo, sed idem Deus, idem homo ».

His auctoritatibus et aliis plurimis idem contestantibus explicatur unum eundemque esse quem praedicamus atque subicimus in praedictis locutionibus.

## .9.

RESPONSIO \*. Ad illud autem quod quaeritur, cuius rei vel quarum rerum sint nomina, breviter respondemus: Cum Deus aliquando sit nomen naturae vel substantiae, ut ibi (AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*): « Teneamus <sup>2</sup> Patrem et Filium et Spiritum Sanctum unum esse naturaliter Deum »; aliquando etiam nomen est personae, ut ibi: « Deum de Deo »; ita et hic nomen personae Filii est, cum dicitur « Deus est homo » vel « homo est Deus ». « Homo » vero nomen est filii hominis, qui est eadem persona tertia in Trinitate quae Verbum est. Aliquando tamen est nomen humanae naturae, ut cum dicitur: « Deus assumpsit hominem ». Loquor ergo de persona cum dico: « Deus est homo »; loquor et de illo qui est eadem persona cum dico: « Homo est Deus », et eundem praedico cum dico: « Deus est homo »; eundemque subicio cum dico: « Homo est Christus »; et personam praedico.

Cum vero dico: « Christus est Deus », potest sane intelligi ibi 'Deus' esse nomen personae vel naturae divinae, ut praedicetur persona de se ipsa vel natura de persona; et ita fit hic quod non in substantiis hominis. Hic enim natura praedicatur de persona, cum dicitur: « Christus est Deus », et persona de natura cum dicitur: « Deus est Christus »; et nomina naturarum invicem de se praedicantur cum dicitur: « Deus est homo et homo est Deus », licet non sint ibi nomina naturarum sed personae. Qualis translatio nusquam in nominibus substantiarum hominis occurrit; nusquam legitur: « caro est anima » vel econverso sub aliqua figura etiam dictum, quia non hic tanta unio quanta ibi.

<sup>1</sup> Cap. 2, n. 17 (PL 65, 679 C; CCL 91 A, 722). <sup>2</sup> Cap. 1, n. 5 (PL 65, 674 B-C; CCL 91 A, 714s); in *Sent.* I, d. 2, c. 2 (I, 63). Cf. Lib. III, d. 5, c. 3; et d. 6, c. 1 (II, 48s).



.10.

OPPONITUR SOLUTIONI \*. His<sup>1</sup> autem quae in solvendo diximus videntur obviare quarundam verba auctoritatum huiusmodi:

AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM: « Aliud Verbum Dei est, aliud homo; sed *Verbum caro factum est*, id est homo; non itaque alia Verbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque Christus et una persona ».

AUGUSTINUS, AD FELICIANUM \*. Item: « Aliud est Dei Filius, aliud hominis filius, sed non alius ». — Item: « Dei Filius aliud de Patre, aliud de Matre ».

AUGUSTINUS IN LIBRO PRIMO DE TRINITATE \*. Item: « Quapropter, cum Filius sit et Deus et homo, alia substantia Deus, alia homo ».

His auctoritatibus videtur insinuari aliud esse quod subicitur, et aliud quod praedicatur, cum dicitur 'homo est Deus' vel 'Deus est homo', atque diversarum rerum nomina esse ibi 'Deus' et 'homo'.

.11.

OPPOSITIO \*. Quod si ita est, eo sermo producitur ut probetur quod duo diversa atque a se invicem alia unus Christus sint. Quod si quis recipiat, dicitur ei: Ergo vel duo diversa quae sunt Deus vel quae non sunt Deus vel quorum aliud est Deus, aliud non. Sed quis aliquid horum nisi Catholicae doctrinae expers concedere audeat?

.12.

DETERMINATIO \*. Haec<sup>2</sup> itaque vitare volentes, praemissarum auctoritatum verba in hunc modum determinamus: Aliud est Verbum Dei, aliud homo, id est alterius naturae Christus est in quantum est Verbum Dei, alterius in quantum est homo; et procul dubio aliud est natura divinitatis qua Christus Deus est, aliud natura humanitatis qua idem homo est.

BASILIIUS SUPER ILLUM LOCUM: MISSUS EST ANGELUS AD MARIAM \*: « Inconverse enim et inalterabiliter unitae sunt ad invicem naturae, neque divina distante a propria simplicitate, neque humana aut conversa

<sup>1</sup> Cf. Lib. III, d. 7, c. 1, n. 8 (II, 61), ubi etiam tres auctoritates quae sequuntur.

<sup>2</sup> Ibid., in n. 9 (61s); nunc autem in tertia persona (« determinant »); ubi etiam auctoritas recte Damasceno attribuitur.

in deitatis naturam, aut in non-existentiam divisa, neque ex duabus una facta est composita natura ».

Similiter expone illud: « Aliud<sup>1</sup> de Patre, aliud de Matre, est Dei Filius », id est, aliud est natura secundum quam de Patre est genitus, aliud est natura secundum quam de Matre est formatus. Ipse vero non est alius, quia eadem persona quae prius erat immutabilis atque invariabilis permansit.

INTENDE! Quod vero addidit: « utrumque<sup>2</sup> Christus est et una persona », qualiter sane intelligatur diligenti indagine perquirendum est, cum Hieronymus contraire videatur sic dicens (HIERONYMUS \*): « Verbum est Deus, non caro assumpta ». Quod nobis sic sane intelligi posse videtur absque circumstantis scripturae repugnantia: 'Utrumque' est Christus, utrumque est una persona, id est, in utraque natura subsistit unus Christus, una persona. Hoc enim et huic similia locutionum genera saepe in divina inducuntur scriptura contra haereticos qui in Christo naturas confundebant vel personam dividebant.

AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM \*. Unde Augustinus: « Agnoscamus<sup>3</sup> geminam substantiam Christi, divinam scilicet qua aequalis est Patri, et humanam qua maior est Pater; utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas, Deus. Ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro ». — IDEM IN EODEM \*. Deinde, quasi aperiens quod dixerat, subdit: « Christus<sup>4</sup> in his omnibus et in singulis confitemur ». Et inde est quod Christi appellatione saepe de singulis horum agitur, ut idem Augustinus ibidem ostendit, sic dicens (AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM \*): « Quis non est derelictus in inferno? Christus, sed in anima sola. Quis iacuit in sepulcro? Christus, sed in carne sola. Quia in his singulis Christus est ».

.13.

QUAESTIO \*. Item<sup>5</sup> quaeritur utrum debeat dici Christus bis genitus, ut dicitur Dei et hominis filius.

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*. De hoc Augustinus ita

<sup>1</sup> Ibid., in fine n. 9 (62); resp. textus in n. 8 (61, 15). <sup>2</sup> Hic supra, in prima auctoritate in n. 10; in *Sententiis* III, d. 7, c. 1, nn. 11-12 (63). <sup>3</sup> Repetitur in Lib. III, d. 6, c. 2, n. 5 (51). <sup>4</sup> Haec auctoritas et illa quae sequitur revera una sunt, uti infra in III, d. 22, c. 2, n. 3 in fine (138). <sup>5</sup> Fons est cap. 2 Dist. 8 (67s), ubi post auctoritatem Fulgentii (in forma abbreviata) inseritur altera Ioannis Damasceni.



ait: « Pater Deus semel de sua natura genuit Filium Deum sibi aequalem et eadem qua ipse naturaliter aeternus est divinitate coaeternum. Sed idem Deus Filius, cum sit Deus aeternus et verus, pro nobis factus est homo verus et plenus: in eo verus, quia veram habet Deus ille humanam naturam; in eo vero plenus, quia et carnem suscepit et animam rationalem. Idem quoque Unigenitus Deus secundo natus est: semel ex Patre, semel ex Matre. Natus est enim de Patre Deus Verbum; natus est de Matre Verbum caro factum. Unus igitur est atque idem Dei Filius natus ante saecula et natus in saeculo; et utraque nativitas unius est Filii Dei, divina et humana ». — Ecce manifestum est debere dici atque credi Christum esse bis natum.

.14.

QUAESTIO \*. Postremo <sup>1</sup> quaeritur utrum concedendum sit personam assumpsisse personam vel naturam naturam, an personam naturam vel naturam personam; an etiam ita debeat dici divina natura incarnata, sicut Deus incarnatus et Verbum incarnatum.

RESPONSIO \*. Ad quod respondemus: hanc quaestionem ex auctoritatibus Sanctorum ex parte ad plenum esse expeditam, ex parte vero implicitam atque obscuram.

Quod <sup>2</sup> enim non natura personam sed potius persona naturam, non personam, assumpserit, ex subditis clarescit.

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*: « Deus Unigenitus, dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine; et cum nasceretur, integritatem virginitatis servavit in Matre. Istaque causa est qua Deus factus est filius Mariae, et Maria virgo mater facta est Unigeniti Dei, ut quem Pater genuit ex aeternitate, ipsum virgo conceptum proferret in tempore ». — IDEM IN EODEM \*. Item: « Hic Deus humanam naturam in unitate personae suscepit qui se humilians per misericordiam, incorruptae Virginis uterum ex ea nasciturus implevit. Formam ergo servi, id est naturam servi, in suam accepit Deus ille personam ». — IDEM IN EODEM \*. Item: « Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam ». — ITEM IN EODEM \*. Item: « Dei Filius unigenitus, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis animaeque rationalis incarnatus est ».

<sup>1</sup> Hic et in numeris 15-21 invenitur versio originalis inquisitionis quae in forma proluxa agitur in III, dist. 5, c. 1 (II, 41-46). Cf. etiam Prolegomena ad tomum I, pp. 86\*-88\*. <sup>2</sup> Inseritur quasi ad litteram, unacum auctoritatibus quae sequuntur, in eodem cap. 1, n. 2 (42).

INTENDE! Ecce ex his liquet quod ante diximus, scilicet non naturam personam, sed personam accepisse naturam, non personam.

.15.

De quarto <sup>1</sup> vero quaestionis articulo, utrum scilicet natura naturam assumpserit, plurimum dissentire videntur auctores sacrae paginae; nec tantum alii ab aliis, verum etiam iidem a seipsis, sicut subiecta capitula docent.

DE CONCILIO TOLETANO VIII \*: « Solum Verbum caro factum est et habitavit in nobis. Et cum tota operata sit Trinitas formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius accepit hominem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, id est id quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati, quoniam constat naturam Trinitatis esse unam, non tamen personam ».

ITEM, DE CONCILIO TOLETANO UNDECIMO \*. Item: « Unius substantiae credimus Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; non tamen dicimus ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantummodo Filium, qui solus naturam nostram in unitatem personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est, quia inseparabilia sunt eius opera; solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae ».

.16.

Ecce ex his videtur ostendi quod persona naturam tantum, non natura naturam assumpserit.

Cui contrarium videtur quod alibi legitur.

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*: « Nec <sup>2</sup> divinitas Christi aliena est a natura Patris, secundum id quod *in principio erat Verbum*; nec humanitas eius aliena est a natura Matris, secundum id quod *Verbum caro factum est*. Illa enim natura quae semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit, ut nasceretur ex Virgine. Neque enim natura aeterna atque divina temporaliter concipi et nasci ex homine ullatenus posset, nisi secundum susceptionem veritatis humanae veram con-

<sup>1</sup> Hic numerus repetitur in eodem cap. 1, nn. 3-4 (42s). <sup>2</sup> Denuo datur in eodem cap., n. 5 (43), ubi tamen abbreviatur auctoritas Fulgentii.



ceptionem atque nativitatem ineffabilis in se divinitas temporaliter accepisset ».

INTENDE! \*. Ex hac auctoritate videtur quod divina natura humanam assumpserit.

.17.

Sed <sup>1</sup> vehementer nos movet quod eam genitam ex Patre aeternaliter et ex homine natam temporaliter dicit, nisi forte naturam pro persona hic accipiat. Quod ostenditur ex eo quod subdit:

IDEM IN EODEM \*: « Sic <sup>2</sup> est Deus aeternus ac verus veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex Virgine; illo scilicet Deo facto naturaliter hominis filio qui unus est naturaliter Filius Unigenitus Dei Patris », qui « omnium naturarum Creator et Dominus creavit virginem creandus ex virgine ».

Ecce ex his apparet supra <sup>3</sup> naturam pro persona accepisse. Alioquin, si dixerimus naturam quae communis est trium personarum genitam esse, proculdubio natura genita Pater non est, immo a natura Patris quae non est genita alia est. Nulla enim res se ipsam generare potest, ut idem Augustinus <sup>4</sup> ait in primo libro *De Trinitate*: « Nulla enim res est quae se ipsam gignat ».

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*. Similiter et illud ad personam mihi videtur referendum quod idem Augustinus subsequenter ait: « Sic <sup>5</sup> Christum Dei Filium, id est unam ex Trinitate personam, Deum verum crede, ut divinitatem eius de natura Patris natam esse non dubites »; divinitatis nomen ad personam retulisse videtur.

.18.

Idem alibi dicit id quo videtur natura naturam assumpsisse. — AUGUSTINUS IN LIBRO PRIMO DE TRINITATE \*. Ait enim sic: « Etiam <sup>6</sup> se ipso Christus minor factus est, *formam servi accipiens*. Neque enim sic

<sup>1</sup> In eodem n. 5 (43, 21-23). <sup>2</sup> Scil. *De fide ad Petrum*, c. 2, n. 14 (PL 65, 678<sup>B</sup>; CCL 91 A, 720). Prima phrasid legitur in *Sent.* III, d. 8, c. 1 (67, 16-17); dein « illo... Patris », in d. 10, c. 2, n. 4 (75); ultima pars non repetitur in libro *Sententiarum*. <sup>3</sup> Scilicet, in auctoritate Fulgentii in n. 16: « Illa enim natura quae semper genita manet ex Patre ». <sup>4</sup> Cap. 1, n. 1 (PL 42, 820; CCL 50, 28); in libro I *Sent.*, d. 4, c. 1, n. 1 (I, 78). <sup>5</sup> Cap. 2, n. 15 (PL 65, 678 C-D; CCL 91 A, 720); in *Sent.*, I, d. 5, c. 1, n. 7 (I, 82). <sup>6</sup> Cap. 7, n. 14 (PL 42, 828s; CCL 50, 45); cf. infra in libro III, d. 5, c. 1, n. 6 (44, 3-6) in parte etiam in L. I, d. 16, c. 2, n. 2 (I, 140); dein in I, d. 16, c. 2, n. 3 (I, 141), et III, d. 7, c. 2, n. 3 (II, 65); in fine, III, d. 7, c. 1, n. 11 (II, 63).

accepit formam servi ut amitteret formam Dei, in qua erat aequalis Patri; ut et in forma servi et in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius Patris. Est ergo Dei Filius Deo Patri natura aequalis, habitu minor. In forma enim servi quam accepit, minor est Patre; in forma Dei in qua erat antequam hanc accepisset aequalis est Patri. In forma Dei, Verbum; in forma servi, *factus ex muliere*. In forma Dei, fecit hominem; in forma servi, factus est homo. Ergo, quia forma Dei accepit formam servi, utrumque Deus, utrumque homo ».

Ecce ex his apparet naturam assumpsisse naturam.

.19.

AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*. Ne autem formae nomen alio retorqueas, audi quod idem alibi ait: « Cum <sup>1</sup> audis de Domino Iesu Christo quia in forma Dei erat, oportet te agnoscere firmissimeque tenere in illo formae nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei Christus erat, quia in natura Dei Patris semper erat, de quo natus erat ». — IDEM IN EODEM \*: « Neque <sup>2</sup> aliud fuit illa Dei summi exinanitio nisi formae servilis, id est naturae humanae, susceptio ». — IDEM IN EODEM \*: « Utraque igitur est in Christo forma, quia utraque et vera et plena est in Christo substantia », divina scilicet et humana.

.20.

Ecce hinc monstratur quod natura naturam assumpserit. Alibi <sup>3</sup> vero idem Augustinus innuere videtur quod et solum Verbum naturam humanam assumpserit, et quod natura divina eandem acceperit, sic dicens (AUGUSTINUS, DE FIDE AD PETRUM \*): « Trinitas nos sibi reconciliavit per hoc, quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit. In quo sic veritas incommutabilis manet et [*om. Editio*] humanae divinaeque naturae, ut sicut vera semper est eius divinitas, quam de Patre incommutabilem habet, ita vera semper atque incommutabilis eius humanitas sit, quam sibi unitam summa divinitas gerit ». Ecce et solum Verbum dicit carnem factum et ipsam humanitatem summae divinitati dicit unitam.

<sup>1</sup> Cap. 2, n. 19 (opus Fulgentii, PL 65, 680 D; CCL 91 A, 723); in III, d. 5, c. 1, n. 6 (II, 44). <sup>2</sup> Cap. 3, n. 20 (PL 65, 681 C; CCL 91 A, 725); in III, d. 6, n. 5 (II, 58); ubi et sequens auctoritas. <sup>3</sup> Quasi ad unguem repetitur in III, d. 5, c. 1, n. 8 (II, 44s).



AUGUSTINUS IN LIBRO DE TRINITATE \*. Item: « Non <sup>1</sup> esset Dei hominumque mediator, nisi esset idem Deus, idem homo ». « Quam servilem formam a solo Filio susceptam, tota Trinitas, cuius una est voluntas et operatio, fecit ».

Ecce <sup>2</sup> patet quam diversa super quaestionem propositam auctores sentire videantur. Inde est quod posteriores ista legentes varias atque contrarias ex praedictis occasionem sumentes ferunt sententias.

.21.

SOLVIT \*. Nos <sup>3</sup> autem omnis falsitatis atque contrarietatis notam a sacris Paginis abigere volentes, orthodoxis Patribus atque catholicis doctoribus nulla pravae intelligentiae suspicione notatis cohaeremus, dicentes et personam Filii assumpsisse naturam humanam, et naturam divinam in Filio humanae naturae unitam, ipsamque sibi unisse vel assumpsisse. Nec tamen dicimus naturam divinam carnem factam esse. — Quod vero dicitur solus Filius formam servi accepisse, per hoc non excluditur natura divina ab acceptione servilis formae, sed aliae duae personae, Pater scilicet et Spiritus Sanctus. Item et illud sic intelligendum videtur: « Id quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati, hominem accepit », id est proprie in Filio, non in tribus communiter personis, divina natura sibi humanam univit.

.22.

QUAESTIO \*. Item <sup>4</sup> quaeritur utrum debeat dici simpliciter atque concedi Christum esse factum vel esse creaturam.

RESPONSIO \*. Ad quod respondemus hoc simpliciter et absque determinatione minus opportune dici; et si quandoque, brevitatis causa, dicatur, nunquam tamen simpliciter debere intelligi. Ut enim Augustinus ait, « cum de Christo loquimur, quid, secundum quid dicatur, advertendum est ». Qui Christum vel Dei Filium non esse creaturam, ita ostendit: « In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est, propter nativi-

<sup>1</sup> Utraque auctoritas invenitur in Dist. 2, c. 3, n. 2 (II, 31). <sup>2</sup> Quasi eisdem verbis discussio concluditur in Dist. 5, c. 1, n. 9 (II, 45). <sup>3</sup> Quod sequitur in n. 21 assumitur in nn. 10-11 eiusdem capituli, paucis demissis (II, 45). <sup>4</sup> Prima pars n. 22, usque ad verba: « Facta igitur substantia non est », repetitur in III, dist. 11, c. 1, n. 2 (77s), unacum auctoritatibus. Reliqua pars huius numeri (« Qui tamen... ») locum non invenit in *Libro Sententiarum*.

tatem incarnationis eius, quae facta est in tempore ex Virgine »; et: « *Omnia per ipsum facta sunt*; neque dicit *omnia*, nisi quae facta sunt, id est omnem creaturam ». — IDEM IN EODEM \*: « Unde liquido apparet ipsum factum non esse per quem facta sunt. Et si factus non est, creatura non est; si autem creatura non est, eiusdem cum Patre substantiae est. (INTENDE! \*) Omnis enim substantia quae Deus non est, creatura est; et quae creatura non est, Deus est. Sed si Filius non eiusdem substantiae est cum Patre, ergo facta substantia est; et si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At *omnia per ipsum facta sunt* ». Facta igitur substantia non est.

Qui tamen, sicut ait Apostolus, *factus est ei*, scilicet ad honorem Patris, *secundum carnem*, infectus vero secundum deitatem. — HAYMO \*. *Factus* dico et specialiter « *ex* <sup>1</sup> *semine David*, quia Maria fuit de stirpe David, ex cuius semine formata est caro dominica opere Spiritus Sancti in utero virginali ».

Sed attendendum quare specialiter hic nominat David, cum constet quod facta est promissio Abrahae sicuti et David. Sed Apostolus, volens gratiam commendare, maluit dicere de David, qui et criminosus fuit, non de semine Abrahae, qui iustus fuit, ut non pro merito sed gratia natus de eo putetur; et etiam ideo (AMBROSIUS \*) « *ut* <sup>2</sup> *ex homine rege secundum carnem rex natus ostendatur, sicut de Deo rege rex ante saecula natus* » est.

.23.

Deinde a virtute commendans eum subdit <sup>3</sup>: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri*.

INTENDE \*. Hic primo videndum est quid sit praedestinatio et de quo sit praedestinatio, utrum de eo quod semper fuit an de eo quod ex tempore fuit; et utrum de persona an de natura; et si de persona est, postea attendendum est secundum quam naturam sit praedestinata.

.24.

AUGUSTINUS \*: « Praedestinatio <sup>4</sup> est gratiae praeparatio » qua ab aeterno Deus homini Christo et cunctis quos *praescivit conformes fieri imaginis Filii sui* [Rom. 8, 30] bona sine meritis praeparavit.

<sup>1</sup> Haymo Altissiodorensis, *Glossa* in Rom. 1, 3 (PL 117, 366 D). <sup>2</sup> Scilicet Ambrosiaster, in Rom. 1, 3 (PL 17 [1845], 49 D; CSEL 81, 14). <sup>3</sup> Rom. 1, 4. <sup>4</sup> *De praedestinatione sanctorum*, c. 10, n. 19 (PL 44, 974s); in *Sent.*, I, d. 39, c. 4, n. 4 (I, 283s).



AUGUSTINUS IN LIBRO DE PRAEDESTINATIONE \*: « Praeclarissimum <sup>1</sup> enim lumen praedestinationis et gratiae est ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus. Ille enim homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, Filius Dei unigenitus esset: unde hoc meruit? quod eius bonum quaecumque praecessit, ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente ac suscipiente Deo Verbo, ipse homo, ex quo esse coepit, Filius Dei unicus esse coepit. Filium Dei unicum femina illa gratia plena concepit de Spiritu Sancto. Ex Virgine Maria Deus unicus natus est, non carnis cupidine, sed solo Dei munere. Libera in illo voluntas erat, et tanto magis quanto magis peccare non poterat ». « Apparet <sup>2</sup> itaque nobis in nostro capite ipse fons gratiae a quo in cuncta membra eius gratia diffunditur. Ita enim ab initio fidei suae homo quicumque gratia fit Christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus. De ipso hic Spiritu renatus est, de quo Spiritu ille natus est. Spiritu fit in nobis remissio peccatorum, Spiritu factum est in illo ut nullum haberet peccatum ».

AUGUSTINUS, DE BONO PERSEVERANTIAE \*: « Qui <sup>3</sup> fecit illum hominem, sine ullis eius praecedentibus meritis, nullum quod ei dimitteretur, vel origine trahere, vel voluntate perpetrare peccatum, ipse nullis eorum praecedentibus meritis facit credentes in eum quibus dimittat omne peccatum: qui fecit illum talem ut numquam habuerit habiturusque sit voluntatem malam, ipse facit in membris eius ex mala voluntate bonam. Et illum ergo et nos praedestinavit, quia et in illo ut esset caput nostrum, et in nobis ut eius corpus essemus, non praecessura merita nostra, sed opera sua futura praescivit ».

IDEM, DE PRAEDESTINATIONE \*: « Haec <sup>4</sup> se Deus facturum profecto » ab aeterno « praescivit. Ipsa est igitur praedestinatio sanctorum, quae in Sancto sanctorum maxime claruit: quam negare quis non valet recte intelligentium eloquia veritatis ». « Humana <sup>5</sup> igitur merita conticescant hic, quae perierunt per Adam, et regnet gratia per Iesum Christum. Quisque in capite nostro praecedentia merita singularis illius generationis invenit, ipse in nobis membris eius praecedentia merita » fidei et « regenerationis inquirat. Neque enim Christo retributum est, nec nobis pro aliquo merito, sed gratis tributum. Ille quippe nos fecit credere in Christum,

<sup>1</sup> Ibid., c. 15, n. 30 (PL 44, 981s); in parte, in *Sent.*, III, d. 6, c. 2, n. 6 (II, 51).  
<sup>2</sup> Ibid., c. 15, n. 31 (982).  
<sup>3</sup> *De dono perseverantiae*, c. 24, n. 67 (PL 45, 1034); non repetitur in *Sententiis*.  
<sup>4</sup> Cap. 15, n. 31 (PL 44, 982).  
<sup>5</sup> Ibid., parum infra (983).

qui nobis fecit in quem credimus Christum. Ille facit in hominibus principium fidei, qui fecit hominem principem fidei et perfectorem Iesum ».

AUGUSTINUS, DE BONO PERSEVERANTIAE \*: « Nullum <sup>1</sup> est igitur illustrius praedestinationis exemplum quam ipse Mediator. Quisque ergo fidelis vult eam bene intelligere, attendat ipsum, atque in illo inveniat et seipsum: qui in eo veram naturam humanam credit, suscipiente Deo Verbo, ita sublimatam ut qui suscepit et quod suscepit una esset in Trinitate persona. Neque enim homine assumpto quaternitas facta est, sed Trinitas mansit, assumptione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo et homine veritatem ».

Hoc de ipsa praedestinatione sufficiat.

.25.

Deinde videamus utrum de eo qui semper fuerit vel de eo qui non semper fuerit sit ipsa praedestinatio, et utrum de persona an de natura.

AUGUSTINUS IN EPISTOLA AD ROMANOS \*: « Eundem <sup>2</sup> sane ipsum qui secundum carnem factus est ex semine David, praedestinatum dicit Filium Dei in virtute ».

AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM \*. Item: « Recte <sup>3</sup> quippe dicitur Filius Dei non praedestinatus secundum id quod est Verbum Dei, Deus apud Deum. Ut quid enim praedestinetur cum iam esset qui erat sine initio, sine termino sempiternus? Illud autem praedestinandum erat quod nondum erat, ut sic suo tempore fieret, quemadmodum ante tempora praedestinatus erat ut fieret. Quisque igitur Dei Filium praedestinatum negat, hunc eundem filium hominis negat ».

AUGUSTINUS IN LIBRO AD PROSPERUM ET HILAREM \*: « Praedestinatus <sup>4</sup> est ergo Iesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius David, esset in virtute Filius Dei ». — IDEM IN EODEM \*. Item: « In <sup>5</sup> quantum homo factus est Dei Filius praedestinatum eum dicimus ».

<sup>1</sup> *De dono perseverantiae*, c. 24, n. 67 (PL 45, 1033); repetitur in parte in *Sent.*, III, d. 7, c. 1, n. 11 (p. 63).  
<sup>2</sup> *Epist. ad Rom. inchoata expositio*, n. 5 (PL 35, 2090s; CSEL 84, 150).  
<sup>3</sup> *Tract.* 105, n. 8 (PL 35, 1907; CCL 36, 607); non repetitur in *Sententiis*.  
<sup>4</sup> Id est, *De praedestinatione sanctorum*, c. 15, n. 31 (PL 44, 982); repetitur in III, d. 7, c. 2, n. 2 (65).  
<sup>5</sup> Ibid.; non invenitur ad verbum in *Sent.*, sed cf. n. 1 eiusdem cap. (65).



.26.

Ecce<sup>1</sup> ex his patet praedestinationem esse de persona, id est, de Christo Iesu, non secundum id quod semper fuit, sed secundum id quod non semper fuit; id est, non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem. Et est sensus: quasi diceret: Christus *factus est secundum carnem*; qui Christus secundum quod est homo, est praedestinatus, id est sola gratia praelectus ad hoc, ut ipse homo sit Filius Dei, non utique adoptivus, ut nos sumus, sed *in virtute*, id est in eadem potentia cum Patre; non per gratiam adoptionis, sed per unionem Verbi, id est per gratiam qua humana eius natura unita est Verbo.

.27.

Non ergo per adoptionem filius est, neque adoptivus filius est. Dicit enim Ambrosius: « Volvi<sup>2</sup> et revolvi divinam Scripturam, et Filium Dei nusquam adoptivum inveni ». Sed sicut Christus in quantum Deus est, naturaliter habet ut sit naturalis Dei Filius et sit Deus, ita in quantum homo per gratiam habet ut sit idem Dei Filius naturalis.

Unde Hieronymus: « De<sup>3</sup> Filio vero, hoc est de Domino nostro Iesu Christo, scriptum est quod semper cum Patre fuit, et nunquam eum, ut esset, voluntas paterna praecessit. Et ille quidem natura Filius est, nos vero adoptione. Ille vero nunquam Filius non fuit<sup>4</sup>; nos antequam essemus praedestinati sumus, et tunc spiritum adoptionis accepimus quando credidimus in Filium Dei ».

De hoc eodem Hilarius dicit: « Contendunt<sup>5</sup> haeretici adimere Patri quod Pater est, dum volunt auferre Filio quod Filius est. Adimunt autem, cum dicunt quod non de natura sit Filius. Non ex natura autem est quando non eadem in se habet natus et generans. Neque enim filius est natura cui alia ac dissimilis erit a patre substantia. Pater autem quomodo erit si non quod in se substantiae atque naturae est genuerit in Filio? » — Idem: « Dominus<sup>6</sup> dicens: *Clarifica Filium tuum*, non solo nomine conte-

<sup>1</sup> Brevius in III, d. 10, c. 3 (76s). <sup>2</sup> Potius, ut notant Editores *Glossae Alex. Halensis* (III, 115 in fine), Augustini est, *Contra Secundinum*, c. 5: « Lege itaque Scripturas, nusquam invenies de Christo dictum quod adoptione sit Filius Dei » (PL 42, 581). <sup>3</sup> Cf. infra, III, d. 10, c. 2, n. 5 (76). <sup>4</sup> Haec verba citantur sine nomine in eodem capitulo, n. 2 (75, lin. 6); quod ante non advertimus. <sup>5</sup> *De Trinitate*, II, n. 3 (PL 10, 52 A-B). <sup>6</sup> *Ibid.*, III, n. 11 (82 A-B), uti infra in III, d. 10, c. 2 (76), et in Lib. I, d. 26, c. 5, n. 2 (I, 201).

status est se esse Filium, sed [et] proprietate. Nos filii Dei sumus, sed non talis hic Filius. Hic enim verus et proprius est Filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione ». — Idem: « Natura<sup>1</sup> Filius est, quia eandem naturam quam ille qui genuit habet ».

De hoc quoque Augustinus ait: « Nos<sup>2</sup> sumus filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sane ». — Idem: « Quod<sup>3</sup> Unigenitus est aequalis Patri, non est gratiae sed naturae; quod autem in unitate personae Unigeniti assumptus est homo, gratiae est, non naturae ».

.28.

Quaeri<sup>4</sup> solet a quibusdam an secundum quod homo Christus sit Deus vel Dei Filius.

Quod ita esse, ita probare conantur: Christus<sup>5</sup> secundum quod homo praedestinatus est, ut sit Dei Filius. Sed illud est quod ut sit praedestinatus est. Ergo quia [si *Sent.*] praedestinatus est secundum quod homo ut sit Filius Dei, et secundum quod homo est Filius Dei.

Ad quod respondemus, dicentes Christum esse id quod praedestinatus est ut sit; sed non est illud secundum id secundum quod praedestinatus est. Est enim praedestinatus ut sit Dei Filius. Et ipse utique vere est Dei Filius. Sed praedestinatus est ad hoc secundum quod homo, quia per gratiam hoc accepit secundum quod homo. Ipse tamen secundum quod homo non est illud, nisi forte « secundum » unitatis personae sit expressivum.

« Secundum »<sup>6</sup> enim aliquando conditionem humanae naturae vel divinae exprimit, aliquando unitatem personae. Conditionem naturae, ut cum dicitur: « secundum quod homo », id est in quantum homo, vel « secundum quod Deus », id est in quantum Deus. Unitatem personae exprimit, ut cum dicitur: « Christus secundum quod homo dimittit peccata », id est ipse homo qui est Christus vel persona ipsa quae est homo. Aliquando etiam « secundum » notat causam, ut cum dicitur « secundum divinitatem iudicabit », id est ex virtute divinitatis. — Hae distinctiones suis locis diligenter animadvertendae sunt.

<sup>1</sup> Lib. V, n. 37 (PL 10, 155 A); uti supra in Lib. I, d. 5, c. 3 (I, 88). <sup>2</sup> Auctoritas repetitur infra, Lib. III, d. 10, c. 2 (76). <sup>3</sup> *In Ioann.*, tr. 74, n. 3 (PL 35, 1828; CCL 36, 514); iam in Lib. I, d. 17, c. 5, n. 7 (I, 148, 1-3). <sup>4</sup> Cf. infra, III, d. 10, c. 1, n. 5 (74), ubi quaestio aliter adumbratur. <sup>5</sup> Repetitur in eadem dist. 10, c. 1, n. 5; ubi tamen Responsio retractatur (II, 74). <sup>6</sup> Variatur in *Sent.*, *ibid.*, n. 3 (73).



.29.

QUAESTIO \*. Quaeri<sup>1</sup> etiam solet utrum Christus secundum quod homo sit persona.

RESPONSIO \*. Ad quod dicimus: Si « secundum » causam vel conditionem naturae notat, secundum quod homo non est persona, quia ex eo quod homo vel in quantum homo est persona non est, quia, si ex eo quod homo est persona est, ergo vel tertia in Trinitate, vel alia; sed alia non est; ergo tertia in Trinitate; ergo Deus.

.30.

RATIO \*. Ideo<sup>2</sup> in quantum homo non dicitur persona, quia non est in quantum homo personali proprietate discretus a Patre et Spiritu Sancto, quia in quantum homo non est genitus a Patre vel Filius Patris. Filiatio autem proprietas est qua persona Filii ab aliis distinguitur. Sed si in quantum homo non est tertia persona in Trinitate, quomodo ergo supra<sup>3</sup> dixit Augustinus: « Qui suscepit et quod suscepit una est in Trinitate persona »? Haec enim auctoritas innuere videtur quod natura humana cum Verbo sit una persona in Trinitate. Quod si est, ergo natura humana cum Verbo est Deus. Ergo aliqua natura cum Verbo est Deus quae non semper fuit Deus. Ergo non tantum natura divina est Deus, sed et alia.

Quod<sup>4</sup> quia absurdum videtur et alia plurima quoque sequuntur inconvenientia, praedicta Augustini verba, et illis ubicumque inventa fuerint similia, hoc modo intelligenda nobis videntur: « Qui suscepit et quod suscepit una est in Trinitate persona », id est: ita Deus suscepit hominem quod eadem persona quae prius erat immutata permansit. Unio enim suscipientis et suscepti unitatem personae nec divisit nec variavit; et tunc factum est ut illa persona quae ante erat Deus, eadem homo esset.

Unde super Ioannem ait: « Quando<sup>5</sup> Verbum caro factum est, una persona facta est Verbum et homo », id est tunc factum est ut eadem esset Deus et homo.

<sup>1</sup> Infra, Lib. III, d. 10, c. 1, n. 1 (72); dein, *Responsio* elaboratur in nn. 3 et 5 (73, 74) ac praesertim in n. 2 (72). <sup>2</sup> Cf. *Responsio* in eadem dist. 10, c. 1, n. 5 (74).

<sup>3</sup> In num. 24, in fine. <sup>4</sup> Cf. Lib. III, d. 5, c. 3, n. 4 (48s); et d. 14, c. 2, n. 3 (92).

<sup>5</sup> Tract. 108, n. 5 (PL 35, 1916; CCL 36, 618).

.31.

Movet nos quoque quomodo supra dixit<sup>1</sup> Augustinus illum hominem assumptum a Verbo, cum ille sit persona et persona non sit assumpta.

AUGUSTINUS IN SERMONE DE FIDE \*. Alibi quoque expressius idem dicit quo magis movemur: « Si<sup>2</sup> quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum a Filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit ». Et ita videtur quod persona a persona sit assumpta, quod quia nefas<sup>3</sup> est dicere aut sentire, praedictarum auctoritatum verba sic intelligi sane possunt, ut homo Christus sive homo ille ideo dicatur assumptus a Verbo quia anima et caro eius, in quibus subsistit homo, sunt assumpta a Verbo, ut ad ipsius hominis Christi naturam respicias, non ad personam, cum assumptum dicis.

.32.

QUAESTIO \*. Item<sup>4</sup> quaeri solet utrum homo ille coepit esse vel semper fuerit, sicut simpliciter enuntiamus Christum vel Dei Filium semper fuisse nec coepisse.

AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM \*. De hoc Augustinus ita ait: « Habuit aliquando Dei Filius quod nondum habuit idem ipse homo filius, quia nondum erat homo ». — IDEM IN EODEM: « Sic nos electi, quomodo ipse clarificatus; quia priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse Mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus ». — AUGUSTINUS, SUPER PSALTERIUM \*. Item: « Christus noster, etsi forte homo recens est, tamen est aeternus Deus ». — Alibi autem legitur quod « puer ille creavit stellas », et ipse Christus ait: *Ego principium qui et loquor vobis*.

.33.

His<sup>5</sup> itaque auctoritatibus in nullo refragantes dicimus quod homo ille in quantum homo est esse coepit; in quantum est Verbum, semper fuit. In huiusmodi enim locutionibus sine adiectione determinationis nihil responderi convenit.

<sup>1</sup> In n. 30. <sup>2</sup> Revera est *Symbolum fidei* Concilii Toletani I, uti infra notatur in ipso textu (p. 48). <sup>3</sup> Ibid., in num. 4 (48). <sup>4</sup> Repetitur quasi ad verbum infra, Lib. III, d. 12, c. 1 (80), ubi et auctoritates. <sup>5</sup> In eodem cap., n. 3 (81).



AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM. Unde Augustinus: Pater «per<sup>1</sup> ipsum in quantum Verbum eius est, etiam quae futura sunt fecit»; sed «profecto secundum id quod homo est, ipsum pro nobis glorificavit».

Ipse ergo secundum quod homo *praedestinatus est*<sup>2</sup>; id est, sine meritis, sola gratia praelectus, non solum (AUGUSTINUS, DE PRAEDESTINATIONE SANCTORUM \*) «ut<sup>3</sup> esset caput nostrum» et (AUGUSTINUS, IN LIBRO DE BONO PERSEVERANTIAE \*) ut nec «originem<sup>4</sup> traheret nec voluntate perpetraret peccatum», et ut (AUGUSTINUS, SUPER IOANNEM \*) «ex<sup>5</sup> mortali natura» clarificaretur in immortalem, sed ut etiam esset Filius Dei in<sup>2</sup> virtute, id est in eadem potentia cum Patre. — AUGUSTINUS, IN EPISTOLAM AD ROMANOS\*: Et quod ipse<sup>7</sup> sit Filius Dei, potest videri ex hoc, quia conceptus est et natus *secundum*<sup>8</sup> Spiritum sanctificationis, id est quia ex<sup>9</sup> Spiritu Sancto conceptus est.

.34.

HAYMO\*: «Considera<sup>10</sup> vero quod non fuit ei Spiritus Sanctus pro semine, nec dicimus illum patrem esse hominis Christi, ne dicantur duo esse patres. Sed de Spiritu Sancto conceptus dicitur ideo quia operatione Spiritus Sancti» per quem omnia sanctificatur et (AUGUSTINUS \*) «Dei<sup>11</sup> munere facta est illa conceptio».

<sup>1</sup> In Ioannem, tr. 105, n. 7: «Sed ille qui per ipsum in quantum Verbum eius est, etiam quae futura sunt fecit, et vocat ea quae non sunt, tanquam sint» [Rom. 4, 17] (PL 35, 1907; CCL 36, 607); innuitur in num. 3 eiusdem cap. (81). <sup>2</sup> Resp. Rom. 1, 4: qui *praedestinatus est Filius Dei in virtute secundum Spiritum sanctificationis ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri*. <sup>3</sup> Cap. 3, n. 31 (PL 44, 983); cf. etiam supra, sub n. 24. <sup>4</sup> De dono perseverantiae, c. 24, n. 67 (PL 45, 1034). <sup>5</sup> Tract. 105, n. 7 (PL 35, 1907; CCL 36, 607). <sup>6</sup> Rom. 1, 4. <sup>7</sup> Epistolae ad Romanos inchoata expositio, n. 5 (PL 35, 2090s; CSEL 84, 150). <sup>8</sup> Rom. 1, 4. <sup>9</sup> Ad haec verba nomen Ambrosius invenitur in margine; cf. Lib. III, d. 4, c. 2, n. 5 (infra, 40). <sup>10</sup> Haymo Altissiodorensis (sub nomine Halberstadtensis), In Epist. ad Romanos, 1, 4: «Considerandum est autem quia non fuit ei Spiritus Sanctus pro semine, nec dicimus illum patrem esse humanitatis, ne dicantur duo esse patres, quod omnino nefas est dicere... Ita ergo et ille homo assumptus a Verbo, de Spiritu Sancto conceptus, id est opere Spiritus Sancti formatus est, sed tamen non est filius Spiritus Sancti» (PL 117, 367 A-B). <sup>11</sup> Non invenimus, nisi fortasse se referat ad verba Gennadii (sub nomine Augustini): «Deus hominem assumpsit, homo in Deum transivit, non naturae versibilitate, sed Dei dignatione...» (infra, p. 66, 17-18); cf. tamen De praedestinatione sanctorum, c. 15, n. 30: «Nonne de Spiritu Sancto et Virgine Maria Dei Filius unicus natus est, non carnis cupidine, sed singulari Dei munere?» (PL 44, 982).

.35.

HAYMO\*: Probatur etiam esse Filius Dei *ex resurrectione mortuorum Iesu Christi Domini nostri*, id est suorum, id est quia mortuos «secum<sup>1</sup> fecit resurgere», qui fuerunt eius quia «ad se pertinebant», secundum illud: *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt cum eo*.

AUGUSTINUS, EX TRACTATU PSALMI LXVII\*. Et nota quod proprium nomen posuit pro pronomine, more hebraico, quae «locutio<sup>2</sup> in Scripturis est usitatissima», et «in veteribus praecipue libris creberrima, ut: *Fecit Moyses sicut praecepit Dominus Moysi*».

.II.

DE CORPORE CHRISTI<sup>3</sup>

Et quia de corpore Domini plenior hic tractatus occurrit, breviter quae de Sacramento corporis et sanguinis scienda sunt, videamus.

1. Itaque Dominus noster Iesus Christus de hoc mundo ad invisibilia paternae maiestatis transiturus, celebrato sacramento veteris Paschae, post typicum agnum, in ultimo corpus suum et sanguinem in specie panis et vini tradidit discipulis<sup>4</sup>.

2. Ubi diligenter advertendum est: (1) quare post typici agni sacramentum, sui corporis sacramentum et sanguinis dedit apostolis; (2) et quare sub alia specie; (3) et cum sub alia, quare potius sub ista; (4) et cum ista, quare sub duplici. Deinde, (5) quare aqua admisceatur; post, (6) quid a bonis et quid a malis sumatur; deinde, (7) quae ibi videntur esse vel fieri, utrum vere sint vel non.

<sup>1</sup> Haymo, ibidem: «Digna autem consideratione animadvertendum est, quia non dixit Apostolus absolute: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute ex resurrectione mortuorum*, sed adhuc addidit aliquid, dicens *ex resurrectione mortuorum Iesu Christi*, hoc est tantummodo electorum ad se pertinentium; simulque nobis demonstratur quia sicut suam resurrectionem procuravit, ita quoque multorum mortuorum corpora et animas pariter resuscitavit secum, tam illorum de quibus dicitur: *Multa corpora sanctorum qui dormierant surrexerunt* [Matth. 27, 52], quam etiam omnium electorum» (PL 117, 367 D - 368 A). Citatur Rom. 1, 4. <sup>2</sup> Enarrat. in Ps. 67, 12-13: *Quis ergo dabit verbum evangelizantibus virtute multa? Rex virtutum Dilecti* (PL 36, 820; CCL 39, 877s). <sup>3</sup> Tractatus invenitur in Glossa in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1641 C - 1647 D); uti hic editur, ex cod. x, ff. 101ss, et cod. z, ff. 61a ss.; titulus ex cod. z. <sup>4</sup> Cf. infra, lib. IV, dist. 8, c. 3 (281).



I. Quare post alia dedit <sup>1</sup>.

3. Sciendum ergo ideo post vetus Pascha Dominum corpus et sanguinem suum dedisse discipulis, ut ostenderet Veteris Legis sacramenta cessatura; inter quae praecipuum erat agni paschalis sacramentum; et Novae Legis sacramenta substituenda, inter quae excellit dominici corporis sacramentum. Ideoque etiam post alia dedit, ut memoriae discipulorum tenacius infingeretur et ab Ecclesia deinceps frequentaretur.

II. Quare sub alia specie <sup>2</sup>.

4. Sub alia vero specie ideo tradidit et a fidelibus sumendum deinceps instituit, ut fides haberet meritum quae non est de his videntur, quia «fides non habet meritum cui humana ratio praebet experimentum». — Et ne abhorreret oculus quod teneret manus, et ne ab incredulis nobis insultaretur.

III. Quare in hac et non in alia specie tradidit <sup>3</sup>.

5. In hac autem specie tradidit quia res huius speciei expressam habet similitudinem cum utraque re huius sacramenti, contenta scilicet et significata, et significata et non contenta.

6. Res contenta et significata est caro Christi quam de Virgine traxit, et sanguis quem pro nobis fudit. Res autem significata et non contenta est unitas Ecclesiae in praedestinatis, vocatis, iustificatis, et glorificatis. Haec est duplex caro Christi.

7. HIERONYMUS \*. Unde Hieronymus ait: «Dupliciter intelligitur caro Christi: vel illa quae crucifixa est et sepulta, vel illa spiritualis et divina, de qua ipse dicit: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*». — Et item: *Qui manducat meam carnem, in me manet et ego in eo*; etc.

8. Sunt itaque tria in hoc Sacramento consideranda: unum quod tantum est sacramentum; alterum quod est sacramentum et res; et tertium quod est res et non sacramentum. Sacramentum et non res est species visibilis panis vel vini. Sacramentum et res, caro Christi propria et sanguis.

<sup>1</sup> Ibid., c. 5, n. 1, et nota 1 (283). <sup>2</sup> Dist. 11, c. 3 (299s). <sup>3</sup> Cf. Dist. 8, c. 7 (284s); ubi et verba Hieronymi in n. 2 (285); nn. 8-10 = n. 2 (285); auctoritas in fine, in n. 4 (286).

Res et non sacramentum est mystica caro Christi. Porro species illa visibilis sacramentum est geminae rei, contentae scilicet et significatae.

9. QUID SIT SACRAMENTUM \*. Sacramentum vero est sacrae rei signum, et species illa utramque rem signat et utriusque rei gerit expressam similitudinem. Nam sicut panis prae ceteris cibis corpus reficit et sustentat, et vinum hominem laetificat atque inebriat, sic caro Christi interiori hominem magis ceteris gratiis spiritualiter reficit et saginat, quem et sanguis Christi spiritualiter laetificat, et sic inebriat ut sobrium reddat. Unde: *Calix<sup>1</sup> tuus inebrians, quam praeclaris est!*

10. Habet etiam similitudinem cum re significata tantum, quae est unitas fidelium: quia sicut ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in unum confluit, sic ex multis fidelium personis unitas Ecclesiae constat. Cuius etiam sacramentum est corpus Christi proprium quod de Virgine sumpsit; quia sicut corpus Christi ex multis membris puris et ab omni macula peccati immunibus constat, ita et unitas ecclesiastica ex multis personis mundis et immaculatis consistit. In cuius rei typo facta est arca Domini de lignis setim, quae sunt imputribilia et albae spinae similia. — Ecce quare in hac specie dedit.

IV. Quare in duplici specie <sup>2</sup>.

11. Cum autem totus Christus sub specie panis, totus sub specie vini, sumatur, cur non in una, sed in duabus dedit? Ideo, ut ostenderetur Christus totam humanam naturam, id est animam et corpus, assumpsisse ut utrumque redimeret. Panis enim ad corpus refertur, vinum ad animam, quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animae a physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur hoc sacramentum, ut animae et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis significetur.

V. Quare aqua apponitur <sup>3</sup>.

12. Ideo vero apponitur aqua, ut ostendatur nostra redemptio facta per Christi passionem, et eius passio procurata pro nostra dilectione. Aqua enim genus humanum significat. Unde in Apocalypsi: *Aquae quas vidisti, populi sunt et gentes*, quorum salus non posset esse sine Domini

<sup>1</sup> Ps. 22, 5. <sup>2</sup> Repetitur in Dist. 11, c. 4 n. 1 (300). <sup>3</sup> Ibid., c. 5 (301s), ubi tamen non repetitur versus Apoc. 17, 15 (cf. nota 1, p. 302).



passione, nec Domini passio sine populi dilectione. Nisi enim nos diligeret, pro nobis morti se non traderet.

#### VI. Quid a bonis et quid a malis sumatur.

13. Post haec videndum est utrum a bonis et malis corpus Christi et sanguis sumatur.

14. Verumtamen<sup>1</sup> ante hoc ostendi oportet verum corpus Christi esse in altari, quod a quibusdam incredulis esse negatur; quos et ipsa Veritas confutat, dicens: *Accipite: hoc est corpus meum*; et Sanctorum auctoritates in medium deductae.

15. AMBROSIUS, DE SACRAMENTIS \*. Ait enim Ambrosius<sup>2</sup>: «Antequam consecretur, panis est et vinum; ubi autem verba Christi operata fuerint, corpus et sanguis Christi efficitur». — Item: «Sermo Christi qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt mutare in id quod non erant?»

16. EUSEBIUS EMISENUS \*. Item Eusebius: «Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat».

17. GREGORIUS IN DIALOGORUM LIBRO IV \*. Item: «Est quidem etiam in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro et verus sanguis, sed essentia, non salubri efficacia».

18. AUGUSTINUS, DE VERBIS EVANGELII \*. Item: «Multi [indigni] accipiunt corpus Domini indigne, de quibus ait Apostolus: *Qui manducat et bibit calicem Domini indigne, iudicium sibi manducat et bibit*». «Per quod docemur quam sit cavendum male accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum, sicut econtra Apostolo factum est bonum cum bene accipitur malum, id est dum stimulus Satanae ei datur et patienter portatur». — Ecce ex his Sanctorum testimoniis liquet verum Christi corpus esse in altari, et non modo a bonis, verum etiam a malis sumi.

19. OPPOSITIO CONTRA \*. His<sup>3</sup> autem quaedam videntur repugnare quae silentio praetereunda non sunt.

20. AUGUSTINUS \*. Ait enim Augustinus: «Bonus accipit sa-

<sup>1</sup> Cf. Dist. 10, c. 1-2 (290ss), ubi ope *Decreti* Gratiani auctoritates rectificuntur et multiplicuntur. <sup>2</sup> Vide Dist. 10, c. 2, n. 6 (295); illa Eusebii, *ibid.*, n. 8 (296); verba Gregorii, in Dist. 9, c. 2, n. 2 (288); ubi sequuntur illae Augustini. <sup>3</sup> Cf. Dist. 9, c. 3 (289s), ubi repetuntur nn. 20-21.

cramentum et rem sacramenti; malus vero sacramentum et non rem». — Ad quod dicimus sacramentum hic appellari corpus Domini de Virgine sumptum; rem autem, spiritualem carnem Christi quae est unitas fidelium. Bonus ergo accipit sacramentum, id est carnem Christi propriam et sanguinem, et rem, id est unitatem fidelium et gratiae augmentum; malus vero accipit sacramentum, id est corpus Christi sub sacramento, et non rem, id est unitatem Ecclesiae. Et est: bonus manducat spiritualiter et sacramentaliter; malus vero sacramentaliter tantum. — AUGUSTINUS \*. Item: «Non manducans manducat, et manducans non manducat, id est non manducans sacramentaliter, manducat spiritualiter; et manducans sacramentaliter, non manducat spiritualiter».

21. Ad quod videtur illa Collecta pertinere: «Perficiant in nobis, Domine, quaesumus, tua sacramenta quae continent, ut quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus»; id est, per haec sacramenta praesta, ut sicut sub specie sacramentali carnem Christi sumimus, ita rei veritate, id est spiritualiter, carnem Christi sumamus. Vel aliter: «Perficiant in nobis etc.», id est per haec sacramenta praesta nobis, ut qui Christum sub sacramento videmus et sumimus, eundem in futuro facie ad faciem, sicut est, videamus.

22. Illud<sup>1</sup> quoque veritati huic contraire videtur quod Veritas dixit: «Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent, sed sacramentum aliquod commendavi vobis». Ex his verbis calumniatores veritatis audaciam sumunt oblatrandi nobis, quibus ne amodo errare liceat, illud involutum evolvimus.

23. *Solutio* \*: «Non hoc corpus etc.», id est non in hac specie manducaturi estis, sed in sacramento; non morsibus discerptum et laceratum, ut putatis, sed integrum et illaesum.

#### VII. Quae sit illa conversio.

24. Cum<sup>2</sup> autem panis vel vinum a Sanctis dicatur, et a cunctis fidelibus credatur, transire in substantiam corporis et sanguinis, quae sit illa conversio, an formalis an substantialis, quaeri solet.

25. Quod autem formalis non sit, manifestum est, quia forma panis et vini remanet. Utrum vero sit substantialis, perspicuum non est. Quidam enim dicunt sic substantiam in substantiam transire vel converti, ut haec

<sup>1</sup> Num. 22-23, in Dist. 10, c. 1, nn. 2 et 4 (291s). <sup>2</sup> Cf. Dist. 11, c. 1 (296).



fiat illa, nec illa augetur, nec concedunt quod haec esse illa vere dici possit. Alii autem dicunt hanc in illam transire vel converti, quia sub illis accidentibus sub quibus prius erat substantia panis et vini, post consecrationem est substantia corporis et sanguinis, quibus tamen ipsum corpus non afficitur.

26. Nos <sup>1</sup> autem incerta relinquentes, quod ex auctoritatibus certum est profiteamur, scilicet substantiam panis et vini in substantiam corporis et sanguinis dominici converti, modum vero conversionis ignorare non erubescimus fateri. De priori autem substantia quaedam remanent, scilicet color, sapor, forma, pondus, quae prioris substantiae accidentia fuerunt, quae nec ipsum Christi corpus afficiunt, nec in eo fundantur. Si vero quaeritur ubi fundentur, dicimus nobis potius videri quod sint sine subiecto quam in subiecto.

[VIII.] De fractione.

27. De fractione <sup>2</sup> etiam illa quaeri solet quae ibi fieri videtur, cuius rei vel in qua re sit; cumque non sit ibi alia substantia quam corpus Christi, si in aliqua substantia est, in ipso corpore esse videtur. Sed contra: cum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale est et impassibile, in ipso non posse esse videtur. Unde et Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant Christi carnem sicut aliam in partes esse dividendam et morsibus lacerandam. Ideo plures dicunt quod non est ibi fractio, sed videtur tantum.

28. AMBROSIIUS \*. Quibus obicitur quod ait Ambrosius: « Nihil falsum putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum praestigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est ». Ad quod illi dicunt <sup>3</sup>: Non fallit nos visus nec fallitur; quod esset, si crederetur sic frangi, ut videtur. Nec illusio est, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem sic fit.

29. Alii dicunt quod ibi fit fractio, non quidem in corpore, sed in ipsa forma panis sacramentali. Quod videtur Apostolus velle dicens: *Panis quem frangimus*. Item Augustinus: « Quando Christus manducatur, vita manducatur; nec quando manducamus, partes de illo facimus, et quidem in sacramento sic fit ». Item: « Unusquisque partem suam accipit; per partes manducatur, et manet integer ». Ecce ex his patet quod in-

<sup>1</sup> Cf. Dist. 11, c. 2, n. 1 (296); et n. 10 (299); necnon et Dist. 12, c. 1 (304).  
<sup>2</sup> Dist. 12, c. 2, nn. 1-2 (304s), ubi et auctoritas Ambrosio attributa in n. 28. <sup>3</sup> Cf. Dist. 12, c. 3, nn. 2-4 (305s), ubi et auctoritates Augustini.

tegrum et incorruptum corpus Christi manducatur; et si fractio vel partitio ibi est, non in ipso est, sed in sacramento esse videtur.

30. Alii <sup>1</sup> dicunt quod ibi fit fractio, et nullius rei, quia nihil ibi frangitur. Sicut enim sunt ibi accidentia sine subiecto, sic mirabiliter potest ibi esse fractio in accidenti, et sine omni re quae frangitur. Magnum est enim et inscrutabile istud mysterium. Unde Ambrosius <sup>2</sup>: « Quid quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturae ordinem sit ipse Domini partus ex Virgine? » Credere iubemur, discutere non permittimur.

[IX.] An sint duo sacramenta.

31. Sciendum <sup>3</sup> etiam quod licet diversae sint ibi species, panis et vini, non tamen duo sacramenta dici debent, sed unum, quia sub utraque specie idem sumitur. Sciendum etiam quod in prolatione illorum verborum: *Hoc est corpus meum*, et: *Hic est calix*, mysterium consumatur, et panis in corpus Christi convertitur.

[X.] Quale dederit.

32. Solet <sup>4</sup> etiam quaeri quale dederit apostolis. Dicimus quale tunc erat, id est passibile et mortale.

[XI.] De substantia panis quid fiat.

33. Praeterea <sup>5</sup> quaeri solet, si non est ibi substantialis conversio, ut quibusdam placet, sed quodam locutionis tropo dicatur transire vel converti hoc in illud, eo scilicet quod sub illis accidentibus sumatur sub quibus erat substantia panis et vini, quid de ipsa substantia panis vel vini factum sit. Ad quod illi respondent vel in praeiacentem materiam resolutam, vel in nihilum redactam, quod potest ille facere qui de nihilo cuncta creavit.

<sup>1</sup> Dist. 12, c. 2, n. 3 (305). <sup>2</sup> Dist. 10, c. 2, n. 4 (295, 1-3). <sup>3</sup> Dist. 8, cc. 6-7 (284ss), ubi haec quaestio non repetitur nisi sub quaestione de sacramento et re.  
<sup>4</sup> Cf. Dist. 11, c. 6, n. 1 (303). <sup>5</sup> Cf. tractatulus de natura conversionis in Dist. 10, c. 1-2 (290-96) et praesertim Dist. 11, c. 1-2 (297ss).



## [XII.] Si aqua non ponatur.

34. Solet etiam quaeri<sup>1</sup> si aqua oblivione vel negligentia non apponatur, an irritum sit. Quod cum de auctoritate nobis certum non sit, sine assertione quod nobis videtur, dicimus. Quod si non animo introducendi haeresim, sed oblivione praetermittitur, non ideo minus conficitur. Verumtamen graviter puniendum est. Nec Graeci aquam addunt.

35. Illud<sup>2</sup> etiam sciendum quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus? quid manducat? Forte vel nihil, vel substantiam panis sub speciem suam reductam.

## [XIII. Quid partes illae significant.]

36. Post<sup>3</sup> haec quid partes illae quae ibi videntur fieri significant, videamus. — SERGIUS PAPA\*: « Triforme est corpus Christi: pars oblatae in calicem missa corpus Christi quod iam resurrexit, monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad finem remanens Missae, corpora Sanctorum usque in finem saeculi in sepulcris iacentia ».

## .III.

TRACTATUS DE CONIUGIO<sup>4</sup>

1. Hic<sup>5</sup> dicendum est breviter (1) quid sit coniugium, et (2) quae sit efficiens causa coniugii, et (3) causa propter quam contrahi debeat, et (4) quae sint legitima personae ad contrahendum matrimonium, et (5) quae sint bona coniugii quibus excusatur carnalis coitus.

## I.

2. Coniugium<sup>6</sup> itaque, sive matrimonium, est maritalis coniunctio maris et feminae inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem

<sup>1</sup> Cf. Dist. 11, c. 5, n. 2 (302). <sup>2</sup> Cf. Dist. 13, c. 1, n. 8 (314). <sup>3</sup> Cf. Dist. 12, c. 4, n. 1 (307); ubi in nota 3 legendum sit (quoad nomen Sergii): 1153 B, non 1553 B. <sup>4</sup> Ex Glossa in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1585 D - 1587 B), ope codicum: x (ff. 84d-85a) et z (f. 51c-d). <sup>5</sup> Fons erit Sent., IV, d. 27, c. 1: Quae sunt consideranda in coniugio (421s). <sup>6</sup> Ibid., c. 2 (422); cf. etiam Heinrich J. F. Reinhardt, Die Ehelehre der Schule des Anselm von Laon (Münster 1974), 167, ubi quasi iidem articuli annuntiantur ut in n. 1,

retinens. Hac<sup>1</sup> autem descriptione matrimonium fidelium ac legitimorum tantum includitur.

3. Et est bona res coniugium<sup>2</sup>. Est enim unum de sacramentis Ecclesiae, tenens imaginem coniunctionis Christi et Ecclesiae<sup>3</sup>, sicut Apostolus ait: *Hoc autem dico magnum sacramentum esse in Christo et in Ecclesia*. — Constat<sup>4</sup> itaque rem bonam esse coniugium; quod quidam haeretici negant, nuptias detestantes quas Christus approbans nuptiis interfuit et eas miraculo commendavit<sup>5</sup>. Hoc etiam propter hoc apparet, quia primum coniugium inter primos parentes instituit. Apostolus etiam ait: *Virgo non peccat si nubat*.

## II.

4. Matrimonium<sup>6</sup> autem efficiens causa est consensus maritalis de praesenti per verba expressus, secundum illud Nicolai papae: « Sufficit<sup>7</sup> solus secundum legem eorum consensus de quorum coniunctionibus agitur. Qui si solus in nuptiis defuerit, cetera, etiam cum ipso coitu celebrata, frustrantur ». — IOANNES CHRYSOSTOMUS\*. Unde est etiam illud<sup>8</sup>: « Matrimonium non facit coitus, sed voluntas ». — AMBROSIVS\*. Hinc etiam illud<sup>9</sup>: « Non defloratio virginitatis, sed pactio coniugalis matrimonium facit ».

## III.

5. Causa<sup>10</sup> vero propter quam debet contrahi, est procreatio prolis et vitatio fornicationis. — Sunt<sup>11</sup> et aliae honestae causae, ut inimicorum reconciliatio, et pacis redintegratio, et huiusmodi.

in tractatu *De matrimonio Magistri A.* Hic autem fons videtur esse Hugo S. Victoris, *De sacramentis* II, 11, 4 (PL 176, 485 C).

<sup>1</sup> Cf. etiam H. Zeimentz, *Ehe nach der Lehre der Frühscholastik* (Düsseldorf 1973), 136ss. <sup>2</sup> Idem titulus in *Summa sententiarum* VII, c. 2 (PL 176, 155 C); hic numerus fons est Sent., IV, d. 26, c. 5 (419). <sup>3</sup> Ephes. 5, 32; Sent., ibid., c. 6 (419s). <sup>4</sup> Trahitur ex *Summa sent.* VII, c. 2 (155 C). <sup>5</sup> Ioan. 2, 1ss; dein Gen. 1, 26ss; sequitur I Cor. 7, 28; unde in eodem cap. 5 Dist. 26 (uti supra). <sup>6</sup> Fons, unde etiam illud Nicolai papae, *Summa sent.* VII, c. 6 (158 C-D). <sup>7</sup> Cf. Sent. IV, d. 27, c. 3, n. 2 (423). <sup>8</sup> Ibid. <sup>9</sup> Ibid. <sup>10</sup> Fons in *Summa sent.* VII, 1 (PL 176, 154 D - 155 A); repetitur in Sent., IV, Dist. 30, c. 3, n. 2 (441). <sup>11</sup> Ex eadem *Summa* (155 A); unde in eodem numero *Sententiarum*.



## IV.

6. Personae<sup>1</sup> autem legitimae ad matrimonium sunt iuxta institutionem Ecclesiae. Aliae namque fuere legitimae in exordio nostrae originis et ante legem Moysi; aliae, sub lege; aliae, in tempore gratiae. Item: in primitiva Ecclesia quaedam erant legitimae quae modo non sunt. Et earum quae modo legitimae sunt vel illegitimae, quaedam sunt plene legitimae, quaedam omnino illegitimae, quaedam neutrae<sup>2</sup>. — Plene legitimae sunt quas non impedit votum continentiae, vel ordo, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturae frigiditas. — Omnino autem illegitimae sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. — Neutrae vero, id est nec omnino legitimae nec plene illegitimae, sunt per frigiditatem vel conditionem. Si enim tales nescienter coniuncti fuerint, possunt permanere quibusdam causis accedentibus, et eisdem deficientibus dividi.

## V.

7. Augustinus<sup>3</sup>. Bona vero tria sunt, scilicet fides, proles, sacramentum. Fides, ne cum alio vel alia coeatur<sup>4</sup>; proles, ut religiose educetur<sup>5</sup>; sacramentum, ut coniugium non<sup>6</sup> separetur.

8. Separatio<sup>7</sup> autem gemina est, corporalis scilicet et sacramentalis. Corporaliter vero non debent separari nisi ex communi consensu, quod interdum fit causa religionis. Sacramentaliter vero separari nequeunt dum vivunt, si plene legitimae sint personae [et matrimonium fiat consummatum<sup>8</sup>].

9. Et<sup>9</sup> attende quod tertium bonum coniugii dicitur « sacramentum », non ideo quia sit ipsum coniugium, sed quia eiusdem rei [sacrae<sup>10</sup>] signum est, id est spiritualis et inseparabilis coniunctionis Christi et Ecclesiae.

10. His<sup>11</sup> tribus bonis excusatur coitus carnalis qui est inter coniuges, ita ut vel non sit peccatum vel sit veniale. Quando<sup>12</sup> enim causa prolis tantum conveniunt, sic excusatur ut non sit peccatum. Quando vero

<sup>1</sup> Uti iacet, ex fonte ignoto; repetitur in c. 1 Dist. 34 (462s). <sup>2</sup> Loco neutrae, legitur mediae in *Sent.* (463), necnon et *Medii* parum infra. <sup>3</sup> Fons: *Summa sent.* VII, c. 4 (PL 176, 157 A-B); repetitur infra, IV, dist. 31, c. 1 (442). <sup>4</sup> coeatur *Lomb.*, concubatur *Summa sent.* <sup>5</sup> doceatur, *Summa sent.* <sup>6</sup> ut... non] ne *cod. x.* <sup>7</sup> Cf. infra, IV, dist. 31, c. 2, n. 1 (442s); ex fonte ignoto. <sup>8</sup> add. marg. x<sup>2</sup>. <sup>9</sup> Num. 9 ex *Summa sent.* VII, c. 4 (PL 176, 157 B); repetitur infra, IV, d. 31, c. 2, n. 3 (443). <sup>10</sup> sacrae, *Summa sent.* (157 B). <sup>11</sup> Cf. infra, Lib. IV, d. 31, c. 5, n. 1 (446); fontem non invenimus. <sup>12</sup> Quodammodo ex *Summa sent.* IV, c. 3 (156 C).

causa concupiscentiae satiandae et refrenandae, veniale est. — Unde Augustinus, *De bono coniugali*<sup>1</sup>: « Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiae vero satiandae, sed tamen cum coniuge, habet culpam, propter thori fidem venialem ». — Item<sup>2</sup>: « Hoc quod coniugati, victi concupiscentia, utuntur invicem ultra necessitatem liberos procurandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus: *Dimitte nobis debita nostra*<sup>3</sup>, etc. ».

11. Ubi autem haec bona non sunt, nullam habet coitus excusationem. Unde dicitur<sup>4</sup>: « Omnis vehemens amator propriae uxoris, adulter est ». — Contingit autem saepe contrahi coniugium in quo haec bona non reperiuntur, quia nec fides servatur, nec proles religiose educatur.

Haec de his sufficiant.

<sup>1</sup> Uti hic, ex *Summa sent.* IV, c. 3 (156 C); ex Augustino, infra, Dist. 31, c. 5, n. 1 (446). <sup>2</sup> Iterum ex *Summa sent.* (156 A); infra, 446s. <sup>3</sup> Matth. 6, 13; Luc. 11, 4. <sup>4</sup> Cf. infra, p. 447, lin. 4-5.

## CORRIGENDA IN TOMO I

*Sent.* I, d. 32, c. 2, n. 1: ad: « in libro Sapientiae dicitur thronus sapientiae anima iusti » (I, 265, 13-14). Cf. Augustinus, *Enarr. in Ps. XLVI*, 9, n. 10: « Et quid dicit Scriptura de ipsa Sapientia? Anima iusti, sedes sapientiae. Si ergo anima iusti sedes est sapientiae, sit anima tua iusta, et eris regalis sella sapientiae » (PL 36, 530; CCL 38, 535); *Sermo 200*, in Epiphania Domini II, n. 1: « Cur enim non agnoscamus eos [Apostolos, scilicet] caelos, qui facti sunt sedes Dei? sicut scriptum est: *Anima iusti, sedes sapientiae* » (PL 38, 1029); necnon et pseudo-Augustinus, *De essentia divinitatis* (PL 42, 1204). Ita etiam Gregorius Magnus, *Homil. in Evangelia* II, hom. 38, n. 2: « Salomon ait: *Anima iusti sedes est sapientiae* (PL 76, 1282 D); et *Moral.*, XXIX, c. 28, n. 55 (PL 76, 508 B). Cf. J. Denk, *Wo steht anima iusti sedes sapientiae?*, in *Theologie und Glaube* IX (1917), 648s; J. Leclercq, *Recueil d'études sur S. Bernard et ses écrits*, I, Romae 1962, 308s. (In parte ex communicatione B. Schmidt, Bonn).



SIGLA ET ABBREVIATIONES  
in editione textus adhibita

.I.

- AHDLMA = Archives d'histoire doctrinale et littéraire du Moyen Age (Paris, 1926ss).
- BGPTMA = Beiträge zur Geschichte der Philosophie und Theologie des Mittelalters (Münster, 1892ss).
- CCL = Corpus Christianorum Latinorum (Turnhout, 1953ss).
- CCL-CM = Corpus Christ. Latin., Continuatio Mediaevalis (Turnhout, 1971).
- Clavis = Clavis Patrum Latinorum<sup>2</sup> (Steenbrugis, 1951).
- CSEL = Corpus Scriptorum Ecclesiasticorum Latinorum (Viennae 1866ss).
- DHGE = Dictionnaire d'Histoire et de Géographie ecclésiastiques (Paris, 1912ss).
- DS = Denzinger H., et Schönmetzer, A., Enchiridion Symbolorum ed. XXXII (1963).
- DSpirit. = Dictionnaire de Spiritualité ascétique et mystique (Paris, 1937ss).
- DThC = Dictionnaire de Théologie Catholique (Paris, 1909-1972).
- Florus = Expositio epistolarum b. Pauli, inter opera Ven. Bedae VI, Coloniae Agrippinae 1688.
- GCS = Die Griechische christliche Schriftsteller der ersten drei Jahrhunderte (Berlin-Leipzig, 1897ss).
- Jaffé = Regesta Pontificum Romanorum ab condita Ecclesia ad annum Chr. natum 1698 (Berlin, 1851); ed. 2, S. Löwenfeld et al. (Leipzig 1885-88).
- LThK<sup>2</sup> = Lexikon für Theologie und Kirche<sup>2</sup> (Freiburg 1957-1967).



Mansi	= Mansi, I., Ss. Conciliorum nova et amplissima collectio (Florentiae 1751-1798; Parisiis 1899-1927).
MGH	= Monumenta Germaniae historica, Sectio Epistolarum Pontif. Rom. (Berolini, 1883ss).
MS	= Mediaeval Studies (Toronto 1938ss).
PG	= Patrologia graeca, ed. J. P. Migne (Parisiis 1857-1886).
PL	= Patrologia latina, ed. J. P. Migne (Parisiis 1844-1864).
PLS	= Patrologiae latinae supplementum, ed. A. Hamman et alii (Parisiis 1958-1974).
Potthast, A.	= Regesta Pontificum Romanorum inde ab anno post Christum natum 1198 ad a. 1304, 2 vol. (Berolini 1874-75).
RB	= Repertorium Biblicum medii aevi (Matriti 1950-1980).
RHE	= Revue d'histoire ecclésiastique (Louvain 1900ss).
RTAM	= Recherches de théologie ancienne et médiévale (Louvain 1929ss).
SC	= Sources Chrétiennes (Parisiis 1941ss).
SSL	= Spicilegium Sacrum Lovaniense (Leuven 1922ss).
ZkTh	= Zeitschrift für katholische Theologie (Innsbruck 1877ss).

## II.

a	= recto col. 1.	f., ff.	= folium, folia.
abbrev.	= abbreviat(ur).	h. l. (in)	= (in) hunc locum S. Script.
add.	= addit, addunt.	hom.	= homoioteleuton.
b	= recto col. 2.	inauth.	= inauthenticus.
c	= verso col. 1.	interl.	= interlinearis; additur inter lineas.
c., cap.	= capitulum.	lac.	= lacuna.
cc., capp.	= capitula.	lib.	= liber.
cf.	= confer(atur).	lin.	= linea.
cod(d).	= codex, codices.	mg., marg.	= in margine, margi- nalis
col.	= columna.	ms., mss.	= codex, codices manu- scripti.
corr.	= corrigit, corrigunt.	n., num.	= numerus.
d	= verso col. 2.	nn.	= numeri.
d., Dist.	= distinctio.		
del.	= delet.		
ed.	= editio, editor.		
exp.	= expungit.		

not.	= nota.	rep.	= repetit.
om.	= omittit, omittunt.	resp.	= respicit(ur).
opp.	= opera.	rubr.	= rubrica.
p.	= post.	suppl.	= suppletur, supplendum.
p., pp.	= pagina(e); pars.	trp.	= trasponit, transponunt.
praem.	= praemittit.	v	= verso.
ps.-	= pseudo-.	v.	= vide; versus.
q.	= quaestio.		
r	= recto.		



INDICES PROLEGOMENORUM

I. Bibliothecae et Manuscripta.

II. Auctores et Materia.



I. — BIBLIOTHECAE ET CODICES MANUSCRIPTI

- Abrincensi (Avranches), Bibl. Civit., cod. 36: 28, 30.
- Admontensi (Steiermark), Bibl. OSB, cod. 767: 18, n. 1.
- Bambergae, Bibl. Status, cod. *Biblic. 103*: 26; *Patr. 128*: 10, n. 3; 41, n. 5.
- Bernae, Bibl. Civit., cod. *A 94*: 27.
- Bruxellis, Bibl. Regia, cod. *1485-1501 (cat. 214)*: 25.
- Divioduni (Dijon), Bibl. Civit., cod. 79: 11, n. 3.
- Dunelmensi (Durham), Bibl. ecclesiae Cathedralis [seu Capituli], cod. *A 1 9*: 25 (n. 6); 26 (n. 4).
- Monachii, Bayrische Staatsbibl., Clm 2627: 26, 27.
- Neapoli, Bibl. Naz., cod. *VII C 14*: 43.
- Oxoniae, Bibl. Bodleiana, cod. *Laud. misc. 297*: 42.
- Oxoniae, Bibl. Exodiensis (Exeter), cod. 23: 47.
- Oxoniae, Bibl. Mertonensis, cod. 212: 44.
- Paduae, Bibl. Antoniana, cod. 343: 35.
- Parisius, Archiv. Nat., cod. *LL 76 n° 15*: 8 (in nota 3).
- Parisius, Bibl. Arsenal, cod. 4629: 23 (in nota 3).
- Parisius, Bibl. Nat., cod. lat. 505: 47. — Cod. lat. 649: 53. — Cod. lat. 2579: 56. — Cod. lat. 3535: 27. — Cod. lat. 12415 (S. Germani 381): 34. — Cod. lat. 12453 (S. Germani 383): 34. — Cod. lat. 13752: 34. — Cod. lat. 14417: 45 (bis), 46 (ter). — Cod. lat. 14443 (S. Victoris 377): 47 (bis), 48. — Cod. lat. 14615 (S. Victoris 1060): 15. — Cod. lat. 17246: 53. — Cod. lat. 18096: 34. — Cod. lat. 18108: 42. — Cod. *nouv. acq. fr. 3522*: 23. — Cod. *nouv. acq. lat. 217*: 23.
- Pragae, Bibl. Univ., cod. *XXIII.E.63*: 32.
- Salisburgensi, St. Peter, cod. *a V 44*: 27.
- Saviniaco (Savigny), cod. perdutus: 23.
- Trecis (Troyes), Bibl. Civit., cod. 964: 9, 42, 43. — Cod. 1234: 18. — Cod. 1515: 40.
- Civit. Vaticanae, Bibliotheca Apostolica, cod. *Barb. lat. 608*: 10. — Cod. *Vat. lat. 144 (= x)*: 53, 77, 84, 86. — Cod. *Vat. lat. 695 (= z)*: 48, 53, 77, 84. — Codd. *Vat. lat. 11710-12847*: 18.



## II. - INDEX AUCTORUM ET MATERIAE \*

- Abbatia S. Petri de Monte-Letherico: 16s.  
 Adrianus Papa IV (1154-1159) 16; Theobaldo episcopo Parisiensi causam adiudicat: 17.  
 Albericus monachus de Tribus Fontibus, auctor *Chronicae*: 44 (nota).  
 Ambrosiaster initium praebebat Glossae Magistri in Apostolum: 24.  
 Ambrosius (S.), *De Abraham* II, c. 9: 24 (nota); *In Lucam* X, n. 22: 24 (nota).  
 Amos 5, 3, iuxta Glossam ordin., Lombardi et Comestoris: 43.  
 Anastasius papa IV (1153-1154), adiudicat querelam Theobaldi Paris. episcopi: 16; eius mors: 17.  
 Anselmus Laudunensis non legit Evang. Marci, secundum testimonium P. Comestoris: 42.  
 Apoc. 10, 1-2: 38; 22, 11: 42.  
 Arnulfus Ruffus, famosus in scholis artium: 52 (nota).  
 Augustinus, S., *De consensu evangelistarum*, L. I, c. 2, n. 4: 42; III, c. 7, n. 30: 24 (nota). — *De praedestinatione sanctorum*, c. 6: 48. — *De Trinitate*, L. XV c. 20: 40. — *Enarr. in Psalmos*, ps. 18: 31, 33.  
 Baldwin, J. W., *Masters, Princes and Merchants*: 45.  
 Basilius Magnus, S., cui quaedam capitula Damasceni olim attribuebantur: 18.  
 Bernardus Claraevallensis (S.), patronus Magistri Petri Lombardi: 15.  
 Bernardus, Magister, archidiaconus Parisiensis: 16.  
 Bibliotheca Casinensis IV (1880): 26.  
 Bourgain, L., *La chaire française au XII<sup>e</sup> siècle*: 33 (nota).  
 Brady, I., *Peter Lombard: Canon of Notre Dame*: 8, 15 (ubi corrigitur). — *Peter Manducator and the Oral Teachings of Peter Lombard*: 9.  
 Burgundio, iudex Pisanus, opus Ioann. Dam. in latinum vertit: 13, 15.  
 Catalogue général des Manuscrits, V: 11.  
 Cerbanus, quaedam capitula Damasceni in latinum reddidit: 18.  
 Claraevallensis Bibliotheca (saec. 12-18): 40.  
 Clemens Papa III (1187-1191), an. 1188 Mauricio Paris. episcopo quoddam privilegium concessit: 50 (nota).  
 Corinthios I (ad), 10, 4: 38.  
 Crozet, R., art. *Arnoul de Saint-Euverte* (*Dict. biogr. franc.*): 52.  
 De Bryne, D., *Le plus ancien catalogue...* N.D.: 21.  
 de Ghellinck, Ios., art. *Pierre Lombard* in DThC: 14; *Le mouvement théol. du XII<sup>e</sup> s.*: 15. — Petrum Pictav. nominat discipulum praecipuum Lombardi: 44.  
 De Hamel, C. (Oxoniae), communicatio: 11.  
 Delisle, L., *Le cabinet des mss: 21; Manuscrits lat. et franc. ajoutés... 1875-1891*: 23.  
 de Morembert, T., art. *Maurice de Sully*, in *Catholicisme*: 9.  
 Denziger H. - Schönmetzer, A., *Enchiridion Symbolorum*<sup>32</sup> (1963): 24.  
 Depoin, J., *Recueil... de S-Martin-des-Champs*: 8, 39.  
 Diaconus officium habet praedicandi super Evang. et Apostolum (Ivo et Gratianus): 34.  
 Dubois, G., *Historia Eccl. Paris.*: 16.  
 du Boulay, César-Egasse: 13.  
 Duval, A., art. *Hugues de S-Cher*, in *Catholicisme*: 45.  
 Ebrardus canonicus ND domum occupavit Lombardi (an. 1217): 52.  
 Ecclesia S. Mariae (Nostrae Dominae) Parisius, capitulum: 7; obituarium: 7; et iter italicum Lombardi: 15s; codices mss quosdam anno 1756 bibliothecae regali donavit: 23.  
 Ecclesia S. Marcelli (Parisius), tumba Lombardi: 39.  
 Editores Collegii S. Bonav. editionis Lombardi (1916), quomodo interpretati sunt Obituarium eiusdem: 22s.  
 Eleemosyna (defin.): 32.  
 Eugenius Pp. III, Beatus (1145-1153), non scripsit epistolam (1152) in favorem Lombardi: 14s; librum Ioan. Damasceni transferri fecit: 15; Parisius eccl. S. Genovefae visitavit an. 1147: 17; ibi quasdam decisiones fecit inconsulto episcopo Theobaldo: 17.  
 Exodus 4, 10: 371 (Gl.o.; Origenis); 5, 3: 37 (Gl.i.); 12, 7: 37s (Gl.o.); 14, 15: 30, 32; 26, 26: 25; 33, 13, 18, et 20-23 (Gl.o.): 38.  
 Ezech. 33, 7: 34s (in sermone).  
 Florus Lugdun., in Rom. 11, 7: 48.  
 Foreville, R., art. *Étienne Langton* (*DSpirit.*): 45.  
 Genesis 1, 14 et 16 (Comestor): 24.  
 Gerhohus, praepositus Reicherspergensis: 18.  
 Glorieux, P., ed. *Contra IV Labyrinthos Franciae*: 40.  
 Glossa Lombardi in Exodum: 36ss.  
 Glossa in Sententias pseudo-Petri Pictaviensis: 39.  
 Gratianus, *Decretum*, de praedicatione: 34.  
 Grégoire, R., art. *Maurice de Sully* (*DSpirit.*): 9.  
 Gregorius Magnus (S.), *In Ezech.* I, hom. 2, n. 8: 24; hom. 10, n. 26: 49; fragmentum eiusdem (ex Paterio): 37. — Eius definitio poenitentiae: 30, 32; non semel erronee citatur in *Sententiis*: 36.  
 Gualterus de S. Victore, auctor *Contra IV Labyrinthos Franciae*: 40; doctrinam Lombardi reprobata et perversam nominat: 40ss; testis quod Manducator discipulus fuit Lombardi: 40; licet numquam nominet Manducatorem, quem censet: 41 (nota); de officio Petri Pictaviensis: 44.  
 Gualterus, magister, canonicus S. Mariae, annis 1152-c. 1173: 9.  
 Guérard, M., *Cartulaire de l'Église Notre Dame*: 8, 16, 21, 52.  
 Guillelmus Tyrensis, Lombardum annis sex audivit, et Mauritium saepius: 8, 11.  
 Häring, N. M., *Eulogium* Ioan. Cornub. edidit: 10s.  
 Hauréau, B., *Notices et extraits* II: 34.  
 Hebr. 2, 5 (S. Langton): 48s.  
 Henricus, frater Arnulfi Ruffi de Orliaco, canonicus Paris.: 52.  
 Heribertus de Boseham, discipulus Lombardi: 7; testis lecturae Lombardi in *Psalmos*: 11, 19.  
 Hieronymus (S.), *Expositio in Aggaeum*: 30 (nota); in *Habacuc*: 29s; *In Isaiam*, cc. 8-9: 46; *In Zachariam* 1, 21: 47.  
 Hilarius (S.), *Tract. in Ps. 138*, n. 1: 24 (nota).  
 Hödl, L., *Die Questionenliteratur des Odo v. Ourscamp*, in suo opere *Die Geschichte der schol. Literatur*: 39.  
 Hugo Cardinalis Bononiensis: 13.  
 Hugo de Sancto Caro, O.Pr., *Glossa in Isaiam*, cap. 8-9: 46; *in Osee* 1, 9: 46s; *in Zach.* 1, 21: 47; *Prohemium* Comestoris in *Marcum* adaptat ut suum in *Lucam*: 26; *in Hebr.* 2, 5: 50; an testis fidelis P. Lombardi: 51; quandoque dependet a Petro Manducatore: 51.  
 Huygens, R. B. C., *Guillaume de Tyr étudiant*: 8.  
 Innocentius Pp. III Stephanum Langton laudat, anno 1207: 50 (nota).

\* Asterici (\*) omittuntur ne taedium generent. Insuper lectori gentili innotescat quod *Tres Textus Originales* Magistri (pp. 53\*-87\*) non comprehenduntur in Indicibus nostris. Quatenus enim fontes sunt earundem quaestionum in Libris Sententiarum, aptius videtur ibi, scilicet in ipso textu Magistri, loca parallela lectori indicare (uti infra, p. 25, in nota ad num. 4).



- Ioan. 1, 1: 38; 1, 14: 38; 15, 22: 42.  
 Ioannes Chrysostomus (S.), *Homil. IV in Ep. ad Hebraeos*: 49.  
 Ioannes Cornubiensis (c. 1179) tres sententias disceptavit de homine assumpto: 9ss.  
 Ioannis Damasceni *De fide orthodoxa* Romae primo vidit Lombardus: 12s; cuius opus forsitan eum inspiraverit: 19.  
 Ioel 3, 2 (*Glossa* Lombardi): 29.  
 Iozelinus, magister, canonicus Meldensis: 13.  
 Isaias 7, 15: 45; 8, 1: 45; 8, 9: 46; 8, 14: 46; 9, 1: 46; 11, 2: 36; 21, 11-12: 36; 28, 16: 35; 29, 13: 30; 30, 27: 36.  
 Isidorus, pseudo-, de officiis ordinandi: 33; *Epist. ad Leudefredum ep.*: 34; *Quaestiones in Exodum* (PL 83, 287-322), c. 8, n. 2: 37.  
 Ivo Carnotensis, *Decretum* VI, 20; et *Panormia* III, c. 41: 33, 34.  
 Lacombe G. ed. (ut videtur) *Glossam Lombardi in Ioel 1, 14*: 30 (nota); *Lombard's Commentary on Isaias*: 45, 46; *Studies on the Commentaries...* Langton: 45, 48.  
 Landgraf, A., *Der Einfluss des mündlichen Unterrichts*: 43 (nota). — *Drei Zweige der Pseudo-Poitiers-Glosse zu den Sentenzen des Lombarden*: 43 (nota). — *Introd. à l'histoire de la littérature théol.*: 29. — *Kinder-taufe und Glaube*: 10. — *Note de critique textuelle*: 29. — *Recherches sur les écrits de Pierre le Mangeur*: 26, 41. — *Some Unknown Writings*: 10.  
 Lebeuf, Jean, *Histoire de la ville... Paris*: 39.  
 Lector officium habet praedicandi super Vetus Testamentum: 34.  
 Libri seu volumina in armario B. Mariae Parisiensis: 21s.  
 Longère, J., *Oeuvres oratoires de maîtres...*: 33.  
 Lottin, O., ed. tractatum *Deus primum hominem*: 9.  
 Lucas 7, 43, in *Glossa Petri Pictav.*: 44.  
 Luchaire, A., *Études... manuscrits de Rome et de Paris*: 15.  
 Ludovicus Rex VII eccl. S. Genovefae an. 1147 visitavit: 17.  
 Lutolphus Novariensis, magister: 15.  
 Lynch, K., *Some Fontes... Hugh de S. Cher*: 51.  
 Mabillon, I., *Annales Benedictini*: 17.  
 Magistri docentes in theologia Parisius annis c. 1144 - c. 1205 omnes nomine Petrus: 23s.  
 Malach. 2, 2: 30.  
 Mansi, I., *Sacrorum Conciliorum... collectio*: 17.  
 Martin, R. M., *Notes... Pierre le Mangeur*: 29.  
 Mauricius de Sulliac, saepe opposuit Lombardum: 8-11; « hodie episcopus »: 10.  
 McNally, R. E., *The Pseudo Isidorian « De Vetere et Novo Testamento Quaestiones »*: 37.  
*Metamorphosis Goliae*: laus Lombardi: 21, 33.  
 Molinier, A., *Obituaires*: 16.  
 Mutianus Scholasticus homilias Ioan. Chrysostomi in Latinum reddidit: 49.  
 Odo, abbas S. Dionysii (Paris.): 17.  
 Odo Suessionensis, Magister, Cancellarius Eccl. Paris.: 39.  
 Origenes, *In Exodum* hom. 3, n. 1: 37; hom. 4, n. 6: 37.  
 Otobonus, monachus S. Mariae Cistercii: 11.  
 Oudin, C., *Commentarius de scriptoribus ecclesiae antiquae*: 44.  
 Paganus, Magister: 42.  
 Parisius, v. Ecclesia S. Mariae.  
 Paterius, fragm. Gregorii Magni in *Exod. 4, 3-4*: 37.  
 Pelster, F., circa iter italicum Lombardi: 14.  
 Petrus, quidam magister: 14.  
 Petrus Cantor, Magister c. 1170-1196: 23s.; *Accessus ad Exodum*: 25; ope operum Comestoris glossas cognovit Lombardi n. Evangelia: 22, 44, 52.  
 Petrus Cellensis, abbas S. Remigii: 16.  
 Petrus Comestor, v. sub Petrus Manducator.  
 Petrus de Joingniaco [Joigny], magister anno 1296: 21.  
 Petrus Lombardus, Magister, non fuit scholaris apud S. Victorem: 15; subdiaconus 1147: 8 (nota); laus magisterii eius (Guillelmi Tyrensis): 8; opponitur in scholis Mauriti: 8-11; quando iter fecit italicum: 13-18; anno 1154: 16; ratio eiusdem itineris: 17; quid Romae sumpserit ex libro Ioan. Damasceni: 18; Romam non visitavit ut epi-

- scopus: 16 (nota); obituarium quando redactum: 52; quod male interpretati sumus: 7; dies mortis et diversa solemnia Parisius celebrata, uti in Eccl. S. Marcelli: 39.  
 — *Librum Sententiarum* quando compegit: 18s.  
 — Glossas suas non aperit ope versus biblici: 24; *In Psalmos* quodammodo iam Remis perfecit: 23; quam postea (1158-59) in scholis perlegit: 11; sua *Glossa in Exodum*: 36-38; *in Isaiam*: 35s; quam olim negavimus: 23 (nota); negari tamen debet quidam *Introitus in Isaiam*: 25; *In Prophetas Minores*: testante ipso Magistro: 29, 31; teste Manducatore: 20, 43; *In Ioel*: 29-33. — *Glossam in Apostolum*, quae antecessit *Sententias*, postea limavit, sed solummodo usque ad versum 3 primi capituli: 11, 12; *in Hebr. 2, 5* etc.: 49. — Quas alias glossas confecerit: 19ss. — Testante Comestore *Matth.* et *Lucam* glossavit: 20, 25s, 27; necnon, ut videtur, illud Marci: 26, 42; ac Ioannis: 27, 28, 42; an Apocalypsim glossaverit: 42; quos libros sacros non glossavit: 21. — Quae opera Lombardi, praeter *Glossas in Psalmos* et *in Apostolum*, quasi in oblivionem ceciderunt post eius mortem: 39; normae ad eius opera dignoscenda: 23ss.  
 — *Sermones* eius: chronologia: 34; primus, *De adventu*: 35; n. 3: 38; n. 4: 38; nn. 11, 12, 25, ubi superbiam tangit: 31, 32; nn. 14, 22, 25, *Glossam* innuunt *in Exodum*: 37. — *Sermones* qui non enumerantur in *Prolegomena* 1971: 32, nota 8; 34s. — Praedicator mediocris (Bourgain): 33.  
 Petrus Lombardus, pseudo-, opera scil. non authentica: *Accessus super Vetus Test.*: 25; *Accessus ad libros Regum*: 25; *In Iob*: 23; *In Isaiam*: 25; *Introitus super evangelia*: 28; *Accessus ad Matth. et Novum Test.*: 25; *Accessus in Marcum* (Comestoris?): 26; *in Ioannem*: 27, 28.  
 Petrus Cantor: *Glossae super Unum ex Quatuor* (c. 1187): 44.  
 Petrus Cellensis, abbas: 16.  
 Petrus Manducator (seu Comestor), Magister, Trevis (Troyes) natus, ubi postea decanus erat 39; quando Parisius venit 39s; discipulus erat Lombardi: 7, 40, 43 (nota); et postea magister (1159 - c. 1167): 23; ac cancellarius Ecclesiae Parisiensis (c. 1166-67): 39; usque ad mortem, 22 oct. 1178 (?): 41 (nota); mos ei erat scribendi « satis eleganter »: 25 (et nota); codices seu scripta eius ubi collocantur: 22 (nota).  
 — Testis fidelis doctrinae et operum P. Lombardi: 20, 39-44; quod Lombardus bis legit *Glossam in Apostolum*: 12; item quod XII Prophetas glossavit: 43; quomodo exposuit *Luc. 5, 23*: 52.  
 — Opera propria: *Glossae*: non semel praefingit versus S. Scripturae modo ingressus: 24; *Prologus in Evangelia*: 26; *Accessus ad Matth. et N.T.*: 25; *in Matth.*: 25, 26 (ubi et quaedam reportatio), 30; cuius fons principalis exstat Rabanus Maurus: 26; *in Marcum*: 30; *in Lucam*: 30; *in Ioan.*: 27s. — *Quaestiones* (inc.: *Petre, Satanas expetivit vos*): 9, 42. — Inter fontes Magistri Hugonis de S. Caro enumerandus: 51; verba eius citata a Gualtero S. Victoris: 40s.  
 Petrus Pictaviensis, Magister 1167 - c. 1205: 23; praepositus fuit scholarum P. Comestoris, cui successit ut magister: 23, 44; postea cancellarius: 44; quid novit Lombardi: 52; anonymus invenitur in *Contra IV Labyrinthos*: 41, 42; qualis adiudicatur a C. Oudin et J. de Ghellinck: 44.  
 Petrus Pictaviensis, pseudo-, *Glossae in Sent.*: 41; *Summa divinae paginae*: 30.  
 Peuchmaurd, M., *Le prêtre ministre... XII siècle*: 34.  
 Poenitentia, definitio S. Gregorii: 30, 32.  
 Praedicatio, praedicatores, iuxta legislationem saec. XII: 33ss.  
 Praepositinus (?), magister, *Quaestiones* in cod. Paris., Mazar. 1708: 42 (nota); *Tract. Deus primum hominem*, olim ei attributus: 9.  
 Prioratus S. Mariae de Longoponte: 16.  
 Rabanus Maurus, *In Matth.*, fons Comestoris, non autem Lombardi: 26.  
 Rabodo, Praemonstr. Knechtsteden, compiler *Libri de pluribus*, testis parum credibilis:



- 25; quae opera P. Lombardo attribuit: 25ss.
- Roberts, P. B., *Studies in the Sermons of Stephen Langton*: 45.
- Robertus Melidonensis (rectius): 10.
- Robertus de Monte (seu de Torigny), *Chronica*: 7s.
- Robertus Wigorniensis (fl. s. XII): 26.
- Rolandus Bandinelli, S.R.E. cancellarius: 16.
- Romanos (Ad) 5, 14: 49; 6, 15 (Gl. o. et Langton): 47; (Lomb. et Ambrosiaster): 48.
- Saviniano (Savigny), bibliotheca monasterii: 23.
- Schmidt, Prof. B. (Bonn), *Communicatio*: 87.
- Schneyer, J. B., *Repertorium der lat. Sermones des Mittelalters*: 40.
- Schönmetzer, A., *Enchiridion symbolorum*: 24.
- Silva-Tarouca, C., *Novi Studi... Papi*: 34.
- Smalley, B., *La Glossa Ordinaria*: 45. — *The Lombard's Commentary on Isaiah and other Fragments*: 45, 46, 47 (nota). — *Peter Comestor on the Gospels*: 22, 25, 26, 27. — *Some Gospel Commentaries of the Early Twelfth Century*: 20, 22, 25, 26, 42, 51. — *Studies in the Sermons of Stephen Langton*: 45.
- Stegmüller, F., *Repertorium Biblicum (= RB)*: 8, 22-28, 30, 45, 47, 52.
- Stephanus Cantuariensis (an. 1271): 21.
- Stephanus Langton, *In Isaiam* 8, 9: 8, 14; 9, 1: 46, 52; *In Prophetas minores*: 47; *In Epistolas Canonicas*: 52; non fuit canonicus S. Mariae: 50 (nota); cardinalis S.R.E. (1206): 51; testis fidelis quoad opera Lombardi: 44-45.
- Summa divinae paginae*: 30.
- Superbia: primum peccatum recedentibus a Deo (Aug.): 30s; maximum delictum (sermones Lombardi): 32s, 35.
- Symon Langton, magister, canonicus S. Mariae: 50 (nota).
- Symon, succentor Silvanectensis: 50.
- Testes fideles quoad Lombardum, pauci post mortem Petris Comestoris: 39.
- Theobaldus, ep. Parisiensis, in curia Romana (1154): 16s.
- Van den Eynde, D., *Deux sermons inédits de Pierre Lombard*: 38. — *L'oeuvre litt. de Géroch...*: 18. — *Stephen Langton... on the Causality of the Sacraments*: 51 (nota).
- Van den Gheyn, J., *Catal. des manuscrits... Belgique*: 25.
- Zacharias 1, 21: 47 (glossa).

MAGISTRI PETRI LOMBARDI  
PARISIENSIS EPISCOPI  
SENTENTIAE IN IV LIBRIS DISTINCTAE

LIBER III ET IV



SIGLA CODICUM

Codd. Libr. IV Sententiarum

- \* A — cod. Ambianen. Civit. 231 (libr. III-IV).  
 B — cod. Brugis Civit. 184.  
 C — cod. Bruxellis Regia 1535 (11.580).  
 \* L — cod. Paris. Mazarin. lat. 757.  
 \* M — cod. Monachii Status lat. (C1m) 18109.  
 \* N — cod. Paris. Bibl. Nat. (BN) lat. 3014.  
 \* O — cod. Paris. Bibl. Nat. (BN) lat. 3022.  
 \* P — cod. Paris. Bibl. Nat. (BN) lat. 3029 (libr. I-II).  
 R — cod. Paris. Bibl. Nat. (BN) lat. 17464.  
 T — cod. Trevis Civit. 900.  
 V — cod. Vaticanus lat. 688.  
 W — cod. Vaticanus lat. 691.  
 X — cod. Valentianae Civit. 186.  
 \* — codd. principaliores.

Cod. Glossae ordin. in Psalmos

Florent., Laurent. Plut. XVII. 4.

Codd. Glossae ordin. in Epist. S. Pauli

l — Florent., Laurent. Plut. V. d. 1.

m — Florent., Laurent. Plut. XXIII. 5.

Codd. Glossae Lombardi in Epist. S. Pauli

x — cod. Vaticanus lat. 144.

z — cod. Vaticanus lat. 695.

Codd. Glossae pseudo-Petri Pictaviensis

b — cod. Bamberg. Patr. 128.

n — cod. Neapoli Bibl. Nat. lat. VII C 14.

p — cod. Paris. Bibl. Nat. lat. 14423.

INCIPIUNT CAPITULA TERTII LIBRI.

[DISTINCTIO I]

- Cap. 1. Quare Filius carnem assumpsit, non Pater vel Spiritus Sanctus.  
 » 2. Utrum Pater vel Spiritus Sanctus potuerit incarnari.  
 5 » 3. An Filius qui tantum carnem accepit, aliquid fecerit quod non  
 Pater vel Spiritus Sanctus.

[DISTINCTIO II]

- Cap. 4 (1). Quare totam humanam naturam accepit, et quid nomine  
 naturae intelligitur.  
 10 » 5 (2). De unione Verbi et carnis mediante anima.  
 » 6 (3). Quod simul assumpsit carnem et animam Verbum, nec  
 caro prius est concepta quam assumpta.

[DISTINCTIO III]

- Cap. 7 (1). De carne assumpta, qualis ante fuerit.  
 15 » 8 (2). Quod nullus est sine peccato hic, excepta Virgine.  
 » 9 (3). Quare Christus non fuit decimatus in Abraham sicut Levi.  
 » 10 (4). Quare caro Christi non dicta est peccatrix, sed similis.

[DISTINCTIO IV]

- Cap. 11 (1). Quare Spiritui Sancto tribuatur incarnatio, cum sit opus  
 20 Trinitatis.  
 » 12 (2). Quare dicatur Christus conceptus et natus de Spiritu Sancto.  
 » 13 (3). Quare Apostolus dicit Christum factum, quem nos fa-  
 temur natum.

[DISTINCTIO V]

- 25 Cap. 14 (1). Si persona vel natura personam vel naturam assumpsit,  
 et si natura Dei sit incarnata.

Elenchus capitulorum libri III et IV hic repetitur ad commodum lectoris. Quoad  
 lectiones variantes, cf. Tom. I, 31-53.



- Cap. 15 (2). An divina natura debeat dici caro facta.  
 » 16 (3). Quare non accepit personam hominis, cum assumpserit hominem: quod quidam probare nituntur.

## [DISTINCTIO VI]

- Cap. 17 (1). De intelligentia harum locutionum: Deus est homo, Deus factus est homo etc. Tres sententias ponit. 5  
 » 18 (2). Prima est eorum qui dicunt in incarnatione hominem quendam ex anima et carne constitutum, et illum hominem factum esse Deum et Deum illum hominem; et auctoritates quibus ita asserunt ponit. 10  
 » 19 (3). Secunda est eorum qui dicunt hominem illum ex tribus substantiis vel ex duabus naturis constare, et hunc fatentur unam esse personam: ante incarnationem simplicem tantum, sed incarnatione compositam; et auctoritates quibus se muniunt proponit. 15  
 » 20 (4). Tertia est eorum qui non solum personam ex naturis compositam negant, sed etiam aliquem hominem vel aliquam substantiam ibi ex anima et carne compositam diffidentur; et sic illa duo, scilicet animam et carnem, Verbo unita dicunt, ut non ex illis aliqua substantia vel persona componeretur, sed illis duobus velut indumento Deus vestiretur ut mortalibus oculis appareret: qui rationem incarnationis secundum habitum accipiunt. 20  
 » 21 (5). Deinde auctoritates inducit quibus haec sententia roboratur.  
 » 22 (6). Quatuor species habitus distinguuntur. 25

## [DISTINCTIO VII]

- Cap. 23 (1). Deinde quae singulis sententiis adversari videntur ponit.  
 » 24 (2). Ex quo sensu dicitur Christus praedestinatus.  
 » 25 (3). Quod non debet dici homo dominicus.

## [DISTINCTIO VIII]

- Cap. 26 (1). An divina natura dici debeat nata de Virgine.  
 » 27 (2). De gemina nativitate Christi qui bis natus est.

## [DISTINCTIO IX]

- Cap. 28 (1). De adoratione exhibenda humanitati Christi.

## [DISTINCTIO X]

- Cap. 29 (1). An Christus secundum quod homo sit persona vel aliquid.  
 » 30 (2). An Christus secundum quod homo sit adoptivus filius.  
 » 31 (3). An persona vel natura praedestinata sit.

## 5 [DISTINCTIO XI]

- Cap. 32 (1). Utrum Christus sit creatura vel factus.  
 » 33 (2). De perfidia et poena Arii.

## [DISTINCTIO XII]

- Cap. 34 (1). An homo ille semper fuerit.  
 10 » 35 (2). An Deus alium sumere potuit vel aliunde quam de genere Adae.  
 » 36 (3). Si homo ille potuerit peccare vel non esse Deus.  
 » 37 (4). Si Deus potuit assumere hominem in sexu muliebri.

## [DISTINCTIO XIII]

- 15 Cap. 38 (1). De sapientia et gratia Christi hominis, an in eis proficere potuerit.

## [DISTINCTIO XIV]

- Cap. 39 (1). Si anima Christi habuerit sapientiam parem cum Deo, et si omnia scit quae Deus.  
 20 » 40 (2). Quare Deus non dedit illi animae potentiam omnium ut scientiam.

## [DISTINCTIO XV]

- Cap. 41 (1). De hominis defectibus quos assumpsit Christus.  
 » 42 (2). De propensione et passione timoris vel tristitiae.  
 25 » 43 (3). De quibusdam capitulis Hilarii obscuris, quibus a carne Christi dolores passionis submoveri videntur.  
 » 44 (4). De tristitia Christi et eius causa secundum eundem.

## [DISTINCTIO XVI]

- Cap. 45 (1). An in Christo fuerit necessitas patiendi et moriendi, quae est defectus generalis.  
 30 » 46 (2). De statibus hominis et quid Christus de singulis acceperit.



## [DISTINCTIO XVII]

- Cap. 47 (1). Si omnis Christi oratio vel voluntas impleta sit.  
 » 48 (2). De voluntatibus Christi secundum duas naturas.  
 » 49 (3). De capitulis quibusdam Ambrosii et Hilarii, ubi de dubitatione et timore Christi agitur. 5

## [DISTINCTIO XVIII]

- Cap. 50 (1). Si Christus meruit sibi et nobis, et quid sibi et quid nobis.  
 » 51 (2). Quod a conceptu meruit Christus sibi idem quod per passionem.  
 » 52 (3). De eo quod scriptum est: Donavit illi nomen quod est supra omne nomen. 10  
 » 53 (4). Si Christus sine omni merito habere valuit quod merito obtinuit.  
 » 54 (5). De causa passionis et mortis Christi.

## [DISTINCTIO XIX]

- Cap. 55 (1). Qualiter a diabolo et a peccato redemit nos Christus per mortem. 15  
 » 56 (2). Cur Deus homo et mortuus.  
 » 57 (3). Quomodo a poena nos redemit Christus.  
 » 58 (4). Quomodo poenam nostram portavit. 20  
 » 59 (5). Si solus Christus redemptor ut mediator debet dici.  
 » 60 (6). De mediatore.  
 » 61 (7). Secundum quam naturam sit mediator.

## [DISTINCTIO XX]

- Cap. 62 (1). Quod alio modo potuit liberare. 25  
 » 63 (2). Quare isto modo potius.  
 » 64 (3). Qua iustitia sit victus diabolus.  
 » 65 (4). De causa inter Deum et hominem et diabolum.  
 » 66 (5). De traditione Christi facta a Iuda, a Deo, a Iudaeis.  
 » 67 (6). Utrum Christi passio sit opus Dei vel Iudaeorum. 30

## [DISTINCTIO XXI]

- Cap. 68 (1). Si in Christi morte separata fuit anima vel caro a Verbo.  
 » 69 (2). Qua ratione dicitur Christus mortuus vel passus.

## [DISTINCTIO XXII]

- Cap. 70 (1). Si Christus in morte fuit homo.  
 » 71 (2). Si Christus ubicumque est sit homo.  
 » 72 (3). Quod Christus ubique totus est, sed non totum: ut totus est homo vel Deus, sed non totum. 5  
 » 73 (4). Si ea quae dicuntur de Deo vel de Filio Dei, possint dici de homine illo vel de filio hominis.

## [DISTINCTIO XXIII]

- Cap. 74 (1). Si Christus habuerit fidem, spem ut caritatem.  
 » 75 (2). Quid sit fides. 10  
 » 76 (3). Quot modis dicitur fides.  
 » 77 (4). Quid sit credere Deum vel Deo vel in Deum.  
 » 78 (5). De informi qualitate mentis quae in malo christiano est.  
 » 79 (6). Quomodo dicatur una fides.  
 » 80 (7). Quod fides est de his quae non videntur proprie, ipsa tamen videtur ab eo in quo est. 15  
 » 81 (8). Descriptio fidei.  
 » 82 (9). Quare sola fides dicitur fundamentum.

## [DISTINCTIO XXIV]

- Cap. 83 (1). Quomodo intelligendum est illud: Cum factum fuerit credatis. 20  
 » 84 (2). Si Petrus habuit fidem passionis quando vidit hominem illum pati.  
 » 85 (3). Si aliqua sciuntur quae credantur.

## [DISTINCTIO XXV]

- Cap. 86 (1). De fide antiquorum.  
 » 87 (2). De fide simplicium.  
 » 88 (3). Quae ante adventum credere sufficiebat.  
 » 89 (4). De fide Cornelii.  
 » 90 (5). De aequalitate fidei, spei et caritatis et operis. 30

## [DISTINCTIO XXVI]

- Cap. 91 (1). De spe, quid sit.  
 » 92 (2). De quibus sit spes.



- Cap. 93 (3). Quo differant fides et spes.  
 » 94 (4). Si in Christo fuerit fides vel spes.  
 » 95 (5). Si iusti in inferno fidem et spem habuerunt.

## [DISTINCTIO XXVII]

- Cap. 96 (1). De caritate Dei et proximi quae in Christo et in nobis est. 5  
 » 97 (2). Quid sit caritas.  
 » 98 (3). Si eadem caritate diligitur Deus et proximus.  
 » 99 (4). Quare dicuntur duo mandata caritatis.  
 » 100 (5). De modo diligendi.  
 » 101 (6). De impletione illius mandati: Diliges Deum ex toto corde. 10  
 » 102 (7). Quod alterum mandatum in altero est.  
 » 103 (8). Quae caritate diligenda sint.

## [DISTINCTIO XXVIII]

- Cap. 104 (1). Si iubemur totum proximum diligere et nos totos.  
 » 105 (2). Quod in dilectione proximi includitur dilectio angelorum. 15  
 » 106 (3). Quid sit proximus.  
 » 107 (4). Quibus modis dicitur proximus.

## [DISTINCTIO XXIX]

- Cap. 108 (1). De ordine diligendi: quid prius, quid post.  
 » 109 (2). An omnes homines pariter diligendi sint. 20  
 » 110 (3). De gradibus caritatis.

## [DISTINCTIO XXX]

- Cap. 111 (1). Si melius est diligere inimicos quam amicos.

## [DISTINCTIO XXXI]

- Cap. 112 (1). Si caritate semel habita amittatur. 25  
 » 113 (2). Quare fides, spes, scientia dicuntur evacuari, et non caritas,  
 cum et ipsa sit ex parte.  
 » 114 (3). Si Christus ordinem diligendi servavit quem nos.

## [DISTINCTIO XXXII]

- Cap. 115 (1). De caritate Dei. 30

- Cap. 116 (2). Quomodo Deus dicitur magis diligere vel minus hunc vel illum.  
 » 117 (3). Quod dupliciter inspicienda est dilectio Dei.  
 » 118 (4). Si quis magis vel minus diligitur a Deo uno tempore quam alio. 5  
 » 119 (5). Si Deus ab aeterno dilexit reprobos.

## [DISTINCTIO XXXIII]

- Cap. 120 (1). De quatuor virtutibus principalibus.  
 » 121 (2). Utrum et in Christo fuerint et in angelis sint. 10  
 » 122 (3). De usibus earum.

## [DISTINCTIO XXXIV]

- Cap. 123 (1). De septem donis Spiritus Sancti.  
 » 124 (2). Utrum sint virtutes et sint in angelis.  
 » 125 (3). Utrum in Christo fuerint. 15  
 » 126 (4). De timorum distinctione.  
 » 127 (5). De casto et servili et initiali.  
 » 128 (6). Quo differant castus et servilis.  
 » 129 (7). Quod timor servilis et initialis dicitur initium sapientiae, sed differenter. 20  
 » 130 (8). Quomodo castus timor permanet in aeternum.  
 » 131 (9). Si timor poenae qui fuit in Christo, fuit servilis vel initialis.

## [DISTINCTIO XXXV]

- Cap. 132 (1). De sapientia et scientia, quo differant.  
 » 133 (2). In quo differat sapientia ab intellectu. 25  
 » 134 (3). Utrum intellectus et scientia quae inter dona numerantur sint illa quae naturaliter habet homo.

## [DISTINCTIO XXXVI]

- Cap. 135 (1). De connexionione virtutum, quae non separantur.  
 » 136 (2). An cunctae virtutes pares sint in quocumque sint. 30  
 » 137 (3). Quomodo in caritate tota lex pendet.

## [DISTINCTIO XXXVII]

- Cap. 138 (1). De decem mandatis, quomodo contineantur in duobus.



- Cap. 139 (2). Quare idolum nihil esse in mundo dicitur.  
 » 140 (3). Quare in Spiritu Sancto proprie dicitur fieri remissio peccatorum.  
 » 141 (4). De sensu spirituali et carnali Legis.  
 » 142 (5). De furto. 5  
 » 143 (6). De mendacio.

## [DISTINCTIO XXXVIII]

- Cap. 144 (1). De triplici genere mendacii.  
 » 145 (2). De octo speciebus mendacii.  
 » 146 (3). Quid sit mendacium. 10  
 » 147 (4). Quid mentiri.  
 » 148 (5). Quod omne mendacium peccatum sit, sive prosit sive non, et quare.  
 » 149 (6). In quibus rebus cum periculo erratur vel non.

## [DISTINCTIO XXXIX]

- Cap. 150 (1). De periurio. 15  
 » 151 (2). An sit periurium quod non est mendacium.  
 » 152 (3). De triplici modo periurii.  
 » 153 (4). An iuratio sit malum.  
 » 154 (5). De iuramento quod fit per creaturas. 20  
 » 155 (6). Quae iuratio sit gravior: an quae fit per Deum, an quae fit per creaturas, vel per Evangelium.  
 » 156 (7). Quid est dicere: Per Deum.  
 » 157 (8). De illis qui iurant per falsos deos.  
 » 158 (9). Quod iuramentum vel promissio contra Deum facta non 25 est tenenda.  
 » 159 (10). Si est periurus, qui non facit quod incaute iurat.  
 » 160 (11). De illis qui verborum calliditate iurant.  
 » 161 (12). De illo qui cogit aliquem iurare.

## [DISTINCTIO XL]

- Cap. 162 (1). Quare Lex dicitur comprimere manum, non animum. 30  
 » 163 (2). Quae sit littera occidens.  
 » 164 (3). De Legis et Evangelii distantia.

## INCIPIUNT CAPITULA QUARTI LIBRI.

## [DISTINCTIO I]

- Cap. 1. De sacramentis.  
 » 2. Quid sit sacramentum.  
 5 » 3. Quid sit signum.  
 » 4. Quo differant signum et sacramentum.  
 » 5. Quare instituta sunt sacramenta.  
 » 6. De differentia sacramentorum veterum et novorum.  
 » 7. De circumcissione.  
 10 » 8. Quod remedium illi habuerunt qui fuerunt ante circumcissionem.  
 » 9. De institutione circumcissionis et causa.  
 » 10. De parvulis defunctis ante diem octavum, quo fiebat circumcissio.

## 15 [DISTINCTIO II]

- Cap. 11 (1). De sacramentis novae Legis.  
 » 12 (2). De baptismo.  
 » 13 (3). De differentia baptismi Ioannis et Christi.  
 » 14 (4). Quid utilitatis habuit baptismus Ioannis.  
 20 » 15 (5). Si fuit sacramentum baptismus ille.  
 » 16 (6). De forma baptismi Ioannis.

## [DISTINCTIO III]

- Cap. 17 (1). Quid sit baptisma.  
 » 18 (2). De forma baptismi.  
 25 » 19 (3). Quod Apostoli in Christi nomine baptizaverunt.  
 » 20 (4). Si in nomine Patris tantum vel Filii vel Spiritus Sancti possit tradi baptismus.  
 » 21 (5). De institutione baptismi.  
 » 22 (6). Quare in aqua tantum fiat.  
 30 » 23 (7). De immersione, quoties fieri debeat.  
 » 24 (8). Quando circumcissio amisit vim suam.  
 » 25 (9). De causa institutionis baptismi.



## [DISTINCTIO IV]

- Cap. 26 (1). De illis qui suscipiunt sacramentum et rem, et rem et non sacramentum, et sacramentum et non rem.
- » 27 (2). De fide accedentibus.
- » 28 (3). Quomodo intelligatur illud: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. 5
- » 29 (4). Quod passio supplet vicem baptismi, et fides, et contritio.
- » 30 (5). Quid prosit baptismus cum fide accedentibus.
- » 31 (6). Quid dimittitur in baptismo iustis.
- » 32 (7). Cuius rei sit sacramentum baptismus quem recipit iustus. 10

## [DISTINCTIO V]

- Cap. 33 (1). Quod baptismus aequus bonus est, a bono vel malo datus.
- » 34 (2). De potestate baptismi et ministerio.
- » 35 (3). Quae fuit potestas baptismi quam Christus potuit dare servis et non dedit. 15

## [DISTINCTIO VI]

- Cap. 36 (1). Quibus liceat baptizare.
- » 37 (2). Si rebaptizandi sunt ab haereticis baptizati.
- » 38 (3). Quod nullus in materno utero baptizatur.
- » 39 (4). Utrum baptismus sit, cum verba corrupte proferuntur. 20
- » 40 (5). De illo qui pro ludo immergitur.
- » 41 (6). De responsione patrinorum.
- » 42 (7). De catechismo et exorcismo.

## [DISTINCTIO VII]

- Cap. 43 (1). De sacramento confirmationis. 25
- » 44 (2). Quod non nisi a summis sacerdotibus tradi potest.
- » 45 (3). Quae sit virtus huius sacramenti.
- » 46 (4). Utrum hoc sacramentum sit dignius baptismo.
- » 47 (5). Utrum possit iterari.

## [DISTINCTIO VIII]

- Cap. 48 (1). De sacramento altaris. 30
- » 49 (2). Quod huius sacramenti in veteri Testamento figura praecessit, sicut et baptismi.

- Cap. 50 (3). De institutione huius sacramenti.
- » 51 (4). De forma.
- » 52 (5). Quare Christus post alium cibum dedit hoc sacramentum discipulis.
- 5 » 53 (6). De sacramento et re.
- » 54 (7). Quod res sacramenti duplex est.

## [DISTINCTIO IX]

- Cap. 55 (1). De duobus manducandi modis.
- » 56 (2). De errore illorum qui dicunt tantum corpus Christi a bonis sumi. 10
- » 57 (3). De intelligentia quorundam verborum ambiguum.

## [DISTINCTIO X]

- Cap. 58 (1). De haeresi illorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in signo.
- 15 » 59 (2). De Sanctorum testimoniis quibus probatur verum corpus Christi esse in altari.

## [DISTINCTIO XI]

- Cap. 60 (1). De modo conversionis.
- » 61 (2). Quomodo dicitur corpus Christi confici de substantia panis. 20
- » 62 (3). Quare sub alia specie sumatur.
- » 63 (4). Quare sub duplici specie.
- » 64 (5). Quare aqua misceatur.
- » 65 (6). Quale corpus dedit Christus discipulis in coena.

## [DISTINCTIO XII]

- Cap. 66 (1). Ubi illa accidentia fundentur.
- » 67 (2). De fractione et partibus.
- » 68 (3). De confessione Berengarii.
- » 69 (4). Quid illae partes significant.
- 30 » 70 (5). Si Christus immolatur in altari quotidie, et an sit sacrificium quod a sacerdote geritur.
- » 71 (6). De causa institutionis.



## [DISTINCTIO XIII]

Cap. 72 (1). Si hoc sacramentum conficiatur ab haereticis vel excommunicatis.

» 73 (2). Quid faciat haeticum et quid sit haeticus.

## [DISTINCTIO XIV]

5

Cap. 74 (1). De poenitentia.

» 75 (2). Unde dicitur poenitentia.

» 76 (3). Quid sit poenitentia.

» 77 (4). De solempni et unica poenitentia.

» 78 (5). Quod peccata saepe dimittuntur per poenitentiam. 10

## [DISTINCTIO XV]

Cap. 79 (1). Quod pluribus irretitus peccatis non potest vere de uno poenitere nisi et de omnibus poeniteat.

» 80 (2). Quibus de causis contingunt flagella.

» 81 (3). De Aegyptiis et Sodomitis, qui temporaliter dicuntur puniti ne in aeternum perirent. 15

» 82 (4). De generibus eleemosynae.

» 83 (5). Quid sit eleemosyna.

» 84 (6). Utrum in mortali peccato permanentes et largas eleemosynas facientes debeant dici satisfacere. 20

» 85 (7). Utrum bona quae fiunt ab aliquibus malis valeant ad meritum vitae cum fuerint conversi ad bonum.

## [DISTINCTIO XVI]

Cap. 86 (1). De tribus in poenitentia considerandis, scilicet compunctione, confessione, satisfactione. 25

» 87 (2). Quae sit vera satisfactio.

» 88 (3). Quae sit satisfactio falsa.

» 89 (4). De tribus actionibus poenitentiae.

» 90 (5). De multitudine venialium, quae gravat ut unum grande peccatum.

» 91 (6). De satisfactione venialium. 30

## [DISTINCTIO XVII]

Cap. 92 (1). Utrum sine confessione dimittantur peccata.

Cap. 93 (2). Si sufficit soli Deo confiteri.

» 94 (3). Quod non sufficit soli Deo confiteri si possit confiteri sacerdoti.

» 95 (4). An sufficiat confiteri laico.

5 » 96 (5). Ad quid valeat confessio.

## [DISTINCTIO XVIII]

Cap. 97 (1). De remissione quam praestat sacerdos.

» 98 (2). De clavibus.

» 99 (3). De usu clavium.

10 » 100 (4). Si sacerdos potest dimittere peccatum vel retinere peccatum.

» 101 (5). Quomodo sacerdotes dimittunt peccata vel retinent.

» 102 (6). Quomodo sacerdotes ligant vel solvunt a peccatis.

15 » 103 (7). Quomodo intelligendum sit illud: Quodcumque solveris etc.

» 104 (8). Quae sint interiores tenebrae et interior macula.

## [DISTINCTIO XIX]

Cap. 105 (1). Quando hae claves dantur et quibus.

» 106 (2). Utrum per indignos transfundatur gratia dignis.

20 » 107 (3). Quomodo intelligendum sit: Maledicam benedictionibus vestris.

» 108 (4). Qualis esse debeat iudex ecclesiasticus.

## [DISTINCTIO XX]

Cap. 109 (1). De his qui in fine poenitent.

25 » 110 (2). De his qui poenitentiam non complent.

» 111 (3). De illo cui sacerdos indiscretus iniungit poenam.

» 112 (4). Quod morientibus non est imponenda satisfactio, sed innotescenda.

» 113 (5). Quod non est poenitentia neganda vel reconciliatio in necessitate.

30 » 114 (6). Quod presbyter non reconciliet aliquem inconsulto episcopo, nisi in necessitate.

» 115 (7). An oblatio eius sit recipienda, qui currens ad poenitentiam, praeventur morte.



## [DISTINCTIO XXI]

- Cap. 116 (1). De peccatis quae post hanc vitam dimittuntur.  
 » 117 (2). De his qui aedificant aurum, argentum, lapides pretiosos, foenum, stipulam.  
 » 118 (3). De igne purgatorio, quo alii citius, alii tardius purgantur. 5  
 » 119 (4). Quid sit aedificare lignum, foenum, stipulam.  
 » 120 (5). Quid sit aedificare aurum, argentum, lapides pretiosos.  
 » 121 (6). Quod aliquem vere poenitet, etsi non de omni veniali.  
 » 122 (7). Quid sit generalis confessio.  
 » 123 (8). Quod nemo debet confiteri peccata quae non fecit. 10  
 » 124 (9). De poena sacerdotis qui peccatum confitentis publicat.

## [DISTINCTIO XXII]

- Cap. 125 (1). Si peccata dimissa redeant.  
 » 126 (2). Quid sit sacramentum et res.

## [DISTINCTIO XXIII]

- Cap. 127 (1). De sacramento unctionis extremae. 15  
 » 128 (2). De tribus generibus unctionis.  
 » 129 (3). A quibus fuerit hoc sacramentum institutum.  
 » 130 (4). De iteratione huius sacramenti.

## [DISTINCTIO XXIV]

- Cap. 131 (1). De ordinibus ecclesiasticis, quot sint. 20  
 » 132 (2). Quare septem sint.  
 » 133 (3). Quales assumendi sint a clero.  
 » 134 (4). De corona et tonsura.  
 » 135 (5). De ostiariis.  
 » 136 (6). De lectoribus. 25  
 » 137 (7). De exorcistis.  
 » 138 (8). De acolytis.  
 » 139 (9). De subdiaconis.  
 » 140 (10). De diaconis.  
 » 141 (11). De presbyteris. 30  
 » 142 (12). Qui dicuntur ordines sacri.  
 » 143 (13). Quid appellatur ordo.  
 » 144 (14). De nominibus dignitatis et officii.

- Cap. 145 (15). De episcopo.  
 » 146 (16). De pontifice.  
 » 147 (17). De quadripartito episcoporum ordine.  
 » 148 (18). De vate.  
 5 » 149 (19). De cantore.

## [DISTINCTIO XXV]

- Cap. 150 (1). De ordinatis ab haereticis.  
 » 151 (2). De simonia, unde dicitur et quid sit.  
 » 152 (3). De his qui a simoniacis ordinantur scienter vel non.  
 10 » 153 (4). De his qui dicunt se emere corporalia, et non spiritualia.  
 » 154 (5). De distinctione simoniacorum.  
 » 155 (6). De his qui violenter ab haereticis vel ab aliis simoniacis ordinantur.  
 » 156 (7). De aetate ordinandorum.

## 15 [DISTINCTIO XXVI]

- Cap. 157 (1). De sacramento coniugii.  
 » 158 (2). De institutione eius et causa.  
 » 159 (3). Quando secundum praeceptum et secundum indulgentiam contractum sit coniugium.  
 20 » 160 (4). Quibus modis accipitur indulgentia.  
 » 161 (5). Quod nuptiae bonae sint.  
 » 162 (6). Cuius rei sacramentum sit coniugium.

## [DISTINCTIO XXVII]

- Cap. 163 (1). Quae sint consideranda in coniugio.  
 25 » 164 (2). Quid sit coniugium.  
 » 165 (3). De consensu qui efficit coniugium.  
 » 166 (4). Quando incipit esse coniugium.  
 » 167 (5). De opinione quorundam, qui dicunt coniugium non esse ante carnalem copulam.  
 30 » 168 (6). Quod sponsa potest eligere monasterium sine sponsi consensu.  
 » 169 (7). Quod coniugatus sine coniugis consensu nequit profiteri continentiam.  
 » 170 (8). De adulterinis coniugiis.



Cap. 171 (9). Quod multipliciter sponsus et sponsa accipitur.

» 172 (10). Quae sponsa sit vidua mortuo sponso, et quae non.

[DISTINCTIO XXVIII]

Cap. 173 (1). Si consensus de futuro, etiam iuramento firmatus, faciat coniugium. 5

» 174 (2). De his quae pertinent ad substantiam et ad decorem sacramenti.

» 175 (3). Utrum consensus ille qui facit matrimonium, sit de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.

» 176 (4). Quare de latere viri formata est mulier. 10

[DISTINCTIO XXIX]

Cap. 177 (1). Quod non est consensus legitimus, ubi est coactio.

[DISTINCTIO XXX]

Cap. 178 (1). De errore qui evacuat consensum.

» 179 (2). De coniugio Mariae et Ioseph. 15

» 180 (3). De finali causa coniugii.

» 181 (4). Quod malus finis non contaminat sacramentum.

[DISTINCTIO XXXI]

Cap. 182 (1). De tribus bonis coniugii.

» 183 (2). De duplici separatione. 20

» 184 (3). De his qui procurant venena sterilitatis.

» 185 (4). Quando sint homicidae qui procurant abortum.

» 186 (5). De excusatione coitus quae fit per bona coniugii.

» 187 (6). De indulgentia quam facit Apostolus.

» 188 (7). De malo incontinentiae. 25

» 189 (8). De carnis delectatione, quae peccatum sit vel non.

[DISTINCTIO XXXII]

Cap. 190 (1). De solutione carnalis debiti.

» 191 (2). De continentia ex communi consensu servanda.

» 192 (3). Quando cessandum sit a coitu.

» 193 (4). Quibus temporibus non sint celebrandae nuptiae. 30

[DISTINCTIO XXXIII]

Cap. 194 (1). De diversis legibus coniugii.

» 195 (2). Utrum Ioannis virginitas sit praeferenda castitati Abrahae.

» 196 (3). Quae erat consuetudo coniugii sub Lege.

5 » 197 (4). Cui licebat tunc plures habere vel non.

[DISTINCTIO XXXIV]

Cap. 198 (1). De personis legitimis.

» 199 (2). De frigidis separandis vel non.

» 200 (3). De his qui maleficiis impediti coire nequeunt.

10 » 201 (4). De furiosis.

» 202 (5). De his qui dormiunt cum duabus sororibus.

» 203 (6). Quod non est dimittenda uxor pro aliqua macula corporis.

[DISTINCTIO XXXV]

Cap. 204 (1). De iure viri et mulieris.

15 » 205 (2). Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi ipse expers fuerit fornicationis, et e converso.

» 206 (3). De reconciliatione eorum qui propter fornicationem separantur.

» 207 (4). De illis qui ante coniunctionem se polluerunt per adulterium. 20

[DISTINCTIO XXXVI]

Cap. 208 (1). De servis, utrum propter extremam conditionem possit fieri separatio.

» 209 (2). De copula servi et ancillae diversorum dominorum.

25 » 210 (3). De viro qui se facit servum ut dividatur ab uxore.

» 211 (4). De aetate contrahentium.

[DISTINCTIO XXXVII]

Cap. 212 (1). In quibus ordinibus nequeat contrahi matrimonium.

» 213 (2). De interfectoribus suorum coniugum.

30 [DISTINCTIO XXXVIII]

Cap. 214 (1). De votis.



- Cap. 215 (2). De votorum differentia.  
 » 216 (3). De illis qui post longam captivitatem redeunt.

## [DISTINCTIO XXXIX]

- Cap. 217 (1). De dispari cultu.  
 » 218 (2). De coniugio fidelis et infidelis, et duorum infidelium. 5  
 » 219 (3). De fornicatione spirituali, propter quam dimitti coniux potest.  
 » 220 (4). Pro quibus peccatis possit fieri separatio vel non.  
 » 221 (5). Quando licet fidei aliam ducere vel non.  
 » 222 (6). Utrum coniugium inter infideles sit. 10  
 » 223 (7). Quod coniugium sit legitimum.

## [DISTINCTIO XL]

- Cap. 224 (1). De cognatione carnali.  
 » 225 (2). De computatione graduum consanguinitatis.  
 » 226 (3). Quare sex gradus computantur. 15  
 » 227 (4). De dispensatione Gregorii habita ad Anglos.

## [DISTINCTIO XLI]

- Cap. 228 (1). De affinitatis gradibus.  
 » 229 (2). De variis traditionibus affinitatis.  
 » 230 (3). Si coniugium sit inter eos qui nota consanguinitate dividuntur. 20  
 » 231 (4). Quibus personis testificantibus sint dirimenda coniugia.  
 » 232 (5). Quid sit fornicatio.  
 » 233 (6). Quid sit stuprum.  
 » 234 (7). Quid adulterium.  
 » 235 (8). Quid incestus. 25  
 » 236 (9). Quid raptus.

## [DISTINCTIO XLII]

- Cap. 237 (1). De spirituali cognatione.  
 » 238 (2). Qui sint filii spirituales. 30  
 » 239 (3). De copula spiritualium vel adoptivorum et naturalium filiorum.  
 » 240 (4). De copula filiorum qui ante compaternitatem vel post nati sunt.  
 » 241 (5). Si cui liceat duas commatres ducere, unam post alteram. 35

- Cap. 242 (6). Si vir et uxor simul valeant tenere puerum.  
 » 243 (7). De secundis et tertiis et deinceps nuptiis.

## [DISTINCTIO XLIII]

- Cap. 244 (1). De resurrectionis et iudicii conditione.  
 5 » 245 (2). De voce tubae.  
 » 246 (3). De nocte media.  
 » 247 (4). De libris qui tunc aperientur.  
 » 248 (5). De memoria electorum, si tunc praeterita mala teneat.  
 » 249 (6). De his qui vivi reperientur.  
 10 » 250 (7). Quomodo intelligitur Christus iudex vivorum et mortuorum.

## [DISTINCTIO XLIV]

- Cap. 251 (1). De aetate et statura resurgentium.  
 » 252 (2). Quod resurget quidquid fuit de substantia et natura corporis, etsi non in eadem parte corporis.  
 15 » 253 (3). Quod sancti sine omni deformitate resurgent.  
 » 254 (4). Utrum reproborum corpora cum deformitatibus resurgant quas hic habuerunt.  
 » 255 (5). Quod non consumentur malorum corpora quae tunc ardebunt.  
 20 » 256 (6). Si daemones corporali igne cremantur.  
 » 257 (7). Si animae sine corporibus sentiunt ignem materialem.  
 » 258 (8). De abortivis fetibus et monstris.

## [DISTINCTIO XLV]

- Cap. 259 (1). De diversis animarum receptaculis post mortem.  
 25 » 260 (2). De suffragiis defunctorum.  
 » 261 (3). De officiis sepulturae.  
 » 262 (4). De duobus aequae bonis, quorum alter post mortem plura habet auxilia.  
 » 263 (5). Quibus suffragiis iuvabuntur in fine reperti.  
 30 Cap. 264 (6). Quomodo sancti et glorificati et angeli audiunt preces supplicantium et intercedunt pro eis.

## [DISTINCTIO XLVI]

- Cap. 265 (1). Si valde malis praestatur mitigatio poenae.  
 » 266 (2). De occulto Dei iudicio.  
 35 » 267 (3). De iustitia et misericordia Dei.



- Cap. 268 (4). Quare quaedam opera dicuntur iustitiae, quaedam misericordiae vel bonitatis Dei.
- » 269 (5). Quomodo universae viae Domini dicuntur misericordia et veritas.

## [DISTINCTIO XLVII]

5

- Cap. 270 (1). De sententia iudicii.
- » 271 (2). Quod sancti iudicabunt et quomodo.
- » 272 (3). De ordinibus eorum qui erunt in iudicio.
- » 273 (4). De ordine iudicii et ministerio angelorum.
- » 274 (5). Si post iudicium daemones praeerunt hominibus ad puniendum. 10

## [DISTINCTIO XLVIII]

- Cap. 275 (1). De forma iudicis.
- » 276 (2). Qualis apparebit forma servi.
- » 277 (3). Quare secundum formam servi dicitur Christus suscitatus corpora. 15
- » 278 (4). De loco iudicii.
- » 279 (5). De qualitate luminarium et temporis post iudicium.

## [DISTINCTIO XLIX]

- Cap. 280 (1). De differentia mansionum in caelo et in inferno. 20
- » 281 (2). Si quid ibi cognoscitur ab aliquo, quod non intelligant omnes.
- » 282 (3). De parilitate gaudii.
- » 283 (4). Si maior sit beatitudo sanctorum post iudicium.

## [DISTINCTIO L]

25

- Cap. 284 (1). Si mali in inferno peccabunt.
- » 285 (2). Quare dicuntur tenebrae exteriores.
- » 286 (3). Si damnatorum animae notitiam habeant eorum quae hic fiunt.
- » 287 (4). De Lazaro et divite.
- » 288 (5). Si boni et mali invicem se vident. 30
- » 289 (6). De chaos inter bonos et malos.
- » 290 (7). Utrum visa impiorum poena minuat vel augeat bonorum gloriam.

## INCIPIT LIBER TERTIUS

## De Incarnatione Verbi

Iam nunc his intelligendis atque pertractandis quae ad Verbi incarnati mysterium pertinent, integra mentis consideratione intendamus, ut de ineffabilibus vel modicum aliquid fari Deo revelante valeamus. 5

**Huius voluminis continentia sub compendio perstringitur.** — Sic enim rationis ordo postulat, ut qui in primo libro de inexplicabili mysterio summae Trinitatis irrefragabili Sanctorum attestazione aliquid diximus, ac deinde in secundo libro conditionis rerum ordinem hominisque 10 lapsum sub certis auctoritatis regulis insinuavimus, de eius reparatione per gratiam Mediatoris Dei et hominum<sup>1</sup> praestita, atque humanae redemptionis sacramentis, quibus contritiones hominis alligantur<sup>2</sup> ac vulnera peccatorum curantur, consequenter in tertio et quarto libro disseramus: ut Samaritanus ad vulneratum<sup>3</sup>, medicus ad infirmum<sup>4</sup>, 15 gratia ad miserum accedat.

## DISTINCTIO I

*Cum venit igitur plenitudo temporis, ut ait Apostolus<sup>5</sup>, misit Deus Filium suum, factum de muliere, factum sub Lege, ut eos qui sub Lege erant*

2 Verbi] Incipit prologus terti libri feliciter add. T. 3-15 Iam... accedat om. A., rep. L (post finem libri secundi L<sup>1</sup>; post elenchum capp. tertii libri L<sup>2</sup>). 5 modicum aliquid] modis aliquibus BC. 6 Rubrica om. NTVX. 15 accedat] explicit Liber secundus de creatione rerum add. R, explicit prologus add. T. 18 factum!] natum OR.

1 Resp. I Tim. 2, 5; Gal. 3, 20. 2 Resp. Ps. 146, 3: *Et alligat contritiones eorum.*  
3 Resp. Luc. 10, 33-34. 4 Resp. Matth. 9, 12. 5 Gal. 4, 4-5.

Lin. 10-15 Cf. *Glossa* Magistri in I Tim. 2, 5 (PL 192, 339); et *Glossa* in Ps. 146, 3 (PL 191, 1274 B).

Dist. I. Meminerit lector quod divisio textus in capitula opus sit auctoris; et quod altera, scil. in distinctiones, a Magistro Alexandro Halensi originem ducat. Vide Proleg. ad tom. I, pp. 143-144. Qui cum initium Dist. I hic posuerit (cf. *Glossa in librum III*, pp. 11, 15), dum Magister Lombardus cap. primum parum infra enumeret (scilicet in ipso elencho capitulorum), quaedam discrepantia seu intervallum evadit inter initium Dist. et primum capitulum. — De plenitudine temporis, cf. Lomb., *Glossa* in Gal. 4, 4 (PL 192, 135 B-D); fontes vero huius



redimeret, in adoptionem filiorum Dei. Tempus autem plenitudinis dicitur tempus gratiae, quod ab adventu Salvatoris exordium sumpsit. Hoc est tempus miserendi<sup>1</sup> et annus benignitatis<sup>2</sup>, in quo gratia et veritas per Iesum Christum facta est<sup>3</sup>: gratia, quia per caritatem impletur quod in Lege praecipiebatur; veritas, quia per Christi adventum exhibetur atque perficitur humanae redemptionis sponsio facta ab antiquo. Filii ergo missio est ipsa incarnatio<sup>4</sup>: eo enim missus est quod in forma hominis mundo visibilis apparuit. De quo supra<sup>5</sup> sufficienter dictum est.

Cap. 1.

1. Quare Filius carnem assumpsit, non Pater vel Spiritus Sanctus. 10

Diligenter vero est annotandum quare Filius, non Pater vel Spiritus Sanctus, est incarnatus: solus namque Filius hominem assumpsit.

2. Prima ratio\*. Quod utique ordine congruo atque alto Dei sapientia fecit consilio, ut Deus qui in sapientia sua mundum condiderat, secundum illud<sup>6</sup>: *Omnia in sapientia fecisti, Domine, in eadem quae in caelis sunt et quae in terris restauraret*<sup>7</sup>. Haec est mulier evangelica<sup>8</sup> quae accendit lucernam, et drachmam decimam quae perdita fuerat reperit, Sapientia scilicet Patris, quae testam humanae infirmitatis lumine suae divinitatis accendit, perditumque hominem reparavit, nomine regis et imagine insignitum. 15

3. Secunda ratio\*. Ideo etiam Filius missus est, et non Pater, quia 20

1 in... Dei om. X. || in] ut ABCMRTW. || De] recipere add. A, recipere add. BCMRT, re. add. LW. 8 quo] qua BCRX, quod corr. R. || supra om. BCX. 13 Rubrica om. RVW. || utique om. ARX. 21 Rubrica om. RVW.

<sup>1</sup> Ps. 101, 14. <sup>2</sup> Ps. 64, 12. <sup>3</sup> Ioan. 1, 17. <sup>4</sup> August., *In Ioan.*, tr. 40, n. 6: « Missio incarnatio est » (PL 35, 1689; CCL 36, 353); *De Trinit.*, II, c. 5, n. 8: « Cum itaque ait: Misit Deus Filium suum factum ex muliere, satis ostendit eo ipso missum Filium, quo factus est ex muliere » (PL 42, 849; CCL 50, 89). <sup>5</sup> Lib. I, dist. 15, praesertim in capp. 2 et 4 (tom. I, pp. 132-134). <sup>6</sup> Ps. 103, 24. <sup>7</sup> Resp. Eph. 1, 10. <sup>8</sup> Resp. Luc. 15, 8-9, aliquantulum iuxta expositionem Bedae in h.l. (PL 92, 521 A-B; CCL 120, 286); ex Gregorio, *In Evang.*, hom. 34, n. 6 (PL 76, 1249 A-B).

numeri sunt Hugo de S. Victore, *De sacramentis*, lib. II, p. 1, c. 1 (PL 176, 371 C), et Lombardi *Sententiarum* lib. I, d. 15 (ut indicatur in nota supra). — Cap. 1: Quaestio sumitur de *Summa sententiarum*, I, 15 (PL 171, 1096 B; 176, 70 B-C). — Num. 2 fundatur in *Glossam ordin.* in Luc. 15, 8 (ap. Lyranum, *Biblia cum Glossis*, Venetiis 1588, tom. V, 164c). Repetitur quasi ad litteram in Petri Lombardi Sermone 4, *De Natali* (PL 171, 382 B-D).

Num. 3: Quoad primam phrasem, cf. Hugo, *De sacram.*, II, 1, 2 (PL 176, 571 D), et

congruentius mitti debebat qui est ab alio, quam qui est a nullo; Filius autem a Patre est, Pater vero a nullo alio est. — Augustinus\*. Ut enim ait Augustinus in libro *De Trinitate*<sup>1</sup>, « non habet de quo sit ». « Sicut ergo Pater genuit, Filius genitus est, ita congrue Pater misit, Filius missus est ». « Ab illo enim convenienter mittitur Dei Verbum, cuius est Verbum; ab illo mittitur, de quo natum est: mittitur quod genitum est ». Pater vero qui misit, a nullo est; ideoque Pater missus non est, ne si mitteretur, ab alio esse putaretur.

4. Tertia ratio\*. Missus est ergo primo Filius, qui a solo Patre est; deinde etiam Spiritus Sanctus, qui est a Patre et Filio; sed Filius solus in carne missus est, non Spiritus Sanctus, sicut nec Pater. Quod ideo factum est, ut qui erat in divinitate Dei Filius, in humanitate fieret hominis filius. Non Pater vel Spiritus Sanctus carnem induit, ne alius in divinitate esset Filius, alius in humanitate, et ne idem esset pater et filius, si Deus Pater de homine nasceretur. — In ecclesiasticis dogmatibus\*. Unde in *Ecclesiasticis dogmatibus*<sup>2</sup>: « Non Pater carnem assumpsit neque Spiritus Sanctus, sed Filius tantum, ut qui erat in divinitate Dei Filius, ipse fieret in homine hominis filius: ne filii nomen ad alterum transiret, qui non esset nativitate filius. Dei ergo Filius hominis factus est filius, natus secundum veritatem naturae ex Deo Dei Filius, et secundum veritatem naturae ex homine hominis filius: ut veritas geniti non adoptione, non appellatione, sed in utraque nativitate filii nomen nascendo haberet, et esset verus Deus et verus homo unus Filius. Non ergo duos Christos, neque duos filios, sed Deum et hominem unum Filium, quem propterea et unigenitum dicimus, manentem in duabus substantiis, 25

<sup>1</sup> Trinitate] pater enim add. V. || non] enim add. AO, pater add. N. || habet] enim add. X. <sup>2</sup> Tertia ratio om. RVW, trp. post Pater (11) AL. || ratio om. LO. <sup>3</sup> dogmatibus] Aug. ait add. O, add. marg. T<sup>2</sup>. <sup>4</sup> esset] eterna add. BCNTVWX.

<sup>1</sup> Lib. IV, c. 20, nn. 28-29 (PL 42, 907s; CCL 50, 198s). <sup>2</sup> Id est, opus Gennadii, *Liber seu diffinitio eccl. dogmatum*, c. 2 (PL 42, 1213; PL 58, 981 A-B).

*Summa sent.*, I, 15 (PL 171, 1096 D; 176, 70 B). — De missione Filii, partim eisdem verbis Augustini expressa, vide tom. I, 132-137, et 215. — Num. 4: Mixtim componitur ex verbis Hugonis, *De sacram.*, II, 1, 2 (PL 76, 571 D, 572 D), et *Summae sent.*, I, 15 (PL 171, 1096 D; 176, 70 C); repetitur in parte a Lombardo in sermone iam citato (PL 171, 383 A). Auctoritas Gennadii (sub nomine Augustini) sumitur, ut videtur, ex Hugone, *De sacram.*, II, 1, 4 (PL 176, 380 B-C); iam invenitur, incomplete et sub rubrica *De fide ad Petrum* in *Glossa* in Rom. 1, 3 (cf. textus versionis primitivae, prope finem n. 1, in Proleg. ad hoc volumen); iterum, in sermone 4 (PL 171, 383 A); necnon, et quidem sub eadem rubrica, in sermone n. 18, *In Annuntiatione* (PL 171, 605 D - 606 B).



sicut ei naturae veritas contulit: non confusis naturis neque immixtis, sicut Timothiani<sup>1</sup> volunt, sed societate unitis». Ecce habes quare Filius, non Pater vel Spiritus Sanctus, carnem assumpserit.

## Cap. 2.

**Utrum Pater vel Spiritus Sanctus potuerit incarnari vel possit.** Si vero quaeritur utrum Pater vel Spiritus Sanctus incarnari potuerit, vel etiam modo possit, sane responderi potest et potuisse olim et posse nunc carnem sumere et hominem fieri tam Patrem quam Spiritum Sanctum. Sicut enim Filius homo factus est, ita Pater vel Spiritus Sanctus potuit et potest.

## Cap. 3.

**1. An Filius qui tantum carnem accepit, aliquid fecerit quod non Pater vel Spiritus Sanctus.** Sed forte aliqui dicent: Cum indivisa sint opera Trinitatis<sup>2</sup>, si Filius carnem assumpsit, tunc Pater et Spiritus Sanctus: quia si Filius carnem assumpsit nec hoc fecit Pater vel Spiritus Sanctus, non omne quod facit Filius, facit Pater et Spiritus Sanctus; at « omnia<sup>3</sup> simul Pater et Filius et amborum Spiritus pariter et concorditer operantur ».

**2. Responsio\*.** Ad quod dicimus quia nihil operatur Filius sine Patre et Spiritu Sancto, sed una est horum trium operatio, indivisa et indissimilis; et tamen Filius, non Pater vel Spiritus Sanctus, carnem assumpsit. Ipsam tamen carnis assumptionem Trinitas operata est, sicut A u-

<sup>15</sup> hoc fecit Pater *trp.* hoc Pater fecit BC, Pater hoc fecit T. BCRVWX. || quia] quod LV, vel quod *add. interl.* R. <sup>19</sup> Responsio *om.*

<sup>1</sup> A Timotheo archiep. monophysita Alexandrino (fl. 458) dicti, de quo idem Gennadius; *De viris illustribus*, c. 72 (PL 58, 1101 B - 1102 A). Cf. J. Lebon, *La christologie de Timothée Aelure*, in *Rev. Hist. Eccl.* 9 (1908) 677ss. <sup>2</sup> August., *Enchiridion*, c. 38 (PL 40, 251, CCL 46, 70s; ad hoc opus citandum sequimur semper capitulationes *Patr. Latin.*). <sup>3</sup> Ut notat rubrica marginalis, « August. in XIII libro *De Trinitate* », c. 11, n. 15 (PL 42, 1025; CCL 50A, 402).

Cap. 3, n. 1: Quaestio agitur ab Hugone, *De sacram.*, II, 1, 3 (PL 176, 373 A); cf. Gualterus de Mauretania, *De Trinitate*, c. 5 (PL 209, 580 C-D). — Num. 2: Augustinus (rectius Fulgentius), *De fide*, invenitur in *Glossa primitiva* in Rom. 1, 3 (sub num. 20; vide Prolegomena). Verba Aug., *De Trin.*, citantur in parte ab Hugone, *ibid.*, c. 4 (PL 176, 376 C); qui tamen non videtur esse fons.

gustinus dicit in libro *De fide ad Petrum* 1: « Reconciliati sumus per solum Filium secundum carnem, sed non soli Filio secundum deitatem. Trinitas enim nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit ». Trinitas igitur carnis assumptionem fecit, sed Verbo, non Patri vel Spiritui Sancto. Si enim Pater sibi et Filius sibi, vel Pater Filio et Filius Patri carnis assumptionem operatus esset, iam non eadem esset operatio utriusque, sed divisa. — Augustinus in primo libro *De Trinitate* \*. Sed sicut inseparabilis et indivisa est unitas substantiae trium, ut ait Augustinus in libro *De Trinitate* 2, ita et operatio: « Non tamen eandem Trinitatem natam de Virgine, crucifixam et sepultam, catholici tractatores docuerunt, sed tantummodo Filium; nec eandem Trinitatem in specie columbae descendisse super Iesum<sup>3</sup>, sed tantum Spiritum Sanctum; nec eandem dixisse de caelo<sup>4</sup>: *Tu es Filius meus*, sed tantum Patris vocem fuisse ad Filium factam: quamvis Pater et Filius et Spiritus Sanctus, sicut inseparabiles sunt, ita et inseparabiliter operentur. Haec et mea fides est, quando haec est catholica fides ». — Licet igitur solus Filius carnem assumpserit, ipsam tamen incarnationem cum Patre et Spiritu Sancto operatus est.

## DISTINCTIO II

## Cap. 1 (4).

**1. Quare totam humanam naturam accepit, et quid nomine humanitatis vel humanae naturae intelligendum sit.** Et quia in homine tota humana natura vitio corrupta erat, totam assumpsit, id est animam et carnem, ut totam curaret et sanctificaret. — Hieronymus \*. Quod autem humanae naturae sive humanitatis vocabulo anima et caro intelligi debeant, aperte docet Hieronymus in *Expositione catholicae fidei* 5

<sup>7</sup> Rubrica *om.* MRTVW. || primo] *om.* BC. <sup>16</sup> quando] quoniam ABCRVX.

<sup>1</sup> Rectius Fulgentius Ruspensis, c. 2, n. 23 (PL 65, 682 C-D; etiam inter opp. August., PL 40, 760; CCL 91A, 726). <sup>2</sup> Cap. 4, n. 7 (PL 42, 824; CCL 50, 35s). <sup>3</sup> Resp. Luc. 3, 22. <sup>4</sup> Luc. 3, 22. <sup>5</sup> Id est Pelagius, in *Libello fidei ad Innocentium Papam*, n. 4 (PL 45, 1717; pro aliis edd. cf. tom. I, 196, n. 1).

Cap. 1. Vide animadversiones circa hoc capitulum apud Ioannis Cornubiensis *Eulogium ad Alex. Papam III*, cc. XII et X; ed. N. M. Häring, in *Mediaeval Studies* 13 (1951), 283 et 277s. — Num. 1: Quaestio introducitur verbis *Summae sent.*, I, 15 (PL 171, 1097 A; 176, 70 C).



dicens: « Sic confitemur in Christo unam Filii esse personam, ut dicamus duas perfectas et integras esse substantias, id est deitatis et humanitatis, quae ex anima continentur et corpore ». Ecce aperte ostendit humanitatis nomine animam et corpus intelligi; quae duo assumpsisse Dei Filius intelligitur, ubi hominem sive humanitatem vel humanam naturam accepisse 5 legitur.

2. **Errorem quorundam tangit, qui humanitatem male accipiunt \***. Errant igitur qui nomine humanitatis non substantiam, sed proprietatem quandam, a qua homo nominatur, significari contendunt, ubicumque Christi humanitas memoratur. — **Ioannes Damascenus \***. Ait enim **I o a n n e s** 10 **D a m a s c e n u s** 1: « Sciendum quidem quod deitatis et humanitatis nomen substantiarum, scilicet naturarum, est repraesentativum ».

3. Natura enim non sic accipitur in Christo ut cum dicitur una natura esse omnium hominum. Quod evidenter idem **I o a n n e s** ostendit, differentem rationem dicti assignans cum natura humana in Christo nominatur, et cum una dicitur natura omnium hominum. Ait enim 2: « Cum unam hominum naturam dicimus, sciendum est quod non considerantes ad animae et corporis rationem hoc dicimus. Impossibile enim est unius naturae dicere » Domini « corpus et animam ad invicem comparata. Sed quia plurimae personae hominum sunt, omnes autem eandem suscipiunt 20 rationem naturae — omnes enim ex anima et corpore compositi sunt, et omnes naturam animae participant et substantiam corporis possident — communem speciem plurimarum et differentium personarum unam naturam dicimus, uniuscuiusque scilicet personae duas naturas habentis et in duabus perfectae naturis, animae scilicet et corporis. In Domino autem 25 Iesu Christo non est communem speciem accipere. Neque enim factus est,

18 enim est trp. ABCLVX. 21 compositi sunt trp. BCV. 22 naturam] natura A, nature CMN, corr. ex nature T.

1 *De fide orthodoxa*, III, c. 4 (PG 94, 998 A); versiones Burgundionis et Cerbani, c. 48, n. 1 (ed. E. Buytaert, pp. 180, 396). 2 *Ibid.*, c. 3 (PG 94, 991 A-B et 994 A); versio Burgundionis et (potius) Cerbani, c. 47, nn. 5-6 (ed. cit., pp. 176, 394).

Num. 2: Lectorem referre videtur Magister ad lexim seu modum loquendi quo utitur Magister Gilbertus Porretanus in suis commentariis in opuscula Boethii, praesertim in illo *In librum Contra Euticem et Nestorium*, c. 4, nn. 31-51 (ed. N. M. Häring, *The Commentaries on Boethius by Gilbert of Poitiers*, Toronto 1966, 293-298). Cf. etiam N. M. Häring, *Sprachlogische und philosophische Voraussetzungen zum Verständnis der Christologie Gilberts von Poitiers*, in *Scholastik* 32 (1957) 373-398. — Num. 3: Verba Damasceni repetuntur a Ioan. Cornub., *Eulogium* (PL 199, 1065s; ed. N. M. Häring, p. 277s).

nec est, nec aliquando fiet alius. Sed Christus ex deitate et humanitate, in deitate et humanitate, Deus perfectus est, idem et homo perfectus ».

4. Totam igitur hominis naturam, id est animam et carnem, et horum proprietates sive accidentia assumpsit Deus: non carnem sine anima, nec animam sine ratione, ut haeretici voluerunt 1, sed et carnem et animam cum sensibus suis. — Unde **I o a n n e s D a m a s c e n u s** 2 ait: « Omnia quae in nostra natura plantavit Dei Verbum, assumpsit: corpus et animam intellectualem, et horum idiomata. Totum enim totus assumpsit me, ut toti mihi salutem gratificet. Quod enim inassumptibile 10 est, incurabile est ».

#### Cap. 2 (5).

1. **De unione Verbi et carnis mediante anima.** Assumpsit igitur Dei Filius carnem et animam, sed carnem mediante anima. — **Ioannes Damascenus \***: « Unitum 3 est carni per medium intellectum Verbum Dei ». 15 Tantae enim subtilitatis atque simplicitatis est divina essentia, ut corpori de limo terrae formato uniri non congruerit nisi mediante rationali essentia.

2. Illa autem unio inexplicabilis est, adeo ut etiam Ioannes, *ab utero* sanctificatus 4, se non esse dignum fateatur *solvere corrigiam cal-*

2 deitate] namque add. A, quoque add. V, -que add. BCLMORTWX, sed del. O. || perfectus] est add. LT. 5 et 1 om. BCLT, add. interl. R. 7 nostra natura trp. ABCNX. || assumpsit] secundum add. BC, scilicet add. LNOVW, add. interl. T. 9 gratificet] gratificaret LN, corr. in gratificaret RV (interl.), gratis ferret X, vel gratis ferret add. interl. T2.

1 Cf. Gennadius, *Liber seu diff. eccl. dogmatum*. c. 2 (PL 42, 1214; PL 58, 981 D). 2 Hic iterum notatur nomen Ioan. Dam. in marginibus codd. meliorum; scil. *De fide orthodoxa*, III, c. 6 (PG 94, 1006 B); versiones Burgundionis et Cerbani, c. 50, n. 2 (ed. E. Buytaert, p. 188, et 400, sed contracte). 3 *Ibid.*; versiones Burgund. et Cerbani, c. 50, n. 3 (189, 400). 4 Resp. Luc. 1, 15: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae.*

Cap. 2: Cf. A. M. Landgraf, *Das Axiom « Verbum assumpsit carnem mediante anima » in der Frühscholastik*, in *Dogmengeschichte der Frühscholastik* II-1 (Regensburg 1953), 150-171. — Num. 1: Ex mala interpretatione rubricae, *Ioan. Dam.*, vel potius ex falso situ eius in aliquibus codicibus, quampluribus attribuuntur Damasceno verba quae reapse auctoritatem sequuntur: « Tantae enim... essentia »; ex. gr. a Gualtero de S. Victore in *Contra IV Labyrinthos Franciae*, lib. IV, c. 13 (ed. P. Glorieux, *Archives d'histoire doctr. et litt. du moyen âge* 19, 1952, 277, lin. 22-24); a Magistro Petro Pictaviensi, *Sent. libri V*, lib. IV, c. 7 (PL 211, 1163 D) et quidem ut Ioan. Chrysostomi; et ab aliis notatis a Landgraf, *art. cit.*, 164, n. 58; 165, n. 61; 166; necnon et infra in capitulo seu articulo *Das Problem: « Utrum Christus fuerit homo in triduo mortis »*, p. 292, n. 112.

Num. 2: Ex *Glossa ord.* in Marc. 1, 7 (ap. Lyranum, V 90c).



ceamenti Iesu<sup>1</sup>, quia illius unionis modum investigare aliisque explicare non erat sufficiens.

3. Augustinus, *De agone christiano* \*: «Non<sup>2</sup> sunt igitur audiendi qui non verum hominem Filium Dei suscepisse dicunt, neque natum de femina, sed falsam carnem et imaginem corporis simulatam ostendisse videntibus». In quem errorem prorumpunt quia «timent, quod fieri non potest, scilicet ne humana carne veritas et substantia Dei inquinetur. Et tamen praedicant istum visibilem solem radios suos per omnes faeces spargere, et eos mundos et sinceros servare. Si ergo visibilia munda visibilibus immundis contingi possunt et non inquinari, quanto magis incommutabilis et invisibilis Veritas, per spiritum animam et per animam corpus suscipiens, totum hominem sine sui contaminatione assumpsit et ab omnibus infirmitatibus liberavit?» — Ecce hic dicit Dei sapientiam per spiritum assumpsisse animam, et per animam corpus. Spiritus enim, scilicet pars animae superior<sup>3</sup>, maiori similitudine Deo propinquat quam anima, scilicet ipsa eadem secundum inferiorem partem, et anima magis quam corpus; et ideo non incongrue anima dicitur assumpta per spiritum, et corpus per animam.

Cap. 3 (6).

1. Quod Verbum simul assumpsit animam et carnem, neque caro prius est concepta quam assumpta. Si autem quaeritur utrum Verbum carnem simul et animam assumpserit, an prius animam quam carnem vel carnem quam animam, et utrum caro illa prius fuerit in utero Virginis concepta et postea assumpta: verissime et absque ulla ambiguitate dicitur quia ex quo hominem Deus assumpsit, totum assumpsit, simulque sibi univit

10 inquinari] colnquinari LRTW. 11 spiritum] id est intellectum add. O.

<sup>1</sup> Resp. Marc. 1, 17; iuxta interpretationem Gregorii Magni: «Corrigia calceamenti est ligatura mysterii. Ioannes itaque volvere corrigiam calceamenti eius non valet, quia incarnationis eius mysterium nec ipse investigare sufficit, qui hanc per prophetiae spiritum agnovit» (*In Evang.*, hom. 7, n. 3; PL 76, 1102 A). <sup>2</sup> Cap. 18, n. 20 (PL 40, 300s; CSEL 41, 120s). <sup>3</sup> Vide supra, lib. II, d. 24, cc. 4-5 (tom. I, p. 453s).

Num. 3: Auctoritas Augustini iam invenitur in *Glossa Lombardi* in II Cor. 1, 20 (PL 192, 15 D - 16 A).

Cap. 3, num. 1: Prima quaestio et eius solutio verbis Hugonis proponitur, ut in *De sacram.*, II, 1, 9 (PL 176, 393 D); secunda pars qua quaeritur utrum caro illa etc. trahitur de *Summa Sent.*, I, 16 (PL 171, 1098 D; 176, 72 B).

animam et carnem; nec caro prius fuit concepta et postmodum assumpta, sed in conceptione assumpta et in assumptione concepta.

2. Augustinus \*. Unde Augustinus in libro *De fide ad Petrum*<sup>1</sup>: «Firmissime tene, et nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, prius quam susciperetur a Verbo; sed ipsum Verbum Deum suae carnis acceptione conceptum, ipsamque carnem Verbi incarnatione conceptam». — Idem in libro *De Trinitate*<sup>2</sup>: «Non esset Dei hominumque mediator<sup>3</sup>, nisi esset idem Deus, idem homo, in utroque unus et verus». «Quam<sup>4</sup> servilem formam<sup>5</sup> a solo Filio susceptam, tota Trinitas, cuius una est voluntas et operatio, fecit». «Non<sup>6</sup> autem in utero Virginis prius caro suscepta est, et postmodum divinitas venit in carnem, sed mox ut Verbum venit in uterum, servata veritate propriae naturae, factum est caro<sup>7</sup>; et perfectus homo, id est in veritate carnis et animae natus est». — Gregorius \*. De hoc etiam Gregorius in *Moralibus*<sup>8</sup> ait: «Angelo nuntiante et Spiritu adveniente, mox Verbum in utero, mox intra uterum Verbum caro».

DISTINCTIO III

Cap. 1 (7).

1. De carne quam Verbum assumpsit, qualis ante fuerit et qualis assumpta sit. Quaeritur etiam de carne Verbi, an priusquam conciperetur

<sup>6</sup> Deum] dei A, domini T, quod corr. interl. T<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cap. 18, n. 59 (opus Fulgentii, PL 65, 698 D - 699 A; CCL 91 A, 750). <sup>2</sup> Rectius Leo Magnus, *Epist.* 35, c. 3 (PL 54, 809 A). <sup>3</sup> Resp. I Tim. 2, 5. <sup>4</sup> Cf. August., *De Trinit.*, II, c. 5, n. 9 (PL 42, 850; CCL 50, 90s; supra, tom. I, p. 133s); sed revera, fons est Fulgentius, *Epist.* 14 (*ad Ferrandum*), n. 82: «Quocirca quia inseparabilis est operatio Trinitatis, servilem formam quam Unigenitus Deus accepit, tota Trinitas fecit» (PL 65, 412; CCL 91, 412); vel idem Fulgentius, *De incarnatione Filii Dei*, n. 21: «Illam utique servi tota Trinitas fecit, quam tamen in personam suam Filius solus accepit» (PL 65, 585; CCL formam 91, 330). <sup>5</sup> Resp. Phil. 2, 7. <sup>6</sup> Gregorius Magnus, *Epist.* 67 (PL 77, 1207 D - 1208 A; apud DS, n. 479). <sup>7</sup> Resp. Ioan. 1, 14. <sup>8</sup> Lib. XVIII, c. 52, n. 85 (PL 76, 90 A).

Num. 2: Auctoritates Aug. *De Trinitate* et Gregorii sumuntur ad litteram de *Summa sent.* I, 16 (PL 171, 1099 B; 176, 72 D). De veris fontibus cf. notas supra.

Cap. 1, n. 1: Quaestio proponitur (in parte) verbis *Summae sent.*, I, 16 (PL 171, 1099 C; 176, 72 D - 73 A); cui respondetur verbis Hugonis, *De sacram.*, II, 1, 7 (PL 176, 389 B-C).



obligata fuerit peccato, et an talis assumpta fuerit a Verbo. — Sane dici potest, et credi oportet, iuxta Sanctorum<sup>1</sup> attestationis convenientiam, « ipsam prius peccato fuisse obnoxiam », sicut reliqua Virginis caro, sed Spiritus Sancti operatione ita mundatam, ut ab omni peccati contagione immunis uniretur Verbo, poena tantum, non necessitate, sed voluntate<sup>5</sup> assumptis remanente.

2. **Quod non tantum illa caro, sed etiam sacra Virgo ab omni peccati contagio a Spiritu Sancto mundata fuit \***. Mariam quoque totam Spiritus Sanctus in eam praeveniens a peccato prorsus purgavit, et a fomite peccati etiam liberavit: vel fomitem ipsum penitus evacuando, ut quibusdam<sup>10</sup> placet<sup>2</sup>; vel sic debilitando et extenuando ut ei postmodum peccandi occasio nullatenus exstiterit.

3. Potentiam quoque generandi absque viri semine Virgini praeparavit. Ita enim verba Evangelii docent, ubi angelus Virginem alloquens ait<sup>3</sup>: *Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi; et quod nascetur ex te sanctum vocabitur Filius Dei*. Cui sacra Virgo respondit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum*. — **Ioannes Damascenus \***. Quod exponens **I o a n n e s**<sup>4</sup> ait: « Post concessum autem sanctae Virginis, Spiritus Sanctus praevenit in ipsam, secundum verbum Domini quod dixit angelus, purgans ipsam, et potentiam deitatis<sup>20</sup> Verbi receptivam praeparans, simul autem et generativam. Et tunc

<sup>5</sup> tantum] tamen ABCO.      <sup>8</sup> Spiritu Sancto *trp.* BCX. || mundata fuit] fuit munda BCX.

<sup>1</sup> Ita August., *De peccatorum meritis seu de baptismo parvulorum*, II, c. 24: « Nec sumpsit carnem peccati, quamvis de materna carne peccati. Quod enim carnis inde suscepit, id profecto aut suscipiendum mundavit, aut suscipiendo mundavit » (PL 44, 174s; CSEL 60, 111); et Ambrosiaster in Rom. 8, 3: « Expiata est enim a Spiritu Sancto caro Domini » (PL 17 [1845], 118 A; CSEL 81-I, 254s).

<sup>2</sup> Bernardo scilicet, ut nobis videtur, qui anno 1138 ad canonicos Lugdunenses scripsit (*Epist.* 174, n. 5): « Ego puto quod et copiosior sanctificationis benedictio in eam descenderit, quae ipsius non solum sanctificaret ortum, sed et vitam ab omni deinceps peccato custodiret immunem, quod nemini alteri in natis quidem mulierum creditur esse donatum. Decuit nimirum Reginam virginum, singularis privilegio sanctitatis, absque omni peccato ducere vitam, quae, dum peccati mortisque pareret peremptorem, munus vitae et iustitiae omnibus obtineret » (PL 182, 334 C-D; ed. Cisterc. VII [1974], 390).      <sup>3</sup> Luc. I, 35 et 38.      <sup>4</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 2 (PG 94, 983 C-D et 986 A - 987 A); versiones Burgundionis et (maxime) Cerbani, c. 46, n. 2 (ed. E. Buytaert, 171s, 391s).

Num. 2: Partim de *Summa sent.*, uti supra. — Num. 3: Verba Damasceni proferuntur a Lombardo in sermone 18, *In Annuntiatione* (PL 171, 607 A, ex quodam textu corrupto).

obumbravit ipsam Dei altissimi per se Sapientia et Virtus<sup>1</sup> existens, id est Filius Dei, Patri homousios, id est consubstantialis, sicut divinum semen; et copulavit sibi ipsi ex sanctissimis et purissimis ipsius Virginis sanguinibus carnem animatam anima rationali et intellectiva nostrae<sup>5</sup> antiquae conspersionis<sup>2</sup>, non seminans, sed per Spiritum Sanctum creans. Quare simul caro, simul Dei caro; simul caro animata rationalique et intellectu, simul Dei Verbi caro animata rationali et intellectivo».

4. Ex his perspicuum fit quod ante diximus<sup>3</sup>, carnem scilicet Verbi simul conceptam et assumptam; eandemque, immo totam Virginem, Spiritu Sancto praeveniente ab omni labe peccati castificatam. — **Augustinus, De fide ad Petrum \***: Cui collata est potentia « novo<sup>4</sup> more generandi, ut sine coitu viri, sine libidine concipientis » in utero Virginis celebraretur conceptus Dei et hominis. « Illa<sup>5</sup> enim caro quam Deus ex Virgine sibi unire dignatus est, sine vitio concepta, sine peccato nata est. Hanc tamen<sup>15</sup> carnem non caelestis, non aëriae, non alterius cuiusquam putes esse naturae, sed eius cuius est omnium hominum caro ».

#### Cap. 2 (8).

**Auctoritate firmat ex tunc Virginem a peccato fuisse immunem \***. Quod autem sacra Virgo ex tunc ab omni peccato immunis exstiterit,<sup>20</sup> **Augustinus** evidenter ostendit in libro *De natura et gratia*<sup>6</sup> inquiring: « Excepta sancta Virgine Maria, de qua propter honorem Domini nullam prorsus, cum de peccatis agitur, haberi volo quaestionem (inde enim scimus quod ei plus gratiae sit collatum ad vincendum ex omni parte peccatum, quod concipere ac parere meruit quem constat nullum<sup>25</sup> habuisse peccatum): hac ergo Virgine excepta, si omnes sancti et sanctae congregari possent, et quaereretur ab eis an peccatum haberent, quid responderetur, nisi quod Ioannes ait<sup>7</sup>: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus?* » — **Augustinus, De fide ad Petrum \***:

<sup>2</sup> homousios] homousyon ABCNV, *corr. in* homousyon R.      <sup>18</sup> firmat] confirmat ABC, confirmat Augustini X, affirmat N.      <sup>27</sup> quia] quoniam AN, quod W.

<sup>1</sup> Cf. I Cor. 1, 24.      <sup>2</sup> Cf. I Cor. 5, 7: *Ut sitis nova conspersio*.      <sup>3</sup> In Dist. 2, c. 3.      <sup>4</sup> Cap. 2, n. 17 (opus Fulgentii, PL 65, 679 D; CCL 91A, 722).      <sup>5</sup> Ibid., n. 15 (PL 65, 679 A; CCL 91A, 720s).      <sup>6</sup> Cap. 36, n. 42 (PL 44, 267; CSEL 60, 263s).      <sup>7</sup> I Ioan. 1, 8.

Cap. 2: Prima auctoritas Augustini sumitur de *Summa sent.*, I, 16 (PL 171, 1099 C; 176, 73 A).



« Illa <sup>1</sup> autem Virgo singulari gratia praevenita est atque repleta, ut ipsum haberet ventris sui fructum, quem ex initio habet universitas Dominum »; « ut <sup>2</sup> illud quod nascebatur ex propagine primi hominis, tantummodo generis, et non criminis originem duceret ».

## Cap. 3 (9).

5

1. **Quare Christus non fuit decimatus in Abraham sicut Levi, cum caro quam accepit in eo fuerit peccato obnoxia.** Cum autem illa caro, cuius excellentia singularis verbis explicari non valet, antequam esset Verbo unita, obnoxia fuerit peccato in Maria et in aliis a quibus propagatione traducta est, non immerito videri potest in Abraham peccato <sup>10</sup> subiacuisse, cuius universa caro peccato subiacebat. Unde quaeri solet quare Levi dicatur decimatus in Abraham <sup>3</sup>, et non Christus, cum in lumbis Abrahae uterque fuerit secundum materialem rationem, quando Abraham decimatus est, id est decimas dedit Melchisedech <sup>4</sup>.

2. **Qua intelligentia Levi decimatus dicatur in Abraham \*.** Tunc enim <sup>15</sup> Apostolus Levi decimatum dicit in Abraham tamquam in materiali causa, quia ea decimatione sicut Abraham minor Melchisedech ostenditur, cui personaliter decimas solvit, ita et Leviticus ordo, qui in Abraham secundum rationem seminalem erat et ex eo per concupiscentiam carnis descendit. Christus autem non est decimatus, quia licet ibi fuerit secundum <sup>20</sup> carnem, non tamen inde descendit secundum legem communem, scilicet per carnis libidinem; sicut etiam in Adam *omnes peccaverunt* <sup>5</sup>, sed non Christus. — **Augustinus: secundum aliquem modum ibi fuit Levi quo non**

7 fuerit] fuit BCMNOV.

12 dicatur decimatus trp. NOW.

<sup>1</sup> Cap. 2, n. 17 (opus Fulgentii, PL 65, 680 A; CCL 91A, 722). <sup>2</sup> August., *De Trinit.*, XIII, c. 18, n. 23 (PL 42, 1032; CCL 50A, 413s). <sup>3</sup> Resp. Hebr. 7, 9-10: *Per Abraham, et Levi... decimatus est: adhuc enim in lumbis patris erat, quando obviavit ei Melchisedech.* <sup>4</sup> Resp. Gen. 14, 18-20. <sup>5</sup> Resp. Rom. 5, 12.

Cap. 3, n. 1: Quaestio fundatur in verba *Summae sent.*, I, 16 (PL 171, 1099 D; 176, 73 B); cf. etiam Hugo *De sacram.*, II, 1, 5 (PL 176, 382 D-383 A); et L. Ott, *Untersuchungen zur theologischen Briefliteratur der Frühscholastik* (BGPTMA XXXIV, Münster 1937) 52.

Num. 2: Tota auctoritas sumitur ex *Glossa ord.* in Hebr. 7, 10, ut supra notatur, et minus recte Augustino assignatur; unde invenitur ad litteram in *Glossa Lombardi* in h. 1. (PL 192, 450 D - 451 B, ubi textus valde corruptus est); exinde, multis omissis, incorporatur in hunc locum. Patet quod Florus in hoc loco non est fons huius passus (cf. eius *Expositio epistolarum beati Pauli* de qua agitur in Proleg. ad tom. I, p. 79\*).

**Christus \*.** Unde Augustinus, *Super Genesim* <sup>1</sup>: « Sicut Adam peccante, qui in lumbis eius erant peccaverunt; sic Abraham dante decimas, qui in lumbis eius erant decimati sunt. Sed hoc non sequitur in Christo, licet in lumbis Adae et Abrahae fuerit, quia non secundum concupiscentiam carnis inde descendit ». « Cum <sup>2</sup> ergo Levi et Christus secundum carnem essent in lumbis Abrahae quando decimatus est, ideo pariter decimati non sunt, quia secundum aliquem modum non erat ibi Christus, quo erat ibi Levi ». « Secundum <sup>3</sup> rationem quippe illam seminalem ibi fuit Levi, qua ratione per concubitum venturus erat in matrem; secundum <sup>10</sup> quam rationem non ibi erat Christi caro, quamvis secundum ipsam ibi fuerat Mariae caro ». « Ille <sup>4</sup> ergo decimatus est in Abraham, qui sic fuit in lumbis Abrahae sicut ille fuit in lumbis patris suis, id est qui sic est natus de patre Abraham sicut ille de suo patre natus est, scilicet per legem carnis et invisibilem concupiscentiam ».

## Cap. 4 (10).

15

1. **Qua ratione caro Christi dicta est in Scriptura non fuisse peccatrix, sed similis: quo aperitur quare obligata peccato non fuerit in Christo.** Quocirca 'primitiam nostrae massae' recte assumpsisse dicitur Christus <sup>5</sup>, quia non carnem peccati, sed similitudinem carnis peccati accepit. *Misit enim Deus Filium suum*, ut ait Apostolus <sup>6</sup>, *in similitudinem carnis peccati*. Assumpsit enim Verbum carnem peccatrici similem in poena et non in culpa, et ideo non peccatricem. — **Augustinus, De verbis Apostoli \*7:** « Cetera vero hominum omnis caro peccati est: sola illius non est caro peccati, quia non eum mater concupiscentia, sed gratia concepit. Habet <sup>25</sup> tamen *similitudinem carnis peccati* per passibilitatem et mortalitatem, quia

<sup>3</sup> sequitur] consequitur AO. <sup>9</sup> qua ratione] quia idem ibi BC. || ratione corr. in idem X. <sup>10</sup> ibi erat trp. ANOV. <sup>12-13</sup> est natus trp. BCL. <sup>13</sup> suo patre trp. BCOV. <sup>14</sup> invisibilem] invincibilem LV, corr. in invincibilem R.

<sup>1</sup> Prima pars huius auctoritatis non est Augustini, sed potius *Glossae ord.* in Hebr. 7, 10 (apud Lyranum, VI, 154c; et codd. Florent. Laurent. Pl. V. d. 11 [= I], f. 197b; PL XXIII. 5 [= m]), f. 114c, et quidem semper sine rubrica. <sup>2</sup> Paraphrasis Augustini, *De Genesi ad litt.*, X, c. 19, n. 34 (PL 34, 423; CSEL 28-1, 322). <sup>3</sup> Ibid., c. 20, n. 35 (PL 34, 424; CSEL 28-1, 323). <sup>4</sup> Ibid., n. 36 (loc. cit.). <sup>5</sup> Dictum est Ioan. Damasceni, *De fide orthodoxa*, III, c. 2 (PL 94, 986 B); versio Burgund., c. 46, n. 2 (ed. E. Buytaert, 171). <sup>6</sup> Rom. 8, 3. <sup>7</sup> *Sermo 152*, n. 8 (PL 38, 823).

Cap. 4, num. 1: Ex *Glossa Magistri* in Rom. 8, 3 (PL 191, 1433 C-D).



esuriit, sitiit et huiusmodi». « Licet<sup>1</sup> ergo eadem caro sit quae et nostra, non tamen ita facta est in utero sicut nostra. Est enim sanctificata in utero et nata sine peccato, et nec ipse in illa unquam peccavit. In poena ergo similis est nostrae, non in qualitate peccati», quia (Origenes\*:) « pollutionem<sup>2</sup> quae ex concupiscentiae motu concepta est omnino non habuit », « nec<sup>3</sup> ex carnali delectatione nata est ». — **Tres causas ponit** \*. *Venit ergo ad corpus immaculatum*<sup>4</sup>, quod praeter libidinis concupiscentiam fuit conceptum; nec illud in se habuit vitium, quod in aliis est causa peccati; nec in eo peccavit. Ideoque vere dicitur Verbi caro non fuisse in Christo obligata peccato.

2. **Quiddam videtur adversari illi sententiae qua dictum est carnem Christi non prius conceptam quam assumptam.** Illi autem sententiae, qua supra<sup>5</sup> diximus carnem Verbi non ante fuisse conceptam quam assumptam, videtur obviare quod Augustinus ait, *Super Ioannem*<sup>6</sup>, ubi legitur<sup>7</sup>: *Solvite templum hoc, et in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudaei: Quadraginta et sex annis aedificatum est hoc templum, et tu tribus diebus excitabis illud?* « Hic, inquit, numerus perfectioni dominici corporis convenit, quia ut dicunt physici, tot diebus forma humani corporis perficitur ».

3. Horum occasione verborum quidam<sup>8</sup> dicere praesumpserunt do-

<sup>1</sup> sitiit] sitiit AMV.      <sup>16</sup> tu] in NVW, in add. interl. R.

<sup>1</sup> Ambrosiaster (sine rubrica), *In Rom.* 8, 3 (PL 17 [1845], 117s; CSEL 81-I, 254s).

<sup>2</sup> *In Rom.*, VI, n. 12 (PG 14, 1095 A).

<sup>3</sup> August., *De div. quaest.* 83, q. 66, n. 6 (PL 40, 64; CCL 44A, 159).

<sup>4</sup> Dictum est Origenis, l.c., innitens Sap. 8, 20: *Veni ad corpus inquinatum.*

<sup>5</sup> *In Dist.* 2, c. 3, n. 1.

<sup>6</sup> De hoc nihil invenitur in opere Augustini *In evangelium Ioannis*, tr. X, nn. 10-12 (PL 35, 1472s; CCL 36, 106ss); aliqua ad sensum in *De Trinit.*, IV, c. 5, n. 9 (PL 42, 893s; CCL 50, 172s); vide potius *Glossa ord.* in Ioan. 2, 20 (apud Lyranum, V, 193c).

<sup>7</sup> Ioan. 2, 19-20.

<sup>8</sup> Haec erat opinio, ut videtur, Magistri Odonis Suessionensis (postea Ursicampi), qui socius et aemulus Petri Lombardi fuit in scholis Nostrae Dominae Parisius. In quaestione enim *Deus assumpsit hominem* primo reicit sententiam illorum qui tenent quod in salutatione angeli statim particula a carne Virginis decisa perfectam formam humani corporis suscepit et subito est anima infusa. Suam tunc opinionem proponit: « Verisimilius est quod statim in ipsa separatione (particulae carnis) carni unita est divinitas; quae caro postea in perfectam formam humani corporis per temporales successiones excrevit... et tunc primo anima est infusa... de nihilo creata et divinitati unita; et tunc primo vere potuit dici Deum esse hominem » (*Quaestiones*

Num. 2: Ex *Summa sent.* I, 16 (PL 171, 1098 D - 1099 A; 176, 72 B-C), ubi et spuria auctoritas Augustini. De usu huius auctoritatis ex parte auctorum saec. XII, cf. A. M. Landgraf, *Das Axiom: « Verbum assumpsit carnem mediante anima »*, in *Dogmengesch.* II-1, 151-160.

minici corporis formam tot diebus, ad modum aliorum corporum, perfectam et membrorum lineamentis distinctam, et mox Verbum Dei sibi unisse carnem et animam. Et hoc modo dicunt illum numerum perfectioni dominici corporis convenire.

4. Sed alia ratio illius dicti exstitit, ex qua sana oritur intelligentia verbi. Non enim ideo illud dixit Augustinus, quin mox ut caro illa opere Spiritus Sancti sanctificata et a reliqua separata fuit, Verbo Dei cum anima uniretur, ut perfectus et verus Deus esset perfectus et verus homo; sed quia membrorum illius dominici corporis distinctio in ipso momento conceptionis et unionis Dei et hominis adeo tenuis erat et parva, ut humano visui vix posset subici; diebus autem illis, quos memorat Augustinus, perfecta est et notabilis facta.

5. **Quomodo erat in Virgine, qui erat ubique** \*. — **Ioannes Damascenus** \*: « Incarnatum est igitur Verbum, ut ait Ioannes<sup>1</sup>, et a propria incorporeitate non excessit; et totum incarnatum est, et totum est incircumscriptum. Minoratur corporaliter et contrahitur, et divine est incircumscriptum, non coextensa carne eius cum incircumscripta divinitate ». « In omnibus<sup>2</sup> igitur et super omnia erat, et in utero sanctae Genitricis exsistebat; sed in ipsa actu incarnationis ».

#### DISTINCTIO IV

##### Cap. 1 (11).

#### 1. Quare in Scriptura saepius tribuatur incarnatio, quae est opus Trinitatis, Spiritui Sancto, et de ipso etiam conceptus et natus dicatur.

<sup>13</sup> Rubricae om. RVW.      <sup>18</sup> sanctae om. AT, dei add. CMX Burg. Cerb. 19 ipsa] ipso BC Burg. (inter var.) Cerbanus, corr. interl. in ipso T.

*Magistri Odonis Suessionensis*, p. 11, n. 50; ed. I. B. Card. Pitra, in *Analecta novissima Spicilegii Solesmensis* II, Tusculum 1888, 49-51; ex cod. Paris., BN lat. 3230, ff. 45a-46d; cui addi licet codd. Cameraci, Bibl. Munic. 561, ff. 26c-27b; Londini, Mus. Britann., Harley 1762, ff. 146c-147; Paris., Bibl. Nat. lat. 17990, ff. 45a-47a; Trecensis 964, f. 158a-c; et alios quos non inspeximus.

<sup>1</sup> Damascenus, *De fide orthodoxa*, III, c. 7 (PG 94, 1011 B); versio Burgundionis, c. 51, n. 4 (ed. E. Buytaert, 194); cf. versio Cerbani, ibid., 403.      <sup>2</sup> Ibid. (PG 94, 1010 A); versio cit., n. 2 (192); et Cerbani, 401.

Num. 3-4: Interpretatio fundatur in verbis *Summae sent.*, ubi supra.

Cap. 1, n. 1: Quaestio movetur ab Hugone de S. Victore, *De sacram.*, II, 1, 8 (PL 176, 391 D); cf. etiam Gualterus de Mauretania, *De Trinitate*, c. 5 (PL 209, 580 D - 581 A).



Cum vero incarnatio Verbi, sicut in superioribus tractatum est <sup>1</sup>, operatio vere sit Patris et Filii et Spiritus Sancti, investigatione dignum nobis videtur quare in Scriptura Spiritui Sancto hoc opus saepius tribuatur, et de ipso Christus conceptus et natus memoretur. — Non enim ideo operatio incarnationis Spiritui Sancto saepius attribuitur, quod eam ipse <sup>5</sup> solus sine Patre ac Filio fecerit, sed quia Spiritus Sanctus est caritas et donum Patris et Filii <sup>2</sup>, et ineffabili Dei caritate *Verbum Dei caro factum est* <sup>3</sup>, et inestimabili Dei dono Filius Dei sibi univit *formam servi* <sup>4</sup>. Non igitur frequens denominatio Spiritus Sancti ab illo opere Patrem vel Filium secludit, sed potius uno nominato tres intelliguntur, sicut fit saepe in <sup>10</sup> aliis operibus.

2. **Augustinus: propositio quaestionis** \*. Unde Augustinus super hoc movens quaestionem, in hunc modum eandem determinat in *Enchiridion* <sup>5</sup>, ita inquit: « Cum illam creaturam quam Virgo concepit et peperit, quamvis ad solam personam Filii pertinentem, tota Trinitas <sup>15</sup> fecerit: neque enim separabilia sunt opera Trinitatis, cur in ea facienda Spiritus Sanctus solus nominatus est? » — **Solutio** \*. « An et quando unus trium in aliquo opere nominatur, universa operari Trinitas intelligitur? Ita vere est, et exemplis doceri potest ». Audistis propositam quaestionem eiusdemque expositionem. <sup>20</sup>

Cap. 2 (12).

1. **Quo sensu Christus dicatur conceptus et natus de Spiritu Sancto.**

— **Augustinus in Enchiridion**: « Sed <sup>6</sup> non est in hoc diutius immorandum. Illud enim movet, quomodo dictus est Christus 'natus de Spiritu Sancto', cum filius nullo modo sit Spiritus Sancti ». — « Numquid <sup>7</sup> dicturi sumus <sup>25</sup> patrem hominis Christi esse Spiritum Sanctum, ut Deus Pater Verbum genuerit, Spiritus Sanctus hominem: ex qua utraque substantia Christus unus esset, et Dei Patris filius secundum Verbum, et Spiritus Sancti filius secundum hominem, quod eum Spiritus Sanctus tamquam pater eius de matre Virgine genuisset? Quis hoc dicere audebit, cum hoc ita sit absur- <sup>30</sup>

<sup>5</sup> attribuitur] tribuitur ABCLMR. <sup>6</sup> Sanctus om. BC, interl. T. <sup>7</sup> Dei<sup>2</sup> om. LMRT. <sup>10</sup> fit saepe trp. BCMT. <sup>12</sup> Rubr. om. RW. || propositio] probatio BCX. <sup>20</sup> eiusdemque] elusque LRW, solutionem vel add. ANOVW, sed del. O.

<sup>1</sup> In Dist. 1, c. 3, n. 2. <sup>2</sup> Auctoritates de hoc v. in lib. 1, dd. 17-18 (tom. I, 141-159), et d. 31, c. 6 (p. 232). <sup>3</sup> Resp. Ioan. 1, 14. <sup>4</sup> Resp. Phil. 2, 7. <sup>5</sup> Cap. 38 (PL 40, 241; CCL 46, 71), ubi et solutio sequens. <sup>6</sup> Cap. 38 (PL 40, 251s; CCL 46, 71). <sup>7</sup> Ibid. (251; 70s).

dum, ut nullae fidelium aures id valeant sustinere? Proinde », « cum fateamur <sup>1</sup> Christum natum de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, quomodo non sit filius Spiritus Sancti et sit filius Virginis, cum et de illo et de illa sit natus, explicare difficile est. Procul dubio non sic de illo ut de patre, <sup>5</sup> sic autem de illa ut de matre natus est ».

2. **Quod non quidquid de aliqua re nascitur, eius filius dicitur** \*. « Non <sup>2</sup> est autem concedendum quidquid de aliqua re nascitur, continuo eiusdem rei filium nuncupandum. Ut enim omittam aliter de homine nasci filium, aliter capillum, pediculum, lumbricum, quorum nihil est filius: ut ergo <sup>10</sup> hoc omittam, quoniam tantae rei deformiter comparantur, certe qui nascuntur *ex aqua et Spiritu Sancto* <sup>3</sup>, non aquae filios eos rite dixerit quispiam, sed dicuntur filii Dei Patris et matris Ecclesiae. Sic ergo de Spiritu Sancto natus est Christus, nec tamen filius est Spiritus Sancti. (**Nec omnes qui dicuntur alicuius filii, de illo nati sunt** \*.) Sicut e converso <sup>15</sup> non omnes qui dicuntur alicuius filii, consequens est ut de illo etiam nati esse dicantur, ut illi qui adoptantur. Dicuntur etiam *filii gehennae* <sup>4</sup> non ex illa nati, sed in illam praeparati ».

3. « Cum <sup>5</sup> itaque de aliquo nascatur aliquid, et non ita ut sit filius; nec rursus omnis qui dicitur filius, de illo sit natus cuius dicitur filius: <sup>20</sup> profecto modus iste quo natus est Christus, de Maria sicut filius et de Spiritu Sancto non sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, qua homo nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturae suae quo esse coepit, Verbo Dei copularetur in tantam personae unitatem, ut idem esset Filius Dei qui filius hominis, et filius hominis qui Filius Dei: et sic in <sup>25</sup> naturae humanae susceptione fieret quodam modo ipsa gratia illi homini naturalis, qua nullum possit admittere peccatum. Quae gratia ideo per Spiritum Sanctum est significata, quia ipse proprie sic est Deus, ut sit etiam *Dei Donum* <sup>6</sup> ». — « Per <sup>7</sup> hoc ergo quod de Spiritu Sancto esse nativitas Christi dicitur, quid aliud quam ipsa gratia demonstratur », <sup>30</sup> qua homo « mirabili <sup>8</sup> et ineffabili modo Verbo Dei est adiunctus atque concretus » et divina gratia corporaliter repletus <sup>9</sup> ?

<sup>2</sup> fateamur] confiteamur LT, confitemur Aug. <sup>6</sup> Rubrica om. RVW. || dicitur] dicitur BC, est T. <sup>16</sup> esse dicantur trp. ANOW. <sup>22</sup> praeced. meritis trp. NOW. <sup>25</sup> quodam modo trp. p. gratia BCLR. || modo trp. p. gratia M. <sup>27</sup> Sanctum om. BCR.

<sup>1</sup> Ibid. (252; 71). <sup>2</sup> *Enchiridion*, c. 39 (252; 71s). <sup>3</sup> Resp. Ioan. 3, 5. <sup>4</sup> Resp. Matth. 23, 15. <sup>5</sup> August., *ibid.*, c. 40 (PL 40, 252; CCL 46, 72). <sup>6</sup> Resp. Act. 8, 20. <sup>7</sup> August., *ibid.*, c. 37 (251; 70). <sup>8</sup> August., *ibid.*, c. 41 (253; 72). <sup>9</sup> Resp. Col. 2, 9: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*.



4. **Alia ratio quare dicatur natus de Spiritu Sancto.** — **Augustinus in Enchiridion** \*. Potest etiam dici Christus secundum hominem ideo natus de Spiritu Sancto « quia <sup>1</sup> eum fecit: in quantum enim homo est, et ipse factus est, ut ait Apostolus <sup>2</sup> ». — **Hieronymus in Expositione fidei catholicae** \*. Conceptus ergo et natus de Spiritu Sancto dicitur, non quod Spiritus Sanctus fuerit Virgini « pro semine » <sup>3</sup>: non enim de substantia Spiritus Sancti semen partus accepit; sed quia per gratiam Dei et operationem Spiritus Sancti de carne Virginis est assumptum quod Verbo est unitum.

5. **Ambrosius** \*. Et in Evangelio <sup>4</sup> secundum hanc intelligentiam legitur de Maria quod *inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*. Cuius dicti rationem **Ambrosius** insinuans, in II libro *De Spiritu Sancto* <sup>5</sup> ait: « Quod ex aliquo est, aut ex substantia, aut ex potestate eius est. Ex substantia, sicut Filius qui a Patre, et Spiritus Sanctus qui a Patre Filioque procedit; ex potestate autem, sicut ex Deo omnia. Quomodo ergo in utero habuit Maria ex Spiritu Sancto? Si quasi ex substantia, ergo Spiritus in carnem et ossa conversus est? Non utique. Si vero quasi ex operatione et potestate eius Virgo concepit, quis neget Spiritum Sanctum dominicae incarnationis auctorem? »

Cap. 3 (13).

1. **Quare Apostolus dicat Christum factum, cum nos fateamur eum esse natum.** — **Ambrosius** \*. Sed quaeri potest: « Cum <sup>6</sup> nos Salvatorem natum profiteamur, cur Apostolus eum *factum* dicat *ex semine David* <sup>7</sup>, et alio loco *factum ex muliere* <sup>8</sup>, cum aliud sit fieri, aliud nasci? Aliquid ergo significavit hoc dicto. — Quia enim non humano semine concreta

<sup>6</sup> fuerit] fuit BC, affuerit V.      <sup>10</sup> in utero habens *trp.* BCR.      <sup>14</sup> ergo] et add. ABCLX.  
<sup>15</sup> SI] Sic ABCMNOTVWX, quod corr. O. || substantia] *signum interrog.*  
 add. BCNTVW.      <sup>17</sup> Sanctum *om.* BCMR.      <sup>21</sup> esse *om.* NOW.

<sup>1</sup> Cap. 38 (PL 40, 251; CCL 46, 71).      <sup>2</sup> Rom. 1, 3: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem.*  
<sup>3</sup> Scil. Pelagius, *Libellus fidei*, n. 4 (PL 45, 1717).      <sup>4</sup> Matth. 1, 18.      <sup>5</sup> Cap. 5, nn. 42-43 (PL 16 [1845], 751s; CSEL 79, 102s).      <sup>6</sup> Ambrosiaster, *Quaest. Vet. et Novi Test.*, pars II, *Quaest. ex Novo Test.*, q. 44 (PL 35, 2404; CSEL 50, 444s).  
<sup>7</sup> Resp. Rom. 1, 3.      <sup>8</sup> Resp. Gal. 4, 4.

Num. 4: *Hieronymus* (rubrica) se refert solum ad verba *pro semine*. Secunda enim pars huius numeri potius compingitur ex verbis Haymonis (de quibus vide textum primae versionis in Rom. 1, 3-4, n. 34, in Proleg. huius tomi) et Hugonis, *De sacram.*, II, 1, 8 (PL 176, 393 B).

Cap. 3: Praeter conclusionem num. 1, quasi totum capitulum invenitur in *Glossa primitiva* in Rom. 1, 3 (n. 2 in textu illius versionis), ubi notari lubet rubrica ad initium pericopae.

est caro Domini in utero Virginis et corpus effecta, sed effectu et virtute Spiritus Sancti, ideo Apostolus dicit *factum*, non *natum*. Aliud est enim semine admixto et sanguinis coagulo generare; aliud est non permixtione, sed virtute procreare ». Possunt homines generare filios homines, sed non facere. — Ecce quare dixit Apostolus *factum*, et non *natum*, ne eius scilicet nativitas, quae fuit sine viri semine, nostrae similis putaretur, quae conficitur seminum commixtione.

2. **Quare ex semine David.** **Augustinus in libro De Trinitate** \*. Ideo autem, cum *factum* diceret Apostolus, addidit *ex semine David*, quia « etsi <sup>1</sup> non intercessit semen hominis in conceptione Virginis, tamen quia ex ea carne Christus formatus est quae constat ex semine, recte dicitur quia factus est [*ex semine*] ».

DISTINCTIO V

Cap. 1 (14).

1. **Si persona vel natura personam vel naturam assumpsit, et si natura Dei incarnata sit.** Praeterea inquiri oportet, cum ex praemissis constet Verbum Dei carnem et animam simul assumpsisse in unitatem personae, quid horum potius concedendum sit, scilicet quod persona personam, vel natura naturam, vel persona naturam, vel natura personam assumpserit; et an ita conveniat dici divinam naturam esse incarnatam, sicut Deus incarnatus et Verbum incarnatum sane dicitur. — Haec inquisitio sive quaerendi ratio, iuxta sacrarum auctoritatum testimonia, partim implicita atque perplexa, partim vero explicita est et aperta.

<sup>2</sup> Spiritus Sancti *trp.* BCT.      <sup>3</sup> sanguinis coagulo] sanguine coagulato BCN.  
<sup>8</sup> Rubricae *om.* RVW. || de Trin.] de civitate dei BCX.

<sup>1</sup> Rubrica non obstante (etiam in versione primitiva, n. 2), auctoritas est Ps-Augustini (forsitan Syagrii; cf. PLS 2, 858), Sermo 238, n. 3 (PL 39, 2185), unde sumitur [*ex semine*] in fine.

Cap. 1: Magna ex parte hoc capitulum repetitio est, sub nova forma et cum novitatibus adiectis, *Glossae* originalis in Rom. 1, 3 (nn. 14-21). Quod in eadem *Glossa* et in hoc capitulo, praesertim in nn. 3-10, oppugnetur doctrina Gilberti Porretani, iam satis ostenditur (cf. Prolegomena ad tom. I, 30\* et 85\*-86\*). Videtur etiam Hug., *De sacram.*, II, 1, 9 (PL 176, 394 A); *Summam sent.*, I, 15 (PL 171, 1097 A-D; 176, 70 C - 71 B); et A. M. Landgraf, *Die spekulativ-theologische Erörterung der hypostatischen Vereinigung*, in *Dogmengesch.* II-1, 84-94.



2. **De illa parte quaestionis quae aperta est** \*. Certum enim, et sine ambiguitate verum, quod non natura personam, nec persona personam, sed persona naturam assumpsit. — Quod Sanctorum subditis comprobatur testimoniis et adstruitur documentis. Ait enim Augustinus in libro *De fide ad Petrum* 1: «Deus Unigenitus, dum conciperetur, veritatem carnis accepit ex Virgine; et cum nasceretur, integritatem virginitatis servavit in Matre». Et paulo post 2: «Hic Deus humanam naturam in unitatem personae suscepit, qui se humilians per misericordiam, incorruptae Virginis uterum ex ea nasciturus implevit. *Formam ergo servi* 3, id est naturam servi, in suam accepit Deus ille personam». Item 4: «Deus enim Verbum non accepit personam hominis, sed naturam». Item 5: «Dei Filius unigenitus, ut carnem hominis animamque mundaret, susceptione carnis animaeque rationalis incarnatus est». — His aliisque pluribus auctoritatibus evidenter ostenditur non naturam personam, nec personam personam, sed personam naturam accepisse.

3. **De parte quaestionis perplexa** \*. De quarto vero quaestionis articulo, utrum scilicet natura naturam assumpserit, scrupulosa etiam inter doctos quaestio est, quia et in hoc plurimum dissentire videntur qui auctoritate praeclari alii doctiores in sacra Pagina exstiterunt; nec tantum alii ab aliis, verum etiam iidem a se ipsis dissonare videntur, sicut subiecta capitula docent.

4. **Hic ponit ea quibus innui videtur naturam non accepisse naturam** \*. — **De concilio Toletano VIII** \*. — Legitur enim in concilio Toletano VIII traditum sic 6: «Solum *Verbum caro factum est et habitavit in nobis* 7. Et

1 Rubrica om. RVW. || Certum] est add. MTVW. 2 verum] est add. ANR.  
3 comprobatur] probatur BC, approbatur X. 9-10 id... servi om. BCM. 14 naturam]  
natura LW, corr. in natura O. || personam] persona LMW, corr. in persona O. 15 perso-  
nam] persona LMOW. 16 Rubrica om. TVW. 18 doctos] doctores BCV.  
19 doctores O<sup>2</sup>VX Gualt., doctores alii codd.

1 Cap. 2, n. 17 (opus Fulgentii, PL 65, 680 A; CCL 91A, 722). 2 Ibid., n. 28 (PL  
65, 680 B; CCL 91A, 723). 3 Resp. Phil. 2, 7. 4 Fulgentius, ibid., c. 17, n. 58  
(698 C; 749). 5 Fulgentius, ibid., c. 2, n. 17 (679 C; 722). 6 Immo in Concilio  
Tolet. VI, c. 1 (PL 84, 395 B; et 130, 487 C; DS 491 in fine). 7 Resp. Ioan. 1, 14.

Num. 2: Auctoritates pseudo-Augustini *De fide ad Petrum* tam hic quam in *Glossa ad Rom. sumuntur* (in parte) de *Summa sent.*, ubi supra. — Num. 3: En verba Magistri Gilberti: «Non enim assumpsit persona personam, neque natura naturam neque natura personam sed tantummodo persona naturam» (*Expositio in Boethii librum Contra Euticen et Nestorium*, IV, n. 108; ed. N. M. Häring, *The Commentaries on Boethius by Gilbert of Poitiers*, Toronto 1966, 310; PL 64, 1388 D). — Num. 4: Cf. Proleg. ad tom. I, pp. 85\*-86\*.

cum tota Trinitas operata sit formationem suscepti hominis, quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis, solus tamen Filius accepit hominem in singularitate personae, non in unitate divinae naturae, id est id quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati». — Item in concilio XI Toletano 1: «Unius substantiae credimus Deum Patrem et Filium et Spiritum Sanctum; non tamen dicimus ut huius Trinitatis unitatem Maria Virgo genuerit, sed tantum Filium, qui solus naturam nostram in unitatem personae suae assumpsit. Incarnationem quoque huius Filii Dei tota Trinitas operata esse credenda est; solus tamen Filius formam servi accepit in singularitate personae». — His insinuari videtur quod persona tantum naturam, non natura naturam assumpserit. Si enim quod commune est Trinitati non accepit hominem, ergo non natura divina, quae communis est tribus personis.

5. **Hic ponit ea quibus probatur naturam accepisse naturam** \*. Cui videtur obviare quod Augustinus ait in libro *De fide ad Petrum* 2: «Nec divinitas, inquit, Christi aliena est a natura Patris secundum id quod *in principio erat Verbum* 3; nec humanitas eius aliena est a natura Matris secundum id quod *Verbum caro factum est* 4. Illa enim natura, quae semper genita manet ex Patre, naturam nostram sine peccato suscepit ut nasceretur ex Virgine». — Hac auctoritate videtur tradi quod divina natura humanam suscepit. Ubi vehementer moveri possumus quod eam 'genitam' aeternaliter ex Patre dicit; nisi forte naturam pro persona hic accipiat. Alioquin, si dixerimus naturam tribus personis communem 'genitam' esse, occurrunt nobis ex adverso quae in tractatu de Trinitate 5 disseruimus: ubi diximus non naturam naturam, sed personam personam genuisse, quia si natura genuisset naturam, cum una eademque sit natura Trinitatis, eadem res se ipsam genuisset; quod Augustinus 6 posse fieri negat.

3 singularitate... unitate] singularitatem... unitatem BCMNRTVW. 8 personae  
suae trp. NOW. || assumpsit] assumpsisset ABCMRT (quod corr. RT), dicitur assumpsisse L.  
10 singularitate ALXxz Gualt., singularitatem alii codd. 25 naturam!] natura LMO.  
|| personam!] persona CLMOV.

1 In symbolo istius Concilii (PL 84, 456 A-B; et 130, 539 B-C; J. Madoz, *Le symbole du XI<sup>e</sup> concile de Tolède* [Louvain 1938], nn. 43s, p. 23; DS 535). 2 Cap. 2, n. 14 (opus Fulgentii, PL 65, 678 A; CCL 91A, 719s.). 3 Resp. Ioan. 1, 1. 4 Ioan. 1, 14.  
5 Lib. I, d. 5, c. 1 (tom. I, 80-87). 6 *De Trinit.*, I, c. 1, n. 1: «Nulla enim omnino res est quae se ipsam gignat ut sit» (PL 42, 820; CCL 50, 28); cf. Tom. I, p. 77.

Num. 5: Quaedam nova textui Glossae adiungit Magister, ratione habita sui tractatus *De Trinitate*.



6. Sed alibi certum reperimus documentum, quo natura naturam assumpsisse monstratur. Ait enim Augustinus in primo libro *De Trinitate*<sup>1</sup>: «Etiam se ipso Christus minor factus est *formam servi accipiens*<sup>2</sup>. Neque enim sic accepit *formam servi* ut amitteret *formam Dei*, in qua erat aequalis Patri: ut et in forma servi et in forma Dei idem ipse sit unigenitus Filius Patris, quia forma Dei accepit formam servi». Si autem forma Dei formam servi accepit, sine dubio natura naturam accepit. — **Quid formae nomine intelligatur** \*. Formae enim nomine natura significatur, ut Augustinus evidenter docet in libro *De fide ad Petrum*<sup>3</sup>: «Cum, inquit, de Christo audis quia *in forma Dei erat*<sup>4</sup>, oportet te agnoscere firmissimeque tenere in illo 'formae' nomine naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur Dei erat, quia in natura Dei Patris semper erat, de quo natus erat».

7. **Hilarius** \*. Hilarius quoque in XII libro *De Trinitate*<sup>5</sup> ait: «Esse *in forma Dei* non alia intelligentia est, quam in Dei manere natura». — Didicisti nomine 'formae' intelligentiam fieri naturae, et audisti quod forma Dei formam servi suscepit: unde consequens est quod natura divina naturam humanam suscepit. — **Hieronymus** \*. Quod etiam Hieronymus in *Explanatione fidei*<sup>6</sup> evidenter insinuat, inquit: «Passus est Filius Dei non putative, sed vere; secundum illud passus est, quod pati poterat, id est non secundum illam substantiam quae assumpsit, sed secundum illam quae assumpta est». Ex quo apparet divinam substantiam assumpsisse humanam.

8. **Augustinus, De fide ad Petrum** \*. Ex verbis autem Augustini superius positus, adhibita diligentia, innui videtur solum Verbum carnem factum et naturam solum suscepisse humanam, et divinam naturam eandem accepisse. Ait enim<sup>7</sup>: «Trinitas nos sibi reconciliavit per hoc quod solum Verbum carnem ipsa Trinitas fecit. In quo sic veritas incommu-

<sup>5</sup> et<sup>1</sup> om. AOTVW. || servi... Dei trp. BCV.

<sup>8</sup> Rubrica om. BCRVWX.

<sup>1</sup> Cap. 7, n. 14 (PL 42, 828s; CCL 50, 45).

<sup>2</sup> Resp. Phil. 2, 6-7.

<sup>3</sup> Cap. 2,

n. 19 (opus Fulgentii, PL 65, 680 D; CCL 91A, 723).

<sup>4</sup> Resp. Phil. 2, 6.

<sup>5</sup> Num. 6

(PL 10, 437).

<sup>6</sup> Immo Pelagius, in *Libello fidei*, n. 5 (PL 45, 1717).

<sup>7</sup> Cap. 2,

n. 23 (opus Fulgentii, PL 65, 682 D; CCL 91A, 726); cf. supra, Dist. 1, c. 3, n. 2.

Num. 6: Cf. *Glossa primitiva*, nn. 18-19. — Num. 7: Opera Hilarii et pseudo-Hieronymi (seu Pelagii) Lombardo innotuerunt solum post consistorium Remense (1148), uti patet eorum usu.

Num. 8-11: Ex *Glossa primitiva*, nn. 20-21; cui nunc in confirmationem auctoritatem Damasceni adiungit Magister (in num. 12); de qua cf. Proleg. ad tom. I, p. 121\*.

tabilis manet divinae humanaeque naturae, ut sicut vera semper est eius divinitas, quam de Patre habet, ita vera semper atque incommutabilis eius sit humanitas, quam sibi unitam summa divinitas gerit». Ecce et solum Verbum dixit carnem factum, et humanitatem divinitati unitam.

5 — **Augustinus in libro De Trinitate** \*. Idem quoque superius dixit<sup>1</sup> «servilem formam a solo Filio susceptam, quam tota Trinitas fecit».

9. Iam facile est agnoscere quam diversa et multiplicia super quaestione proposita auctores tradiderunt; ideoque posteriores, ea legentes, varias atque contrarias, ex praedictis occasionem sumentes, promunt  
10 sententias.

10. **Quid de hoc tenendum sit**. Nos autem, omnis mendacii et contradictionis notam a sacris Paginis secludere cupientes, orthodoxis Patribus atque catholicis doctoribus nulla pravae intelligentiae suspitione notatis consentimus, dicentes et personam Filii assumpsisse naturam humanam, et naturam divinam humanae naturae in Filio unitam, eamque sibi unisse vel assumpsisse; unde et vere incarnata dicitur.

11. **Determinatio auctoritatum** \*. Quod vero dicitur<sup>2</sup> solus Filius formam servi accepisse, per hoc non excluditur divina natura ab acceptance servilis formae, sed aliae duae personae, Pater scilicet et Spiritus Sanctus.  
20 — Item et illud aliud<sup>3</sup>, scilicet 'id quod est proprium Filii, non quod commune est Trinitati, hominem accepit', sic oportet intelligi: id est proprie in hypostasi Filii, non in tribus communiter personis, divina natura humanam sibi univit.

12. **Ioannes Damascenus** \*. Qui sensus ex verbis Ioannis Damasceni confirmatur, qui totam divinam naturam in una hypostasium incarnatam esse evidenter asserit, dicens<sup>4</sup>: «In humanatione Dei Verbi aimus omnem et perfectam naturam deitatis in una eius hypostaseon incarnatam esse, id est unitam humanae naturae, et non partem parti. Omni enim humanae naturae aimus unitam esse omnem deitatis naturam vel substantiam». — Item<sup>5</sup>: «Eadem est natura in singula hypostaseon, id est personarum. Et quando dicimus 'naturam Verbi incarnatam esse',

<sup>2</sup> vera Fulg., vere codd. <sup>17</sup> Rubrica om. RVW. || auctoritatum] auctoritatis BCX. <sup>23</sup> humanam] naturam add. ANOTVWX. <sup>25</sup> una] unam AOVX. || hypostasium] hypostasim AX.

<sup>1</sup> Rectius, Fulgentius, ut supra, Dist. 2, c. 3, n. 2. <sup>2</sup> In concilio XI Toletano, uti supra in num. 4 huius cap. <sup>3</sup> In concilio VI Toletano, in num. 4 sub nomine concil. VIII. <sup>4</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 6 (PG 94, 1003 B et 1006 A); versiones Burgundionis et Cerbani, c. 50, n. 2 (ed. E. Buytaert, pp. 187s, 399s). <sup>5</sup> Ibid. (PG 94, 1007 B); versiones cit., c. 50, n. 6 (190, 401).



secundum beatos et Athanasium et Cyrillum, deitatem dicimus esse unitam carni». «Et unam<sup>1</sup> naturam Dei Verbi incarnatam confitemur». «Verbum<sup>2</sup> autem et quod commune est substantiae possidet, et quod proprietatis est habens hypostaseos, id est personae». — Ex his manifeste ostenditur quod natura divina incarnata est; unde et 5 eadem vere dicitur suscepisse humanam naturam.

Cap. 2 (15).

1. **An divina natura debeat dici caro facta.** Sed quaeritur utrum eadem divina natura debeat dici 'caro facta', sicut Verbum dicitur factum caro<sup>3</sup>. Si enim idem est incarnari quod est carnem fieri, videri potest ita debere 10 dici quod sit caro facta, sicut dicitur incarnata. — **Responsio** \*. Ad quod dicimus quia si illud dictum in sacra Scriptura reperiretur, ex eadem intelligentia acciperetur qua cum dicitur incarnata. Sed quia illud auctoritas subicit, atque locutionis modus nimiam videretur facere expressionem si natura divina diceretur caro facta, melius hoc silere puto vel 15 negare, quam temere asserere, ne si illud dicatur, convertibilitas naturae in naturam significari putetur. — Ex praemissis indubitabiliter constat quod persona Verbi, sive natura, hominis naturam, scilicet carnem et animam, assumpsit, sed non personam hominis.

2. Si autem natura divina naturam hominis accepit, quare non dicitur facta homo 20 vel esse homo, sicut Verbum Dei? — Ad quod dici potest quod Dei Filius dicitur factus homo vel esse homo non solum quod hominem assumpsit, sed quia ipsum in unitatem et singularitatem sui, id est personae, accepit. Natura autem divina hominem quidem accepit, id est hominis formam sibi univit, sed non in singularitatem 25 et unitatem sui. Servata enim proprietate ac diversitate duarum naturarum, personae singularitas exstitit. Ideoque non sic dicitur divina natura esse homo vel facta homo, sicut Dei Filius. Quidam tamen indifferenter utrumque concedunt.

9 factum caro *trp.* BCWX. 11 Responsio *om.* BCNRVWX. 12 reperiretur] reperitur BCO. 14 videretur] videtur BCLR. 17 significari] signari AOW. || indubitabiliter] indubitanter ALWX. 20-27 (n. 2) Si... concedunt *om.* LMOX, *hic in marg.* R., *trp.* post accepit (p. 47, lln. 11) BC. Vide notam infra positam. 21 quod?] quia RV.

<sup>1</sup> Ibid., c. 7 (PG 94, 1011 B); versiones cit., c. 51, n. 4 (194, 403). <sup>2</sup> Ibid., c. 6 (PG 94, 1007 C); versiones cit., c. 50, n. 6 (191, 401). <sup>3</sup> Resp. Ioan. 1, 14.

Cap. 2, n. 2: De hac additione ad textum clarificandum audiatur testimonium auctoris *Glossae* quae olim Petro Pictaviensi attribuebatur: «*Si autem divina natura. Istud Magister post compositas sententias apposuit*» (cod. n, f. 41d; cod. p, 81b). — Ex alio fonte, scilicet ex *Quaestionibus in Sententias*, quae recte et vere attribuendae sunt successori Lombardi

Cap. 3 (16).

1. **Quare non accepit personam hominis, cum hominem accepit.** Ideo vero non personam hominis assumpsit, quia caro illa et anima illa non erant unita in unam personam quam assumpserit. Quia non ex illis 5 constabat persona quando illis unitum Verbum est; nam sibi invicem sunt unita simul cum Verbo unita sunt. Altera tamen unione invicem unita sunt illa duo, scilicet anima et caro; alia unione Verbo unita sunt; quia alia est unio animae illius ad carnem, alia est unio Verbi ad animam illam et carnem. Non ergo accepit Verbum Dei personam hominis, sed 10 naturam, quia non erat ex carne illa et anima illa una composita persona quam Verbum accepit, sed accipiendo univit, et uniendo accepit.

2. **Contra hoc oppositio, qua probare quidam volunt personam accepisse personam.** Hic a quibusdam opponitur quod persona assumpserit

2 accepit] accepit ALX. 4 assumpserit] assumpserat BC, *corr. in* assumpserat X.  
5 Verbum est *trp.* BCR. 8 carnem] et *add.* BCLMRTVW. 11 accepit] accepit BCVX, acceperat AM.

in scholis parisiensibus, Magistro scilicet Petro Manducatori, apparet quod postea adhuc, occasione videlicet secundae traditionis seu lectionis Sententiarum, disputavit Lombardus de conclusione huius numeri et suam sententiam mutavit. Duae revera quaestiones exstant quae talem disputationem referunt; circa quas usque adhuc non omnes difficultates superavimus. En prima: «Quod queritur an concedendum sit: 'Divina essentia est homo vel facta est homo', Magister primo negavit et ita scripsit, quia visum est ei quod his verbis innueretur universalitas [*lege*: versibilitas] nature in naturam. Postea tamen correxit et concessit istam: 'Divina essentia est homo'. Aliam vero non recipiebat: 'Divina essentia facta est homo', quia hoc expressius innuit universalitatem [= versibilitatem] nature in naturam» (Cod. Paris. Mazar. lat. 1708, f. 237r-v). Alia quaestio seu disputatio longior est sed forsitan minus clare problema illustrat: «Divina essentia est homo; ergo est humana natura vel humane nature. Item: divina natura cepit esse hic homo, demonstrando Christum; ergo cepit esse Christus. Ergo cepit esse Filius Dei... Solutio. Ab antiquis, inquit, theologis negabatur quod primo proponitur, scilicet: 'Divina essentia est homo' sicut negabant istam: 'Divina essentia facta est homo', ne videretur predicatum redundare in naturam, scilicet quod hec natura facta esset illa. Sed Magister, inquit, recipiebat istam: 'Divina essentia est homo', quia iste terminus 'homo' ibi predicat quantum iste terminus 'persona humanata'. Inde autem non sequitur: 'Ergo est humana natura vel humane nature'. In alia vero significatione accipitur iste terminus 'homo', cum dicitur: 'Divina essentia cepit esse homo', sive 'hic homo', id est cepit humanari» (Cod. Paris. Bibl. Nat. lat. 18108, f. 100v; Trevis. Bibl. Com. lat. 964, f. 142r).

Cap. 3: n. 1: Dependet a *Summa sent.*, I, 15 (PL 171, 1097 B - 1098 A; 176, 70 D - 71 A), et forsitan ab Hugone, *De Verbo incarnato*, coll. II (PL 177, 319 B) ubi legitur: «in eo quod assumpta sunt unita sunt, in personam assumpta sunt». — Num. 2: Obiectio trahitur ex *Summa sent.*, uti supra; responsio autem vicinior est collationi Hugonis (PL 177, 319 B-C).



personam: « Persona <sup>1</sup> enim est substantia rationalis individuae naturae ». Hoc autem est anima; igitur si animam assumpsit, et personam. — Quod ideo non sequitur, quia anima non est persona quando alii rei est unita personaliter, sed quando per se est. Absoluta enim a corpore, persona est, sicuti angelus. Illa autem anima nunquam fuit quin esset alii rei <sup>5</sup> coniuncta; ideoque non, ea assumpta, persona est assumpta.

3. **Alia probatio ad idem \***. Aliter quoque nituntur probare Verbum Dei assumpsisse personam: quia assumpsit aliquem hominem. Assumpsit enim hominem Iesum Christum; ergo aliquem hominem. — **Augustinus \*** <sup>10</sup> Quod autem hominem Iesum Christum assumpserit, Augustinus in *Expositione symboli* <sup>2</sup> sub anathemate tradit dicens: « Si quis dixerit atque crediderit hominem Iesum Christum a Filio Dei assumptum non fuisse, anathema sit ». Qui etiam in pluribus Scripturae locis <sup>3</sup> huiusmodi utitur locutionibus: « Ille homo a Verbo est assumptus », « Ille homo factus est Christus ». Et Propheta, de homine Christo loquens Deo, ait <sup>4</sup>: <sup>15</sup> *Beatus quem elegisti et assumpsisti*. Ex quibus consequi videtur quod aliquis homo assumptus sit a Verbo, et ita persona a persona sit assumpta.

4. **Responsio determinans praemissas locutiones \***. Sed quia hoc nefas est dicere aut sentire, praemissae locutiones, eisque similes, secundum hanc intelligentiam sane accipi debent: ut homo Christus, sive homo <sup>20</sup> ille, sive quidam homo, dicatur assumptus a Verbo sive unitus Verbo, non quia hominis persona sit assumpta vel unita Verbo, sed quia anima illa et caro illa assumpta sunt et unita Verbo, in quibus subsistit persona Dei et hominis: ut ad hominis naturam, non ad personam respicias, cum

<sup>5</sup> sicuti] sicut CLMRV.  
missae] premissas BCLMO.

<sup>7</sup> Rubrica om. VWX. || ad idem om. BC.

<sup>19</sup> praemissae]

<sup>1</sup> Boethius, Opusc. V: *Liber contra Eutychen et Nestorium* (alias *De persona et duabus naturis*), c. 3: « Persona est naturae rationalis individua substantia » (PL 64, 1343 D); v. textum medii aevi apud N. M. Häring, *The Commentaries on Boethius by Gilbert of Poitiers*, Toronto 1966, 388, ubi *rationabilis* invenitur, quamvis ipse Gilbertus legat *rationalis*. Formula Lombardi, ex *Summa sent.*, I, 15 (PL 171, 1097 B; 176, 70 D).

<sup>2</sup> Sermo 233, n. 2 (inter opp. August., PL 39, 2176; vide etiam PL 56, 587 A); in Glossa primitiva in Rom. I, 4 (ed. nostra, n. 31) legit rubrica: *Augustinus in sermone de fide*, uti iam supra in tomo I, 80, 5-6; nihil aliud est quam *Symbolum fidei* Concilii Toletani I, ed. J. de Aldama, *El Símbolo Toledano I*, Romae 1934, 29-36; DS, n. 195.

<sup>3</sup> Hae locutiones inveniuntur ad litteram infra, Dist. 6, c. 2, n. 6. <sup>4</sup> Ps. 64, 5; vide August. in h.l., n. 7: « *Beatus homo quem elegisti et assumpsisti*, id est ille homo quo indutus es, qui coepit ex tempore » (PL 36, 778; CCL 39, 829).

Num. 3 et pars prior num. 4: Vide locos parallelos in Glossa originali in Rom. I, 4, n. 31.

assumptum vel unitum, vel quendam vel aliquem in huiusmodi locutionibus Scriptura memorat. — Quocirca cum quaeritur sine proposita auctoritate, an aliquis vel quidam homo sit assumptus a Verbo vel unitus Verbo, sine distinctione intelligentiae non est hic reddenda responsio, <sup>5</sup> quoniam multiplex praemissa est quaestio; sed instantiae quaerentis ita determinato: Si de hominis persona quaeris, respondeo: non; si de hominis natura, dico: est.

## DISTINCTIO VI

## Cap. 1 (17).

<sup>10</sup> 1. **De intelligentia harum locutionum: Deus factus est homo, Deus est homo, an his locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid vel esse aliquid vel non.** Ex praemissis autem emergit quaestio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis atque perplexitatis. Cum enim constet ex praedictis et aliis pluribus testimoniis, omnesque catholici unanimiter <sup>15</sup> fateantur Deum esse factum hominem, et Christum verum Deum esse et verum hominem, quaeritur an his locutionibus: 'Deus factus est homo', 'Filius Dei factus est filius hominis', 'Deus est homo' et 'homo est Deus', dicatur Deus factus esse aliquid vel esse aliquid, vel aliquid dicatur esse Deus; et an ita conveniat dici: 'Homo factus est Deus' et 'filius hominis

2 memorat] commemorat LNRVX. 4 hic] sic LMOVWX. 5-6 instantiae... determinato] instantiam... determino V, corr. in instantiam... determina X. 6 determinato] determinatio A, determinandum N, corr. ex determinatio R. 10-12 Rubrica abbrev. ARX. 14 et] ex add. MNTVWX. 15 esse factum trp. ALR.

Dist. VI. Quoad Dist. VI-VII, inter coevos Magistri vide anon. (c. 1170) *Apologia de Verbo incarnato* (de qua cf. Proleg. in tom. I, 113\*-114\*); mag. Ioan. Cornub., *Eulogium ad Alex. Papam III* nn. I-IV (PL 199, 1045 B - 1056 A; ed. N. M. Häring, *Mediaeval Studies* 13, 1951, 259-268; cf. etiam nostra Proleg. in tom. I, p. 113\*); ac Gualt. S. Victoris, *Contra quatuor labyrinthos Franciae*, Lib. I, c. 1-2; II, c. 3; III, c. 1 (ed. P. Glorieux, *Archives d'histoire doctr. et litt. du moyen âge* 19, 1952, 202-205; 225; 246-250). Inter commentatores modernos praecipue N. M. Häring, *The Case of Gilbert de la Porrée, Bishop of Poitiers (1142-1154)*, in *Mediaeval Studies* 13 (1951), 26-39; A. M. Landgraf, *Untersuchung zum Christologischen Streit des 12. Jahrhunderts*, in *Dogmengeschichte* II-1, 116-137, praesertim pp. 116-120; W. Breuning, *Die hypostatische Union in der Theologie Wilhelms von Auxerre, Hugos von St. Cher und Rolands von Cremona*, Trier 1962, pp. 22s, 35-40; W. H. Principe, *William of Auxerre's Theology of the Hypostatic Union*, Toronto 1963, pp. 9s, 197 (nota 31). Videas etiam summarium H. Santiago Otero, *El « nihilianismo » cristológico y las tres opiniones*, in *Burgense* 10 (1969) 431-443.



factus est Filius Dei', sicut e converso dicitur; et si his locutionibus non dicitur Deus factus esse aliquid vel esse aliquid, quae sit intelligentia harum locutionum et similium.

2. **Quod in huius quaestionis expositione differunt sapientes\***. In huius profunditatis reseratione et scrupulosae quaestionis expositione plurimum differre inveniuntur sapientes.

Cap. 2 (18).

1. **Quorundam sententiam refert.** Alii<sup>1</sup> enim dicunt in ipsa Verbi incarnatione hominem quendam ex anima rationali et humana carne constitutum: ex quibus duobus omnis verus homo constituitur. Et ille homo coepit esse Deus, non quidem natura Dei, sed persona Verbi; et Deus coepit esse homo ille. Concedunt etiam hominem illum assumptum a Verbo et unitum Verbo, et tamen esse Verbum. Et ea ratione tradunt dictum esse 'Deum factum hominem' vel 'esse hominem', quia Deus factus est (id est coepit esse) quaedam substantia ex anima rationali et humana carne subsistens; et illa substantia facta est (id est coepit esse) Deus. Non tamen demigratione naturae in naturam, sed utriusque naturae servata proprietate, factum est ut Deus esset illa substantia, et illa substantia esset Deus. Unde vere dicitur Deus factus homo et homo factus Deus, et Deus esse homo et homo Deus, et Filius Dei filius hominis et e converso. Cumque dicant illum hominem ex anima rationali et humana carne subsistere, non tamen fatentur ex duabus naturis esse compositum, divina scilicet et humana; nec illius partes esse duas naturas, sed animam tantum et carnem.

2. **Auctoritates ponit quibus suam muniunt sententiam.** Et ne de suo sensu tantum loqui putentur, hanc sententiam pluribus muniunt testimoniis. Ait enim Augustinus in libro *De Trinitate* 2: «Cum legitur *Verbum caro factum est*, in Verbo intelligo verum Dei Filium, in

8 Rubrica om. RVX. 12 assumptum] esse add. V Cornub. 14 factum] esse add. V Cornub. 17 demigratione] de migratione ABOW. 19 factus] est add. LNORVX Cornub., quod del. N. || factus] est add. BLNRVX Cornub., sed exp. N.

<sup>1</sup> Cf. Hugo de S. Victore, *De sacram. christ. fidei*, II, p. 1, cc. 9 et 11 (PL 176, 394 A-C, 401 C-D); et *De Verbo incarnato*, coll. II (PL 177, 318 D-319 A), n. 24 (PL 42, 1033; CCL 50A, 415s). <sup>4</sup> Ioan. 1, 14. <sup>3</sup> Lib. XIII, c. 19,

Cap. 2, num. 2: Auctoritas Aug. sumitur ex *Glossa* in Col. 2, 3 (PL 192, 269 B).

*carne* agnosco verum hominis filium, et utrumque simul unam personam, Deum et hominem, ineffabilis gratiae largitate coniunctum ».

3. Idem in *Enchiridion* 1: «Christus Iesus Deus de Deo est, homo autem natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Utraque substantia, divina scilicet et humana, Filius est unicus Dei Patris omnipotentis, de quo procedit Spiritus Sanctus». «Utrumque<sup>2</sup> unus, sed aliud propter Verbum, et aliud propter hominem; non duo filii, Deus et homo, sed unus Dei Filius: Deus sine initio, homo a certo initio ».

4. Item in eodem<sup>3</sup>: «Quid natura humana in Christo homine meruit, ut in unitatem personae unici Filii Dei singulariter assumpta esset? Quae bona voluntas, quae bona opera praecesserunt, quibus mereretur iste homo una fieri persona cum Deo? Numquid antea fuit homo, et hoc ei singulare beneficium praestitum est ut singulariter promereretur Deum? Nempe ex quo homo esse coepit, non aliud coepit esse homo quam Dei Filius, et hoc unicus; et propterea Dei Verbum, quod illo suscepta caro facta est utique Deus: ut quemadmodum est una persona quilibet homo, anima scilicet rationalis et caro, ita sit Christus una persona, Verbum et homo ».

5. Idem, *Super Ioannem* 4: «Agnoscamus geminam substantiam Christi: divinam scilicet qua aequalis est Patri, et humanam qua maior est Pater; utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus, ne sit quaternitas, non trinitas Deus. Ac per hoc Christus est Deus, anima rationalis et caro ».

6. Idem quoque in libro *De praedestinatione sanctorum* 5: «Ille homo, ut a Verbo Patri coaeterno in unitatem personae assumptus, Filius Dei unigenitus esset, unde hoc meruit? Quod bonum eius praecessit ut ad hanc ineffabilem excellentiam perveniret? Faciente ac suscipiente Deo Verbo, ipse homo ex quo esse coepit, Filius Dei unicus esse coepit ».

9 Christo homine *trp.* BCL. 10 unitatem] unitate BCX. 15 quod] quia ab BCX Cornub., quia et ab L, ab add. N Gualt., id est quia ab add. V., add. interl. O<sup>2</sup>, corr. interl. in quidem ab R. 20-21 maior est Pater] minor est patre BCLNR. 26 meruit] mereretur OX. || bonum eius *trp.* BCLMNRT. 28 esse coepit] *trp.* BCV.

<sup>1</sup> Cap. 38 (PL 40, 251; CCL 46, 71). <sup>2</sup> Ibid., c. 35 (250; 69). <sup>3</sup> Cap. 36 (250; 69). <sup>4</sup> Tract. 78, n. 3 (PL 35, 1836; CCL 36, 524). <sup>5</sup> Cap. 15, n. 30 (PL 44, 981s).

Num. 2-6 excerptur a Gualtero de S. Victore, *Contra IV Labyr.*, I, c. 2; *ed. cit.*, pp. 203, 25-204, 31. — Num. 5: Ex *Glossa* in Rom. 1, 3 (vide textum primitivum supra, in Proleg., n. 12). — Num. 6: Utraque auctoritas invenitur in *Glossa* in Rom. 1, 4 (*ibid.*, n. 24).



Item 1: « Homo quicumque ita gratia fit christianus, sicut gratia homo ille ab initio factus est Christus ».

7. Idem in libro XIII *De Trinitate* 2: « Gratia Dei nobis in homine Christo commendatur, quia nec ipse ut tanta unitate Deo vero coniunctus, una cum illo persona Filius Dei fieret, ullis est praecedentibus meritis 5 assecutus; sed ex quo homo esse coepit, ex illo est et Deus. Unde dictum est 3: *Verbum caro factum est* ».

8. Hilarius \*. Hilarius quoque in X libro *De Trinitate* 4 ait: « Christum non ambigimus esse Deum Verbum; neque rursum filium hominis ex anima et corpore constituisse ignoramus ». 10

9. His aliisque auctoritatibus utuntur, qui hominem quendam, ex anima rationali et carne compositum, Deum factum dicunt. Sed gratia, non natura. Sola enim gratia habuit ille homo, non meritis vel natura, ut esset Deus sive Dei Filius; ut haberet omnem scientiam et potentiam quam habet Verbum, cum quo est una persona. Nec tantum in superioribus 15 legitur quod homo ille sit una persona cum Verbo et sit ipsum Verbum, sed etiam quod anima rationalis et caro eadem persona sit et Christus sit et Deus.

#### Cap. 3 (19).

1. **Allorum sententia.** Sunt autem et alii 5, qui istis in parte consentiunt, sed dicunt hominem illum non ex anima rationali et carne tantum, sed ex humana et divina natura, id est ex tribus substantiis: divinitate, carne et anima, constare; hunc Christum fatentur, et unam personam tantum esse, ante incarnationem vero solummodo simplicem, sed in incarnatione factam compositam ex divinitate et humanitate. Nec est ideo 25

6 coepit] etiam add. L, et add. MR. 23 constare] et add. ANTX Gualt. 24 vero om. MRTW Gualt. || in] per R (sed del.) Cornub., post V, add. interl. NT, om. OR (post corr.) W Gualt. 24-25 incarnatione] incarnationem R Cornub., sed corr. R<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> August., *ibid.*, n. 31 (PL 44, 982). <sup>2</sup> Cap. 17, n. 22 (PL 42, 1031; CCL 50A, 412). <sup>3</sup> Ioan. 1, 14. <sup>4</sup> Num. 57 (PL 10, 389 A). <sup>5</sup> Inter quos primus erat Magister Gilbertus Porretanus, ut indicatur a cl. N. M. Häring, *The Case of Gilbert de la Porrée*, in *Mediaeval Studies* 13 (1951) 32. Cui lubet verba addere Ioannis Cornubiensis: « Magister Gilbertus Porretanus, ut multi perhibent, ea docuit quae in secunda sententia praemissa sunt, scilicet quod Christus et sit et factus sit persona composita ex duabus naturis sive tribus substantiis. Et tamen non est factus aliqua persona, non factus aliqua substantia, non aliquid secundum quod homo » (*Eulogium ad Alex. III*, c. 3; PL 199, 1050 D - 1051 A; ed. N. M. Häring, *The Eulogium ad Alexandrum Papam tertium of John of Corwall*, in *Mediaeval Studies* 13 1951 263).

alia persona quam prius, sed cum prius esset Dei tantum persona, in incarnatione facta est etiam hominis persona: non ut duae essent personae, sed ut una et eadem esset persona Dei et hominis. Persona ergo quae prius erat simplex et in una tantum natura existens, in duabus et ex 5 duabus subsistit naturis. Et persona quae tantum Deus erat, facta est etiam verus homo, subsistens non tantum ex anima et carne, sed etiam ex divinitate. Nec tamen persona illa debet dici facta persona, quamvis dicatur facta persona hominis. Facta est igitur illa persona, ut quibusdam placet, quiddam subsistens ex anima et carne, sed non est facta persona 10 vel substantia vel natura. Et in quantum est ille subsistens, composita est; in quantum autem Verbum est, simplex est.

2. **Auctoritates etiam ponit quae hanc probant sententiam.** De hoc Augustinus in libro *Sententiarum Prosperi* 1 ait: « Modis omnibus approbare contendimus sacrificium Ecclesiae duobus constare, duobus 15 confici: visibili elementorum specie, et invisibili Domini nostri Iesu Christi carne et sanguine, sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi: sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum ipse Christus verus sit Deus et verus homo; quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur ».

3. De hoc eodem Iohannes Damascenus 2: « In Domino nostro Iesu Christo duas quidem naturas cognoscimus, unam autem hypostasim ex utrisque compositam ». — « Incarnatus 3 est igitur Christus, ex Virgine assumens primitiam nostrae massae 4, ut ipsa exstiterit carne hypostasis, quae Dei Verbi hypostasis, et composita facta fuerit, quae 25 prius simplex erat Verbi hypostasis: composita vero ex duabus perfectis naturis, deitate et humanitate, et ferat ipsa divinae Dei Verbi filiationis

1 Dei tantum *trp.* BC Gualt. || in *om.* AR, add. interl. V. 9 quiddam] quoddam RT, quidam N, aliquis Cornub., om. L. 10 ille] illa CX, illud LR. 23 exstiterit] in add. VW, in add. interl. LO<sup>2</sup>T.

<sup>1</sup> Verba sunt Lanfranci, sententiam (partim et verba) Berengarii referentis, *De sacramento corp. et sanguinis Christi*, c. 10 (PL 150, 421 B-C); repetuntur, etiam sub nomine Augustini, infra in Libro IV, d. 10, c. 1, n. 6. Hic fons Magistri *Summa* exstat *sententiarum*, VI, 7 (PL 176, 144 A). Ulterius haec auctoritas communiter allegatur ut 'Augustini in libro Sent. Prosperi', v. gr. apud Algerum Leod., *De sacramentis corp. et sang. Domini*, I, c. 5 (PL 180, 752 C); Ivonem Carnot., *Panormia*, I, c. 137 (PL 161, 1075 D - 1076 A); Abaelardum, *Sic et non*, cc. 66 et 117 (PL 178, 1434 B-C, 1524 A-B); Gratianum, *Decr.*, de consecr., d. 2, c. 48 (ed. Ae. Friedberg, 1331); etc. <sup>2</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 4 (PG 94, 998 B); versiones Burgund. et Cerbani, c. 48, n. 2 (ed. E. Buytaert, 181, 396). <sup>3</sup> Damascenus, *ibid.*, c. 7 (PG 94, 1010 A-B); versiones Burgund. et Cerbani, c. 51, n. 2 (192, 402). <sup>4</sup> Cf. Rom. 11, 16.



characteristicum et determinativum idioma secundum quod divisa est a Patre et Spiritu Sancto, et carnis characteristicum et determinativa idiomata secundum quae differat a Matre et reliquis hominibus ».

4. Item <sup>1</sup>: « Unam hypostasim Filii Dei confitemur in duabus naturis perfecte se habentibus deitatis et humanitatis, et incarnatam eandem <sup>5</sup> hypostasim; et has duas naturas custodiri et manere in ipso post unionem: non seorsum et secundum partem ponentes singulam, sed unitas invicem in unam compositam hypostasim. Substantialem enim inquit unionem, scilicet veram, et non secundum phantasiam; substantialem autem, non duabus naturis perficientibus alterum, scilicet unam compositam naturam, <sup>10</sup> sed unitas invicem in unam hypostasim compositam Filii Dei; et manere eandem substantialem differentiam determinamus. Quod creabile, mansit creabile, et quod increabile increabile, et mortale mortale, et immortale immortale, et circumscriptibile circumscriptibile, et incircumscriptibile incircumscriptibile. Et hoc quidem refulget miraculis ».

5. De hoc etiam Augustinus in libro *De Trinitate* <sup>2</sup> ait: « Quemadmodum secundum deitatem una est Patris Filiique natura, ita etiam iuxta humanitatem eadem est Matris et Filii natura. Ex utraque autem substantia, et divinitatis et humanitatis, unus atque idem est Deus, Dei et hominis Filius, Iesus Christus: ut Deus verus, ita etiam homo verus ». <sup>20</sup> — Idem in libro XIII *De Trinitate* <sup>3</sup>: « Sic Deo coniungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una persona; ac per hoc iam ex tribus: Deo, anima et carne ».

6. His aliisque pluribus auctoritatibus se muniunt, qui dicunt personam Christi compositam esse, vel factam sive constantem ex duabus <sup>25</sup> naturis sive ex tribus substantiis.

<sup>1</sup> divisa] diversa BCL.      <sup>6</sup> ipso] ipsa N, Christo BCX, sed corr. X.      <sup>7</sup> partem] partes LOV. || singulari] singulas LO, corr. in singulas AV.      <sup>10</sup> alterum] alteram R, corr. in alteram OV.      <sup>19</sup> et<sup>1</sup> om. BCX.      <sup>22</sup> iam] om. RX., add. interl. N, est add. BLOVWX.      <sup>24</sup> auctoritatibus trp. p. muniunt BCLMR Gualt.

<sup>1</sup> Damascenus, ibid., c. 3 (PG 94, 994 C); versiones Burgund. et Cerbani, c. 47, n. 6 (177s, 394s).      <sup>2</sup> Immo in *Sermone* 238, n. 3 (inter opp. August., PL 39, 2185s; vide supra, Dist. 4, c. 3, n. 2.      <sup>3</sup> Cap. 17, n. 22 (PL 42, 1031; CCL 50A, 412).

Num. 5: « Ista auctoritas [prima scil. Aug.] sicut est hic non est in toto illo libro, sed est in *Glossa Rom.* 1 super illud: *Qui factus est ei ex*, post medium *glose* (nota marg. in cod V, f. 225a; nota similis sed interlin. in cod. W, f. 93a); sumitur de *Glossa primitiva*, uti supra in *Prolegomenis*, n. 8, post *Responsio*.

## Cap. 4 (20).

1. **Tertia aliorum sententia.** Sunt etiam et alii <sup>1</sup>, qui in incarnatione Verbi non solum personam ex naturis compositam negant, verum etiam hominem aliquem, sive etiam aliquam substantiam, ibi ex anima et carne <sup>5</sup> compositam vel factam diffitentur; sed sic illa duo, scilicet animam et carnem, Verbi personae vel naturae unita esse aiunt, ut non ex illis duobus vel ex his tribus aliqua substantia vel persona fieret sive componeretur, sed illis duobus velut indumento Verbum Dei vestiretur ut mortalium oculis congruenter appareret <sup>2</sup>.

<sup>10</sup> 2. Qui ideo dicitur factus verus homo, quia veritatem carnis et animae accepit. Quae duo etiam in singularitatem vel unitatem suae personae accepisse legitur <sup>3</sup>, non quia illa duo, vel aliqua res ex illis composita, sit una persona cum Verbo vel sit Verbum, sed quia illis duobus accedentibus Verbo, non est personarum numerus auctus, ut fieret quaternitas <sup>15</sup> in Trinitate; et quia ipsa persona Verbi, quae erat prius sine indumento, assumptione indumenti non est divisa vel mutata, sed una eademque immutata permansit.

<sup>20</sup> 3. Qui secundum habitum Deum hominem factum dicunt. Accipiendo enim hominem dictus est Deus factus homo; et propter acceptum hominem dicitur Deus vere esse homo; et propter assumptum Deum dicitur homo esse Deus. Nam, si essentialiter, inquit illi, Deus esse homo, vel homo esse Deus intelligeretur, tunc si Deus hominem assumpsisset in sexu muliebri, et mulier essentialiter Deus esset, et e converso. At <sup>25</sup> potuit Deus assumpsisse hominem in sexu muliebri; potuit igitur mulier esse Deus, et e converso.

2 et om. ANX.

15 erat prius trp. BCLMRT Gualt.

<sup>1</sup> Iuxta iudicium Ioannis Cornubiensis, haec tertia sententia propria fuit Magistri, quam acceperat ab Abaelardo (cf. Proleg. ad tom. I, p. 119\*s). Statim autem lectorem certiore facit quod haec fuit eius opinio, non vero eius assertio: « Praeterea paulo ante quam electus esset in episcopum parisiensem, michi et omnibus auditoribus suis qui tunc aderant protestatus est, quod hoc non esset assertio sua sed opinio sola, quam a magistris acceperat. Hec enim verba subiecit: Nec unquam Deo volente erit assertio mea nisi que fuerit fides catholica » (*Eulogium ad Alex. Papam tertium*, c. 3; ed. N. M. Häring, in *Med. Studies* 13 1951 265). Vide epilogum ipsius Magistri infra, Dist. 7, c. 3, n. 3, ad totum tractatum.      <sup>2</sup> Ut dicit Augustinus infra, in cap. 6, n. 4.      <sup>3</sup> In Symbolo scil. Concilii Tolet. VI, uti supra, Dist. 5, c. 1, n. 4.



## Cap. 5 (21).

**Auctoritates inducit quibus haec sententia roboratur.** Ne autem et isti de suo influere videantur, testimoniis in medium productis quod dicunt confirmant. Ait enim Augustinus in libro *De gratia novi Testamenti*<sup>1</sup>: «Sicut non augetur numerus personarum cum caro accedit animae ut sit unus homo, sic non augetur numerus personarum cum homo accedit Verbo ut sit unus Christus. Legitur itaque 'Deus homo' ut intelligamus huius personae singularitatem, non ut suspicemur in carnem mutatam divinitatem».

## Cap. 6 (22).

1. **Quatuor species habitus distinguuntur.** Idem quoque, tractans illud verbum Apostoli<sup>2</sup>: *Habitu inventus est ut homo*, manifeste ostendit Deum dici factum esse hominem vel esse hominem secundum habitum, in libro *84 Quaestionum*<sup>3</sup> ita inquit: «Multis modis habitum dicimus: vel habitum animi, sicut disciplinae perceptionem usu firmatam; vel habitum corporis, sicut dicimus alium alio validiorem; vel habitum membrorum accommodantur extrinsecus, ut cum dicimus aliquem vestitum, calceatum et huiusmodi. In quibus omnibus generibus manifestum est in ea re dici habitum quae accedit alicui, ita ut eam possit etiam non habere. Hoc autem nomen ductum est ab illo verbo quod est 'habere'. Habitus ergo in ea re dicitur, quae nobis ut habeatur accedit».

2. **Prima species habitus** \*. «Verumtamen hoc interest, quia quaedam eorum quae accedunt ut habitum faciant, non mutantur, sed ipsa mutant,

14 84] 80 C, 83 X, corr. in 83 V. 19 accedit] accidit BC, accidit vel accedit OVW, vel accidit add. AX. 20 ductum] dictum ABCNOV, quod corr. A. 21 habeatur] vel accidit vel add. AOX, accidit vel add. VW. 22 Rubrica om. MRVW. 23 accedunt] accidunt BCR, vel accidunt add. AVWX, vel cl. add O.

<sup>1</sup> Epist. 140 (ad Honoratum), c. 4, n. 12 (PL 33, 543; CSEL 44, 164). <sup>2</sup> Phil. 2, 7. <sup>3</sup> Id est, *De div. quaest.* 83, q. 73 (PL 40, 84s; CCL 40A, 209), ubi et omnia sequentia.

Cap. 5: Auctoritas Aug. iam invenitur in *Glossa* in Phil. 2, 7 (PL 192, 234 C), ex *Expositione* Flori, col. 622s, ubi tamen legitur cum originali Augustini: «Legitur itaque *verbum caro factum*» ubi Magister ponit: «Legitur itaque 'Deus homo'».

Cap. 6, nn. 1-3: Prima pars auctoritatis Augustini (sub n. 1) trahitur ex ipsis *83 Quaestionibus*; ultima vero phrasid («Habitus... accedit») necnon et nn. 2-3 iam inveniuntur in *Glossa* in Phil. 2, 7, ex eodem Floro (col. 623), quibusdam tamen omissis vel abbreviatis.

in se integra et inconcussa manentia: sicut sapientia, accedens homini, non ipsa mutatur, sed hominem mutat, quem de stulto sapientem facit». — **Secunda** \*. «Quaedam vero sic accedunt ut mutant et mutantur: ut cibus, qui amittens speciem suam in corpus vertitur, et nos cibo refecti, ab exilitate atque languore in robur atque valentiam mutamur». — **Tertia** \*. «Tertium genus est, cum ea quae accedunt, nec mutant ea quibus accedunt, nec ab eis ipsa mutantur: sicut anulus positus in digito; quod genus rarissime reperitur». — **Quarta** \*. «Quartum genus est, cum ea quae accidunt, mutantur non a natura sua, sed aliam speciem et formam accipiunt: ut est vestis, quae deiecta atque deposita, non habet eam formam quam sumit induta: induta enim membrum, accipit formam quam non habebat exuta».

3. **Quarta species congruit huic comparationi** \*. Quod genus congruit huic comparationi. Deus enim Filius «*semetipsum*<sup>1</sup> *exinanivit*, non formam suam mutans, sed *formam servi accipiens*; neque conversus aut transmutatus in hominem, amissa incommutabili stabilitate, sed *in similitudine hominum* factus est ipse susceptor, verum hominem suscipiendo, *et habitu inventus est ut homo*, id est habendo hominem, inventus est ut homo: non sibi, sed eis quibus in homine apparuit». Quod autem dicit, *ut homo*, veritatem exprimit. «Nomine ergo *habitus* satis significavit Apostolus qualiter dixerit *in similitudine hominum factus*, quia non transfiguratione in hominem, sed *habitu* factus est cum indutus est hominem, quem sibi uniens quodam modo atque conformans, immortalitati aeternitatisque sociaret. Non ergo oportet intelligi mutatum esse Verbum susceptione hominis, sicut nec membra veste induta mutantur, quamvis illa susceptio ineffabiliter susceptum suscipienti copularet». — His verbis aperte innuere videtur Augustinus Deum dici factum hominem secundum habitum.

4. **Augustinus: De modo incarnationis** \*. Qui etiam ipsius incarnationis modum volens exprimere quaerentibus in IV libro *De Trinitate*<sup>2</sup>

3 Secunda om. RVW. || accedunt] accidunt R, accidit L, vel accidunt add. AVWX, vel acci. add. O. 6 Tertia om. RVW. || quae] accidunt vel add. AOVWX. || accedunt] accidunt LR. 7 accedunt] accidunt AORVWX. 8 Quarta om. RVW. 13 Rubrica om. RVW. 14 Deus] dei TVX. 16-17 similitudine] similitudinem BLNRVX. 22 hominem] homine LMOR. 29 Rubricae om. RVW Cornub.

<sup>1</sup> Ibid., n. 2 (PL 40, 85 CCL 44A, 211s); resp. Phil. 2, 7. <sup>2</sup> Cap. 21, n. 31 (PL 42, 910; CCL 50, 203s).

Num. 4: Verba Augustini iam in *Glossa* originali in Rom. 1, 3 (n. 3, in editione nostra, supra).



ait: « Si quaeritur, ipsa incarnatio quomodo facta sit: ipsum *Verbum Dei* dico *carnem factum*<sup>1</sup>, id est hominem factum; non tamen in hoc quod factum est conversum atque mutatum », « sed<sup>2</sup> carne, ut carnalibus congruenter appareret, indutum ». « Ita<sup>3</sup> sane *factum*, ut ibi sit non tantum *Verbum Dei* et hominis caro, sed etiam rationalis hominis anima; atque<sup>5</sup> hoc totum et *Deus* dicatur propter *Deum*, et homo propter hominem. Quod si difficile intelligitur, mens fide purgetur a peccatis abstinendo et bona operando; difficilia enim sunt haec ».

5. Idem in libro *De fide ad Petrum*<sup>4</sup>: « *Dei Filius*, cum sit *Deus aeternus* et *verus*, pro nobis factus est homo *verus* et *plenus*: in eo *verus*, quia<sup>10</sup> *veram* habet *Deus* ille *humanam naturam*; in eo *vero plenus*, quia et *carnem humanam* suscepit et *animam rationalem* ». — Item<sup>5</sup>: « Non aliud fuit illa *Dei summi exinanitio*, nisi *formae servilis*, id est *naturae humanae* susceptio. Utraque igitur est in *Christo forma*, quia utraque *vera* et *plena* est in *Christo substantia* », *divina scilicet* et *humana*.<sup>15</sup>

6. Idem in libro *Contra Maximinum*<sup>6</sup>: « Cum esset per se ipsum *invisibilis*, *visibilis* in homine apparuit, quem de *femina* suscipere dignatus est ». — Item in eodem<sup>7</sup>: « Nos *Christum Dominum verum hominem* suscepisse credimus, et in ipso *visibiliter invisibilem* hominibus apparuisse, in ipso inter homines *conversatum fuisse*<sup>8</sup>, in ipso ab hominibus *humana*<sup>20</sup> *pertulisse*, in ipso homines *docuisse* ».

7. Hilarius quoque in X libro *De Trinitate*<sup>9</sup> ait: « Quomodo *Dei Filius natus ex Maria* est, nisi quod *Verbum caro factum est*<sup>10</sup>, scilicet quod *Filius Dei*, *cum in forma Dei esset*, *formam servi* accepit<sup>11</sup>? Unum tamen eundemque, non *Dei defectione*, sed *hominis assumptione*, profitemur et in *forma Dei* per *naturam divinam*, et in *forma servi* ex *conceptione Spiritus Sancti* secundum *hominis habitum repertum fuisse* ».

9 Dei] deus ABCMWX. 11 Deus om. NOX. 13-14 naturae humanae trp. BCLR. 17 suscipere dignatus] suscepit de qua natus Cornub. 23 Maria] matre BCW.

<sup>1</sup> Resp. Ioan. 1, 14. <sup>2</sup> Aug., *Epist. ad Rom. inchoata expositio*, n. 4 (PL 35, 2090). <sup>3</sup> *De Trin.*, loc. cit. <sup>4</sup> Cap. 2, n. 10 (opus Fulgentii, PL 65, 676 C - 677 A; CCL 91A, 718). <sup>5</sup> *Ibid.*, c. 3, nn. 20-21 (PL 65, 681 C-D; CCL 91A, 725). <sup>6</sup> Rectius Evodius, *De fide contra Manich.*, c. 22 (PL 42, 1145; CSEL 25, 960). <sup>7</sup> Cap. 26 (PL 42, 1147; CSEL 25, 962). <sup>8</sup> Resp. Baruch 3, 38: *In terris visus est, et cum hominibus conversatus est*. <sup>9</sup> Num. 22 (PL 10, 360 A-B). <sup>10</sup> Ioan. 1, 14. <sup>11</sup> Phil. 2, 6-7.

Num. 5: Secunda auctoritas *De fide* habetur in *Glossa* in Rom. 1, 3, sub n. 19.

« Non<sup>1</sup> fuit habitus ille tamen hominis, sed ut hominis<sup>2</sup>; neque caro illa caro peccati, sed *in similitudine carnis peccati*<sup>3</sup> ». — Audistis tres secundum diversos positas sententias, et pro singulis inducta testimonia.

## DISTINCTIO VII

## Cap. 1 (23).

5

1. **Positis sententiis prolatisque testimoniis, intelligentias propositarum locutionum exsequitur secundum singulas sententias, et prius secundum primam.** Secundum primam vero dicitur *Deus factus homo* et *homo factus Deus*, quia *Deus* coepit esse quaedam *substantia rationalis* quae ante non fuerat, et illa *substantia* coepit esse *Deus*. Et hoc gratia, non natura vel meritis habuit. Unde recte dicitur *Christus* in quantum homo *praedestinatus* esse *Filius Dei*<sup>4</sup>.

2. **Quae opponantur huic sententiae** \*. Huic autem sententiae opponitur: Si illa *substantia* coepit esse *Deus* et *Deus* illa, quaedam igitur *substantia* est *Deus*, quae non semper fuit *Deus*; et quaedam *substantia* est *Deus*, quae non est *divina substantia*; et *Deus* est aliquid quod non semper fuit. — **Origenes, Super Epistolam ad Romanos** \*. Quod et illi concedunt, **Origenis**<sup>5</sup> testimonio innitentes, qui ait: « *Factus est sine dubio id quod prius non erat* », sed addidit: « *secundum carnem; secundum Deum vero erat prius, et non erat quando non erat* ».

3. Aliis quoque pluribus modis illi sententiae potest opponi: quibus supersedemus, exercitationis studium lectori relinquentes et ad aliam properantes.

1 tamen] tantum WX, vel tantum add. N (marg.) V<sup>2</sup> (interl.). 7 prius] primus BX, primitus C, primo W. 13 Rubrica om. RVW. 22 aliam] alia LTW, sententiam add. V.

1 Hilarius, *ibid.*, n. 25 (PL 10, 365 B). 2 Resp. Phil. 2, 7. 3 Rom. 8, 3. 4 Resp. Rom. 1, 4. 5 *In Rom.*, 1, n. 5 (PG 14, 848 C); resp. Rom. 1, 3: *Qui factus est ei ex semine David secundum carnem*.

Num. 2: Quoad arg. contra hanc sententiam videsis notam historicam N. M. Häring, in *The Case of Gilbert de la Porrée Bishop of Poitiers (1142-1154)*, in *Mediaeval Studies* 13 (1951), 30, n. 46. — Auctoritas Origenis iam invenitur in *Glossa* in Rom. 1, 3, (sub n. 1 in ed. nostra).



4. **Hic explanat secundam sententiam et earundem locutionum sensus.**

In secunda vero sententia, huius dictionis talis videtur ratio: ut cum dicitur 'Deus factus est homo', intelligatur coepisse esse subsistens ex duabus naturis vel tribus substantiis; et e converso 'homo factus est Deus', quia subsistens in duabus naturis coepit esse Deus. — Vel potius 'homo factus Deus et e converso' dicitur, quia Deus assumpsit hominem et homo assumptus est a Deo. Unde Augustinus dicit in libro *De Trinitate* 1: «Talis fuit illa susceptio, quae hominem faceret Deum, et Deum hominem». — Variatur autem intelligentia cum dicitur 'Deus est homo' et 'homo est Deus'. Dicitur enim Deus esse persona subsistens in duabus et ex duabus naturis; et persona subsistens ex duabus naturis dicitur esse Deus, id est Verbum, vel natura divina. Potest enim praedicari persona simplex vel natura de persona composita; non est autem, ut ait Iohannes Damascenus 2, idem dicere naturam vel personam.

5. **Ex quo sensu dicunt Christum praedestinatum.** Isti dicunt Christum esse praedestinatum in quantum est homo, id est in quantum est subsistens ex duabus substantiis, scilicet anima et carne; nam quantum ad naturam divinitatis, non est ipse praedestinatus. Non ergo in quantum in ea vel ea subsistit, praedestinatus est; sed in quantum subsistit in aliis duabus substantiis, id est in anima et carne, hoc est in quantum est homo.

6. **Qualiter exponuntur auctoritates primae quae isti videntur obviare sententiae.** Determinant etiam auctoritates quae primae conveniunt sententiae, et huic videntur contradicere. Ut cum legitur 3 'homo ille assumptus a Verbo in singularitate personae' vel 'factus una persona cum Verbo', de natura humana intelligitur, quae Verbo unita est in singularitate personae, id est ita quod eadem persona quae prius erat et simplex

3 est om. BCMRT, del. N, add. marg. L. in duabus et add. W, add. marg. LR<sup>2</sup>.  
 4 est om. ABCMNRTX. 11 subsistens] non] Quod non est idem dicere naturam vel personam rubrica marg. in codd. (om. RV).  
 22 exponuntur] exponunt LRW, opponunt BCX. 25 singularitate] singularitatem BCN. 26 intelligitur] intelligatur BCNW.

1 Lib. I, c. 13, n. 28 (PL 42, 840; CCL 50, 69). 2 *De fide orthodoxa*, III, c. 4 (PG 94, 998 A-C); vers. Burgundionis et Cerbani, c. 48, nn. 1-2 (ed. E. Buytaert, 180s, 396).  
 3 In Dist. VII, c. 2, nn. 6-7.

Num. 4: Prima pars citatur a Ioanne Cornubiensi (ed. cit. 200), usque ad finem auctoritatis Augustini. Quae verba Augustini habentur in *Glossa* in I Cor. 2, 8 (PL 191, 1549 B) et in II Cor. 13, 4 (PL 192, 91 A), sed proferuntur sine commento. Quoad sequentia cf. *Summa sent.*, I, 15 (PL 171, 1098 A-B; 176, 71 C-D), quae tamen non videtur esse fons. Cf. etiam *Glossa* in Rom. 1, 3 (n. 9 in editione nostra).

erat, sine incremento numeri et immutata permansit, licet composita. Compositionis vero huius aliam dicunt esse rationem quam sit in aliis hominibus, quia huius ex tribus, aliorum ex duabus substantiis est compositio.

7. Negant quoque naturam humanam esse personam vel Dei Filium; et sicut unum eundemque dicunt esse hominem et Deum, et filium hominis et Filium Dei, ita unum et idem, non aliud et aliud, sicut nec alium et alium.

8. **Quaedam ponit quae praemissis videntur adversari.** Sed his videntur adversari quae subditis continentur capitulis. Ait enim Augustinus, *Super Ioannem* 1: «Aliud est Verbum Dei, aliud homo. Sed *Verbum caro factum est* 2, id est homo; non itaque alia Verbi, alia est hominis persona, quoniam utrumque Christus et una persona». — Idem, *Ad Felicianum* 3: «Aliud Dei Filius, aliud hominis filius, sed non alius». Item 4: «Dei Filius aliud de Patre, aliud de Matre». — Idem in libro *I De Trinitate* 5: «Cum Filius sit et Deus et homo, alia substantia Deus, alia homo».

9. **Qualiter his respondeant.** Haec autem in hunc modum determinant: quia cum dicitur 'aliud Verbum Dei, aliud homo', sive 'alia substantia Deus, alia homo', alterius naturae significatur Christus esse in quantum est homo, et alterius in quantum est Deus; et aliud natura qua est homo, aliud natura qua est Deus. — **Ioannes Damascenus** \*. Ut enim ait Iohannes Damascenus 6, «inconverse et inalterabiliter unitae

9 praemissis] predictis ABC. 12 est<sup>3</sup> trp. post alla<sup>1</sup> OR. 15 aliud... aliud] alius... alius BCLMR. 23 Damascenus om. LMR, add. interl. T<sup>2</sup>.

1 Tract. 69, n. 3 (PL 35, 1817; CCL 36, 501). 2 Ioan. 1, 14. 3 Id est Vigilius Thapsensis, *Contra Felicianum Arianum de unitate Trinitatis*, c. 11 (inter opera August., PL 42, 1166). 4 *Ibid.*, c. 12 (1167), sed tantum ad sensum. 5 Cap. 10, n. 20 (PL 42, 834; CCL 50, 57). 6 *De fide orthodoxa*, III, c. 3 (PG 94, 987 B-C et 990 B); versiones Burgundionis et (in parte) Cerbani, c. 47, nn. 1-2 (ed. E. Buytaert, 173s, 392s).

Num. 8: Quasi idem ac num. 10 *Glossae* originalis in Rom. 1, 3. Vide etiam *Summam sent.*, I, 15 (PL 171, 1097 A; 176, 70 D), unde sumuntur (etiam in *Glossae* num. 10) auctoritates Augustini *Ad Felicianum*. — Num. 9-14: Quae hic apponuntur ad secundum sententiam explicandum apte manifestant modum operandi Magistri; determinatio enim necnon et prima phrasis Damasceni (licet sub nomine Basilii) iam habentur quasi ad litteram in *Glossa* primitiva, n. 12. Quibus postea, textu Damasceni Romae invento, perficitur auctoritas. Conclusio num. 9 paraphrasis videtur eiusdem *Glossae*. Deinde, in n. 10 adiungitur auctoritas Hilarii quam invenit post illam *Glossam* confectam; ac in num. 11 incorporatur materia ex *Glossa* in Rom. 1, 3 (scil. ex num. 12 eiusdem) et in Rom. 1, 4 (*ibid.* sub n. 24, sed in forma abbre-



sunt ad invicem naturae, neque divina distante a propria simplicitate, neque humana aut conversa in deitatis naturam, aut in non existentiam divisa, neque ex duabus una facta composita natura. Composita enim natura neutri earum ex quibus componitur naturis homousia (id est consubstantialis) esse potest, ex alteris perficiens alterum: ut corpus ex quatuor elementis compositum, nec ignis nominatur, nec aër, nec terra, nec aqua, nec horum alicui homousion dicitur. Si igitur secundum haereticos Christus unius compositae naturae post unionem existit, ex simplici natura conversus est in compositam, et neque Patri simplicis naturae existenti, neque Matri est homousios; et neque Deus, neque homo denominabitur, sed Christus solum. Et erit hoc nomen, scilicet Christus, non personae ipsius nomen, sed unius, secundum ipsos, compositae naturae. Nos autem Christum non unius compositae naturae dogmatizamus. Et hoc nomen, scilicet Christus, personae dicimus, non monotropos (id est uno modo) dictum, sed duarum naturarum esse significativum, scilicet deitatis et humanitatis. Ex deitate autem et humanitate Deum perfectum et hominem perfectum eundem et esse et dici, ex duabus et in duabus naturis confitemur. — Sic ergo dicitur aliud esse Filius Dei, aliud filius hominis, quia alterius est substantiae vel naturae in quantum Filius Dei, alterius in quantum est filius hominis: non quod ipse Filius Dei et hominis sit duo illa diversa, id est duae diversae naturae.

10. **Auctoritate confirmat determinationem.** Aperte enim Hilarius in IX libro *De Trinitate*<sup>1</sup> ait: « Cum non aliud sit filius hominis, neque aliud Filius Dei: *Verbum enim caro factum est*<sup>2</sup>; et cum qui Filius Dei est, ipse et hominis sit filius, requiro quis in hoc filio hominis glorificatus sit ». Evidenter dicit non aliud esse Filium Dei, et aliud filium hominis; ex quo praemissa roboratur et approbatur determinatio.

2 existentiā] existentia MX, existentem R. 7 igitur] ergo LRV. 10-11 denominabitur] denominatur ABOTVX, quod corr. T. 21 sit] sint ALRT. 24 cum] cetera BC. 25 glorificatus] clarificatus ANOWX.

<sup>1</sup> Num. 40 (PL 10, 313 A). Legitur quidem apud Migne: *Cum non alius... neque alius*; sed vetustissimi codices, ut ibi notatur, habent: *Cum non aliud... neque aliud*. <sup>2</sup> Ioan. 1, 14.

viata). Determinatio in num. 12 quodammodo fit sub influxu eiusdem Glossae (sub n. 12) ac *Summae Sent.*, I, 15 (PL 171, 1098 C; 176, 72 A). Quod tunc obicitur huic sententiae (hic, in num. 13) trahitur ex *Glossa* in Rom. I, 3 (sub n. 4), quae dependere videtur sive ex Hugonis *De sacram.*, II, 1, 4 (PL 176, 377 A) sive ex *Summa sent.*, I, 18 (PL 171, 1104 C-D; 176, 77 D-78 A): utrobique enim invenitur auctoritas Augustini. Quod postremo respondetur huic difficultati (in num. 14) in quibusdam fundatur in eandem *Glossam*, n. 4.

11. **Alia etiam verba auctoritatum adnotat ut determinet.** Quod etiam dictum est<sup>1</sup>, 'utrumque Christus est et una persona', movere potest lectorem; sicut et illud quod Augustinus dicit in libro I *De Trinitate*<sup>2</sup>: « Quia forma Dei formam servi accepit, utrumque Deus, utrumque homo; sed utrumque Deus propter accipientem Deum, et utrumque homo propter acceptum hominem ». Et illud quod idem ait in libro *De bono perseverantiae*<sup>3</sup>: « Qui fidelis est, in eo veram naturam humanam credit suscipiente Deo Verbo ita sublimatam, ut qui suscipit et quod suscipit una esset in Trinitate persona, assumptione illa ineffabiliter faciente personae unius in Deo et homine veritatem ». Si autem qui suscipit et quod suscipit una est persona, ergo natura humana cum Verbo una est persona.

12. **Hic auctoritate utitur ut confirmet determinationem** \*. Sed haec omnia ex tali sensu dicta fore tradunt: ut utrumque dicatur esse Christus et una persona, quia in utroque unus Christus, una persona subsistit. Ita etiam susceptum cum suscipiente dicitur una persona, quia susceptum suscipienti est sociatum in unitate personae, id est ita quod unitas personae permansit, non ita ut caro et anima sint Deus. Quia ut ait Hieronymus<sup>4</sup>, « Verbum est Deus, non caro assumpta ». Et Ambrosius in libro III *De Spiritu Sancto*<sup>5</sup> ait: « Alius est quod assumpsit, et aliud quod assumptum est ».

13. **Hic quandam ponit auctoritatem quae multum videtur huic sententiae opposita.** Est autem et aliud quod huic sententiae plurimum videtur obviare. Ait enim Augustinus in libro *Contra Maximinum*<sup>6</sup>: « Christus una persona est geminae substantiae, quia et Deus et homo est. Nec tamen Deus vel homo pars huius personae dici potest: alioquin Filius Dei, Deus antequam susciperet formam servi non erat totus, et crevit cum homo divinitati eius accessit ». Ecce Deum dicit non esse partem illius personae; unde videtur illa persona non constare ex Deo et homine.

14. **Responsio illorum cum determinatione** \*. Ad quod etiam illi

<sup>3</sup> libro primo trp. ALRVWX. 11 est] in trinitate add. LR. 12 Rubrica om. RVW, abbrev. A. || Hic] Et hic LO.

<sup>1</sup> Supra, in num. 8. <sup>2</sup> Cap. 7, n. 14 (PL 42, 829; CCL 50, 46). <sup>3</sup> Id est *De dono persev.*, c. 24, n. 67 (PL 45, 1033). <sup>4</sup> *Epist. 9 (ad Paulam et Eustochium)*, n. 12 [vel 75]: « Deus Verbum est, et non caro, quamquam carnem... assumpsit » (opus est Paschasii Radberti; inter opp. Hieron., PL 30 [1846], 135 A; ed. A. Ripberger, *Der Pseudo-Hieronymus-Brief IX « Cogitis me »*. Ein erster marianischer Traktat des Mittelalters von Paschasius Radbertus, Freiburg [Sw.] 1962, 92s). <sup>5</sup> Immo *De incarnationis dom. sacramento*, c. 6, n. 61 (PL 16 [1845], 833 D; CSEL 79, 256). <sup>6</sup> Lib. II, c. 10, n. 2 (PL 42, 765).



dicunt illam personam non ita constare ex Deo et homine quasi totum ex partibus. Ita enim partes alicuius totius conveniunt, ut ex illis quod non erat constituatur. Non autem sic humana et divina natura in Christo uniuntur: inexplicabilis enim est istius unionis, quae non est partium, ratio. — **Alia solutio** \*. Quidam tamen nomine 'Dei' ibi personam signifi- 5  
ficari putant, quia de tribus agebat personis, quarum nullam Trinitatis esse partem dicebat, sicut pars istius personae non est Deus. Quod si de persona intelligitur, manifestum est, quia persona non est pars personae.

15. Posita est diligenter sententia secunda et eius explanatio. Cui in nullo, vel in modico, obviant auctoritates in tertia sententia inductae, 10  
quae iam consideranda est.

16. **In tertia sententia quae sit praemissarum propositionum intelligentia.** In hac igitur sententia sic dicitur 'Deus factus homo', quia hominem accepit; et sic dicitur 'esse homo', quia hominem habet vel quia est habens hominem; et 'homo factus Deus', quia assumptus est a Deo; 15  
et 'homo esse Deus', quia habens hominem est Deus.

17. **Cassiodorus** \*. Cum ergo dicitur 'Deus est homo', vel habitus praedicatur, vel persona, sed humanata. Et quod persona humanata praedicatur, **Cassiodorus** <sup>1</sup> ostendere videtur, dicens: « Factus est, ut ita dixerim, humanatus Deus; qui etiam in assumptione carnis Deus esse non destitit ». 20  
Quod tamen varie accipi potest: ut dicatur 'Deus factus humanatus', vel 'Christus factus Deus humanatus'; utrumque enim sane dici potest. Cum ergo dicitur 'factus est Deus homo', multiplex secundum istos fit intelligentia: ut naturam humanam accepisse, vel humanatum Verbum esse incepisse intelligatur. Nec tamen, si incepit esse humanatum Ver- 25  
bum, ideo sequitur quod inceperit esse Verbum. Nec si Deus factus est humanatum Verbum, sequitur quod factus sit Verbum. Sicut de aliquo dicitur: Hodie iste coepit esse bonus homo vel factus est bonus homo, nec tamen hodie coepit esse homo vel factus est homo.

<sup>5</sup> Rubrica om. RVW.

<sup>1</sup> *Expositio Psalmorum*, Ps. 56, divisio (PL 70, 400 C; CCL 97, 507).

Num. 17: Auctoritas Cassiodori invenitur, quibusdam additis, in *Glossa primitiva* in Rom. 1, 3 (n. 1), in quibusdam codicibus cum rubrica: *Augustinus in psalmum lili*, in aliis rectius sub nomine Cassiodori.

Cap. 2 (24).

1. **Quo sensu secundum istos dicatur praedestinatus.** Secundum istos dicitur Christus secundum quod homo praedestinatus esse Filius Dei: quia est praedestinatum a Deo ab aeterno, et in tempore collatum ei 5  
per gratiam, ut ipse, ens homo, sit Filius Dei. Hoc enim non semper habuit, sed in tempore per gratiam accepit.

2. **Auctoritate confirmat expositionem** \*. — **Augustinus** \*. Quod videtur **Augustinus** notasse in libro *Ad Prosperum et Hilarem* <sup>1</sup>, dicens: « Praedestinatus est Iesus, ut qui futurus erat secundum carnem filius 10  
David, esset in virtute Filius Dei ».

3. Hi etiam cum dicitur Christus minor Patre secundum quod homo, secundum habitum hoc intelligunt dictum, id est in quantum habet sibi hominem unitum. Unde **Augustinus** in I libro *De Trinitate* <sup>2</sup>: « Deus Filius Deo Patri natura est aequalis, habitu minor. In forma enim 15  
*servi* minor est Patre, in forma Dei aequalis est Patri ».

4. **Quare non dicitur homo deificatus** \*. Et quia secundum habitum accipienda est incarnationis ratio, ideo Deum humanatum, non hominem deificatum dici tradunt. Unde **Ioannes Damascenus** <sup>3</sup>: « Non hominem deificatum dicimus, sed Deum hominem factum ».

20

Cap. 3 (25).

1. **Quod non debet dici homo dominicus.** Et licet dicatur 'homo Deus', non tamen congrue dicitur 'homo dominicus'. — **Augustinus** \*.

<sup>2</sup> dicatur] dicitur NW, Christus add. MNW, add. interl. V. || praedestinatus] Christus add. BCX. <sup>7</sup> Rubricae om. RVW. <sup>11</sup> H] Hic BCM, corr. in Hic X. <sup>12-13</sup> sibi hominem trp. BCLMRTV. <sup>16</sup> Rubrica om. ABCRVW. <sup>18</sup> Damascenus] deum X, om. L, add. marg. RT<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Id est *De praedest. sanctorum*, c. 15, n. 31 (PL 44, 982). Resp. Rom. 1, 4: *Qui praedestinatus est Filius Dei in virtute*. <sup>2</sup> Cap. 7, n. 14 (PL 42, 829; CCL 50, 46). Resp. Phil. 2, 6-7: *Qui cum in forma Dei esset... formam servi accipiens... habitu inventus est ut homo*. <sup>3</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 2 (PG 94, 987 A); versio Cerbani, c. 46, n. 2 (ed. E. Buytaert, 392). In versione Burgundionis loco *hominem factum* legitur *humanatum* (172).

Cap. 2, num. 1: Fundatur in *Glossa* in Rom. 1, 4 (n. 26); verba autem Augustini inveniuntur ibidem, sub n. 25. — Num. 2: Auctoritas Aug. plenior habetur in eadem *Glossa* ad Rom. 1, 3 (n. 18).



Unde Augustinus in libro *Retractationum* <sup>1</sup>: « Non video utrum recte dicatur homo dominicus qui est *mediator Dei et hominum Christus Iesus* <sup>2</sup>, cum sit utique Dominus; et hoc quidem ut dicerem, apud quosdam legi tractatores catholicos <sup>3</sup>. Sed ubicumque hoc dixi <sup>4</sup>, dixisse me nollem. Postea quippe vidi non esse dicendum, quamvis nonnulla possit ratione <sup>5</sup> defendi ».

2. Secundum istos etiam dicitur persona Filii in duabus et ex duabus existere naturis secundum adhaerentiam et inentiam: altera enim inhaeret ei, altera inest.

3. **Quod praedicta non sufficiunt ad cognoscendam hanc quaestionem.** <sup>10</sup> Satis diligenter, iuxta diversorum sententias, supra positam absque assertione et praeiudicio tractavi quaestionem. Verumtamen nolo, in tanta re tamque ad agnoscendum difficili, putare lectorem istam sibi nostram debere sufficere disputationem; sed legat et alia melius forte considerata atque tractata, et ea quae hic movere possunt vigilantiore <sup>15</sup> atque intelligentiore, si potest, mente discutiat; hoc firmiter tenens, quod (In ecclesiasticis dogmatibus \*:) « Deus <sup>5</sup> hominem assumpsit, homo in Deum transivit, non naturae versibilitate, sed Dei dignatione: ut nec Deus mutaretur in humanam substantiam assumendo hominem, nec homo in divinam glorificatus in Deum, quia mutatio vel versibilitas naturae <sup>20</sup> diminutionem et abolitionem substantiae facit ».

<sup>2</sup> Christus Iesus *trp.* ACLNRVX. <sup>4</sup> dixi *interl.* RT, *marg.* L. <sup>5-6</sup> possit ratione defendi] me possem ratione tueri N. <sup>8</sup> naturis] personis LMR *Gualt.*, *quod corr. marg.* L<sup>2</sup>. || adhaerentiam] vel inherentiam *add.* BC, vel in- *add.* *interl.* T<sup>2</sup>, *corr. marg.* in inherentiam L<sup>2</sup>. || inentiam] inessentiam BL, *quod corr.* L<sup>2</sup>, inreverentiam M, inherentiam V. || inhaeret] adheret X, vel ad- *add.* *interl.* T<sup>2</sup>. <sup>11</sup> supra positam] suppositam A, supra positam BCM. <sup>12</sup> tractavi] tractavimus BCOVW *Cornub.* || nolo] nolumus BC *Cornub.* <sup>13</sup> tanta re *trp.* BCLMNT *Gualt* [bis] *Cornub.* || agnoscendum] cognoscendum RT *Cornub.*, dinoscendum BCN *Gualt* [bis].

<sup>1</sup> Lib. I, c. 19, n. 8 (PL 32, 616s; CSEL 36, 94). <sup>2</sup> Resp. 1 Tim. 2, 5. <sup>3</sup> In usum enim venit homo dominicus apud quosdam Patres orientales (cf. B. M. Xiberta, *Enchiridion de Verbo incarnato*, Matriti 1957, in indice doctr., p. 781). Postea, inter Latinos, non semel invenitur apud Guill. de Campellis et in schola Anselmi Laudunensis (cf. O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 129, 213, etc.). <sup>4</sup> Ut in *De sermone Domini in monte*, II, c. 6, n. 20 (PL 34, 1278; CCL 35, 109s); *Expos. quarundam proposit. ex Epist. ad Rom.*, n. 48 (PL 35, 2072); *Enarr. in Ps.* 1, 1 (PL 36, 67; CCL 38, 1); etc. Forsitan hanc vocem invenit reprobata a S. Gregorio Naz., *Epist. 101* (PG 37, 177 B). <sup>5</sup> Gennadius, *Liber seu diffinitio ecl. dogm.*, c. 2 (PL 42, 1213s; PL 58, 981).

## DISTINCTIO VIII

## Cap. 1 (26).

1. **An divina natura debeat dici nata de Virgine.** Post praedicta inquiri debet utrum de natura divina concedendum sit quod de Virgine sit <sup>5</sup> nata, sicut dicitur in Virgine incarnata. — Et videtur utique non debere dici nata de Virgine, cum non sit nata de Patre: quae enim res non est de Patre genita, non videtur de Matre nata, ne res aliqua filiationis nomen habeat in humanitate, quae illud non teneat in divinitate. — Videtur tamen posse probari quod sit nata de Virgine: quia si hoc est Deum nasci <sup>10</sup> de Virgine, scilicet hominem assumere in utero Virginis, cum natura divina superius <sup>1</sup> dicta sit hominem assumpsisse, videtur debere dici nata.

2. De hoc autem Augustinus in libro *De fide ad Petrum* <sup>2</sup> sic ait: « Natura aeterna atque divina non posset temporaliter concipi et nasci ex natura humana, nisi secundum susceptionem veritatis humanae <sup>15</sup> veram temporaliter conceptionem et nativitatem ineffabilis in se divinitas accepisset. Sic est Deus aeternus veraciter secundum tempus et conceptus et natus ex Virgine ». — Ista auctoritate videtur insinuari quod natura divina sit nata et concepta de Virgine; sed si diligenter notentur verba, potius de persona agi intelligitur: quae sine dubitatione et de <sup>20</sup> Patre et de Matre nata esse dici debet.

## Cap. 2 (27).

**De gemina Christi nativitate, qui bis natus est.** Quaeri etiam solet utrum debeat dici Christus bis genitus, ut dicitur Dei et hominis filius.

<sup>3</sup> nata *trp.* post Virgine AO. <sup>17</sup> ex] de BCLNX. <sup>22</sup> qui bis] quibus ABCVX, *quod corr.* AVX.

<sup>1</sup> Dist. 5, c. 1, nn. 5-10. <sup>2</sup> Cap. 2, n. 14 (opus Fulgentii, PL 65, 678 B; CCL 91A, 720).

Cap. 1, num. 2: Auctoritas pseudo-Aug. partim invenitur in *Glossa cit.*, n. 16; ultima vero pars ibidem, sed infra in num. 17.

Cap. 2: Quasi omnia ex *Glossa primitiva*, n. 13, unde etiam conclusio capituli. Citatur Damascenus potius secundum versionem Burgundionis, sed quaedam verba illam adhuc redolent Cerbani; idem passus invenitur in *Sermone 18 Lombardi*, *In Annuntiatione* (PL 171, 606 B), ubi statim sequitur ultima pars auctoritatis *De fide ad Petrum* hic parum supra posita. Cf. *Proleg.* ad tom. I, p. 105\*.



— Ad quod dici potest Christum bis natum esse, duasque nativitates habuisse. Unde Augustinus in libro *De fide ad Petrum*<sup>1</sup>: « Pater Deus de sua natura genuit Filium Deum sibi aequalem et coaeternum. Idem quoque Unigenitus Deus secundo natus est: semel ex Patre, semel ex Matre. Natus est enim de Patre Deus Verbum, natus est de Matre Verbum caro factum. Unus igitur atque idem Dei Filius natus est ante saecula, et natus in saeculo; et utraque nativitas unius est Filii Dei, divina scilicet et humana ». — **Ioannes Damascenus**<sup>\*</sup>. De hoc etiam Iohannes ait: « Duas Christi nativitates veneramus: unam ex Patre ante saecula », quae est « super causam et rationem et tempus et naturam; et unam quae in ultimis, propter nos et secundum nos et super nos. Propter nos, quia propter nostram salutem; secundum nos, quia natus est homo ex muliere et tempore conceptionis », scilicet novem mensium; « super nos, quia non ex semine, sed ex Spiritu Sancto et sancta Virgine supra legem conceptionis ». — Ex his manifeste apparet Christi duas esse nativitates, eundemque bis natum fore.

## DISTINCTIO IX

## Cap. unicum (28).

**1. De adoratione humanitatis Christi: an eadem sit adoratio humanitati et deitati exhibenda.** Praeterea investigari oportet utrum caro Christi et anima una eademque cum Verbo debeant adoratione adorari, illa scilicet quae latria dicitur. Si enim animae vel carni Christi exhibetur latria, quae intelligitur servitus sive cultus soli Creatori debitus<sup>3</sup>, cum

<sup>3</sup> aequalem] coequalem ANOV, corr. in coequalem T2. <sup>5</sup> Deus] dei ANOVV. <sup>10</sup> quae est om. BCMNR. <sup>13</sup> scil. novem mensium trp. post muliere B, post tempore CN, add. interl. R2.

<sup>1</sup> Cap. 2, nn. 10-11 (opus Fulgentii, PL 65, 676 C, 677 A; CCL 91A, 718). <sup>2</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 7 (PG 94, 1010 C - 1011 A); versiones Burgundionis et Cerbani, c. 51, n. 3 (ed. E. Buytaert, 193, 402). <sup>3</sup> Ut docet Augustinus, *De Trinit.*, I, c. 6, n. 13 (PL 42, 827s; CCL 50, 42ss); *Contra Faustum*, XX, 21 (PL 42, 384s; CSEL 25, 561-565); *De civit. Dei* X, c. 1 (PL 41, 278s; CSEL 40-I, 445ss; CCL 47, 272s); et alibi.

Dist. IX: De quaestione hic disputata, cf. A. M. Landgraf, *Der Kult der menschlichen Natur Christi nach der Lehre der Frühscholastik*, in *Scholastik* 12 (1937), 361-377, 498-518; vel potius in *Dogmengeschichte* II-2, 132-169, quod infra citatur; et etiam N. M. Häring, *The Case of Gilbert of Poitiers*, in *Mediaeval Studies* 13 (1951) 27.

anima Christi vel caro creatura tantum sit, creaturae exhibetur quod soli Creatori debetur: quod facienti in idolatriam deputatur.

**2. Quidam dicunt non illa adoratione adorandam esse**<sup>\*</sup>. Ideo quibusdam videtur non illa adoratione quae latria est carnem Christi vel animam esse adorandam, sed illa quae est dulia<sup>1</sup>. — **De speciebus duliae**<sup>\*</sup>. Cuius duas species vel modos esse dicunt. Est enim cuiusdam modi dulia quae creaturae cuilibet exhiberi potest; et est quaedam soli humanitati Christi exhibenda, non alii creaturae, quia Christi humanitas super omnem creaturam est veneranda et diligenda; non tamen adeo, ut cultus divinitati debitus ei exhibeatur. Qui cultus in dilectione et sacrificii exhibitione atque reverentia consistit: qui latine dicitur pietas, graece autem theosebia, id est Dei cultus; vel eusebia, id est bonus cultus<sup>2</sup>.

**3. Aliorum sententia qui unam adorationem utrique exhibendam tradunt.** Aliis autem placet Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse adorandam: non propter se, sed propter illum cuius scabellum est, cui est unita; nec ipsa humanitas sola vel nuda, sed cum Verbo cui est

<sup>3</sup> Rubrica om. RVW. <sup>5</sup> est dulla trp. BCLMRT. || Rubrica om. LRVW. <sup>8</sup> Christi<sup>1</sup> om. NOM, add. interl. RT, add. marg. W. <sup>15</sup> scabellum est trp. BLMRT.

<sup>1</sup> Cf. August., *Quaest. in Heptat.*, I, 61; II, 94 (PL 34, 564, 631; CSEL 28-II, 32 et 156; CCL 33, 23 et 117). <sup>2</sup> August., *Enchiridion*, c. (seu n.) 2: « Si autem quaeras quam dixerit eo loco pietatem [Iob 28, 28], distinctius in graeco reperies *theosebeian*, qui est Dei cultus. Dicitur enim graece pietas et aliter, id est eusebeia, quo nomine significatur bonus cultus, quamvis et hoc praecipue referatur ad colendum Deum » (PL 40, 231; CCL 46, 49).

Num. 2: Secundum cl. Landgraf (144-146) — et ante eum, ut notat ipse, secundum H. Denifle — prima opinio quae quibusdam hic ascribitur olim erat ipsius Lombardi in *Glossa* in Ps. 98, 5 (PL 191, 895 A-C), ubi quaestionem aperit verbis Augustini in h. l. (PL 37, 1264; CCL 39, 1385); tunc respondendo introducit quaedam ex *Glossa ordinaria* (cod. Laurenz., Pl. XVII, 4, f. 133r) et ex illa Gilberti (cod. Laurenz., Pl. VII, d. 9, f. 119r; vide etiam A. M. Landgraf, *ibid.*, 140); dein proponit suam distinctionem inter latriam et duas species duliae (« Non illa... scabellum divinitatis »), quam probabiliter hauserat ex fonte nobis ignoto; denique concludit verbis Augustini uti inveniuntur in eadem *Glossa ordinaria* et Cassiodori ut in *Glossa interlineari*. — Cui opinioni cl. Landgraf non adhaesimus in Prolegomenis ad tom. I, p. 61\*, quatenus haec expositio Magistri nobis additamentum posterius videbatur. Sed nec profundum nec rectum tale iudicium nunc aestimamus, eo quod hic in Distinctione IX clarior est expositio primae opinionis quam in *Glossa*; immo, in illa *Glossa* nullomodo tangitur secunda opinio, quamvis quaedam eius elementa illic inveniuntur. Alia etiam ratio subito apparet. — Num. 3: « Aliorum sententia », de una adoratione (quae sola concordat cum decreto seu anathematismo Concilii Constantinop. II [D-S 431]), doctrina erat Gilberti Porretani: « Haec [caro] Verbo Dei assumpta sine impietate adoratur, et peccat qui non adorat, non tamen propter ipsam, quia caro non prodest cuiquam, sed propter ipsum cuius pedum



unita: nec propter se, sed propter illum est adoranda. Nec qui hoc facit idolatriae reus iudicari potest, quia nec soli creaturae, nec propter ipsam, sed Creatori cum humanitate et in humanitate sua servit.

4. **Ioannes Damascenus** \*. De hoc **I o a n n e s**<sup>1</sup> ita ait: « Duae sunt naturae Christi ratione et modo differentiae, unitae vero secundum hypo-  
stasim. Unus igitur Christus est, Deus perfectus et homo perfectus, quem  
adoramus cum Patre et Spiritu una adoratione cum incontaminata carne  
eius; non inadorabilem carnem dicentes: adoratur enim in una Verbi  
hypostasi, quae hypostasis generata est; non creaturae venerationem  
praebentes. Non enim ut nudam carnem adoramus, sed ut unitam deitati  
in unam hypostasim Dei Verbi duabus reductis naturis. Timeo carbonem  
tangere propter ligno copulatum ignem. Adoro Christi mei simul utraque  
propter carni unitam deitatem. Non enim quartam appono personam in  
Trinitate, sed unam personam confiteor Verbi et carnis eius ». His verbis  
insinuari videtur Christi humanitatem una adoratione cum Verbo esse  
adorandam.

5. **Augustinus** \*. De hoc etiam **A u g u s t i n u s**<sup>2</sup>, ex sermone Domini ubi dicit<sup>3</sup>: *Non turbetur cor vestrum*, ita dicit: « Dicunt haeretici Filium non natura esse Deum, sed creatum. Quibus respondendum est quia si Filius non est Deus natura, sed creatura, nec colendus est omnino, nec ut Deus adorandus, dicente Apostolo<sup>4</sup>: *Coluerunt et servierunt potius creaturae quam Creatori*. Sed illi ad hoc replicabunt et dicent: Quid est quod carnem eius, quam creaturam esse non negas, simul cum divinitate adoras, et ei non minus quam divinitati deservis? Ego dominicam carnem,

<sup>5</sup> differentiae] differentes NVW, corr. in differentes BLM, vel -cie add. interl. V<sup>2</sup>.  
<sup>7</sup> Spiritu] sancto add. C, add. interl. RTWX.      <sup>12</sup> utraque] utramque naturam AN, utramque V, sed corr. interl. V<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 8 (PG 94, 1015 C - 1015 A); versio Burgund., c. 52, nn. 3-4 (ed. E. Buytaert, 196s).      <sup>2</sup> *De verbis Domini*, sermo 58, seu sermo 246, n. 5 (inter opp. August., PL 39, 2200). Praeter quinque lineas ad initium sermonis quae sumuntur ex initio et fine tractatus 78 Augustini *In Ioannem* (PL 35, 1835, 1837), reliqua (et inde textus citatus a Magistro) ex opere deperdito Pelagii *De fide Trinitatis*. Cf. Cael. Martini, *Ambrosiaster: de Auctore, operibus, theologia* (Spic. Pont. Athen. Antoniani 4), Romae 1944, 186s, 194-197; necnon et PLS II, 859.      <sup>3</sup> Ioan. 14, 1.      <sup>4</sup> Rom. 1, 25.

scabellum est quod adoratur » (apud A. M. Landgraf, 140). — Quod hanc opinionem suam propriam hic facit Magister, apparet ex verbis Damasceni (« una adoratione... Non enim ut nudam carnem adoramus sed ut unitam deitati ») et pseudo-Augustini (« non solam vel nudam, sed divinitati unitam »): quare enim talia intexeret ipsius expositioni (in num. 3), et plena verba afferret (in nn. 4-5), nisi ut suam novam positionem quodammodo manifestaret?

immo perfectam in Christo humanitatem, ideo adoro, quod a divinitate suscepta et deitati unita est: ut non alium et alium, sed unum eundemque Deum et hominem, Filium Dei esse confitear. Denique, si hominem separaveris a Deo, illi nunquam credo nec servio. Velut si quis purpuram vel diadema regale iacens inveniatur, numquid ea conabitur adorare? Cum vero ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit si ea cum rege adorare quis contempserit. Ita etiam in Christo Domino humanitatem non solam vel nudam, sed divinitati unitam, scilicet unum Filium, Deum verum et hominem verum, si quis adorare contempserit, aeternaliter morietur ».

6. Idem<sup>1</sup> super Psalmum 98, ubi dicitur<sup>2</sup>: *Adorate scabellum pedum eius, quoniam sanctum est*: « Sciendum quia in Christo terra est, id est caro; quae sine impietate adoratur. Suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, et de carne Mariae carnem accepit. Haec sine impietate, a Verbo Dei assumpta, adoratur a nobis, quia nemo carnem eius manducat nisi prius adoret; sed qui adorat, non terram intuetur, sed illum potius cuius scabellum est, propter quem adorat ». — His auctoritatibus praemissae investigationis absolutio explicatur.

<sup>2</sup> ut non trp. ABCT.      <sup>3</sup> Fillum Dei trp. BCLMRT.      <sup>11</sup> Idem] Item BCVM.  
<sup>12</sup> sanctum] sanctus ALOR.      <sup>16</sup> sed<sup>2</sup> om. ALMNX, add. marg. O.

<sup>1</sup> Cf. *Enarr. in Ps. 98*, n. 9 (PL 37, 1264; CCL 39, 1385); et notam infra positam.  
<sup>2</sup> Ps. 98, 5.

Num. 6: Auctoritas quae hic Augustino ascribitur sumitur ex *Glossa Lombardi* in Ps. 98, 5 (PL 191, 895 B); conficitur autem ex verbis Augustini (uti supra indicatur in propria nota) et *Glossa ordinaria* in h. l. (« Haec sine... quem adorat »; cod. Laurenz. Pl. XVII, 4, f. 113b). — Quomodo postea (annis 1163-1164) doctrinam Lombardi tam in *Glossa in psalmos* quam in *Libro Sententiarum* oppugnaverit Gerhohus praepositus Reichersbergensis, longius esset narrare. Cf. PL 194, 1095s, 1097 A-B, 1143 C; dein PL 193, 565 A-B, 547 D, unacum defensione Lombardi ex parte Eberhardi Episcopi Bambergensis, *ibid.*, 561 D - 563 D. Quoad chronologiam controversiae, videsis D. Van den Eynde, *L'oeuvre littéraire de Gerhoch de Reichersberg*, Romae 1957, 139-157, 265, 274ss, 279ss.



## DISTINCTIO X

## Cap. 1 (29).

1. **An Christus secundum quod homo est sit persona vel aliquid.** Solet etiam a quibusdam inquiri utrum Christus secundum quod homo sit persona, vel etiam sit aliquid.

2. **Argumentatio ex utraque parte quaestionis\*.** Ex utraque parte quaestionis argumenta concurrunt. Quod enim persona sit, his edisserunt rationibus: Si secundum quod homo aliquid est, vel persona, vel substantia, vel aliud est; sed aliud non; ergo persona vel substantia. Sed si substantia est, vel rationalis, vel irrationalis; sed non est irrationalis substantia; ergo rationalis. Si vero secundum quod homo est rationalis substantia, ergo persona, quia haec est definitio personae<sup>1</sup>: «Substantia rationalis individuae naturae». Si ergo secundum quod homo est aliquid, et secundum quod homo persona est. — Sed e converso, si secundum quod homo persona est, vel tertia in Trinitate, vel alia; sed alia non; ergo tertia in Trinitate persona. At si secundum quod homo, persona est tertia in Trinitate, ergo Deus<sup>2</sup>.

4 a quibusdam inquiri *trp.* BCN. 5 sit *om.* ABC. 6 Rubrica *om.* RVW.

<sup>1</sup> Boethii scilicet, uti supra, Dist. 5, c. 3, n. 2. <sup>2</sup> Vide cap. 5 inter *Capitula haeresum Petri Abaelardi* damnata in concilio Senonensis 1140: «Quod neque 'Deus et homo' neque 'haec persona' quae Christus est, sit tertia persona in Trinitate» (ed. E. Buytaert, in *Antonianum* 43 1968 424; DS n. 724). Cf. Guill. de S. Theodorico, *Adv. P. Abaelardum*, c. 8 (PL 180, 276 D-280 B); et Rolandus Bandinelli, *Sententiae* (ed. A. M. Gietl, 174-177).

Dist. X, capp. 1-2: Cf. E. Portalié, *Adoptionisme au xii<sup>e</sup> siècle*, in *Dict. Théol. Cath.* I (1909) 413-418; A. M. Landgraf, *Die Stellungnahme der Scholastik des 12. Jahrhunderts zum Adoptionismus*, in *Divus Thomas* (Fr.) 12 (1935), 257-289, ac (in forma aliquantulum nova) *Die Stellungnahme zum Adoptionismus* in sua *Dogmengeschichte* II-2, 7-36; L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, pp. 641-651; P. Glorieux, *L'orthodoxie de III Sentences*, in *Miscellanea Lomb.*, 140-144. — Num. 1: Quaestio iam discutitur a Magistro in *Glossa* in Rom. 1, 4: «Quaeri solet utrum Christus secundum quod homo sit persona» (in textu nostro, n. 29), cui nunc adnectitur: «vel etiam sit aliquid». — Num. 2: Argumentum quod persona sit quodammodo dependet a verbis Boethii in libro *Contra Euticen et Nestorium* (seu *De persona et duabus naturis*), c. 3 (PL 64, 1343 D; ed. N. Häring, *The Commentaries on Boethius by Gilbert of Poitiers*, 390), et a commentariis Gilberti de la Porrée in hunc locum (PL 64, 1371 B-1373 B; ed. N. Häring, 271ss). Argumentum autem «e converso» iam habetur in *Glossa* Lombardi in Rom. 1, 4 (n. 28).

3. Propter haec inconvenientia et alia, quidam<sup>1</sup> dicunt Christum secundum hominem non esse personam nec aliquid, nisi forte 'secundum' sit expressivum unitatis personae. 'Secundum' enim multiplicem habet rationem: aliquando enim exprimit conditionem vel proprietatem naturae divinae vel humanae, aliquando unitatem personae; aliquando notat habitum, aliquando causam. Cuius distinctionis rationem diligenter lector animadvertat atque in sinu memoriae recondat, ne eius confundatur sensus cum de Christo sermo occurrerit.

4. **Etsi Christus secundum quod homo dicatur esse substantia rationalis, non inde tamen sequitur quod persona sit secundum quod homo.** Illud tamen non sequitur, quod in argumentatione superiori inductum est: quod si Christus secundum quod homo est substantia rationalis, ergo persona. Nam et modo anima Christi est substantia rationalis, non tamen persona, quia non est per se sonans, immo alii rei coniuncta<sup>2</sup>. Illa tamen personae descriptio non est data pro illis tribus personis.

3-4 habet rationem *trp.* BCX. 9 Christus *om.* TV. || esse *om.* BCX. 14 Illa] illa descriptio non est data pro tribus personis nota seu rubrica marg. add. LMNOT. 15 illis tribus *trp.* BLMRT.

<sup>1</sup> Ita Gilbertus Porretanus, *Expositio in Boecii librum Contra Euticen et Nestorium*, IV, 49-57 (ed. N. M. Häring, *The Commentaries on Boethius by Gilbert of Poitiers*, 297-299; PL 64, 1382 D-1383 C); Rolandus (ed. Gietl, 176s); etc. Anno 1170 Alexander Papa III (id est idem Magister Rolandus) monebat Parisius esse abrogandam pravam doctrinam «Petri quondam Parisiensis episcopi, qua dicitur quod Christus secundum quod est homo, non est aliquid»; et anno 1177 eandem doctrinam «sub anathemate» interdixit (apud Denifle-Chatelein, *Chart. Univ. Paris.* I, nn. 3 et 9; DS nn. 749, 750). Sed vide etiam testimonium Petri Manducatoris: «Quod quaeritur, utrum Christus in quantum est homo est aliquid, Magister, inquit, non semper negabat, immo quandoque concedebat extraneis. Cum autem negabat, tutis auribus loquebatur, id est illis quos instruxerat. Dicebat enim, quia quamvis nomina neutri generis soleant accipi in designatione naturae, plerumque tamen accipiuntur in designatione personae. Ideo quoque concedebat: 'Christus in quantum est homo est aliquid', id est alicuius naturae. Negabat tamen, quia 'aliquid' ibi videtur accipi in designatione personae. Christus enim non, in quantum est homo, est aliqua persona» (I. Brady, *Peter Manducator and the oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antonianum* 41 1966 473). <sup>2</sup> Eadem descriptio datur a Hug. de S. Victore: «Sic enim quidam personam dictam esse voluerunt, quasi per se sonantem, et quasi singulariter discernentem... per se discernens se» (*De sacram.* II, p. 1, c. 11; PL 176, 406 B).

Num. 3: Quid 'nec aliquid' seu 'nihil' theologis significaverit saec. xii, videsis apud N. M. Häring, *The Case of Gilbert*, in *Mediaeval Studies* 13 (1951), 39, n. 12. — Multiplicem rationem 'secundum' iam notat *Glossa* in Rom. 1, 4 (n. 28).



5. **Alia probatio quod Christus sit persona.** Sed adhuc aliter nituntur probare Christum secundum hominem esse personam: quia Christus secundum quod homo *praedestinatus est ut sit Dei Filius*<sup>1</sup>. Sed illud est, quod ut sit praedestinatus est; ergo si praedestinatus est secundum quod homo ut sit Filius Dei, et secundum quod homo est Filius Dei. 5 — **Responsio** \*. Ad quod dici potest Christum esse id, quod ut sit praedestinatus est: est enim praedestinatus ut sit Filius Dei, et ipse vere est Filius Dei. Sed secundum hominem praedestinatus est ut sit Filius Dei, quia per gratiam hoc habet secundum hominem; nec tamen secundum hominem est Filius Dei, nisi forte 'secundum' unitatis personae sit expres- 10 sivum, ut sit sensus: ipse qui est homo, est Dei Filius; ut autem ipse, ens homo, sit Dei Filius, per gratiam habet. Sed si causa notetur, falsum est; non enim quo homo est, eo Dei Filius est.

Cap. 2 (30).

1. **An Christus sit adoptivus filius secundum quod homo vel aliquo** 15 **modo.** Si vero quaeritur an Christus sit adoptivus filius secundum quod homo sive alio modo, respondemus Christum non esse adoptivum filium aliquo modo, sed tantum naturalem, quia natura filius est, non adoptionis gratia. — Non autem sic dicitur filius natura, ut dicitur Deus natura: non enim eo filius est quo Deus est, quia proprietate nativitatis filius, 20 natura divinitatis Deus est. Et tamen dicitur natura vel naturae filius,

6 Responsio om. BCRWX.

20 est<sup>2</sup> om. BCMR, add. interl. T.

<sup>1</sup> Rom. 1, 4.

Num. 5: Cf. *Glossa Lombardi* in Rom. 1, 4 (n. 28). Hic etiam notari oportet testimonium cuiusdam discipuli (scil., ut nobis videtur, Petri Manducatoris): « Quod queritur, utrum ille homo ab eterno fuerit non-homo, satis potest recipi. Quod queritur, utrum Christus in quantum est homo est aliquid, Magister, inquit, non semper negabat, immo quandoque concedebat extraneis. Cum autem negabat, tutis auribus loquebatur, id est illis quos instruxerat. Dicebat enim, quia quamvis nomina neutri generis soleant accipi in designatione nature, plerumque tamen accipiuntur in designatione persone. Ideo quoque concedebat: 'Christus in quantum est homo est aliquid', id est, alicuius nature. Negabat tamen, quia 'aliquid' ibi videtur accipi in designatione persone. Christus enim non, in quantum est homo, est aliqua persona ». (Cod. Paris. Bibl. Nat. lat. 18108, f. 100v; Trecis. Bibl. Com. lat. 964, f. 142r; Cf. I. Brady, *Peter Manducator and the Oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antoniarum* 41, 1966, 473).

Cap. 2: Cf. *Glossa* in Rom. 1, 4 (in ed. nostra, n. 27); in versione secunda (ut in PL 191, 1311 A-B) plura adduntur ex hoc capitulo libri III.

quia naturaliter est filius, eandem scilicet habens naturam quam ille qui genuit<sup>1</sup>.

2. **Quare non sit adoptivus filius** \*. Adoptivus autem filius non est, quia non prius fuit et postmodum adoptatus est in filium, sicut nos dicimur adoptivi filii, quia cum nati fuerimus *irae filii*<sup>2</sup>, per gratiam facti sumus *filius Dei*<sup>3</sup>. Christus vero nunquam fuit non filius, et ideo non est adoptivus filius.

3. **Oppositio quod sit adoptivus filius.** Sed ad hoc opponitur sic: Christus filius hominis est, id est Virginis, aut gratia, aut natura, vel utroque modo. Si vero natura, aut divina, aut humana; sed divina non: ergo aut humana natura, aut non natura est filius hominis. Si non natura, ergo gratia tantum; et si etiam natura humana, non ideo minus per gratiam. Si ergo gratia filius Virginis est, adoptivus filius esse videtur: ut idem sit naturalis filius Patris et adoptivus filius Virginis. — **Responsio** \*. 15 Ad quod dici potest Christum filium Virginis esse natura vel naturaliter et gratia; nec tamen adoptivus filius Virginis est, quia non per adoptionem, sed per unionem filius Virginis esse dicitur. Filius enim Virginis dicitur eo quod in Virgine hominem accepit in unitatem personae; et hoc fuit gratiae, non naturae. — Unde Augustinus, *Super Ioannem* 4: « Quod 20 Unigenitus est aequalis Patri, non est gratiae, sed naturae; quod autem in unitate personae Unigeniti assumptus est homo, gratiae est, non naturae ». Christus ergo nec Dei nec hominis est adoptivus filius, sed Dei naturaliter, et hominis naturaliter et gratia filius.

4. Quod vero naturaliter sit filius hominis, Augustinus ostendit in libro *De fide ad Petrum*<sup>5</sup>: « Ille scilicet Deus factus est naturaliter hominis filius, qui est naturaliter filius unigenitus Dei Patris ».

3 Rubrica om. RVW. 8 sic] Si A, corr. in si T. 14 Responsio om. BCRVWX.  
16 Virginis est trp. BNX. 18 unitatem] unitate AOX. 24 filius hominis trp.  
ABCLRTVW. 26 hominis filius trp. BCMT.

<sup>1</sup> Verba sunt Hilarii: « Natura filius est, quia eandem naturam quam ille qui genuit habet » (*De Trinit.*, V, n. 37; PL 10, 155 A; cf. supra, tom. 1, 88, n. 7). <sup>2</sup> Resp. Eph. 2, 3: *Et nos omnes aliquando... eramus natura filii irae.* <sup>3</sup> Cf. Ioan. 1, 12: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; Rom. 8, 15-16: *Spiritum adoptionis filiorum... quod sumus filii Dei*; Galat. 3, 26: *Omnes enim filii Dei estis.* <sup>4</sup> Tract. 74, n. 3 (PL 35, 1828; CCL 36, 514). <sup>5</sup> Cap. 2, n. 14 (opus Fulgentii, PL 65, 678 B; CCL 91A, 720).

Num. 2: Quis sit adoptivus suggeritur in *Summa sent.*, I, c. 18 (PL 171, 1103 B; 176, 76C). — Num. 3: Verba Augustini *Super Ioannem* (« Quod Unigenitus... ») leguntur in *Glossa ad Rom. 12, 3* (cod. x, f. 60c; z, f. 36d; PL 191, 1498 D); et in editione secunda etiam ad Rom. 1, 4 (PL 191, 1311 B-C), non autem in versione prima.



5. Quod autem non sit adoptivus filius et tamen gratia sit filius, ex subditis probatur testimoniis. Hieronymus, *Super Epistolam ad Ephesios*<sup>1</sup> ait: « De Christo Iesu scriptum est quia semper cum Patre fuit, et nunquam eum ut esset voluntas paterna praecessit. Et ille quidem natura filius est, nos vero adoptione. Ille nunquam filius non fuit; nos antequam essemus, praedestinati sumus, et tunc *spiritum adoptionis*<sup>2</sup> accepimus, quando credidimus in Filium Dei ». — Hilarius quoque in libro III *De Trinitate*<sup>3</sup> ait: « Dominus dicens<sup>4</sup>: *Clarifica Filium tuum*, non solo nomine contestatus est se esse filium, sed et proprietate. Nos filii Dei sumus, sed non talis hic filius: hic enim verus et proprius est filius: origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; nativitate, non creatione ». — Augustinus etiam, *Super Ioannem*<sup>5</sup> ait: « Nos sumus filii gratia, non natura; Unigenitus autem natura, non gratia. An hoc etiam in ipso Filio ad hominem referendum est? Ita sane ». — Ambrosius quoque in I libro *De Trinitate*<sup>6</sup> ait: « Christus filius est non per adoptionem, sed per naturam; per adoptionem nos filii dicimur, ille per veritatem naturae est ». — Ex his evidenter ostenditur quod Christus non sit filius gratia adoptionis. Illa enim gratia intelligitur, cum Augustinus<sup>7</sup> eum non esse gratia filium asserit: gratia enim, sed non adoptionis, immo unionis, Filius Dei est filius hominis et e converso.

## Cap. 3 (31).

**Utrum persona vel natura praedestinata sit.** Deinde, si quaeritur utrum praedestinatio illa, quam commemorat Apostolus<sup>8</sup>, sit de persona an de

9 et] etiam BCLV. 15 primo libro *trp.* BCTV.

<sup>1</sup> In Eph. 1, 5: *Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum*: « De Domino nostro Iesu Christo in alio loco scriptum est: *oristhentos* [Rom. 1, 4], quia semper cum Patre fuit » etc. (PL 26 [1845], 448 C - 449 A). <sup>2</sup> Resp. Rom. 8, 15. <sup>3</sup> Num. 11 (PL 10, 82 A-B). <sup>4</sup> Ioan. 17, 1. <sup>5</sup> Tract. 82, n. 4 (PL 35, 1844; CCL 36, 533s). <sup>6</sup> Id est *De fide*, I, c. 19, n. 126 (PL 16 [1845], 557 B; CSEL 78, 53). <sup>7</sup> Parum supra, *Super Ioannem*. <sup>8</sup> Rom. 1, 4.

Num. 5: Secundum auctorem anonymum illius *Glossae* quae olim Petro Pictaviensi attribuebatur, quoad ultima verba huius numeri Magister ancipitem se manifestavit: « *Ita sane* [i.e. ad finem auctoritatis Augustini]. Ac si diceretur: 'non gratia', subaudi adoptionis, sed 'natura', et non excluditur gratia unionis. Quod autem illa Hylarii auctoritas sic intelligi debet, Magister exponit ubi dicit: *Illa enim gratia intelligitur [...] et e converso*. Istud e converso longo tempore abraserat episcopus et postea apposuit » (n. f. 42d; p. 82r).

Cap. 3: Longius tractatur haec quaestio in *Glossa primitiva* in Rom. 1, 4 (n. 25).

natura, sane dici potest et personam Filii, quae semper fuit, esse praedestinatum secundum hominem assumptum, ut ipsa scilicet ens homo esset Dei Filius; et naturam humanam esse praedestinatum, ut Verbo Patris personaliter uniretur.

## DISTINCTIO XI

## Cap. 1 (32).

1. **Utrum Christus sit creatura sive creatus vel factus.** Solet etiam quaeri utrum debeat simpliciter dici atque concedi Christum esse factum vel creatum vel creaturam. — Ad quod dici potest hoc simpliciter et absque determinatione minus congruenter dici; et si quandoque, brevitate causa, simpliciter denuntietur, nunquam tamen simpliciter debet intelligi; quia ut Augustinus in I libro *De Trinitate*<sup>1</sup> ait, « cum de Christo loquimur, quid, secundum quid et propter quid dicatur, prudens et diligens ac pius lector intelligere debet ».

2. Qui Christum vel Dei Filium non esse factum vel creaturam, in I libro *De Trinitate*<sup>2</sup> ostendit, ita inquit: « *In principio erat Verbum, et Verbum caro factum est, et omnia per ipsum facta sunt* »<sup>3</sup>. Neque dicit *omnia*, nisi quae facta sunt, id est omnem creaturam. Unde liquido apparet ipsum factum non esse, per quem facta sunt omnia. Et si factus non est, creatura non est. Si autem creatura non est, eiusdem cum Patre substantiae est. Omnis enim substantia quae Deus non est, creatura est; et quae creatura non est, Deus est. Sed si Filius non eiusdem substantiae est cuius Pater, ergo facta substantia est; et si facta substantia est, non omnia per ipsum facta sunt. At *omnia per ipsum facta sunt*. Facta igitur

11 denuntietur] enuncietur ABCMTW. 12 ait *trp.* ante Augustinus BCNVX, post August. L. 13 dicatur *om.* OX. 23 cuius Pater] cum patre OVWXxz, marg. L<sup>2</sup>.

1 Cap. 13, n. 28 (PL 42, 840; CCL 50, 69). 2 Cap. 6, n. 9 (PL 42, 825; CCL 50, 38). 3 Ioan. 1, vv. 1, 14, et 3.

Dist. XI, capp. 1-2: Cf. A. M. Landgraf, *Die Stellungnahme der Frühscholastik zur Frage, ob Christus ein Geschöpf sei*, in *Scholastik* 25 (1950) 75-96; idem in *Dogmengesch.* 11-1, 172-198. — Cap. 1, num. 1, necnon et num. 2 usque ad finem primae auctoritatis Augustini (unacum conclusione: « *Facta igitur...* »), verbotenus ex *Glossa primitiva* in Rom. 1, 3 (n. 22), quae dependet ex eadem quaestione in *Summa sent.*, I, 18 (PL 171, 1103; 176, 76 C - 77 A), unde quaedam sumuntur.



substantia non est, sed una cum Patre infecta substantia est. — Item in eodem<sup>1</sup>: « Si vel Filium fecit Pater quem non fecit ipse Filius, non omnia per Filium facta sunt. At omnia per Filium facta sunt; ipse igitur factus non est, ut cum Patre faceret omnia quae facta sunt ».

3. Idem in libro 84 *Quaestionum*<sup>2</sup>: « Dicitur creatura quidquid fecit 5 Deus Pater per Filium; qui non potest appellari creatura, quoniam per ipsum facta sunt omnia ». — Ambrosius in I libro *De Trinitate*<sup>3</sup>: « Probemus, inquit, creaturam non esse Dei Filium. Audivimus enim in Evangelio<sup>4</sup> Dominum mandasse discipulis: *Praedicate Evangelium uni-* 10 *versae creaturae*. Qui *universam creaturam* dicit, nullam excipit. Et ubi sunt qui creaturam Christum appellant? Nam si creatura esset, sibi mandaret Evangelium praedicari; et subiectus esset vanitati, quia testante Apostolo<sup>5</sup>, *omnis creatura vanitati subiecta est*. « Non igitur Christus creatura est, sed Creator, qui docendae creaturae discipulis mandat officium ». 15

Cap. 2 (33).

1. De perfidia et poena Arii. — Ambrosius in I libro *De Trinitate* \*. Arii haec fuisse perfidia legitur<sup>6</sup>, ut Christum creaturam fateretur. Ideo « effusa sunt Arii viscera atque crepuit medius, prostratus in faciem, ea quibus Christum negaverat foeda ora pollutus ». 20

2. Quo sensu Christus dicitur factus \*. His aliisque pluribus testimoniis instruimur non debere fateri simpliciter 'Christum esse factum vel creaturam'; sed addita determinatione recte dici potest, ut si dicatur factus secundum carnem vel secundum hominem, ut factura humanitati, non Deo attribuatur. — Ut enim ait Ambrosius in I libro *De Tri-* 25

<sup>6</sup> Deus Pater *trp.* ANOVWX. <sup>8</sup> Dei Filium *trp.* BCRTV. <sup>9</sup> Praedicate] predicare BCLN. <sup>9-10</sup> universae] omni VWX, *corr. ex omni R.* <sup>21</sup> Rubrica om. BRVW.

<sup>1</sup> Cap. 6, n. 12 (PL 42, 827; CCL 50, 42). <sup>2</sup> Quaest. 67, nn. 1-2 (PL 40, 66, 67). <sup>3</sup> Id est *De fide*, I, c. 14, n. 86 (PL 16 [1845], 549 A-B; CSEL 78, 38). <sup>4</sup> Marc. 16, 15. <sup>5</sup> Rom. 8, 20. Quod sequitur Ambrosii est, uti supra. <sup>6</sup> In Ambrosio, *De fide*, I, c. 19, nn. 123, 124, 130 (PL 16 [1845], 557 A, 558 A; CSEL 78, 52s, 54).

Num. 3: Auctoritas *Libri 84 Quaest.*, ex *Glossa* in Rom. 8, 19 (PL 191, 1442 B). Quod sequitur de Ambrosio necnon et totum cap. 2 originem forsitan trahunt ex verbo eiusdem *Summae sent.*: « Ambrosius quoque multis argumentis probat adversus Arium quod non sit creatura Christus, vel adoptivus filius » (PL 171, 1103 B; 176, 76 C). Unde tamen trahuntur auctoritates Ambrosii, nescimus.

nitate<sup>1</sup>, « non Deus factus est, sed Deus Dei Filius natus est; postea vero secundum carnem homo factus ex Maria est. *Misit enim Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub Lege*<sup>2</sup>. Filium inquit *suum*, scilicet non unum de multis. Cum dicit *suum*, generationis aeternae proprietatem 5 signavit. Postea *factum ex muliere* asseruit, ut factura non divinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur. *Factum igitur ex muliere* dicit propter carnis susceptionem; *sub Lege* propter observantiam Legis ». « Generatio<sup>3</sup> generationi non praeiudicat, nec caro divinitati ». « Deus<sup>4</sup> enim aeternus incarnationis sacramentum suscepit, non dividiuus, sed unus, et in utroque 10 unus, scilicet divinitate et corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Virgine, sed idem aliter ex Patre, aliter ex Virgine ». Qui *factus est* « secundum<sup>5</sup> nostrae susceptionem naturae, non secundum aeternae substantiam vitae ». Quem « legimus<sup>6</sup> *primogenitum* et *unigenitum*: *primogenitum*, quia nemo ante ipsum; *unigenitum*, quia nemo post ipsum ». — Ex 15 his evidenter traditur qua intelligentia accipiendum sit cum dicitur Christus *factus* vel simpliciter, vel cum additamento, ut factura scilicet vel creatura non ad assumptum Deum, sed ad assumptum hominem referatur.

3. In Deo enim creatura esse non potest, ut Ambrosius ait 20 in I libro *De Trinitate*<sup>7</sup>: « Numquid dicto factus est Christus? Numquid mandato creatus est Christus? Quomodo autem creatura in Deo esse potest? Etenim Deus naturae simplicis est, non coniunctae atque compositae, cui nihil accidat, sed solum quod divinum est in natura habeat sua ».

4. Etsi ergo Christus secundum hominem dicitur creatura, non tamen Christus simpliciter praedicandus est creatura. Nec ex eo quod Christus secundum hominem dicitur esse creatura, potest quis progredi sic argumentando: Si secundum quod homo Christus est creatura, vel rationalis vel non, vel quae est Deus vel non, nitens per hoc probare

<sup>9</sup> suscept] accepit BCX. <sup>19</sup> Ambrosius ait *trp.* BCMRT. <sup>21</sup> creatura in Deo *trp.* TV. || esse *trp.* post creatura ANO. <sup>23</sup> accidat] accidit BCV, *corr. ex accidit T.* 23-24 natura... sua] naturam... suam LMR.

<sup>1</sup> Id est *De fide*, I, c. 14, nn. 93-94 (PL 16 [1845], 550 B-C; CSEL 78, 40s). <sup>2</sup> Gal. 4, 4. <sup>3</sup> Ambrosius (in marg.), *De incarnationis dom. sacramento*, c. 5, n. 36 (PL 16 [1845], 827 D; CSEL 79, 241). <sup>4</sup> Ambrosius, *ibid.*, n. 35 (827 C; 240s). <sup>5</sup> Ambrosius, *ibid.*, n. 37 (828 A; 241). <sup>6</sup> Ambrosius, *De fide*, I, c. 14, n. 89 (PL 16 [1845], 549 C-D; CSEL 78, 39); resp. Matth. 1, 25: *Peperit filium suum primogenitum*; et Ioan. 1, 14: *Gloriam quasi unigeniti a Patre*. <sup>7</sup> *De fide*, I, c. 16, nn. 105-106 (PL 16 [1845], 552 D - 553 A; CSEL 78, 45s); resp. Ps. 148, 5: *Ipse dixit et facta sunt, ipse mandavit et creata sunt*.



Christum esse aliquid non divinum: quia quod ipse est secundum hominem, ipse est; et ideo si secundum hominem est aliqua substantia non divina, est utique aliquid non divinum. — Sed ex tropicis locutionibus non est recta argumentationis processio; illa autem locutio tropica est, qua Christus dicitur creatura, vel simpliciter, vel cum adiunctione.

## DISTINCTIO XII

## Cap. 1 (34).

1. **An homo ille semper fuerit vel coeperit.** Post praedicta quaeritur utrum homo ille coeperit esse vel semper fuerit, sicut simpliciter enuntiamus Christum vel Dei Filium semper fuisse nec coepisse.

2. De hoc Augustinus inquit ita *Super Ioannem*<sup>1</sup>: «Habit aliquando Dei Filius quod nondum habuit idem ipse homo filius, quia nondum erat homo». Item in eodem<sup>2</sup>: «Priusquam mundus esset, nec nos eramus, nec ipse mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus<sup>3</sup>». Idem super Psalmum<sup>4</sup>: «Christus noster, etsi forte homo recens est, tamen est aeternus Deus». — Alibi vero legitur<sup>5</sup> quod «puer ille creavit stellas»; et Christus dicit<sup>6</sup> se esse *principium*, et esse *ante Abraham*.

<sup>5</sup> vel om. BCMNRTW. <sup>8</sup> coeperit] esse add. ABCNVW. <sup>12</sup> Dei Filius trp. BCV. <sup>15</sup> Christus noster trp. p. est BCMRW. || est om. ATW, add. interl. O<sup>2</sup>V.

<sup>1</sup> Tract. 106, n. 5 (PL 35, 1910; CCL 36, 611). <sup>2</sup> Tract. 105, n. 7 (PL 35, 1907; CCL 36, 607). <sup>3</sup> 1 Tim. 2, 5. <sup>4</sup> *Enarr. in Ps. 80*, 10: *Non erit in te deus recens*, n. 13 (PL 37, 1039; CCL 39, 1127). <sup>5</sup> Auctoritas sine rubrica in omnibus codicibus, illo non excepto quem confecit Magister Herbertus de Boseham, cod. Cantabrigiae, Collegii Ss. Trinitatis B.5.6., f. 11v. Numquid referatur ad hymnum *Conditor alme siderum* in Officio Adventus (PL 17 [1845], 1198; G. Dreves - C. Blume, *Analecta Hymnica* 51, 47)? Vel melius, ad *Sermonem 4* (de Epiphania) Fulgentii Ruspensis, n. 6; «Iste itaque puer, qui mundum creavit, qui mundum regit...»; n. 8: «Haec stella nunquam ante apparuit, quia nunc eam puer iste creavit» (PL 65, 735 A, 736 A; CCL 91 A, 914, 915). <sup>6</sup> Resp. Ioan. 8, 25: *Principium qui et loquor vobis*; 8, 58: *Antequam Abraham fieret, ego sum*.

Dist. XII: Secundum Alexandrum de Hales et plures alios scholasticos, hic incipit nova Distinctio. Econtra, S. Bonaventura initium huius Distinctionis infra ponit, ad nostrum Cap. secundum. De historia quaestionis, cf. I. Brady, *The Distinctions of Peter Lombard's Book of Sentences and Alexander of Hales*, in *Franc. Studies* 25 (1965), 113s. — Cap. 1: Quasi in toto sumitur ex *Glossa primitiva* in Rom. 1, 4 (nn. 32-33). Cf. N. M. Häring, *The Case of Gilbert de la Porrée Bishop of Poitiers (1142-1154)*, in *Mediaeval Studies* 13 (1951) 30, nota 46.

3. His igitur auctoritatibus in nullo resultantes, dicimus hominem illum, in quantum homo est, coepisse; in quantum Verbum est, semper fuisse. Hic enim absque distinctione non est ferenda responsio. Nam et ipse Augustinus huiusmodi utitur distinctione in pluribus locis<sup>1</sup>, dicens per Christum omnia esse facta, in quantum Verbum est; secundum id vero quod homo est, ipsum esse factum et glorificatum. Si igitur ad personam respicias, confidenter dic hominem illum semper fuisse; si vero ad naturam hominis, concede eum coepisse.

## Cap. 2 (35).

1. **Si Deus alium hominem assumere potuit vel aliunde quam de genere Adae.** Solet etiam quaeri utrum alium hominem, vel aliunde hominem quam de genere illius Adam, Deus assumere potuerit.

2. **Responsio** \*. Ad quod sane dici potest ipsum et aliam animam et aliam carnem potuisse assumere, quia gratia tantum assumpta est anima illa et caro a Verbo Dei. — Augustinus in libro XIII *De Trinitate* \*. Ut enim ait Augustinus<sup>2</sup>, «in rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quod homo in unitate personae coniunctus est Deo». Potuit igitur Deus aliam animam et aliam carnem sumere. — Et carnem utique aliunde quam de genere Adam. Unde Augustinus in libro XIII *De Trinitate* <sup>3</sup>: «Poterat utique Deus hominem aliunde suscipere, in quo esset mediator Dei et hominum; non de genere illius Adam, qui peccato suo obligavit genus humanum; sicut ipsum quem primum creavit, non de genere alicuius creavit. Poterat ergo, vel sic vel

<sup>1</sup> igitur] ergo BC, marg. O, interl. T. <sup>3</sup> ferenda] referenda ATWX, facienda BC, corr. ex referenda O. <sup>12-13</sup> hominem om. BCOV. <sup>13</sup> Deus om. CL, add. interl. R. || potuerit] potuit AO. <sup>14</sup> Responsio om. ABCORVWX. <sup>19</sup> sumere] assumere BCLR. <sup>23</sup> obligavit genus trp. BCLMRT. <sup>23-24</sup> primum] primo AOVWX, prius LR. <sup>24</sup> Poterat] Potuit LRT.

<sup>1</sup> Hic ante oculos Magister habuit auctoritates Augustini iam adductas in *Glossam* in Rom. 1, 4 (in editione primitiva, n. 33; ed. 2, PL 191, 1315 A-B); praesertim *In Ioannem*, tr. 105, n. 7 (PL 35, 1907; CCL 36, 607). <sup>2</sup> Cap. 19, n. 24 (PL 42, 1033; CCL 50A, 416). <sup>3</sup> Cap. 18, n. 23 (PL 42, 1032; CCL 50A, 413).

Cap. 2: Quaestio haec non agitur in *Glossa* in Apostolum, eo probabilius quod verba Augustini (hic in n. 2) quae quaestionem suggerunt et solutionem proponunt nusquam inveniuntur in *Expositione epistolarum* Flori Lugdunensis. In quibusdam codicibus secunda auctoritas (et quidem in forma longiore) alia manu additur in marginibus ad glossam in Rom. 5, 9 (ex. gr. Vat. lat. 144 (x), f. 28r in imo folio; Vat. lat. 695 (z), f. 16v in imo; Paris. Bibl. Nat. lat. 648, f. 21r in imo folio; forsitan etiam alibi; ut in pluribus autem non invenitur).



alio quo vellet modo, creare unum alium, de quo vinceretur victor prioris. Sed melius iudicavit et de ipso quod victum fuerat genere assumere hominem, per quem hominis vinceret inimicum; et tamen ex virgine, cuius conceptum Spiritus, non caro, fides, non libido praevenit. Nec interfuit carnis concupiscentia, qua ceteri concipiuntur qui originale trahunt peccatum; sed credendo, non concumbendo sancta est fecundata virginitas. Ex his aperte ostenditur et alium et aliunde hominem Deum assumere potuisse.

## Cap. 3 (36).

1. **Si homo ille potuit peccare vel non esse Deus.** Ideo non immerito quaeritur utrum ille homo potuerit peccare vel non esse Deus. Si enim potuit peccare, et potuit damnari; si potuit damnari, potuit non esse Deus; ergo, si potuit peccare, potuit non esse Deus, quia esse Deum et posse velle iniquitatem simul esse nequeunt<sup>1</sup>.

2. **Responsio** \*. Hic distinctione opus est, utrum de persona, an de natura agatur. Si enim de persona agitur, manifestum est quia peccare non potuit, nec Deus non esse potuit. Si vero de natura, discutiendum est utrum agat de ea ut Verbo unita, an de ea tamquam non unita Verbo et tamen enti; id est an de ea secundum quod fuit unita Verbo, an de ea secundum quod esse potuit et non unita Verbo. Non est enim ambiguum animam illam, entem unitam Verbo, peccare non posse; et est sine ambiguo verum eandem, si esset et non unita Verbo, posse peccare.

3. **Quorundam oppositio, quod potuerit etiam unita Deo peccare.** Quidam tamen probare conantur eam, etiam unitam Verbo, posse peccare, quia liberum arbitrium habet, et ita potest flecti in utramque partem.

6 sancta] facta LRV. || fecundata corr. in fecunda R, corr. interl. ex fecunda V. 11 ille homo trp. LRW. 14 posse] et add. LRV. 15 Responsio om. BCLMRVWX. 20 est enim trp. COV.

<sup>1</sup> Glossa interl. in Ps. 5, 5: et videbo quoniam non Deus volens iniquitatem tu es: «esse Deum et placere iniquitatem nunquam conveniunt» (cod. Laurent. Pl. XVII. 4, f. 136; apud Lyranum, III, 93a; necnon et apud Magistrum in h.l., PL 191, 96 D).

Cap. 3: Cf. A. M. Landgraf, *Die Unsündbarkeit Christi* in *Dogmengeschichte* II-1, 320-370, praesertim 351ss. — Num. 1: Quaestio iam proponitur in *Summa sent.*, I, c. 18 (PL 171, 1104 D; 176, 78 A); quodammodo tangitur ab ipso Magistro in *Glossa* in Hebr. 2, 14 (PL 192, 421 D). — Num. 2: Responsio fundatur in verba Augustini citata in illo loco *Glossae*, quae inveniuntur infra, Dist. 19, c. 2 (seu 56). — Num. 3-4: Omnia praeter responsum in fine num. 4, ex *Summa sent.*, loc. cit., ubi auctor anonymus opinionem refellit quam Petrus Abaelardus

— Quod frivolum est, cum et angeli liberum arbitrium habeant<sup>1</sup>, et tamen gratia adeo sunt confirmati, ut peccare nequeant. Quanto magis ergo ille homo, cui Spiritus<sup>2</sup> est datus sine mensura?

4. **Auctoritate utuntur ad idem** \*. Inducunt quoque auctoritatem ad probandum idem. Scriptum est enim in libro Sapientiae<sup>3</sup>: *Qui potuit transgredi et non est transgressus, facere malum et non fecit.* — Sed hoc accipiendum est secundum membra, vel partim de capite, partim de membris<sup>4</sup>; de capite: *non est transgressus, et non fecit malum*; de membris: *potuit transgredi, et facere malum.*

## Cap. 4 (37).

**Si Deus potuit assumere hominem in sexu muliebri.** Solet etiam quaeri, quamvis curiose, a nonnullis, si Deus humanam naturam potuit assumere secundum muliebrem sexum. — Quidam arbitrantur eum potuisse assumere hominem in femineo sexu ut assumpsit in virili; sed opportunius atque convenientius factum est ut de femina nasceretur et virum assumeret, ut ita utriusque sexus liberatio ostenderetur. Unde Augustinus in libro *84 Quaestionum*<sup>5</sup>: «Hominis liberatio in utroque sexu debuit apparere. Ergo quia virum oportebat suscipere, qui sexus honorabilior est, consequens erat ut feminei sexus liberatio hinc appareret, quod ille vir de femina natus est». «Sapientia ergo Dei, quae dicitur unigenitus Filius, homine suscepto» in utero et de utero Virginis, «liberationem hominis indicavit».

3 Spiritus] sanctus add. LRV. 4 Rubrica om. CLRVW, diversa A. || utuntur] utitur BTX. 6 malum] mala ALW. 9 potuit... humanitate (132,16) om. C ob defectum pecie.

<sup>1</sup> Cf. Lib. II, d. 25, c. 3 (tom. I, 463). <sup>2</sup> Resp. Ioan. 3, 34: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum.* <sup>3</sup> Eccli. 31, 10. <sup>4</sup> Iuxta Tichonii regulam primam, apud August., *De doctrina christ.*, III, c. 31, n. 44 (PL 34, 82; CSEL 80, 106; CCL 32, 104). <sup>5</sup> Quaest. 11 (PL 40, 14; CCL 44 A, 18), ubi et textus immediate sequens.

proposuerat in suis *Commentariis in Epistolam Pauli ad Romanos*, Lib. I (in cap. 3, 4) (PL 178, 823 B - 824 C; ed. E. Buytaert, CCL, Contin. Med. XI, 98s).



## DISTINCTIO XIII

## Cap. unicum (38).

1. Si Christus secundum naturam hominis in sapientia et gratia proficere potuit vel profecit. Praeterea sciendum est Christum secundum hominem ab ipsa conceptione gratiae plenitudinem recepisse, cui spiritus 5 datus est non ad mensuram<sup>1</sup>, et in quo plenitudo divinitatis corporaliter habitat<sup>2</sup>.

2. Quomodo dicitur plenitudo divinitatis habitare in Christo\*. Ita vero habitat, ut ait Augustinus Ad Dardanum<sup>3</sup>, quod omni gratia plenus est; non ita habitat in sanctis. Ut « in nostro corpore inest sensus 10 singulis membris, sed non quantum in capite: ibi enim et visus est et auditus et olfactus et gustus et tactus, in ceteris autem solus est tactus »; ita et in Christo habitat omnis plenitudo divinitatis, quia ille est caput, in quo sunt omnes sensus; in sanctis vero quasi solus tactus est, quibus datus est spiritus ad mensuram, cum de illius plenitudine acceperunt 4. 15 — Quomodo intelligatur: de plenitudine eius accepimus\*. Acceperunt autem de illius plenitudine non secundum essentiam, sed secundum similitudinem, quia nunquam illam eandem essentialiter, sed similem acceperunt gratiam.

3. Puer ergo ille plenus sapientia et gratia<sup>5</sup> fuit ab ipsa conceptione. 20 Unde Ieremias<sup>6</sup> recte dicit: *Novum faciet Dominus super terram: mulier*

4 profecit] profecit B, profecerit NV. 8 Rubrica om. LRW. 10 Ut] et add. BT, add. sed del. L, etiam add. R. 16 Rubrica om. LRW.

<sup>1</sup> Ioan. 3, 34. <sup>2</sup> Col. 2, 9. <sup>3</sup> Epist. 187, c. 13, n. 40 (PL 33, 847; CSEL 57, 117). <sup>4</sup> Resp. Ioan. 1, 16: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*. Cf. Glossa interl. in h.l.: « Quia illis (legas: illi) spiritus datus est non ad mensuram, nobis ab eo secundum mensuram » (apud Lyranum V, 188v; textus corr. ope codd. Berolini theol. lat. 112, f. 125v; Vatic. Chigi A. VIII. 248, f. 430r). <sup>5</sup> Resp. Luc. 2, 40. <sup>6</sup> Ier. 31, 22.

Dist. XIII-XIV: Cf. L. Ott, *Untersuchungen* 375-378; A. M. Landgraf, *Das Wissen der Seele Christi*, in *Dogmengeschichte*, II-2, 44-131; quoad antecessores nostri Magistri videsis etiam seriem studiorum dom. H. Santiago Otero, quorum quaedam infra indicantur. — Num. 1: *Influxus Summae Sententiarum*, I, 16, quibusdam verbis detegitur (PL 171, 1100 A; 176, 73 C). — Num. 2: Ex Glossa in Coloss. 2, 9 (PL 192, 273 A), partim verbis Augustini compacta (ex Floro, 657 A), partim paraphrasibus Gilberti.

Num. 3-5 (usque ad auctoritatem Gregorii) fundantur super *Summam sent.* (loco cit.);

*circumdabit virum*, quia<sup>1</sup> in utero Virginis perfectus vir exstitit, non solum propter animam et carnem, sed etiam propter sapientiam et gratiam qua plenus erat.

4. Auctoritatem ponit quae videtur obviare. Huic autem videtur 5 obviare sententiae quod in Lucae Evangelio legitur<sup>2</sup>: *Iesus proficiebat sapientia et aetate et gratia apud Deum et homines*. Si enim proficiebat sapientia et gratia, non videtur a conceptione habuisse plenitudinem gratiae sine mensura.

5. Determinatio auctoritatis\*. Ad quod sane dici potest ipsum, se- 10 cundum hominem, tantam a conceptione accepisse sapientiae et gratiae plenitudinem, ut Deus ei plenius conferre non potuerit; et tamen vere dicitur profecisse sapientia et gratia: non quidem in se, sed in aliis, qui de eius sapientia et gratia proficiebant, dum eis sapientiae et gratiae munera secundum processum aetatis magis ac magis patefaciebat. — 15 Gregorius\*. Unde Gregorius in quadam homilia<sup>3</sup> ait: « Iuxta hominis naturam proficiebat sapientia: non quod ipse sapientior ex tempore, qui a prima conceptionis hora spiritu sapientiae plenus permanebat, sed eandem qua plenus erat sapientiam ceteris ex tempore paulatim demon- 20 strabat. Iuxta hominis naturam proficiebat aetate: de infantia ad iuventutem; iuxta hominis naturam proficiebat gratia: non ipse quod non habebat per accessum temporis accipiendo, sed pandendo donum gratiae quod habebat; apud Deum et homines: quia quantum proficiente aetate patefaciebat hominibus dona gratiae quae sibi inerant et sapientiae, tantum eos ad laudem Dei excitabat; et sic Deo Patri ad laudem, et ho- 25 minibus ad salutem proficiebat ». — In aliis ergo, non in se proficiebat

5 sententiae trp. post autem LMRT. 9 Rubr. om. RVW. 16 ipse] esset A. || || sapientior] esset add. marg. L<sup>2</sup>W<sup>2</sup>, add. interl. T<sup>2</sup>. || tempore] fuerit add. X. 17 a prima] ab ipsa LR.

<sup>1</sup> Cf. Glossa interl. in h.l.: « A conceptu, quia iuxta incrementa aetatis... proficere videbitur sapientia et aetate, sed perfectus vir in ventre femineo solitis mensibus continebitur » (apud Lyranum IV, 135v); ex Hieron. in h.l. (PL 24 [1845], 880 D; CSEL 59, 397s; CCL 74, 313). <sup>2</sup> Luc. 2, 52. <sup>3</sup> Sub nomine Gregorii in Glossa ordin. in Luc. 2, 52 (apud Lyranum V, 133a); sed reapse est Bedae, *In Evang.*, I, hom. 12 (PL 94, 67 C - 68 A; hom. 19 in CCL 122, 139s).

de quo fonte cf. H. Santiago Otero, *La actividad sapiencial de Christo en cuanto hombre en la « Summa de las sentencias »*, in *Rivista española de teología* 28 (1968) 80s.

In num. 5 nova auctoritas ps.-Gregorii locum tenet illae Bedae quae invenitur in *Summa sent.* Tunc ubi eadem *Summa* de profectu episcopi loquitur, archidiaconus noster exemplum proponit rectoris ecclesiastici.



*sapientia et gratia*. Unde in eodem Evangelio <sup>1</sup> puer ille *plenus sapientia et gratia* perhibetur. Sic ergo dicitur profecisse sapientia et gratia, ut aliquis rector ecclesiasticus dicitur proficere in cura sibi credita, dum per eius industriam alii proficiunt.

6. **Praedictis videtur adversari quod Ambrosius ait.** Alibi tamen <sup>5</sup> scriptum reperitur quod secundum sensum hominis profecerit, sicut aetate hominis profecit. Ait enim *Ambrosius* in libro III *De Spiritu Sancto* <sup>2</sup> sic: «Deus perfectionem naturae assumpsit humanae. Suscepit sensum hominis, sed non sensu carnis fuit inflatus <sup>3</sup>. Sensu hominis animam dixit turbatam <sup>4</sup>; sensu hominis esurivit et rogavit <sup>5</sup>; sensu hominis profecit, <sup>10</sup> sicut scriptum est <sup>6</sup>: *Iesus proficiebat aetate et sapientia et gratia*. Quomodo proficiebat sapientia Dei? Profectus aetatis et profectus sapientiae, sed humanae est. Ideo aetatem commemoravit, ut secundum hominem crederes dictum: aetas enim non divinitatis, sed corporis est. Ergo, si proficiebat aetate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sensus autem pro- <sup>15</sup> ficit; quia sensus, ideo sapientia». — **De duobus sensibus Christi, scilicet gemina sapientia** \*. «Qui sensus proficiebat? Si humanus, ergo ipse susceptus est; si divinus, ergo mutabilis per profectum: quod enim proficit, mutatur in melius. Sed quod divinum est, non mutatur <sup>7</sup>; quod ergo mutatur non est divinum. Sensus igitur proficiebat humanus: sensum <sup>20</sup> ergo suscepit humanum». «Non poterat confortari virtus Dei, nec crescere Deus, nec altitudo sapientiae Dei <sup>8</sup> impleri. Quae igitur implebatur, erat non Dei, sed nostra sapientia. Nam quomodo implebatur, qui *ut omnia impleret descendit* <sup>9</sup>? Per quem autem sensum dixit Isaias quod patrem puer nesciebat aut matrem? Scriptum est enim <sup>10</sup>: *Priusquam sciat puer* <sup>25</sup> *patrem aut matrem, accipiet spolia Samariae*. Sapientiam enim Dei futura

<sup>9</sup> Sensu<sup>2</sup>] sensus hic varie (accipitur *add.* T), scilicet sensibilitas, infirmitas, sapientia *nota marg.* BT<sup>2</sup>. || dixit] esse *add.* LRW.    15-16 proficit] profecit BOVX.    16 Rubrica *om.* RVW.    17 Qui] Quis NRV.    21 Non] nec LRV.

<sup>1</sup> Resp. Luc. 2, 40.    <sup>2</sup> Immo in libro *De incarnationis dom. sacramento*, c. 7, nn. 71-76 (PL 16 [1845], 836 B-837 D; CSEL 79, 260-263), nonnullis passim omissis. <sup>3</sup> Resp. Col. 2, 18: *inflatus sensu carnis suae*.    <sup>4</sup> Resp. Ioan. 12, 27.    <sup>5</sup> Resp. Matth. 4, 2: *Postea esurivit*; Luc. 22, 32: *Ego autem rogavi pro te*.    <sup>6</sup> Luc. 2, 52.    <sup>7</sup> Resp. Num. 23, 19: *Non est Deus... ut filius hominis, ut mutetur*; Malach. 3, 6: *Ego enim Dominus, et non mutor*.    <sup>8</sup> Resp. Rom. 11, 33.    <sup>9</sup> Eph. 4, 10.    <sup>10</sup> Isai. 8, 4.

Num. 6: Auctoritas Ambrosii frequentius citatur (nonnumquam in forma breviori) a scholasticis Lombardo coaevis: ex. gr. a Petro Abaelardo, *Sic et non*, c. 73 (PL 178, 1444 B-C), et ab auctore quaestionum in cod. Clm 7972, f. 24 r-v (de quo cf. H. Santiago Otero, *La actividad*, 78 et 82s); non autem invenitur in *Summa sent.*, etc.

et occulta non fallunt; expers autem agnitionis infantia, per humanam utique imprudentiam, quod adhuc non didicit ignorat». — «Sed verendum est, inquam, ne, si duos principales sensus aut geminam sapientiam Christo tribuimus, Christum dividamus. Numquid, cum et divinitatem <sup>5</sup> eius et carnem adoramus, Christum dividimus? Numquid, cum in eo imaginem Dei crucemque veneramus, dividimus eum? Apostolus certe, qui de eo dixit <sup>1</sup>: *Quoniam etsi crucifixus est ex infirmitate nostra, vivit tamen ex virtute Dei*, ipse dixit <sup>2</sup> quia non *divisus est Christus*. Numquid etiam, cum dicimus quia animam rationalem et intellectus nostri suscepit <sup>10</sup> capacem, dividimus eum? Non enim ipse Deus Verbum pro anima rationali et intellectus capaci in carne sua fuit; sed animam rationalem et intellectus capacem, et ipsam humanam et eiusdem substantiae cuius nostrae sunt animae, et carnem nostrae similem <sup>3</sup> eiusdemque cuius caro est nostra substantiae suscipiens, perfectus etiam homo fuit».

<sup>15</sup> 7. **De intelligentia praemissorum verborum.** Haec verba *Ambrosii* pia diligentia inspicienda sunt, quae ex parte hominis ignorantiam instruunt et illuminant, ex parte errandi fomitem male intellecta ministrant.

8. **De gemina sapientia Christi: genita et creata** \*. His etenim evidenter traditur duos in Christo esse principales sensus, sive geminam sapientiam. Neque ideo unitas et singularitas personae dividitur, sed iuxta <sup>20</sup> duas naturas, duas habet sapientias: unam non creatam sed genitam, quae ipse est; alteram non genitam, sed creatam, et per gratiam ei collatam. Nam Isaias de eo praetatur <sup>4</sup>: *Requiescet super eum spiritus sapientiae et intellectus* etc. Spiritu ergo sapientiae et intellectus, id est sapientia et <sup>25</sup> intelligentia per Spiritum Sanctum gratis data, Christus erat sapiens secundum animam; secundum Deum vero sapiens erat sapientia genita

<sup>4</sup> et<sup>1</sup> *om.* AVX.    <sup>7</sup> etsi] christus *add.* LR, scilicet christus *add. interl.* V<sup>2</sup>.    <sup>14</sup> nostra] nostre OVW.    <sup>18</sup> Rubrica *om.* RVW.    <sup>23</sup> praetatur] protestatur BMR, *corr. in testatur L, corr. ex prestatum N.*    <sup>26</sup> genita] eterna NRVW, *om. B, corr. interl. in eterna L<sup>2</sup>, eterna que deus est add. mg.* T<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> II Cor. 13, 4.    <sup>2</sup> I Cor. 1, 13.    <sup>3</sup> Resp. Rom. 8, 3: *In similitudinem carnis peccati*.    <sup>4</sup> Isai. 11, 2.

Num. 7-8. Hic lubet notare commentum *Glossae ps.-Petri Pictaviensis*: «Haec verba *Ambrosii*. Hic Magister verba sua interponit, quia Ambrosius capitulum illud difficilius pertractaverat, et quod de gemina Christi sapientia dixerat, et quomodo Christus non sit divisus manifestius explanat. — In sequenti vero capitulo [n. 9] qualiter hoc sit intelligendum de profectu sensus Christi, in quo Ambrosius praedictae auctoritati contradicere videtur, aperte distinguit. Notandum tamen quod quaedam in hoc capitulo [n. 8] Magister posuit quae ipse cum primum legeret has Sententias, asseruit, sed ut P. decanus se audivisse est testatus, cum



quae ipse est. Et sicut in quantum Deus est, bonus est bonitate naturali quae ipse est, et iustus iustitia naturali quae ipse est, ita sapiens sapientia naturali quae ipse est. Anima vero eius, sicut bona est et iusta bonitate vel iustitia gratis data quae ipse vel ipsa non est, ita est sapiens sapientia gratis data quae ipsa non est. Et licet gemina in Christo sit sapientia, una tamen eademque persona est, quae in quantum Deus est, vel in quantum natura divina est, sapiens est sapientia aeterna <sup>1</sup>,

[textus originalis]

scilicet sapientia genita, id est seipsa, et sapientia quae non est genita quae communis est tribus personis; non tamen gemina sapientia, quia non est alia et alia sapientia, sapientia genita, quae tantum Filius est, et sapientia quae communiter Pater est et Filius et Spiritus Sanctus.

[lectio secunda]

scilicet sapientia *ingenita quae est Pater*, et sapientia quae non est *ingenita* quae communis est tribus personis; non tamen gemina sapientia, quia non est alia et alia sapientia, sapientia *ingenita* quae tantum Pater est, et sapientia quae communiter Pater est et Filius et Spiritus Sanctus. <sup>15</sup>

In quantum vero eadem persona homo est, id est secundum hominem acceptum, vel in quantum est subsistens ex anima et carne, sapiens est sapientia gratuita. Sapiens est igitur humano sensu et divino.

9. **Quomodo intelligendum sit illud: sensus proficiebat humanus.** Sed ex qua causa illius dicti intelligentia, scilicet 'sensus proficiebat humanus', assumenda est? Aperte enim videtur Ambrosius innuere quod

<sup>1</sup> ipse] Deus NVW(T<sup>2</sup>). <sup>3</sup> eius om. V, add. interl. N. <sup>4</sup> vel ipsa om. V, sed add. interl. V<sup>2</sup>. <sup>5</sup> quae] ipse vel add. N. || ipsa] ipse BMX. <sup>6</sup> eademque] et eadem LR. 9-15 scilicet... Sanctus *va-cat* T, non est textus sed glossa que accipitur *nota marg.* V<sup>2</sup>. Vide *notam historicam infra positam; hic autem notetur quod textus originalis sine correctione invenitur in ABOX Gualt., cum correctionibus in LM (sed male) T; et quod sola lectio secunda praesertim in NRW.* <sup>12</sup> (lectio 2<sup>a</sup>) gemina *corr. ex* genita R, *corr. in* genita W<sup>2</sup>. 13-14 (2<sup>a</sup>) tantum Pater est *trp.* est tantum Pater R, Pater tantum est VW. <sup>18</sup> gratuita] genita *marg.* A, *corr. marg. ex* genita L<sup>2</sup>, || est om. ANOX. || est igitur *trp.* LR.

<sup>1</sup> Vide Lib. I, d. 32, cc. 2-5 (pp. 234-238), praesertim cap. 5.

secundo eadem legeret eadem improbavit, et potius pro aliorum opinione quam pro se haec dixisse testabatur. Dixerat enim quod persona Christi, in quantum Deus est, sapiens est sapientia genita, id est seipso, quod postea negavit (cod. n, f. 43c; cod. p, f. 83c); cf. I. Brady, *Peter Manducator and the Oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antonianum* 41 (1966) 474, et Proleg. ad tomum I, p. 127\*s. Veritas huius assertionis apparet ex diversitate lectionum in codicibus. Interest etiam advertere quod Gualt. de S. Victore monstrans *errores lombardi pervertentis veritatem* (ita rubrica sua), hunc passum secundum formam originalem profert, non iuxta correctionem postea factam (*Contra IV Labyrinthos Franciae* IV, Additamenta posteriora; ed. P. Glorieux, *Archives d'histoire doctr. et litt.* 19, 1952, 318, lin. 24-30).

Christus secundum humanum sensum profecerit, et quod infantia eius expers cognitionis fuerit, et patrem et matrem ignoraverit: quod nec Ecclesia recipit, nec praemissae auctoritates patiuntur sic intelligi. Sed ita sane potest accipi, ut quantum ad visum hominum et sui sensus ostensionem, Christus profecisse dicatur. Proficiebat ergo humanus sensus in eo secundum ostensionem et aliorum hominum opinionem. Ita etiam patrem et matrem dicitur ignorasse in infantia, quia ita se habebat et gerebat ac si agnitionis esset expers.

## DISTINCTIO XIV

## Cap. 1 (39).

10

1. **Si anima Christi habuerit sapientiam parem cum Deo, et si omnia scit quae Deus.** Hic quaeri opus est, cum anima Christi esset sapiens sapientia gratuita, utrum habuerit sapientiam aequalem Deo, sive omnium rerum scientiam habuerit vel habeat, id est utrum omnia sciat quae Deus scit.

2. **Opinio quorundam.** Quibusdam placet <sup>1</sup> quod nec parem cum Deo habeat scientiam, nec omnia sciat quae Deus, « quia in nullo creatura aequatur Creatori <sup>2</sup> ». — **Rationem inducunt.** Cum igitur anima illa creatura sit, in nullo aequatur Creatori: ergo nec in sapientia. Non ergo

<sup>7</sup> habebat] agebat L, *corr. ex* agebat R. <sup>11-12</sup> Rubrica om. V, abbrev. RX. <sup>11</sup> habuerit] habuit ABL. <sup>13</sup> gratuita] genita AL. || habuerit] habuit BVW. <sup>14</sup> habuerit] habuit LVW. <sup>17-18</sup> creatura aequatur *trp.* LOR.

<sup>1</sup> Ita Gualterus de Mauritania, *Epist. ad Hugonem de S. Victore* (PL 186, 1052 B-1054 B); de cuius doctrina cf. L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 340-347; idem, *Walter v. Mortagne und Petrus Lombardus in ihrem Verhältnis zueinander*, in *Mélanges J. de Ghellinck* II, 651s; et H. Santiago Otero, *Gualterio de Mortagne († 1174) y las controversias cristológicas del siglo XII*, in *Rev. española de teología* 27 (1967) 271-283. <sup>2</sup> Verba sunt Gualterii (PL 186, 1053 A); cf. August., *De natura et gratia*, c. 33, n. 37: «Etiam cum fuerit in nobis tanta iustitia ut ei addi omnino nihil possit, non aequabitur creatura Creatori» (PL 44, 265; CSEL 60, 261).

Dist. XIV, c. 1: Fons huius quaestionis invenitur in *Summa sent.* I, 16 (PL 171, 1100 C-1101 C; 176, 74 A-D), unde sumuntur multa et ad verba in nn. 1-2, 4-5. Verumtamen nec Gualterus de Mauritania (qui *Summae* fonti erat) nec ipsa *Summa sent.* «inducunt auctoritates» propositas in n. 2 (praeter verba Apostoli ad Cor.) nec «alias plures rationes et auctoritates».



habet aequalem sapientiam cum Deo, nec scit omnia quae Deus. — Item, si anima illa aequalem habet cum Deo sapientiam, non ergo Deus in omni bono maiorem habet sufficientiam quam eius creatura. — **Auctoritates etiam inducunt** \*. Inducunt etiam auctoritates ad idem probandum. Ait enim Propheta <sup>1</sup> ex persona hominis assumpti: *Mirabilis facta est scientia tua ex me, et non potero ad eam.* Quod exponens, *Cassiodorus* <sup>2</sup> ait: «Veritas humanae conditionis ostenditur, quia homo assumptus divinae substantiae non potest aequari in scientia vel in alio». — Apostolus etiam ait <sup>3</sup>: *Nemo novit quae sunt Dei nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia, etiam profunda Dei.* — His aliisque pluribus rationibus et auctoritatibus <sup>10</sup> nituntur, qui animam Christi asserunt nec parem cum Deo habere scientiam, nec omnia scire quae Deus; quia si omnia scit quae Deus, scit ergo creare mundum, scit etiam creare se ipsam.

3. **Responsio quaestionis definitivam continens sententiam.** Quibus respondentibus, dicimus animam Christi per sapientiam gratis datam, in <sup>15</sup> Verbo Dei cui unita est, quod perfecte intelligit, omnia scire quae Deus scit, sed non omnia posse quae potest Deus; nec ita clare ac perspicue omnia capit ut Deus; et ideo non aequatur Creatori suo in scientia, etsi omnia sciat quae et ipse. Nec eius sapientia aequalis est sapientiae Dei, quia illa multo est dignior, digniusque et perfectius omnia capit quam <sup>20</sup> illius animae sapientia. Ergo et in scientia maiorem habet sufficientiam Deus quam anima illa, quae dignior est omni creatura.

4. Illud vero Apostoli <sup>4</sup> quod inducunt, *Nemo novit quae Dei sunt nisi Spiritus Dei, qui solus scrutatur omnia*, pro nobis facit. Mox enim addit <sup>25</sup> Apostolus <sup>5</sup>: *Nos autem Spiritum Dei habemus*, ut per Spiritum quem habebat, Dei profunda se scire ostenderet. Sed anima illa prae omnibus Spiritum Dei habuit, cui *Spiritus non est datus ad mensuram*, ut ait Ioannes Evangelista <sup>6</sup>; dona igitur Spiritus Sancti sine mensura habuit; ergo et sapientiam. Omnia ergo scivit anima illa. Si enim quaedam scivit, quaedam non, non sine mensura scientiam habuit. Sed sine mensura <sup>30</sup> scientiam habuit; scit igitur omnia.

<sup>1</sup> sapientiam cum Deo *trp.* ABLV. || quae] scit *add.* LMTV.      3-4 Rubrica *om.* BLOT.  
<sup>6</sup> me] et (*om.* LR) confortata est *add.* LMR.      11 nituntur] utuntur MV.      16 quod]  
 que ABL, quem MR, etiam *add.* V, et *add.* W.      16-17 Deus scit *trp.* BMT.      18 capit]  
 capere BM. || in] etiam BMV.      19 est *trp.* p. Nec BLMRT, *om.* AX.      23 Apostoli  
*trp.* p. Inducunt LMRT.      28 ergo] igitur LMR.

<sup>1</sup> Ps. 138, 6.      <sup>2</sup> In h.l. (PL 70, 985 D; CCL 98, 1244); ex *Glossa* Magistri in h.l. (PL 191, 1218 B).  
<sup>3</sup> 1 Cor. 2, 10-11.      <sup>4</sup> 1 Cor. 2, 10-11.      <sup>5</sup> 1 Cor. 2, 12.  
<sup>6</sup> Ioan. 3, 34; cf. supra, Dist. 13, nn. 1-2.

5. **Fulgentius** etiam in sermone quodam <sup>1</sup> multa inducit, quibus asserit animam illam rerum omnium scientiam habere, utens auctoritate Apostoli dicentis <sup>2</sup>: *In quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi.* — Quod etiam ratione probari potest, sic: Nihil scit aliquis, <sup>5</sup> quod eius anima ignoret; sed Christus, secundum omnium concessionem, omnia scit; igitur anima eius omnia scit.

6. Ad id vero quod dicunt, 'Si omnia scit, ergo scit creare mundum vel se ipsam', respondemus quod scientiam habet creandi mundum, sed non potentiam; et creandi animam, et scit quomodo Deus se ipsam <sup>10</sup> creavit; habet ergo scientiam sui creatae, non sui creandae, quia non est creanda, sed creata.

Cap. 2 (40).

1. **Quare Deus non dedit illi potentiam omnium ut scientiam.** Si vero quaeritur quare Deus non ei dedit potentiam faciendi omnia ut scientiam, responderi potest quia naturaliter capax est scientiae, et ideo id ei <sup>15</sup> congrue datum est sine mensura, cuius ipsa naturaliter capax est. Non est autem ei datum posse facere omnia quae Deus facit, ne omnipotens, et per hoc Deus putaretur. Verumtamen forte nec potentiam faciendi omnia ei Deus praestare potuit, etsi potentiam faciendi aliqua quae non <sup>20</sup> facere potest. — Scit igitur anima Christi omnia quae Deus in Verbo Dei, quod liquidius et praesentius omni creatura contemplatur ut ei unita; in quo etiam angeli et quae Dei sunt et quae futura sunt cognoscunt <sup>3</sup>.

2. **Quomodo intelligenda sint quaedam verba Ambrosii super Lucam.** Sed si anima illa non habet tantam potentiam quantam et Deus, nec <sup>25</sup> homo assumptus tantam potentiam quantam et Deus, quomodo ergo intelligitur illud *Ambrosii* super Lucam <sup>4</sup>, ubi angelus de nascituro Filio Virginis ait <sup>5</sup>: *Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur*: «Non

4 probare potest *trp.* BMRT.      9-10 creavit] creaverit BMNTVW.      10 creatae] creare AB. || non sui creandae] sed non potest seipsam creare A.      14-15 ut scientiam *om.* OX.      17 autem *om.* R, *add.* *interl.* OV.      23 Ambrosii] vel Bede *add.* LRW.      27 Non] Ambrosius *rubr. mg.* AM, Ambrosius (et *add.* T) Bede *rubr. mg. authentica* BLNOTX.

<sup>1</sup> Immo in *Epist. 14 (ad Ferrandum)*, q. 3, n. 29 (PL 65, 418 D; CCL 91, 421).      <sup>2</sup> Col. 2, 3.      <sup>3</sup> Vide Lib. II, d. 11, c. 2, praesertim nn. 8-10 (tom. I, 381-383).      <sup>4</sup> *Glossa ordin.* in Luc. 1, 32 (apud Lyranum V, 125a), sub nomine Bedae et Ambrosii (in rubrica marginali); est autem Bedae, *In Evang.*, I, hom. 1 (PL 94, 11 C-D; hom. 3 in CCL 122, 16s).  
<sup>5</sup> Luc. 1, 32.

Cap. 2, num. 1: Pars prior fundatur in *Summa sent.* I, c. 16 (PL 171, 1101 C; 176, 74 D).



ideo, inquit, erit magnus, quod ante partum Virginis magnus non fuerit, sed quia potentiam quam Dei Filius naturaliter habet, homo erat ex tempore accepturus, ut una sit persona homo et Deus ». Ecce aperte dicit quod homo erat accepturus ex tempore potentiam quam habuit Dei Filius naturaliter.

3. Sed si homo accepturus erat illam potentiam, ergo vel persona, vel natura hominis. Sed persona non, quia semper habuit et habet; ergo natura. Si natura, ergo anima; nam de carne constat quod accipere non posset. — Ad hoc dicimus illud esse accipiendum de persona, sed non in quantum est Dei, immo in quantum est hominis persona. Una est enim persona Dei et hominis, Filii Dei et filii hominis; quae in quantum est Dei persona, semper et naturaliter omnipotentiam habuit; sed in quantum est hominis, non semper fuit. Illa ergo persona quae semper fuerat Dei, futura erat hominis persona; et secundum hoc quod futura erat hominis persona, acceptura erat ex tempore potentiam quam naturaliter et semper habuerat in quantum Dei persona. — Secundum hanc distinctionem illud et similia sane accipi possunt; quae distinctio in pluribus quaestionum articulis est necessaria adversus quorundam perplexam verbositatem. Sed « cum de rebus constat, in verbis frustra habetur controversia <sup>1</sup> ».

## DISTINCTIO XV

20

## Cap. 1 (41).

1. De hominis defectibus quos assumpsit Christus in humana natura. Illud quoque praetermittendum non est, quod Dei Filius naturam ho-

<sup>1</sup> Hanc auctoritatem tamquam Augustini accepit Magister de *Summa sent.*, I, 15 (PL 171, 1097 D; 176, 71 B); et forsitan ex eadem rubricam adiunxit Augustinus in libro de trinitate (quae hic invenitur in codd. ABLMNOT); non est autem Augustini in *De Trinitate*. Vide tamen August., *Contra Academicos*, II, c. 10, n. 24; dein c. 11, n. 25: « Vetuit te [Alypius], res cum constaret, de verbis movere quaestionem »; ac III, c. 13, n. 29: « Docuit enim me [loquitur Augustinus], cum de re constat, ...de verbis non debere contendere » (PL 32, 930, 931, 949; CSEL 63, 40, 41, 68s); necnon et aptius, *Epist.* 238 (ad Pascentium), n. 4: « Quid est enim contentiosius, quam ubi de re constat, certare de nomine [scil. *homoúision*] ? » (PL 33, 1040; CSEL 57, 536).

Dist. XV: Cf. L. Ott, *Untersuchungen*, 213-234; necnon et idem, *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus in ihrem Verhältnis zueinander*, in *Mélanges Jos. de Ghellinck* II, 649-651; utrobique ostendit Gualterum fontem esse Lombardi, mediante autem *Summa sent.* I, 17 (PL 171, 1101 C - 1102 B; 176, 75 A-C), cui Magister alia quamplura adiungit. — Cap. 1, num. 1: Ex *Summa sent.* I, 17 (PL 171, 1101 C; 176, 75 A).

minis accepit passibilem: animam passibilem, carnem passibilem et mortalem. Ut enim probaretur verum corpus habere, suscepit defectus corporis <sup>1</sup>: famem et sitim et huiusmodi; et ut veram animam probaretur habere, suscepit defectus animae, scilicet tristitiam, timorem, dolorem et huiusmodi.

2. Augustinus \*. Omnis autem sensus animae est: non enim caro sentit, sed anima utens corpore velut instrumento. Unde Augustinus, *Super Genesim*, in libro XII <sup>2</sup>: « Non corpus sentit, sed anima per corpus, quo velut nuntio utitur ad confirmandum in se ipsa quod extrinsecus nuntiatur ». Sicut ergo anima quod foris est per corpus tamquam instrumentum videt vel audit, ita etiam per corpus quaedam sentit mala, quae sine corpore non sentiret, ut famem et sitim et huiusmodi; unde non immerito defectus corporis dicuntur. Quaedam autem non per corpus, immo etiam sine corpore sentit, ut est timor et huiusmodi. Sentit igitur anima dolores, sed quosdam per instrumentum corporis, quosdam vero non <sup>3</sup>.

3. Suscepit autem Christus sicut veram naturam hominis, ita et veros defectus hominis, sed non omnes. Assumpsit enim defectus poenae, sed non culpa; nec tamen omnes defectus poenae, sed eos omnes quos homini eum assumere expediebat et suae dignitati non derogabat. Sicut enim propter hominem homo factus est <sup>4</sup>, ita propter eum hominis defectus suscepit. Suscepit enim de nostro ut de suo nobis tribueret, ut nostrum tolleret. Suscepit enim nostram vetustatem, ut suam nobis infunderet novitatem. Simplam accepit ille vetustatem, id est poenae, ut nostram duplam consumeret, id est poenae et culpa <sup>5</sup>.

4. Qualiter accipiendum sit illud quod ait Leo Papa. Tradit auctoritas <sup>6</sup> quod « Dominus noster in se suscepit omnia infirmitatis nostrae

17-18 sed<sup>2</sup>... poenae om. (hom.) OV, sed add. marg. V.

<sup>1</sup> Cf. August., *Epist.* 137 (ad Volusianum), c. 3, n. 9 (PL 33, 519; CSEL 44, 107s).  
<sup>2</sup> Cap. 24, n. 51 (PL 34, 475; CSEL 28-1, 416). <sup>3</sup> Cf. August., *Enarr. in Ps.* 87, 4: *Repleta est malis anima mea* (PL 37, 1110; CCL 39, 1209); in *Glossa Magistri in h.l.*: « Non Repleta est malis anima mea, quibus anima carni compatitur. Non enim dolor corporis potest esse vitii, sed doloribus, quibus anima carni compatitur. Non enim dolor corporis potest esse sine anima. Dolere autem anima etiam non dolente corpore potest » (PL 191, 811 D - 812 A).  
<sup>4</sup> Cf. Symbolum Constantinopolitanum, in forma liturgica: « Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de caelis »; apud DS 150. <sup>5</sup> Cf. August., *De Trinit.*, IV, cc. 2-3 (PL 42, 889s; CCL 50, 163-166). <sup>6</sup> Cf. *Sermo* 63, c. 4: « Omnes enim infirmitates nostras quae veniunt de peccato, absque peccati communione suscepit » (PL 54, 355 B).

Num. 3 in fine: Cf. *Glossa Lombardi in Rom.* 6, 6 (PL 191, 1405 A-B), ubi ultima phrasia invenitur. — Num. 4: Auctoritas Leonis papae sumitur ex *Summa sent.* (loc. cit.); iam invenitur apud Gualterum (cf. L. Ott, *Untersuchungen*, 214, n. 2; et 226, n. 36). Quatenus praen-



praeter peccatum ». Quod nisi accipiatur de illis tantum quae eum sumere pro nobis oportuit nec dedecuit, falsum esse probabitur. — Non enim assumpsit ignorantiam aliquam, cum sit ignorantia quaedam quae defectus est nec peccatum est, scilicet ignorantia invincibilis<sup>1</sup>. Nam vincibilis peccatum est, si tamen de his est quae nobis expedit scire: sunt enim quaedam quorum scientia non affert, vel ignorantia non impedit salutem, et forte talium rerum ignorantia defectus non est.

5. Constat autem in nobis esse ignorantiam atque difficultatem volendi vel faciendi bonum, quae ad miseriam nostram pertinent. Unde Augustinus in libro III *De libero arbitrio*<sup>2</sup>: « Approbare, inquit, falsa pro veris, ut erret invitus, et resistente atque torquente dolore carnalis vinculi, non posse a libidinis operibus temperare, non est natura instituti hominis, sed poena damnati ». « Ex qua miseria<sup>3</sup> peccantibus iustissime inflictata liberat Dei gratia, quia sponte homo libero arbitrio cadere potuit, non etiam surgere. Ad quam miseriam pertinet ignorantia et difficultas quam patitur omnis homo ab exordio nativitatis suae, nec ab isto malo quisquam nisi gratia Dei liberatur ». — Ecce evidenter dicit hic Augustinus ignorantiam qua quisque invitus falsa pro veris approbat, et difficultatem qua non potest se temperare a malo, ad miseriam nostram pertinere et poenam esse hominis. Haec autem Christus non habuit; non igitur accepit omnes defectus nostrae infirmitatis praeter peccatum.

6. **Quod ignorantia talis et difficultas non sit peccatum.** Sed forte aliquis dicet<sup>4</sup> illa esse peccatum. — Cui obviat quod Augustinus tradere videtur, haec scilicet Deum inculpabiliter ante peccatum, in exor-

<sup>2</sup> probabitur] probatur ABLRVW.      <sup>15</sup> surgere] resurgere V, corr. ex resurgere A, corr. interl. in resurgere L.      <sup>18</sup> quisque] quis BMNRTW.

<sup>1</sup> De ignorantia vincibili et invincibili, v. Lib. II, d. 20, c. 5, n. 4; et praesertim d. 22, c. 5, nn. 1-2 (tom. I, 432, 446). Hic Magister aliquantulum sese opponit doctrinae *Summae sent.*, I, 17 (PL 171, 1101 C - 1102 B; 176, 75 A-C).      <sup>2</sup> Cap. 18, n. 52 (PL 32, 1296; CSEL 74, 133); mediante libro I *Retractationum*, c. 9, n. 5 (PL 32, 598; CSEL 36, 45).      <sup>3</sup> August., *Retract.*, I, c. 9, n. 6 (PL 32, 598; CSEL 36, 46).      <sup>4</sup> Ita auctor *Summae sent.*, I, 17 (PL 171, 1101 D; 176, 75 B), qui docet quod « sicuti concupiscentia peccatum est..., ita ignorantia est peccatum, et tamen non imputatur nisi negligentia sit ».

decessores nostri (ed. 1916, p. 611) rubricam more proprio omiserant et verba Ioan. Damasceni hic agnoscere censuerant, recte redarguebantur a studiosis: cf. B. Geyer, *Verfasser und Abfassungszeit der sog. Summa sententiarum*, in *Theol. Quartalschrift* 107 (1926), 92-94; et L. Ott, *Untersuchungen* 226, n. 36; necnon et idem, *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus*, ubi supra, 651.

5 dio conditionis, homini potuisse indere, ut essent ei naturalia, ita in libro *Retractationum*<sup>1</sup> inquit: « Ignorantia et difficultas etiam si essent hominis primordia naturalia, nec sic culpandus Deus, sed laudandus esset ». Sed si haec homo in primordio naturaliter habuisset, numquid esset in eo defectus et poenae? Si defectus vel poena ei indita fuisset ante peccatum, iniuste cum eo agi videretur, si ante culpam sentiret poenam. — Ob hoc sane dicimus illa non fuisse defectus vel poenas, si naturaliter homini infuissent; sicut non fuit homini ante peccatum, nondum gratiam adepti, defectus sive poena non posse proficere<sup>2</sup>. Sed postquam gratiam recepit, per quam proficere potuit et ad tempus etiam profecit, eamque culpa sua post amisit, simulque proficiendi facultatem perdidit, defectus fuit ei et poena non posse proficere, scilicet malum declinare et bonum facere.

7. Omnes igitur defectus nostros suscepit Christus praeter peccatum, quos ei conveniebat suscipere et nobis expediebat. Sunt enim plura aegritudinum genera et corporis vitia, a quibus omnino immunis exstitit. Quos enim defectus habuit, vel ad ostensionem verae humanitatis: ut timorem et tristitiam, vel ad impletionem operis ad quod venerat: ut passibilitatem et mortalitatem, vel ab immortalitatis desperatione spem nostram erigendam: ut mortem, suscepit.

20 8. **Quod sola voluntate illos defectus suscepit, non necessitate conditionis suae\***. Hos autem defectus non conditionis suae necessitate, sed miserationis voluntate suscepit<sup>3</sup>. Veros quidem habuit defectus, sicut et nos, sed non eadem causa. Nos enim ex peccato originali hos defectus trahimus, sicut Apostolus insinuat dicens<sup>4</sup>: *Corpus quidem propter peccatum mortuum est*, id est necessitatem moriendi habet in se. Christus autem non ex peccato huiusmodi habuit defectus, quia sine peccato est

5 vel... fuisset] et... fuissent LN.      27 miserationis] sue add. LNR.

<sup>1</sup> Lib. I, c. 9, n. 6 (PL 32, 598; CSEL 36, 46).      <sup>2</sup> Cf. Lib. II, d. 24, c. 1 (tom. I, 450-452).      <sup>3</sup> August., *Enarr. in Ps. 87*, 4: « Hos autem humanae infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem... ac mortem... non conditionis necessitate, sed miserationis voluntate suscepit » (PL 37, 1111; CCL 39, 1209); in *Glossa Lombardi super h.l.* (PL 191, 812 A-B).      <sup>4</sup> Rom. 8, 10; *Glossa Magistri in h.l.: mortuum*, « id est habens in se necessitatem moriendi » (PL 191, 1436 C); inde et *Sent.* II, d. 19, c. 2, n. 1 (tom. I, 422).

Num. 8: Fontes satis indicantur in notis textui appositis. Cf. etiam Hugo de S. Victore, *De sacramentis christianae fidei* II, 1, c. 7 (PL 176, 389 D), qui tamen inter fontes non est annumerandus.



conceptus et natus et in terris conversatus<sup>1</sup>. Sed ex sola miserationis voluntate de nostro in se transtulit veram infirmitatem, sicut accepit veram carnem; quam sine omni infirmitate assumere potuit, sicut absque culpa eandem suscepit.

9. **Auctoritatibus probat Christum secundum hominem vere dolores 5 sensisse et timuisse, contra quosdam hoc negantes.** Sed quia nonnulli 2 de sensu in passione humanitatis Christi male sensisse inveniuntur, asserentes similitudinem atque imaginem passionis et doloris Christum hominem pertulisse, sed nullum omnino dolorem vel passionem sensisse, auctoritatum testimoniis, eos convincentes, indubitabile faciamus quod 10 supra diximus.

10. Propheta Isaias dicit<sup>3</sup>: *Vere languores nostros ipse tulit, et dolores nostros ipse portavit.* Et Veritas ipsa in Evangelio<sup>4</sup> ait: *Tristis est anima mea usque ad mortem;* ubi etiam legitur<sup>5</sup>: *Coepit Iesus pavere et taedere.* — Propheta etiam ex persona Christi ait<sup>6</sup>: *Repleta est malis anima mea.* 15 Quod exponens Augustinus<sup>7</sup> ait: «Non vitiis et peccatis, sed humanis malis, id est doloribus repleta fuit anima Christi, quibus ipsa compatitur carni. Non enim dolor corporis potest esse sine anima; dolere autem anima etiam non dolente corpore potest. Hos autem humanae infirmitatis affectus, sicut ipsam carnem ac mortem, non conditionis nec- 20 cessitate, sed miserationis voluntate suscepit».

11. Ambrosius etiam in libro III *De Trinitate*<sup>8</sup> sic ait: «Scriptum est<sup>9</sup>: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Timet ergo Chri-

<sup>9</sup> pertulisse] pretulisse MTW<sup>2</sup>. <sup>12</sup> dicit] dixit B, ait NX. <sup>14</sup> pavere et taedere trp. BMOTVW. <sup>16</sup> ait] inquit BMNRTX. <sup>22</sup> libro III trp. NRVX.

<sup>1</sup> Vide supra, Dist. 3, c. 4, n. 1; resp. Baruch 3, 38: *Postea in terris visus est, et cum hominibus conversatus est.* Quod sequitur in hoc numero in parte invenitur in *Glossa* Magistri in Ps. 93, 15 (PL 191, 871 A-B); ex August. in h.l. (PL 37, 1208; CCL 39, 1321). <sup>2</sup> Haec accusatio iam invenitur in *De sacramentis* Magistri Hugonis, ut infra notatur. <sup>3</sup> Isai. 53, 4. <sup>4</sup> Matth. 26, 38. <sup>5</sup> Marc. 14, 33. <sup>6</sup> Ps. 87, 4. <sup>7</sup> In h.l., n. 3 (PL 37, 1110s; CCL 39, 1209). <sup>8</sup> Id est *De fide*, et rectius lib. II, c. 5, nn. 41, 43-44 (PL 16 [1845], 567s; CSEL 78, 70s). <sup>9</sup> Matth. 26, 39.

Num. 9: Hic econtra Magister se convertit ad Hugonis *De sacramentis* II, 1, c. 7 (PL 176, 390 C), ut errorem quorundam vituperet. De quo, cf. L. Ott, *Untersuchungen*, § 14: *Walters [von Mortagne] Brief an Magister Alberich über die Traurigkeit und Todesfurcht Christi*, 213-234. — Num. 10: Prima auctoritas, Isaias scilicet, invenitur apud Hugonem; secunda, in Evangelio, sumitur de *Summa sent.* I, 17 (PL 171, 1102 A; 176, 75 C). Quod sequitur, ex Augustino, iam exstat in Magistri *Glossa* in Ps. 87, 4 (PL 191, 811 D - 812 A). — Num. 11-12: Auctoritates Ambrosii et pseudo-Hieronymi (suggerente forsitan *Summa sent.*, locis cit.)

stus, et dum Petrus non timet, Christus timet. Petrus dixit<sup>1</sup>: *Animam meam pono pro te;* Christus dixit<sup>2</sup>: *Anima mea turbatur.* Utrumque verum est et rationis plenum: quod et ille qui est inferior non timet, et ille qui superior est gerit timentis affectum». — Idem in eodem<sup>3</sup>: «Ut homo 5 turbatur, ut homo flet, ut homo crucifigitur<sup>4</sup>». «Per naturam hominis et taediavit et resurrexit<sup>5</sup>». «Non turbatur eius virtus, non turbatur eius divinitas, sed *turbatur anima*<sup>6</sup>: secundum humanae fragilitatis assumptionem turbatur. Nam qui suscepit animam, suscepit etiam animae passionem: non enim eo quod Deus erat, aut turbari, aut mori posset». 10 — Idem in eodem<sup>7</sup>: «Suscepit tristitiam meam. Confidenter tristitiam nomino, qui crucem praedico. Ut homo habuit tristitiam, quam meo suscepit affectu: mihi compatitur, mihi tristis est, mihi dolet. Ergo pro me et in me doluit, qui pro se nihil habuit quod doleret. Doles igitur, Domine Iesu, mea vulnera, non tua, quia tu non pro te, sed pro me doles».

12. Hieronymus quoque in *Explanatione fidei*<sup>8</sup> ait: «Nos ita dicimus hominem passibilem a Dei Filio susceptum, ut deitas impassibilis permaneret. Passus est enim Filius Dei, non putative, sed vere, omnia quae Scriptura testatur secundum illud quod pati poterat, scilicet secundum substantiam assumptam. Licet ergo persona Filii susceperit passibi- 20 lem hominem, ita tamen eius habitatione secundum suam substantiam nil passa est, ut tota Trinitas, quam impassibilem necesse est confiteri». — His aliisque auctoritatibus perspicuum fit Christum vere passibilem assumpsisse hominem, atque in eo defectus et affectus nostrae infirmitatis suscepisse, sed voluntate, non necessitatis conditione.

13. **Hic ponit quae praedictis adversari videntur.** Quaedam tamen 25 reperiuntur in Sanctorum tractatibus, quae praemissis adversari viden-

<sup>6</sup> resurrexit] Christus add. ALO. <sup>18</sup> scilicet] id est L, om. OX. <sup>19</sup> susceperit] suscepit BLMRT, quod corr. R.

<sup>1</sup> Ioan. 13, 37. <sup>2</sup> Ioan. 12, 27. <sup>3</sup> Cap. 7, n. 56 (PL 16 [1854], 571 A; CSEL 78, 75s); secunda sententia (*Per... resurrexit*), ibid., c. 8, n. 59 (572 A; 77). <sup>4</sup> Resp. Ioan. 12, 27; Luc. 19, 41; Matth. 27, 35. <sup>5</sup> Resp. Marc. 14, 33 et 16, 6. <sup>6</sup> Ioan. 12, 27. <sup>7</sup> Cap. 7, nn. 53-54 (PL 16 [1854], 570 C-D; CSEL 78, 74s). <sup>8</sup> Id est Pelagius, *Libellus fidei*, n. 5 (PL 45, 1717).

trahuntur ex originalibus. Quoad primam cf. L. Ott, *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus*, in *Mélanges J. de Ghellinck* II, 651, n. 13. — Num. 13: Introducitur verbis *Summae sent.* I, 17 (PL 171, 1102 B; 176, 75 D), ubi statim proponuntur verba Hieronymi, ut in fine huius paragraphi. Quod Augustinus tradere videtur invenitur apud *Glossam* in Ps. 21, 3 (PL 191, 227 B-D); sed ut iam indicatur in nostris Prolegomenis ad Tom. I, 60\*, ille passus nihil



tur. Nam super illum locum Psalmi 1: *Clamavi et non exaudies*, Augustinus<sup>2</sup> tradere videtur Christum nec vere timuisse, nec vere tristatum esse, sic dicens: « Quomodo hoc dicit qui peccatum non fecit nec inventus est dolus in ore eius<sup>3</sup>? Sed de nobis, corpore suo, hoc dicit; corporis enim sui, id est Ecclesiae, gerebat personam. Sicut et alibi, cum dixit 4: *Transeat a me calix iste*, pro nobis loquitur. Nisi forte putatur timuisse mori. Sed non vere timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus *dissolvi et esse cum Christo*<sup>5</sup>. Non enim fortior est miles quam imperator. Miles ergo coronandus gaudet mori, et Dominus coronaturus timet mortem? Sed infirmitatem nostram repraesentans, pro suis infirmis, 10 qui timent mori, haec dixit: vox illorum erat ». — Hieronymus etiam ait 6: « Erubescant, qui putant Salvatorem timuisse mortem, et passionis pavore dixisse 7: *Transeat a me calix iste* ».

## Cap. 2 (42).

15

1. **Determinatio auctoritatum.** Ne autem in sacris litteris aliqua adversa diversitas esse putetur, harum auctoritatum verba in hunc modum accipienda dicimus: ut non veritatem timoris et tristitiae vel propassionem, sed timoris et tristitiae necessitatem et passionem a Christo removisse intelligantur. — Habuit enim Christus verum timorem et 20 tristitiam in natura hominis, sed non sicut nos, qui sumus membra eius. Nos enim causa peccati nostri his defectibus necessario subiaccemus, et in nobis sunt isti defectus secundum propassionem et passionem; sed in Christo non nisi secundum propassionem.

2. **De propensione et passione timoris vel tristitiae\*.** Sicut enim in peccatis gradus quidam notantur propassio et passio<sup>8</sup>, ita et in his poenalibus

6 Nisi] ubi ALR.

8 fortior est *trp.* BRT.

25 vel] et ATX.

<sup>1</sup> Ps. 21, 3. <sup>2</sup> *Enarr. II in Ps. 21*, n. 4 (PL 36, 172s; CCL 38, 123); vide etiam *Enarr. in Ps. 93*, 15, n. 19 (PL 37, 1207s; CCL 39, 1319ss); et etiam infra, c. 2, n. 4. <sup>3</sup> I Petri 2, 22. <sup>4</sup> Matth. 26, 39. <sup>5</sup> Phil. 1, 23. <sup>6</sup> *In Matth. 26*, 1 (PL 26 [1845], 190 B). <sup>7</sup> Matth. 26, 39. <sup>8</sup> Quae distinctio Hieronymi est, *In Matth. 5*, 28: « Inter *pathos* et *propatheian*, id est, inter passionem et propassionem, hoc interest, quod passio reputatur in vitium; propassio, licet inii culpam habeat, tamen non tenetur in crimine » (PL 26 [1845], 38 C). De qua cf. Lib. II, d. 33, c. 5, n. 5 (tom. I, 524); et *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum V, 20c).

aliud videtur quam summarium praesentis quaestionis occasione factum lectionis publicae eiusdem *Glossae*. — Idem dicendum videtur de quibusdam verbis in num. 1 sequentis capituli (cf. eadem Prolegom., p. 60\*, nota 3).

affectibus. Afficitur enim quis interdum timore vel tristitia, ita ut mentis intellectus non inde moveatur a rectitudine vel Dei contemplatione, et tunc propassio est. Aliquando vero movetur et turbatur, et tunc passio est.

3. **Hieronymus\***. Christus vero non ita fuit turbatus in anima timore vel tristitia, ut a rectitudine vel Dei contemplatione aliquatenus declinaret: secundum quem modum intelligitur, cum dicitur non timuisse vel tristis fuisse. Unde Hieronymus, *Super Matthaicum*<sup>1</sup>, ubi legitur: *Coepit contristari et moestus esse*: « Ut veritatem, inquit, probaret assumpti hominis, vere contristatus est; sed non passio eius dominatur 10 animo, verum propassio est. Unde ait: *Coepit contristari*. Aliud est enim contristari, aliud incipere contristari », quod est, aliter contristatur quis per propassionem, aliter per passionem. Ideoque, secundum hanc distinctionem aliquando dicitur Christus non vere timuisse, aliquando vere timuisse, quia verum timorem habuit et tristitiam, sed non secundum passionem 15 neque ex necessitate conditionis.

4. **Augustinus, Super Psalmum\***. Unde Augustinus, ex his causis volens assumi dictorum intelligentiam, dicit Christum non vere timuisse vel tristatum esse, et in continenti veram tristitiam habuisse, his verbis<sup>2</sup>: « Infirmos in se praesignans Dominus ait 3: *Pater, si fieri 20 potest, transeat a me calix iste*. Non enim vere timebat Dominus pati, tertia die resurrecturus, cum arderet Paulus *dissolvi et esse cum Christo*<sup>4</sup>. Iste gaudet coronandus, et tristis est Dominus coronaturus? » Ecce hic videtur tristitiam et timorem a Christo remove. — Continuo autem subiunxit<sup>5</sup>: « Sed tristitiam sic assumpsit quomodo carnem. Fuit enim 25 tristis, ut Evangelium dicit. Si enim non tristis fuit, cum Evangelium dicat 6: *Tristis est anima mea* etc., ergo et quando dicit 7: *Dormivit Iesus*, non dormivit; vel quando dicit 8 *manducasse*, non manducavit: et ita nihil

17 dictorum intelligentiam *trp.* ALR.27 dicit] dicitur AL, eum *add.* V (*interl.*) X.

<sup>1</sup> In c. 26, 37 (PL 26 [1845], 197 A-B); eadem in *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, V, 80a), ubi ultima verba (*Aliud est enim* etc.) omittuntur. <sup>2</sup> *Enarr. in Ps. 93*, 15, n. 19 (PL 37, 1206, 1207s; CCL 39, 1319s); axioma « ex causa assumenda est intelligentia dictorum », Hilarii est; cf. tom. I, 619b, s.v. *Intelligentia*. <sup>3</sup> Matth. 26, 39. <sup>4</sup> Phil. 1, 23. <sup>5</sup> August., l.c. (1208; 1321). <sup>6</sup> Matth. 26, 38; Marc. 14, 34. <sup>7</sup> Matth. 8, 24. <sup>8</sup> Luc. 14, 1.

Num. 3: Cf. *Summa sent.* I, 17 (PL 171, 1102 A-B; 176, 75 C-D). — Num. 4: Ex *Glossa Magistri* in Ps. 93, 15 (PL 191, 870 D - 871 B); ex parte invenitur in *Summa sent.*, unde sumitur prima conclusio: « Ecce hic... remove ».



sanum relinquitur, ut dicatur etiam quia corpus non erat verum. Quidquid ergo de illo scriptum est, verum est et factum est. Ergo tristis fuit; sed voluntate tristitiam suscepit veram, quomodo voluntate carnem veram». — Aperte noscis eundem sibi in his verbis contradicere, nisi varias dictorum discerneret causas ex quibus intelligentia verborum assumenda est; si enim discernatur intelligentiae causa praedictorum verborum, nihil occurrit contradictionis<sup>1</sup>.

Cap. 3 (43).

1. De quibusdam Hilarii capitulis valde obscuris quae videntur communi sententiae obviare. Verumtamen magis movent ac difficiliorem afferunt quaestionem verba Hilarii, quibus videtur tradere ictus et vulnera et huiusmodi sic in Christum incidisse, ut passionis dolorem non inculcerent; sicut telum tractum per aquam vel ignem vel aëra, ea facit quae et cum trahitur per corpora animata, quia perforat et compungit, non tamen dolorem ingerit, quia non sunt illae res capaces doloris. Ita et corpus Christi sine sensu poenae vim poenae excepisse dicit, quia sicut corpus nostrum non habet talem naturam ut valeat calcare undas, ita corpus Christi dicit non habuisse naturam nostri doloris, quia non habuit naturam ad dolendum.

2. Ait enim sic in X libro *De Trinitate*<sup>2</sup>: « Unigenitus Deus hominem verum secundum similitudinem nostri hominis, non deficiens a se Deo, sumpsit: in quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus descenderet,

<sup>1</sup> relinquitur] relinquetur BLMTW, quod corr. L.  
<sup>4</sup> Aperte] Ecce praem. LRX. <sup>9</sup> valde om. AMNRW.  
add. marg. T. <sup>15</sup> capaces doloris trp. BLMRTV.

<sup>2</sup> Ergo] et add. BLMT.  
9-10 communi] huic V, om. O.

<sup>1</sup> De principio hic enuntiato, cf. Lib. I, d. 25, c. 2, n. 1 (I, 192).  
361 A - 363 A).

<sup>2</sup> Num. 23 (PL 10,

Capp. 3-4: Textus Hilarii saltem in parte iam a tempore Abaelardi vulgati (*Sic et non*, c. 80; PL 178, 1458) controversiam suscitaverunt post Consistorium Remense (de quo cf. Proleg. ad tom. I, 28\*-30\*), ut apparet ex serie epistolarum inter Philippum de Harveng et Ioannem praepositum (PL 203, 34 D - 66 C, 170 A - 174 C). Circa argumentum, cf. X. Le Ba-chelet, *Hilaire (saint)*, in *DThC VI* (Paris 1913), 2438-2449, et bibliogr., 2462; G. P. Sijen, *La passibilité du Christ chez Philippe de Harveng*, in *Analecta Praemonstratensia* 14 (1938) 189-208; necnon et A. M. Landgraf, *Die Sterblichkeit Christi in Dogmengeschichte* II-1, 226ss. — Hic oportet notare quod contra divisionem ab Alexandro de Hales introductam (cf. *Glossa in librum III*, Quaracchi 1954, 6-7) S. Bonaventura hic, ad cap. 3, initium ponit Distinctionis XVI (cf. *Comm. in Tertium Librum Sent.*, ed. Quaracchi 1887, 345, et nota 1 Pp. Editorum ibidem).

aut nodi concurrerent, aut suspensio elevaret, afferrent quidem haec impetum passionis, non tamen dolorem passionis inferrent. Ut telum aliquod aquam perforans, vel ignem compungens, vel aëra vulnerans, omnes quidem has passiones naturae suae infert: ut foret, ut compungat, ut vulneret; sed naturam suam in haec passio illata non retinet, dum in natura non est vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aëra vulnerari, quamvis naturae teli sit et vulnerare et compungere et forare. Passus quidem Christus, dum caeditur, dum suspenditur, dum moritur; sed in corpus irruens passio nec non fuit passio; non tamen naturam passionis exercuit: dum et poenali mysterio poena desaevit, et virtus corporis sine sensu poenae vim poenae in se desaevientis excepit. Habuit sane illud Domini corpus doloris nostri naturam, si corpus nostrum id naturae habet ut calcet undas et fluctus desuper eat, nec clausae domus obstaculis arceatur. (**Hic intende!**\*) At vero si Domini corporis solum ista natura sit, ut feratur in humidis et sistat in liquidis et structa transcurrat, quid per naturam humani corporis carnem ex Spiritu conceptam iudicamus? Caro illa de caelis est, et homo ille de Deo est; habens ad patiendum corpus, et passus est, sed naturam non habens ad dolendum».

3. Idem in eodem<sup>1</sup>: « Videamus an ille passionis ordo infirmitatem in Domino doloris permittat intelligi. Dilatis enim causis ex quibus metum Domino haeresis adscribit, res ipsas ut gestae sunt conferamus. Nec enim fieri potest ut timor eius significetur in verbis, cuius fiducia contineatur in factis. Timuisse igitur, haeretice, passionem videtur? Sed ob ignorantiae huius errorem Petrus et *satanas* et *scandalum* est<sup>2</sup>. Anne timuit qui armatis obviis prodiit? et in corpore eius infirmitas fuit, ad cuius occursum consternata persequentium agmina supinatis corporibus conciderunt<sup>3</sup>? (**Intellige!**\*) Quam igitur infirmitatem dominatam huius corporis credis, cuius tantam habuit natura virtutem? Sed forte dolorem vulnerum timuit? Quem, rogo, o tu dominicae infirmitatis assertor, penetrantis carnem clavi habuit terrorem, qui excisam aurem solo restituit<sup>4</sup>? Producentis haec aurem manus clavum dolet? Et sentit vulnus,

<sup>4</sup> ut foret] perforet V, ut perforet L. || compungat] pungat AO. <sup>5</sup> haec] hoc BLX.  
<sup>7</sup> compungere] pungere O, corr. in pungere R. || forare] perforare BV. <sup>8</sup> Christus] est  
add. L Hil., add. interl. V. <sup>9</sup> non?] si M, nec V Hil., corr. ex nec A. <sup>10</sup> mysterio]  
ministerio Hil., vel mini. add. marg. N, corr. interl. in ministerio, sed tunc del. correctionem R.  
<sup>13</sup> fluctus trp. post eat LRV. || desuper eat om. O. <sup>14</sup> Hic intende! om. NVW.  
<sup>16</sup> Spiritu] sancto add. NOVW. <sup>27</sup> Intellige! om. LRVW.

<sup>1</sup> Num. 26-28 (PL 10, 366 C - 368 A). <sup>2</sup> Resp. Matth. 16, 23: *Vade post me, satana; scandalum es mihi.* <sup>3</sup> Resp. Ioan. 18, 4-6. <sup>4</sup> Vide Luc. 22, 51.



qui alteri dolorem vulneris non reliquit? Pungendae carnis metu tristis est, cuius attactu caro post caedem sanatur?»

4. Item<sup>1</sup>: «Collatis igitur dictorum gestorumque virtutibus, demonstrari non est ambiguum in natura corporis eius infirmitatem corporeae naturae non fuisse, et passionem illam, licet corpori illata sit, non tamen naturam dolendi corpori intulisse. Quia licet forma corporis nostri esset in Domino, non tamen vitiosae infirmitatis nostrae forma erat in corpore quod ex conceptu Spiritus Sancti Virgo progenuit».

5. Audisti, lector, verba Hilarii, quibus dolorem excludere videtur. Sed si excussa sensus et impietatis hebetudine, praemissis diligenter intendas atque ipsius scripturae circumstantiam inspicias, dictorum rationem atque virtutem percipere utcumque poteris, et intelligentiam arguere non attentabis. Intelligitur enim ea ratione dixisse dolorem passionis in Christum non incidisse, et virtutem corporis Christi excepisse vim poenae sine sensu poenae, quia causam et meritum doloris in se non habuit. Quod videtur notasse ubi ait<sup>2</sup>: 'non habens naturam ad dolendum'. Et ideo non iudicanda est caro illius secundum naturam nostri corporis. Nec in eo etiam dominium habuit passio<sup>3</sup>. Ita etiam non habuit naturam ad timendum vel tristandum, quia non habuit talem naturam, in qua esset causa timoris vel tristitiae. Itaque necessitas timendi non fuit in eo, sicut est in nobis; nec natura doloris fuit in eo sicut est in nobis.

6. Hilarius in libro *De synodo* 4: «Cum haec passionum genera infirmitatem carnis afficiant, Deus tamen Verbum, caro factus, non potuit a se demutabilis esse patiando. Verbum enim quod *caro factum est*<sup>5</sup>, licet se passioni subdiderit, non tamen demutatam est passibilitate patiendi. Nam pati potuit et passibilis esse non potuit, quia passibilitas naturae infirmae significatio est; passio autem eorum est quae sunt illata perpassio».

Cap. 4 (44).

De tristitia Christi et eius causa secundum eundem. — Hilarius\*. Tristitiam tamen in eo fuisse consequenter asserit, sed causam eius existisse non suam mortem, sed defectum Petri et aliorum Apostolorum.

<sup>5</sup> corpori illata *trp.* BLMRT Hil. 22-27 Notula *om.* ANOV; *marg. ponitur in L ad init. cap. 3, in M ad finem cap. 2, in R ad in finem n. 3 tertii cap., in X hic seu potius ad initium cap. 4; in summo folio T, ad c. 3; in tertia columna in B iuxta c. 4, in W ad cap. 3, n. 2.* Hilarius... *synodo om.* BMX. || *passionum] passionis BX.* 29 Rubricae *om.* LRW.

<sup>1</sup> Hilarius, *ibid.*, n. 35 (PL 10, 371 A-B). <sup>2</sup> *Supra*, in fine num. 2. <sup>3</sup> Item, in medio n. 2. <sup>4</sup> *De synodis*, n. 49 (PL 10, 516 B-C); de usu huius libri ex parte Magistri, vide Proleg. ad tom. I, pp. 121\*s. <sup>5</sup> Ioan. I, 14.

— Dicit enim Christum non propter mortem, sed usque ad mortem tristem fuisse, his verbis<sup>1</sup>: «Interrogo quid sit tristem esse *usque ad mortem*<sup>2</sup>. Non enim eiusdem significationis est tristem esse 'propter mortem' et 'usque ad mortem', quia ubi 'propter mortem' tristitia est, illic mors causa tristitiae est; ubi vero tristitia 'usque ad mortem' est, mors non tristitiae causa est, sed finis. Adeo autem non propter mortem suscepta est tristitia, ut sit destituta per mortem». «Non<sup>3</sup> ergo sibi tristis est, sed illis qui in scandalo per infirmitatem carnis erant futuri: quos monet orare ne inducantur in tentationem<sup>4</sup>, qui ante polliciti erant se non scandalizari<sup>5</sup>».

DISTINCTIO XVI

Cap. 1 (45).

1. An in Christo fuerit necessitas patiendi et moriendi, quae est defectus generalis. Hic oritur quaestio ex praedictis ducens originem. Dictum est enim supra<sup>6</sup> quod Christus in se nostros defectus suscepit, praeter peccatum. Est autem hominis generalis quidem defectus qui peccatum non est, scilicet necessitas patiendi vel moriendi: unde corpus nostrum non tantum mortale, sed etiam *mortuum* dicitur<sup>7</sup>, quia non tantum aptitudinem moriendi, sed etiam necessitatem habet. Ideo quaeritur utrum necessitas talis in Christi corpore fuerit. — Quod mortalitas ante peccatum non fuit in homine defectus. De aptitudine enim moriendi, quod in eo fuerit, ambiguum non est. Quae etiam ante peccatum in homine fuit, quando aliquis in eo non fuit defectus: nec igitur mortalitas illa tunc in eo fuit defectus, quia naturae ei erat. — An illa modo sit in nobis defectus. Unde etiam quidam talem mortalitatem in nobis non esse defectum

16 quidem] quidam ARV. 20 corpore] carne ABW, vel carne *add. interl.* V. 20-21 Rubrica *om.* LVW. 24 ei] eius NV, *corr. in eius O<sup>2</sup>.* 24-25 Rubrica *om.* LVW.

<sup>1</sup> Hilarius, *De Trinit.*, X, n. 36 (PL 10, 371 C-372 A). <sup>2</sup> Resp. Matth. 26, 38. <sup>3</sup> *Ibid.*, n. 37 (373 B). <sup>4</sup> Matth. 26, 41: *Orate ut non intretis in tentationem.* <sup>5</sup> Matth. 26, 33-35: *Ego nunquam scandalizabor... Similiter et omnes discipuli dixerunt.* <sup>6</sup> In Dist. 15, c. 1, n. 3. <sup>7</sup> Resp. Rom. 8, 10.

Dist. XVI: Cf. A. M. Landgraf, *Die Sterblichkeit Christi*, in *Dogmengeschichte* II-1, 199-272, praesertim 246ss. — Cap. 1, num. 1, fundatur super Libr. II, d. 19, cc. 1-4 (tom. I, 421-424).



non improbe tradunt, sed necessitatem moriendi vel patiendi. Quae etiam mortalitas dicitur vel passibilitas: dicitur enim homo nunc passibilis vel mortalis non modo propter aptitudinem, sed etiam propter necessitatem<sup>1</sup>. — **An anima Christi habuit necessitatem patiendi.** Sed numquid hic defectus fuit in Christi carne? Anima quoque eius, cum passibilis existi-  
5 terit ante mortem, numquid necessitatem patiendi habuit? Si enim necessitas patiendi vel moriendi fuit in Christo, non videtur sola voluntate miserationis defectus nostros accepisse.

2. **Solutio** \*. Ad quod dici potest Christum voluntate, non necessitate suae naturae, hos defectus sicut alios accepisse, scilicet necessitatem  
10 patiendi in anima, simul autem patiendi et moriendi in carne. Verum hanc necessitatem non habuit ex necessitate suae conditionis, quia a peccato immunis, sed ex sola voluntate accepit<sup>2</sup> de nostra infirmitate, ponens *tabernaculum suum in sole*<sup>3</sup>, scilicet sub temporali mutabilitate et labore. — Unde super Epistolam ad Hebraeos auctoritas<sup>4</sup> dicit quod  
15 sicut *hominibus* aliis iure et lege naturae *statutum est semel mori*, ita et *Christus* eadem necessitate et iure naturae *semel oblatus est*, et non saepe. Nec ideo dicit 'iure naturae', quod ex natura suae conditionis hunc defectum traxerit; qui etiam non provenit nobis ex natura secundum quod  
20 prius est instituta, sed ex ea peccato vitiata<sup>5</sup>. Et ideo dicitur hic defectus naturalis, quia quasi pro natura inolevit<sup>6</sup> in omnibus diffusus.

<sup>3</sup> etiam] et BMRT. <sup>4</sup> Rubrica om. LVW. <sup>9</sup> Solutio om. LRVW. <sup>10</sup> accepisse] suscepisse BMT. <sup>20</sup> est] in nobis add. L, nobis add. R.

<sup>1</sup> Cf. Dist. 15, c. 1, n. 8; et etiam Lib. II, d. 19, c. 2 (tom. I, 422s). <sup>2</sup> *Glossa ordin.* in Hebr. 9, 27: « Non est intelligendum quod aliqua peccati sui necessitate oblatus sit... imo sola voluntate (cod. l 203c; m 180 b; apud Lyranum, VI, 51c); apud Magistrum in h.l. (PL 192, 478 A). <sup>3</sup> Resp. Ps. 18, 6. Cf. *Glossa* Magistri in h.l.: « *In sole*, in tempore, quia carnem assumpsit temporalibus vicissitudinibus subiectam... Vel *in sole*, id est in labore » (PL 191, 208 D - 209 A). <sup>4</sup> *Glossa interl.* in Hebr. 9, 27-28: *Et quemadmodum statutum est (lege naturae) hominibus semel mori... sic et (eadem necessitate et iure naturae) Christus semel oblatus est* (cod l 203 v; m 180r; apud Lyranum, VI, 151v); idem apud Magistrum in h. l. (PL 192, 478 A). <sup>5</sup> Cf. Sent. II, d. 30, c. 7, nn. 3-4 (tom. I, 499). <sup>6</sup> Cf. August., *In Ioan.*, tr. 44, n. 1: « Caecitas contigit in primo homine per peccatum, de quo omnes originem duximus, non solum mortis sed etiam iniquitatis... Quandoquidem Apostolus... dicit: *Fuimus et nos aliquando natura filii irae* [Eph. 2, 3]... Si filii irae, filii vindictae, filii poenae, filii gehennae. Quomodo *natura*, nisi quia peccante primo homine, vitium pro natura inolevit? » (PL 35, 1713s; CCL 36, 381); in *Glossa* Magistri in Eph. 2, 3 (PL 192, 180 D - 181 A); ex Floro in h.l., 569-570.

Num. 2: Circa formulam: « voluntate, non necessitate », cf. (praeter notas supra ad ipsum textum positas) A. M. Landgraf, *art. cit.*, 200ss; O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 214

## Cap. 2 (46).

**De statibus hominis et quid de singulis Christus accepit.** Et est hic notandum Christum de omni statu hominis aliquid accepisse, qui omnes  
5 venit salvare<sup>1</sup>. Sunt enim quatuor status hominis: primus ante peccatum, secundus post peccatum et ante gratiam, tertius sub gratia, quartus in gloria. De primo statu accepit immunitatem peccati; unde Augustinus<sup>2</sup>, illud Ioannis evangelistae exponens: *Qui desursum venit, super omnes est*, dicit Christum venisse *desursum*, « id est de altitudine humanae naturae ante peccatum, quia de illa altitudine assumpsit Verbum Dei  
10 humanam naturam, dum non assumpsit culpam, cuius assumpsit poenam ». Sed poenam assumpsit de statu secundo et alios defectus; de tertio vero gratiae plenitudinem; de quarto non posse peccare et Dei perfectam contemplationem. Habuit enim simul bona viae quaedam et bona patriae, sicut et quaedam mala viae.  
15

## DISTINCTIO XVII

## Cap. 1 (47).

**Si omnis Christi oratio vel voluntas impleta sit.** Post praedicta considerari oportet utrum Christus aliquid voluerit vel oraverit, quod factum  
20 non sit. Hoc enim aestimari potest per id quod ipse ait<sup>3</sup>: *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste; verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis*. Hic namque voluntatem suam a Patris voluntate discernere videtur.

21 quod<sup>1</sup>] sicut LRV. || quod<sup>2</sup>] sicut LR. 22 vis om. LRX.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 18, 11: *Venit enim Filius hominis salvare quod perierat*; cf. II Cor. 5, 15: *pro omnibus mortuus est Christus*. <sup>2</sup> *Glossa ordin.* in Ioan. 3, 31 (apud Lyranum, V, 196c); ex Ioan. Scoto Eriug., in h.l. (PL 122, 328 B-C). <sup>3</sup> Matth. 26, 39.

(Guill. de Campellis); et Hugo de S. Victore, *De sacramentis* II, 8, c. 3 (PL 176, 463 B). Forsitan fons invenitur in *Glossa* Alcuini (seu pseudo-Ambrosiastri) in h.l.: « voluntarie, et non necessarie » (PL 100, 1076 C); de qua *Glossa*, cf. Proleg. ad tom. I, p. 80\*.

Cap. 2: De quattuor statibus, cf. Lib. II, d. 25, c. 6 (tom. I, 464), ubi fontes indicantur, et Magister in Rom. 8, 11 (PL 191, 1437 C; ubi rubricam vel commutavit vel male interpretatus est Richardus editor), ex Aug., *De diversis quaestionibus* 83, q. 66, n. 3 (PL 40, 62). Plura inveniuntur apud A. M. Landgraf, *Dogmengeschichte* II-1, 246ss, et 352ss.

Dist. XVII, capp. 1-2: Fons quaestionis, *Summa sent.* I, 17 (PL 171, 1102 C - 1103 A; 176, 76 A-B), quae dependet a libello seu epistola Hugonis, *De quattuor voluntatibus in Christo* (PL 176, 841 B - 846 C). Cf. L. Ott, *Untersuchungen*, 385-404, ubi agitur de Lombardo, 400s.



## Cap. 2 (48).

1. De voluntatibus Christi secundum duas naturas. Quocirca ambigendum non est diversas in Christo fuisse voluntates iuxta duas naturas, divinam scilicet voluntatem et humanam. Et humana voluntas est affectus rationis, vel affectus sensualitatis; et alius est affectus animae secundum rationem, alius secundum sensualitatem; uterque tamen dicitur humana voluntas. Affectu autem rationis id volebat quod voluntate divina, scilicet pati et mori; sed affectu sensualitatis non volebat, immo refugiebat.

2. Non tamen in eo caro contra spiritum vel contra Deum concupiscebat, quia ut ait Augustinus<sup>1</sup>, « non nullum est vitium cum caro concupiscit adversus spiritum<sup>2</sup> ». « Caro<sup>3</sup> autem dicta est concupiscere, quia hoc secundum ipsam agit anima; sicut anima per aurem audit et per oculum videt ». « Caro<sup>4</sup> enim nihil nisi per animam concupiscit; sed concupiscere dicitur, cum anima carnali concupiscentia spiritui reluctatur », habens « carnalem<sup>5</sup> delectationem de carne et a carne adversus delectationem quam spiritus habet ». « Ipsius autem carnalis concupiscentiae causa non est in anima sola, nec in carne sola: ex utroque enim fit, quia sine utroque delectatio talis non sentitur ». Talis igitur rixa talisque concertatio in anima Christi nullatenus esse potuit, quia carnalis concupiscentia ibi esse nequit. Dei etiam voluntas erat, et rationi placebat, ut id secundum carnem vellet, quatenus veritas humanitatis in eo probaretur. Nam qui hominis naturam suscepit, quae ipsius sunt subire debuit.

7 Affectu] Affectus AO. 14 et om. ANO. 21 nequit] nequivit MNTVW.

<sup>1</sup> De civit. Dei, XIX, c. 4, n. 3 (PL 41, 629; CSEL 40-II, 375; CCL 48, 665).  
<sup>2</sup> Gal. 5, 17. <sup>3</sup> August., De Genesi a litt., X, c. 12, n. 21 (PL 34, 416s; CSEL 28-I, 310).  
<sup>4</sup> August., De continentia, c. 8, n. 19 (PL 40, 361; CSEL 41, 163). <sup>5</sup> De Genesi ad litt., X, c. 12, n. 20 (PL 34, 416; CSEL 28-I, 309), ubi et textus immediate sequens.

Cap. 2, num. 1-2: Vide Lomb. Glossam in Ps. 21, 7, quae dependet ab hac quaestione; aliud enim non est, ut nobis videtur, quam quaestionis resumptio Glossae adiuncta occasione lectionis eius publicae (cf. Proleg. ad tom. I, 60\*s). Auctoritates autem Augustini contextae sunt sine rubricis ex Glossa in Gal. 5, 17 (PL 192, 158 B-C); omnes iam inveniuntur apud Florum in h.l. (548s).

3. Ideoque, sicut in nobis duplex est affectus, mentis scilicet et sensualitatis<sup>1</sup>, ita et in eo debuit esse geminus affectus, ut mentis affectu vellet mori, et sensualitatis affectu nollet, sicut in viris sanctis fit. Petro enim ipsa veritas dicit<sup>2</sup>: Cum senueris, extends manus tuas, et alius praecinget te et ducet te quo tu non vis, scilicet ad mortem. Quod exponens Augustinus<sup>3</sup>, dicit quod Petrus « ad illam molestiam nolens est ductus: nolens ad eam venit, sed volens eam vicit; et reliquit affectum infirmitatis quo nemo vult mori, qui adeo est naturalis, ut eum Petro nec senectus abstulerit. Unde etiam Dominus ait<sup>4</sup>: Transeat a me calix iste, sed vicit eum vis amoris ». Ergo et in Christo secundum humanitatem, et in membris eius geminus est affectus: unus rationis, caritate informatus, quo propter Deum quis mori vult; alter sensualitatis, carnis infirmitati propinquus et ideo coniunctus, quo mors refugitur. — Ut enim ait Augustinus<sup>5</sup>, « pius mentis ratione cupit dissolvi et esse cum Christo<sup>6</sup>, sensu autem carnis refugit et recusat ». « Hoc habet humanus affectus: quoniam diligit vitam, odit mortem<sup>7</sup> ». Secundum istum affectum Christus mori noluit; nec obtinuit quod secundum istum affectum petiit.

4. Auctoritatibus probat diversas in Christo voluntates. Ex affectu igitur humano, quem de Virgine traxit, volebat non mori et calicem transire orabat. — Beda\*. Unde Beda<sup>8</sup>: « Orat transire calicem, quia homo est, dicens<sup>9</sup>: Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste. Ecce habes voluntatem humanam expressam. Vide iam rectum cor<sup>10</sup>: Sed non quod ego volo, sed quod tu vis. Unde alibi<sup>11</sup>: Non veni facere voluntatem meam, quam scilicet temporaliter sumpsi de Virgine, sed voluntatem eius qui misit

4 ipsa veritas trp. BLRT. 5 praecinget corr. in cinget N. || praecinget te] te cinget BLMRT. || te<sup>2</sup> om. LRT. 8 qui] quia ABLMX, corr. ex qua T. 10 vicit] vincit LMT, quod corr. T. 13 ideo] et ANOV (et quidem rectius?). 20 Orat] orabat LRV. 21 est] erat OVW, cui add. vel est interl. O. 23 alibi om. AMRTX.

<sup>1</sup> Cf. Lib. 2, d. 24, cc. 3-5, et 13 (tom. I, 452ss, 460). <sup>2</sup> Ioan. 21, 18. <sup>3</sup> In Ioan., tr. 123, n. 5 (PL 35, 1969; CCL 36, 679). <sup>4</sup> Matth. 26, 39. <sup>5</sup> Epist. 150 (ad Honoratum, c. 6, n. 16 (PL 33, 544; CSEL 44, 167). <sup>6</sup> Phil. 1, 23. <sup>7</sup> August., Sermo 344, n. 4 (PL 39, 1514). <sup>8</sup> In Marc. 14, 35-36 (PL 92, 276 B-C; CCL 120, 616). <sup>9</sup> Marc. 14, 35. <sup>10</sup> Marc. 14, 36. <sup>11</sup> Ioan. 6, 38.

Num. 3: Verba Augustini in Ioan. 21, 18, ex Glossa ordin. et interl. in h.l. (apud Lyranum, V, 243v). Quae sequuntur, in fine huius numeri, ex Glossa Magistri in II Cor. 5, 4 (PL 192, 17 C); ex Floro in h.l., 470. — Vide etiam Augustinum supra, Lib. I, d. 48, capp. 1-2 (tom. I, 325s). — Num. 4-5: Auctoritates Bedae et ps.-Hieronymi, ex Glossa ordin. in Marc. 14, 35-38 (apud Lyranum, V, 116b).



me, quam scilicet aeternus habui cum Patre». Hic aperte dicit duas in Christo fuisse voluntates, secundum quas diversa voluit.

5. **Hieronymus** \*. Hieronymus quoque<sup>1</sup> super illum locum: *Spiritus promptus est, caro autem infirma*, dans intelligi hic duas voluntates exprimi, ait ita: «Hoc contra Eutyrianos, qui dicunt in Christo unam tantum voluntatem. Hic autem ostendit humanam, quae propter infirmitatem carnis recusat passionem; et divinam, quae prompta est perficere dispensationem».

6. **Augustinus, Super Psalmum XXXI** \*. Augustinus<sup>2</sup> etiam duas in Christo asserit voluntates, dicens: «Quantum distat Deus ab homine, tantum voluntas Dei a voluntate hominis. Unde hominem gerens, Christus ostendit privatam quandam hominis voluntatem, in qua et suam et nostram figuravit, qui caput nostrum est<sup>3</sup>, et ad eum sicut membra pertinemus. *Pater*, inquit<sup>4</sup>, *si fieri potest, transeat a me calix iste*. Haec humana voluntas erat, proprium aliquid et tamquam privatum vultens. Sed quia rectum vult esse hominem et ad Deum dirigi, subdit: *Non quod ego volo, sed quod tu vis*; ac si diceret: Vide te in me, quia potes aliquid proprium velle, ut Deus aliud velit<sup>5</sup>; conceditur hoc humanae fragilitati». — **Idem, super Psalmum LXXXVIII** \*. Idem alibi<sup>6</sup>: «Christus in passione duas expressit in se voluntates secundum duas naturas. Ait enim<sup>7</sup>: *Pater, si fieri potest, transeat a me calix iste*: ecce habes hominis voluntatem. Quam ad divinam continuo dirigens, ait: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu*».

7. **Ambrosius** \*. Ambrosius etiam in libro III *De Trinitate*<sup>8</sup>: «Scriptum est<sup>9</sup>: *Pater, si possibile est, transfer a me calicem hunc*. Verba

9 XXXI] xxii BX, om. LV. 17 Vide] o homo add. AR (interl.) T. 19 Rubrica om. LRV. || LXXXVIII] lxxviii BX, lxxxviii AT. 20 in se voluntates trp. NOWX. 23 tu] vis add. ALMRV. 24 Ambrosius (rubr.) om. BMRVWX. || etiam om. LRV, interl. T. 25 possibile est] fieri potest BLN (trp.) VW.

<sup>1</sup> Sub nomine Hieron. in *Glossa ordin.*, sed concinnata potius ex Beda, *In Marc.* 14, 38: *Spiritus quidem etc.* (PL 92, 277 B-C; CCL 120, 617s). <sup>2</sup> Rectius *Enarr. II in Ps. 32, 1*, n. 2 (PL 36, 277s; CCL 38, 248). <sup>3</sup> Resp. Eph. 1, 22-23. <sup>4</sup> Matth. 26, 39; Marc. 14, 35. <sup>5</sup> Videsis verba Augustini in *Sent.* I, d. 48, c. 1, n. 2 (I, 325). <sup>6</sup> Rectius *Enarr. in Ps. 93 (LXXXIII)*, 15, n. 19 (PL 37, 1206s, 1208; CCL 39, 1319, 1321). <sup>7</sup> Matth. 26, 39; Marc. 14, 35-36. <sup>8</sup> Rectius *De fide*, II, c. 5, nn. 41-42 (PL 46 [1485], 567 C - 568 A; CSEL 78, 70s). <sup>9</sup> Matth. 26, 39; Marc. 14, 35; Luc. 22, 42.

Num. 6: Prima auctoritas Augustini, ex *Glossa Magistri in Ps. 32, 1* (PL 191, 325 D - 326 C). Alia, ex *Glossa in Ps. 93, 15* (PL 191, 870 D - 871 A).

Christi sunt; sed quo modo et in qua forma dicatur advertete. Hominis substantiam gerit, hominis assumpsit affectum; non ergo quasi Deus, sed quasi homo loquitur». «Suscepit<sup>1</sup> quidem voluntatem meam. Mea est voluntas quam suam dixit cum ait<sup>2</sup>: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis*». «Cum<sup>3</sup> autem dixit<sup>4</sup>: *Omnia quae habet Pater, mea sunt*, quia nihil excipitur, sine dubio quam Pater habet, eandem et Filius habet voluntatem. Eadem est Christi voluntas quae paterna». «Una<sup>5</sup> ergo voluntas est Patris et Filii. Sed alia voluntas hominis, alia Dei: ut scias vitam in voluntate esse hominis, passionem autem Christi in voluntate divina, ut pateretur pro nobis».

8. His testimoniis evidenter docetur in Christo duas fuisse voluntates: quod quia negavit Macarius archiepiscopus<sup>6</sup>, in Metropolitana Synodo condemnatus est. — Et ex affectu humano, sensualitatis quidem, non rationis, illud voluit et petiit, quod non impetravit. Nec ideo petiit, ut impetraret, quia sciebat Deum non esse facturum illud; nec illud fieri volebat affectu rationis vel voluntate divinitatis.

9. **Quare oravit illud** \*. Ad quid ergo petiit? Ut membris formam praerberet, imminente turbatione, clamandi ad Dominum et subiciendi voluntatem suam divinae voluntati; ut si pulsante molestia tristantur, pro eiusdem amotione orent; sed si nequeunt vitare, dicant quod ipse Christus. — **Cassiodorus** \*<sup>7</sup>: «Non ergo *ad insipientiam* fuit, quod Christus clamans non auditur ad salutem corporalem»: bonum quidem petiit, scilicet ut non moreretur; sed melius erat ut moreretur, quod et factum est.

1 dicatur] dicantur VWX, loquatur Ambr. 6 Pater habet trp. AO. 21 Cassiodorus om. LRVW.

1 Ambrosius, *ibid.*, c. 7, n. 53 (570 C; 74). 2 Matth. 26, 39. 3 *Ibid.*, c. 6, n. 51 (570 B; 74). 4 Ioan. 16, 15. 5 *Ibid.*, c. 7, n. 52 (570 B-C; 74). 6 Patriarcha Antiochenus, damnatus in Concilio oecumenico VI (680-681). Cf. eius Fidei professio Concilio oblata, ubi dicit: «totam nostram conspersionem hanc adimpleverit una et singulari voluntate divina, utpote non existente in eo et alia voluntate... Impossibile enim est in uno eodemque Christo Deo nostro duas simul et ad invicem contrarias seu similes existere voluntates» (in B. M. Xiberta, *Enchiridion de Verbo incarnato*, 642); cf. DS, n. 556. 7 *In Ps. 21, 3: et non ad insipientiam mihi* (PL 70, 154 B-D; CCL 97, 191s).

Num. 8: Argumentum ex condemnatione Macarii, ex *Summa sent.* I, 17 (PL 171, 1102 D; 176, 76 A). Reliqua num. 8 et 9 resumuntur in *Glossa Magistri in Ps. 21, 3 et 7* (PL 191, 229 D - 230 B); cf. Proleg. in tom. I, pp. 60\*s.



## Cap. 3 (49).

## 1. De eo quod Ambrosius dicit, Christum dubitasse affectu humano.

Ceterum non parum nos movent verba Ambrosii, quibus significare videtur Christum secundum humanum affectum de potentia Patris dubitasse, sic dicens in III libro *De Trinitate* 1: « De quo dubitat? de se an de 5 Patre? De eo utique cui dicit: *Transfer* 2, dubitat hominis affectu. Nam Deus de Patre non dubitat, nec de morte formidat. Propheta 3 etiam non dubitat, qui nihil Deo esse impossibile asserit. Num intra homines constitues Deum? Propheta non dubitat, et Filium dubitare tu credis? Ut homo ergo dubitat, ut homo locutus est ». His verbis innui videtur quod 10 Christus, non in quantum Deus est vel Dei Filius, sed in quantum homo, dubitaverit affectu humano. — Ex quo sensu illud accipiendum sit \*. Quod ea ratione dictum accipi potest: non quia ipse dubitaverit, sed quia modum gessit dubitantis, et hominibus dubitare videbatur.

## 2. Verba Hilarii longe diversam exprimentia sententiam a praemissa. 15

Illud etiam ignorandum non est, quod Hilarius asserere videtur Christum non sibi, sed suis orasse, cum dixit 4: *Transeat a me* etc., sicut nec sibi, sed suis timuit; nec eum voluisse ut sibi non esset passio, sed ut a suis transiret calix passionis, ita inquit 5: « Si passio honorificatura eum erat, sicut Iuda exeunte ait 6: *Nunc honorificatus est Filius hominis*, 20 quomodo tristem eum metus passionis effecerat? Nisi forte tam irrationabilis fuerit, ut pati mortem timuerit, quae patientem se glorificatura esset? Sed forte timuisse usque eo aestimabitur, ut transferri a se calicem deprecatus sit dicens 7: *Pater, transfer calicem hunc a me?* Quomodo enim per patiendi metum transferri deprecaretur a se, quod per dispensationis studium festinaret implere 8? Non enim convenit ut pati nolit,

3 Ceterum] Verumtamen AL. 10 homo ergo *trp.* BLOR. 12 Rubrica om. ARW. 17 me] calix iste *add.* V, calix *add. marg.* X. || etc.] calix iste BLR. 22 mortem om. BMRWX Hil., *add. interl.* N, *add. marg.* T. 23 eo] adeo LORX, vel adeo *add. interl.* V.

1 Scilicet *De fide*, II, c. 5, nn. 43 et 42 (PL 16 [1845], 568 A-B; CSEL 78, 71). 2 Marc. 14, 36; Luc. 22, 42. 3 In num. 42 scribit Ambrosius: « Aut aliquid impossibile Deo, cum scriptum sit: *Impossibile enim tibi nihil est?* » Pp. Maurini sese referunt ad Iob 22, 17 (ed. Venetiis 1751, III, col. 606); moderniores, minus recte ad Iob 10, 13, et aptius ad 42, 2: *Scio quia omnia potes, et nulla te latet cogitatio*. Cf. Dan. 4, 6: *omne sacramentum non est impossibile tibi* (sed hic Daniele alloquitur rex). 4 Matth. 26, 39. 5 In libro X *De Trinitate* (rubr.), nn. 29-30 (PL 10, 368 B-369 A). 6 Ioan. 13, 31. 7 Marc. 14, 36. 8 Resp. Ioan. 13, 27: *Quod facis, fac citius*.

quod pati velit; et cum pati eum velle cognosceres, religiosius fuerat hoc confiteri, quam ad id impiae stultitiae prorumpere, ut eum assereres ne pateretur orasse, quem pati velle cognosceres. « Non 1 ergo sibi tristis neque sibi orat transire calicem, sed discipulis, ne in eos calix passionis 5 incumbat, quem a se transire orat, ne in his scilicet maneat ». « Non 2 enim rogat ne secum sit, sed ut a se *transeat*. Deinde ait: *Non sicut ego volo, sed sicut tu vis*: humanae in se sollicitudinis significans consortium, sed non discernens sententiam sibi communis cum Patre voluntatis ». « Pro 3 hominibus ergo vult transire calicem, per quem omnes tentandi 10 erant discipuli; et ideo pro Petro rogatur 4 *ne deficiat fides eius* ». « Sciens 5 igitur haec omnia post mortem suam desitura, *usque ad mortem* tristis est 6. Et scit hunc calicem non posse transire nisi biberit; ideo ait 7: *Pater mi, si non potest transire calix iste nisi bibam illum, fiat voluntas tua*: sciens in se consummata passione, metum calicis transiturum; qui nisi eum 15 bibisset, transire non posset, nec finis terroris nisi consummata passione terrori succederet, quia post mortem eius per virtutum gloriam apostolicae infirmitatis scandalum pelleretur ». — Intende, lector, his verbis pia diligentia, ne sint tibi *vasa mortis* 8.

## DISTINCTIO XVIII

## Cap. 1 (50).

1. Si Christus meruit sibi et nobis, et quid sibi et quid nobis. De merito etiam Christi praetereundum non est, de quo quidam dicere solent quod non sibi, sed membris tantum meruerit.

1 fuerat hoc *trp.* BLX. 14 in se consummata *trp.* BLRT Hil. 17-18 diligentia] intelligentia AV. 23 meruerit] meruit ALR.

1 Hilarius, *ibid.*, n. 37 (PL 10, 373 B); resp. Matth. 26, 39. 2 *Ibid.* (372 C-373 A). 3 *Ibid.*, n. 38 (373 C-374 A). 4 Resp. Luc. 22, 32. 5 *Ibid.*, n. 39 (374 A-B). 6 Matth. 26, 38. 7 Matth. 26, 42. 8 Resp. Ps. 7, 14: *Et in eo paravit vasa mortis*; vide *Glossam* Magistri in h.l. (PL 191, 117 D et 118 A); ex Augustino in h.l. (PL 36, 106; CCL 38, 46).

Num. 1: Quaestio introducitur verbis Hugonis, *De sacramentis* II, 1, c. 6 (PL 176, 384 B). De merito Christi et de illis qui dicere solebant quod Christus membris tantum meruerit, cf. A. M. Landgraf, *Das Verdienst Christi*, in *Collectanea Franciscana* 21 (1951) 5-44, et 121-162; et in *Dogmengeschichte* 11-2, 170-253.



2. Meruit quidem membris redemptionem a diabolo, a peccato, a poena<sup>1</sup>, et regni resurrectionem<sup>2</sup>, ut amota ignea rhompaea<sup>3</sup> libere pateret introitus. Sed et sibi meruit impassibilitatis et immortalitatis gloriam, sicut ait Apostolus<sup>4</sup>: *Christus factus est pro nobis obediens usque ad mortem, mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*. Aperte dicit Apostolus Christum propterea exaltatum per impassibilitatis gloriam, quia est humiliatus per passionis obedientiam. Humilitas ergo passionis meritum fuit exaltationis, et exaltatio praemium humilitatis.

3. **Augustinus, Super Ioannem** \*. Unde Augustinus<sup>5</sup> exponens praemissum capitulum ait: « Ut Christus resurrectione clarificaretur, prius humiliatus est passione: humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est praemium. Sed hoc totum factum est in forma servi<sup>6</sup>: in forma enim Dei semper fuit et erit claritas ». — **Ambrosius** \*. Item Ambrosius<sup>7</sup> idem capitulum tractans ait: « Quid et quantum humilitas mereatur, hic ostenditur ».

4. **Quod meruit etiam animae impassibilitatem** \*. His testimoniis evidens fit quod Christus per humilitatem et obedientiam passionis meruit clarificationem corporis; nec id solum, sed etiam impassibilitatem animae. Anima enim ipsius ante mortem erat passibilis, sicut caro mortalis; sed post mortem, merito humilitatis, et anima impassibilis facta est et caro immortalis.

5. **Quando anima Christi sit facta impassibilis** \*. Utrum autem anima sit facta impassibilis quando caro facta est immortalis, scilicet ipso resurrectionis momento, de auctoritate nobis certum non est; sed vel mox post carnis separationem anima impassibilitate donata est, aut in resurrectione quando *caro refluuit*<sup>8</sup>.

5-6 donavit] dedit BM. 6-7 Christum propterea *trp.* LRX. 10 Rubrica om. LRVW. 17 Rubrica om. LRVW. 23 Quando] An BX, Quod LNV.

<sup>1</sup> De his infra, Dist. 19. <sup>2</sup> De hoc infra, c. 5, n. 2. <sup>3</sup> De qua Gen. 3, 24, et Apoc. 2, 12; cf. Lib. II, d. 29, c. 5 (tom. I, 494s). <sup>4</sup> Phil. 2, 8-9. <sup>5</sup> In Ioan., tr. 104, n. 3 (PL 35, 1903; CCL 36, 603). <sup>6</sup> Resp. Phil. 2, 6-7. <sup>7</sup> Id est Ambrosiaster in Phil. 2, 9 (PL 17 [1845], 409 D; CSEL 81-III, 142). <sup>8</sup> Resp. Ps. 27, 7: *Et refluuit caro mea*. Cf. *Glossa interl.* in h.l.: « in resurrectione » (cod. Laurent. Pl. XVII, 4, f. 32v; apud Lyranum, III, 123r; apud Magistrum in h.l., PL 191, 281 B).

Num. 2: conficitur est *Summa sententiarum* I, 18 (PL 171, 1104 A; 176, 77 B) et Hugonis *De Sacramentis*, loc. cit. (PL 176, 384 D). — Num. 3 Auctoritates ex *Glossa Magistri* in Phil. 2, 9 (PL 192, 236 A-B); illa Augustini ex Floro in h.l. (*ed. cit.*, 625). — Num. 4-5: cf. *Summa sent.*, ubi supra, parum infra.

## Cap. 2 (51).

1. **Quod a conceptu meruit Christus sibi haec quae per passionem**. Nec solum haec meruit Christus quando Patri obediens crucem subiit, sed etiam ab ipsa conceptione. Ex quo homo factus est, per caritatem et iustitiam et alias virtutes, in quarum plenitudine fuit secundum hominem conditus, sibi tantum meruit quantum post per martyrii tolerantiam. Tanta enim plenitudo spiritualium charismatum in eo fuit, quod in eis proficere non potuit<sup>1</sup>; et ideo melior ipsius anima fieri non potuit quam ab initio suae conditionis exstitit, quia proficere in meritis non valuit. Ut enim Gregorius ait<sup>2</sup>, « non habuit omnino Christus, iuxta animae meritum, quo potuisset proficere; in membris autem quae nos sumus quotidie proficit ». — Non ergo plus meruit sibi per crucis patibulum, quam a conceptione meruit per gratiam virtutum. Non igitur profecit secundum animae meritum, quantum ad virtutem meriti. Profecit tamen quantum ad numerum meritorum. Plura enim habuit merita in passione quam in conceptione; sed maioris virtutis non exstiterunt in merendo plura, quam ante fuerant pauciora.

2. Meruit ergo a conceptione non modo gloriam impassibilitatis et immortalitatis corporis, sed etiam impassibilitatem animae. Per quid? Per obedientiam et voluntatem perfectam, quam non tunc primum habuit nec maiorem, cum pati coepit et mori: obediens enim perfecte et bonus exstitit secundum hominem ex quo fuit homo.

3. Habuit igitur anima illa aliquod bonum in se post mortem, quod non habuit ante. Non igitur melior vel beatior fuit quam ante? Absit quod melior fuerit, quia non sanctior, non gratia cumulior. Nec etiam

3 haec] hoc LRWX. 17 ante om. AMRWX. 24 Non] Numquid BR, Num MNVWX.

<sup>1</sup> Vide supra, Dist. 13, nn. 3 et 5. <sup>2</sup> Non obstante rubrica marginali *Gregorius Super Exodum*, revera est *Glossa ordinaria* in Exod. 25, 31: « Christus ex conceptione et nativitate perfectus Deus et homo exstitit... et secundum corpus per passionis contumelias ad immortalitatem profecit. Nam iuxta animae meritum, quo potuisset proficere omnino non habuit. In membris autem quae nos sumus quotidie passionibus proficit » (apud Lyranum, I, 178c); ex Gregorio, *In Ezech.* I, hom. 6, n. 8 (PL 76, 831 D - 832 A; CCL 142, 71).

Cap. 2: Cf. Hugo, *De sacram.*, II, 1, 6 (PL 176, 385 D - 386 A, 388 C - 389 A); *Summa sent.*, I, 18 (PL 171, 1402 B-D; 176, 77 C-D); necnon et A. M. Landgraf, *Das Verdienst Christi*, 212.



beatior fuit in Dei contemplatione, in quo praecipue beatitudo consistit. Potest tamen dici in hoc fuisse beatior, quia ab omni miseria immunis; ex quo nequit inferri simpliciter quod beatior fuerit.

Cap. 3 (52).

1. **De eo quod scriptum est: Donavit illi nomen quod est super omne nomen.** Nec tantum gloriam impassibilitatis et immortalitatis meruit, sed etiam donari sibi *nomen quod est super omne nomen*<sup>1</sup>, scilicet honorificentiam quod vocatur Deus. Hoc tamen nomen ante mortem habuit: habuit enim hoc nomen Dei Filius in quantum Deus est ab aeterno per naturam; in quantum vero homo factus est, habuit ex tempore per gratiam.

2. **Augustinus in libro contra Maximinum: Quod nomen illud datum est homini, et non Deo.** Verumtamen Augustinus dicit<sup>2</sup> « homini donatum esse illud nomen, non Deo, quia illud nomen habuit cum in forma Dei tantum erat. Sed cum dicitur<sup>3</sup>: *Propter quod illum exaltavit, et donavit illi nomen quod est super omne nomen*, satis apparet propter quid exaltaverit, id est propter obedientiam; et in qua forma exaltatus sit: in qua enim forma crucifixus est, in ea exaltatus est, et in ea donatum est ei nomen, ut cum ipsa forma servi nominetur unigenitus Filius Dei ». « Hoc<sup>4</sup> illi donatum est ut homini, quod iam habebat idem ipse Deus ». Hoc igitur per gratiam accepit, ut ipse, ens homo vel subsistens in forma servi, id est in anima et carne, nominetur et sit Deus.

3. **Ex quo sensu id accipiendum sit.** Sed numquid hoc meruit? Supra enim dictum est<sup>5</sup> quia hoc tantum bonum homo ille non meruit. Quomodo ergo hic dicitur 'propter obedientiam donatum est ei hoc no-

<sup>1</sup> Aug... Maximum om. RVW. || in libro om. BT.      <sup>11-12</sup> Quod... Deo om. MRVW.  
<sup>23</sup> meruit] meruerit OW.      <sup>24</sup> est] esse N, om. AMTWX.

<sup>1</sup> Resp. Phil. 2, 9; et *Glossa interl.* in h.l.: « Honorificentiam quod vocatur Deus » (apud Lyranum, VI, 100r; cod. I f. 131v, m 122v).      <sup>2</sup> *Contra Maximinum*, I, c. 5 (PL 42, 747).  
<sup>3</sup> Phil. 2, 9.      <sup>4</sup> August., *ibid.*, II, c. 2 (PL 42, 760).      <sup>5</sup> In Dist. 6, c. 2, nn. 4, 6-7.

Cap. 3 dependet ut in pluribus a *Glossa* Magistri in Phil. 2, 9 (PL 192, 236 B - 238 B); quae mixtim conficitur ex *Expositione* Flori Lugd. (*ed. cit.* col. 625s), *Glossa ordinaria* (cf. A. M. Landgraf, *Das Verdienst Christi*, 213, n. 153; et melius, infra, ad num. 3), et *Glossa* Gilberti (*ed. V. Miano, Il commento alle lettere di S. Paolo di G. Porretano, in Scholastica ratione historico-critica instauranda*, Romae 1951, 194s). — Num. 1-2: Ex *Glossa* Magistri, ut supra (PL 236 C-D, 238 B). — Num. 3: De tropo cf. *Glossa* in Phil. 2, 9, et in Hebr. 1, 5 (PL 192, 236 C, et 408 D).

men' ? — Secundum tropum illum, in Scriptura creberrimum, hoc accipiendum est, quo dicitur res fieri quando innotescit. « Post<sup>1</sup> resurrectionem vero quod ante erat in evidenti positum est, ut scirent homines et daemones ». Manifestationem ergo illius nominis donavit illi Deus post resurrectionem, sed illam meruit per obedientiam passionis: qui eo quod obediuit patiendo, exaltatus est resurgendo, et per hoc manifestatum est nomen. — Hoc eodem tropo usus est etiam post resurrectionem dicens<sup>2</sup>: *Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra*: non quod tunc primo acceperit, sed quam ante habebat, tunc manifestata est potestas.

4. **Ambrosius: quod datum fuit Deo, non homini.** Ceterum Ambrosius<sup>3</sup> dicit nomen illud donatum esse Deo, non homini; et videtur secus verborum superficiem oppositus Augustino. Sed intelligentia non obviat, licet diversum sapiat. Nam Ambrosius de naturali donatione id dictum intelligit, qua aeternaliter Pater generando dedit Filio *nomen quod est super omne nomen*, scilicet esse Deum per naturam, quia genuit ab aeterno Filium plenum et sibi aequalem Deum. Quod tamen nomen Apostolus propter passionis obedientiam Christo donatum dicit; sed praemisso locutionis modo<sup>4</sup> accipiendum est.

Cap. 4 (53).

1. **Si Christus sine omni merito illa habere potuit.** Si vero quaeritur utrum Christus illam immortalitatis et impassibilitatis gloriam, et nominis Dei manifestationem, sine omni merito habere potuerit, sane dici potest quia humanam naturam ita gloriosam suscipere potuit sicut in resurrectione exstitit, nomenque suum et aliter hominibus manifestare potuit; sed homo passibilis esse non potuit, sicut fuit, et ad illam gloriam sine merito pervenire.

<sup>4</sup> illi] ei ANOT.      <sup>5</sup> qui] in *add.* ABLR.      <sup>6</sup> manifestatum] manifestum  
ABLMV, *corr.* ex manifestum N(mg.)R<sup>2</sup> (*interl.*).      <sup>7</sup> tropo] dominus *add.* NOV.  
<sup>10</sup> Deo] et *add.* LTV.      <sup>22</sup> potuerit] potuit LR, *corr.* in potuit V.

<sup>1</sup> Ita *Glossa ordin.* in Phil. 2, 9 (apud Lyranum, VI, 100a; cod. I 131c, m 122c).  
<sup>2</sup> Matth. 28, 18.      <sup>3</sup> Id est Ambrosiaster, *In Phil.* 2, 9 (PL 17 [1845], 410 A - 411 D; CSEL 81-III, 142s).      <sup>4</sup> Id est, secundum tropum quo res dicitur fieri quando innotescit.

Num. 4: De interpretatione Ambrosii seu Ambrosiastri, cf. *Glossa* in Phil. 2, 9 (PL 192, 237 C, 238 B).

Cap. 4, ni fallimur, synopsis haberi potest quaestionis Hugonis, in *De sacram.*, II, 1, 6 (PL 176, 384 B - 386 C).



2. Potuit quidem pervenire ad illam sine merito passionis, quia potuit, consumpta mortalitate, immortalitatis gloria vestiri; sed non sine merito iustitiae et caritatis, aliarumque virtutum. Non enim Christus homo esse potuit, in quo plenitudo virtutum et gratiae non fuerit; nec virtutes ei inesse potuerunt, cilicio mortalitatis induto<sup>1</sup>, quin per eas mereretur.<sup>5</sup> Habens igitur has virtutes secundum hominem passibilem ac mortalem, non potuit non mereri gloriam immortalitatis. Non igitur potuit, factus mortalis, sine merito gloriam impassibilitatis et immortalitatis ac manifestationem Dei nominis consequi. Potuit tamen haec assequi sine merito passionis, quia per passionem nil sibi meruit, quod non ante per<sup>10</sup> virtutes meruerit.

Cap. 5 (54).

1. **De causa mortis et passionis Christi.** Ad quid ergo voluit pati et mori, si ei virtutes ad merendum illa sufficiebant? Pro te, non pro se. Quomodo pro me? Ut ipsius passio et mors tibi esset forma et causa<sup>2</sup>:<sup>15</sup> forma virtutis et humilitatis, causa gloriae et libertatis<sup>3</sup>; forma Deo usque ad mortem obediendi<sup>4</sup>, et causa tuae liberationis ac beatitudinis. Meruit enim nobis per mortis ac passionis tolerantiam quod per praecedentia non meruerat, scilicet aditum paradisi et redemptionem a peccato, a poena, a diabolo<sup>5</sup>. Et per mortem eius haec nos adepti sumus, scilicet<sup>20</sup> redemptionem et filiorum gloriae adoptionem<sup>6</sup>. Ipse enim moriendo factus est hostia nostrae liberationis.

2. **Qualiter per mortem nos redemit et aditum regni aperuit, et prius de apertione aditus\*.** Sed quomodo per mortem nos a diabolo et a peccato redemit et aditum gloriae aperuit? Decreverat Deus «in mysterio», ut<sup>25</sup> ait Ambrosius<sup>7</sup>, propter primum peccatum non intromitti hominem in paradysum, id est ad Dei contemplationem non admitti, nisi in uno homine tanta existeret humilitas, quae omnibus suis sufficere posset;

23-24 Rubrica om. ANW. || et<sup>2</sup>... aditus om. LR. 28 homine] hominum ABMTW, vel -um add. interl. N. || suis] satis B, om. LR, sufficere et add. mg. V. || sufficere] proficere AMTV, vel suf- add. interl. T.

<sup>1</sup> Glossa interl. in Ps. 34, 13: *Induebar cilicio: «carne mortali»* (apud Lyranum, III, 134r; cod. Laurent. Pl. XVII.4, f. 42r); in *Glossa Magistri* in h.l. (PL 191, 351C). <sup>2</sup> Cf. *Glossa Magistri* in Rom. 6, 4 (PL 191, 1403 A-D). <sup>3</sup> Resp. Ioan. 8, 36. <sup>4</sup> Phil. 2, 8. <sup>5</sup> Resp. Col. 1, 13-14; Hebr. 5, 9. <sup>6</sup> Resp. Rom. 8, 15; Gal. 4, 5. <sup>7</sup> Ambrosiaster, *In Rom.* 5, 14: «Adam autem ideo forma futuri est, quia iam tum in mysterio decrevit Deus per unum Christum emendare, quod per unum Adam peccatum erat» (PL 17 [1845], 96 C; CSEL 81-1, 178s). Cf. *Glossa Lombardi* in Rom. 5, 14 et 15 (PL 191, 1392 B, 1393 B).

sicut in primo homine tanta fuit superbia, quae omnibus suis nocuit. Non est autem inventus inter homines aliquis, quo id posset impleri, nisi *leo de tribu Iuda*<sup>1</sup>, qui aperuit *librum* et solvit *signacula* implendo in se *omnem iustitiam*<sup>2</sup>, id est consummatissimam humilitatem qua maior esse non potest. Nam alii homines debitores erant, et vix unicuique sua virtus sufficiebat et humilitas. Nullus ergo eorum hostiam poterat offerre sufficientem nostrae reconciliationi. Sed Christus homo sufficiens et perfecta fuit hostia, qui multo amplius est humiliatus amaritudinem mortis gustando<sup>3</sup>, quam ille Adam superbiit per esum ligni vetiti noxia delectatione perfruendo<sup>4</sup>. Si igitur illius superbia omnium exstitit ruina, ipsum de paradiso mittens foras aliisque accludens ianuam<sup>5</sup>, multo magis Christi humilitas, qua mortem gustavit, ingressum regni caelestis omnibus suis, impleto Dei decreto, aperire valuit, atque *decreti delere chirographum*<sup>6</sup>.

3. **Ambrosius super epistolam ad Hebraeos\*.** Ut enim ait Ambrosius<sup>7</sup>, «tantum fuit peccatum nostrum, ut salvari non possemus, nisi unigenitus Dei Filius pro nobis moreretur debitoribus mortis; sed sic dignos nos fecit testamenti et promissae hereditatis». — Quod non ita est intelligendum, quasi non alio modo salvare nos potuerit quam per mortem suam, sed quod per aliam hostiam non potuit nobis aperiri regni<sup>20</sup> aditus et fieri salus, nisi per mortem Unigeniti: cuius tanta fuit, ut dictum est, humilitas et patientia, ut eius merito pateret credentibus in eum aditus regni. Magna ergo in morte Unigeniti praestita sunt nobis, ut liceat nobis redire in patriam; sicut olim in morte summi pontificis, his qui ad civi-

2 quo... impleri] qui... implere LR. 5 homines] omnes BMTW, vel omnes add. interl. N. 14 Rubrica om. RVW. || Hebraeos] romanos ALOT (ed. 1<sup>a</sup>?).

<sup>1</sup> Apoc. 5, 5. <sup>2</sup> Resp. Matth. 3, 15; *Glossa ordin.* in h.l.: «*Omnem iustitiam*, id est humilitatem, quae est omnis iustitia. Et perfecta humilitas habet tres gradus: primus est subdere se maiori et se non praeferre aequali: hic vocatur sufficiens... et iste gradus omni iusto est necessarius. Secundus gradus est subdere se aequali nec praeferre se minori: hic dicitur abundans. Tertius est subesse minori, in quo est omnis iustitia. Hunc Christus implevit» (apud Lyranum, V, 15a). <sup>3</sup> Resp. Hebr. 2, 9: *Ut... pro omnibus gustaret mortem»;* *Glossa interl.* in h.l.: «quia amara» (apud Lyranum, VI, 137v; 1 188r, m 167v). <sup>4</sup> Resp. Gen. 3, 6. <sup>5</sup> Resp. Gen. 3, 23-24. <sup>6</sup> Col. 2, 14. <sup>7</sup> Ambrosiaster (scilicet Alcuinus), *In Hebr.* 9, 15 (PL 100, 1074 A); remote ex Chrysost. in h.l., hom. 16, n. 1 (PG 63, 124); de quo commentario cf. Proleg. ad tom. I, p. 80\*.

Num. 3: Verba Ambrosiastri seu Alcuini, ex *Glossa Magistri* in Hebr. 9, 15 (PL 192, 474 B); sed unde quae sequuntur, nescimus, praeter quaedam in Rom. 5, 8 (PL 191, 1384 D) quae prolixius offeruntur infra in Dist. 20, cap. 1.



tatem refugii confugerant, secure ad propria remeare <sup>1</sup>. — Ecce aliquatenus ostensum est qualiter per Christi mortem aditus regni sit nobis paratus.

## DISTINCTIO XIX

## Cap. 1 (55).

5

1. **Hic qualiter a diabolo et a peccato redemit per mortem.** Nunc igitur quaeramus quomodo per mortem ipsius a diabolo et a peccato et a poena redempti sumus. — A diabolo igitur et a peccato per Christi mortem liberati sumus, quia ut ait Apostolus <sup>2</sup>, *in sanguine ipsius iustificati* sumus; et in eo quod sumus iustificati, id est a peccatis soluti, a <sup>10</sup> diabolo sumus liberati, qui nos vinculis peccatorum tenebat.

2. **Quaestio** \*. Sed quomodo a peccatis per eius mortem soluti sumus? — **Solutio** \*. Quia per eius mortem, ut ait Apostolus <sup>3</sup>, commendatur nobis caritas Dei, id est apparet eximia et commendabilis caritas Dei <sup>15</sup> erga nos, in hoc quod Filium suum tradidit in mortem <sup>4</sup> pro nobis peccatoribus. Exhibita autem tantae erga nos dilectionis arrha, et nos movemur accendimurque ad diligendum Deum, qui pro nobis tantum fecit; et per hoc iustificamur, id est soluti a peccatis, iusti efficimur. Mors igitur Christi nos iustificat, dum per eam caritas excitatur in cordibus nostris <sup>5</sup>.

3. Dicimur quoque et aliter per mortem Christi iustificari: quia per <sup>20</sup> fidem mortis eius a peccatis mundamur. Unde Apostolus <sup>6</sup>: *Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi*; et item <sup>7</sup>: *Quem proposuit Deus propitiatorem*

12-13 Quaestio... Solutio (rubr.) om. LNRVW.

<sup>1</sup> Resp. Num. 35, 25 et 28; necnon et Iosue 20, 6.    <sup>2</sup> Rom. 5, 9.    <sup>3</sup> Rom. 5, 8.  
<sup>4</sup> Resp. Rom. 8, 32.    <sup>5</sup> Cf. Glossa Magistri in Rom. 6, 3-5 (PL 191, 1403 B-D); in parte ex August., *Enchiridion*, c. 53 (PL 40, 257; CCL 46, 78), et in fine ex fragmento *Sermonis de resurrectione Domini* (PL 39, 1724).    <sup>6</sup> Rom. 3, 22.    <sup>7</sup> Rom. 3, 25; Glossa interl. in h.l.: *per fidem « passionis »* (apud Lyranum VI, 9v; l 7c, m 7c).

Dist. XIX-XX: Videsis analysim quaestionum necnon et historiam earumdem apud D. E. DeClerck, *Questions de sotériologie médiévale*, in *Rech. de théol. anc. et médiévale*, 13 (1946), 150-184; 14 (1947), 32-64, ubi pressius agitur de doctrina Magistri, 45-47; non inutile invenietur opusculum (posthumum) J. Rivière, *Le dogme de la Rédemption au xii<sup>e</sup> siècle d'après les dernières publications*, in *Revue du moyen âge latin*, 2 (1946), 100-112, 219-230. — Cap. 1, num. 2: Cf. Joh. Schupp, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus*, Freiburg im Br. 1932, 174-175. — Num. 3: Cf. Magister in Rom. 3, 25, necnon et in 6, 6-8 (PL 191, 1362 A; 1404 B - 1405 D); et parum infra, ad auctoritatem Augustini, in Col. 2, 14 (PL 192, 275 B).

*per fidem in sanguine ipsius*, id est « per fidem passionis »; ut olim aspicientes in serpentem aeneum in ligno erectum, a morsibus serpentum sanabantur <sup>1</sup>. Si ergo rectae fidei intuitu in illum respicimus qui pro nobis pendit in ligno <sup>2</sup>, a vinculis diaboli solvimur, id est a peccatis. Et ita <sup>5</sup> a diabolo liberamur, ut nec post hanc vitam in nobis inveniat quod puniat. — **Augustinus** \*: « Morte <sup>3</sup> quippe sua, uno verissimo sacrificio, quidquid culparum erat, unde nos diabolus ad luenda supplicia detinebat, Christus exstinxit », ut in hac vita tentando nobis non praevaleat. Licet enim nos tentet post Christi mortem quibus modis ante tentabat, non tamen <sup>10</sup> vincere potest sicut ante vincebat. Nam Petrus, qui ante Christi mortem voce ancillae territus negavit <sup>4</sup>, post mortem ante reges et praesides ductus non cessit <sup>5</sup>. Quare? Quia *fortior*, id est Christus, veniens *in domum fortis* <sup>6</sup>, id est in corda nostra ubi diabolus habitabat, *alligavit fortem*, id est a seductione compescuit fidelium, ut tentationem quae ei adhuc <sup>15</sup> permittitur non sequatur seductio.

4. **Augustinus, De agone christiano** \*. Itaque in Christi sanguine, qui solvit quae non rapuit <sup>7</sup>, redempti sumus a peccato, et per hoc a diabolo. Nam, ut ait Augustinus <sup>8</sup>, in ipso « vincuntur inimicae nobis invisibiles potestates, ubi vincuntur invisibiles cupiditates ». — **Augustinus** <sup>20</sup> **in libro De baptismo parvulorum**. « Fuso <sup>9</sup> enim sanguine sine culpa, omnium culparum chirographa deleta sunt, quibus debitores qui in eum credunt a diabolo ante tenebantur; unde <sup>10</sup>: *Qui pro multis effundetur* ».

1 sanguine] sanguinem NO.    6 quippe sua *trp.* MT Aug. || uno verissimo] in novissimo M.    7 nos om. OX.    8 ut] ideo B, et MOR, *quod corr.* O. || praevaleat] prevalet B.    16 Rubrica om. BORTVWX.    19-20 Rubrica om. ALR; in aliis ponitur ad initium n. 5.    22 ante om. LOR, *interl.* N.

<sup>1</sup> Resp. Num. 21, 9; Ioan. 3, 14-15: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto... ut omnis qui credit in ipsum etc.*; Glossa interl. in h.l.: « id est vera fide intuetur in ipsum » (apud Lyranum, V, 195v); et August., *In Ioann.*, tr. 12, n. 11: « Quomodo qui intuebantur illum serpentem, non peribant morsibus serpentum; sic qui intuentur fide mortem Christi, sanantur a morsibus peccatorum » (PL 35, 1490; CCL 36, 127).    <sup>2</sup> Resp. Gal. 3, 13.    <sup>3</sup> *De Trinit.*, IV, c. 13, n. 17 (PL 42, 899; CCL 50, 183).    <sup>4</sup> Resp. Marc. 14, 66-72; Luc. 22, 56-60.    <sup>5</sup> Resp. Matth. 10, 18; Act. 5, 27-29.    <sup>6</sup> Resp. Luc. 11, 22 (*fortior*) et Matth. 12, 29; Glossa interl. in ult. loc.: *alligaverit fortem*: « a seductione electorum compescuerit » (apud Lyranum, V, 42r).    <sup>7</sup> Ps. 68, 5: *Quae non rapui, tunc exsolvebam*; Glossa interlin. in h.l.: « Hoc est gratis: non peccavi, et poenas dedi » (apud Lyran., III, 180v; cod. Florent. Pl. XVII, 4, f. 85v).    <sup>8</sup> Cap. 2, n. 2 (PL 40, 291; CSEL 41, 103).    <sup>9</sup> August., *De pecc. meritis seu de bapt. parvulorum*, II, c. 30, n. 49 (PL 44, 180s; CSEL 60, 120); de chirographis: Col. 2, 14.    <sup>10</sup> Matth. 26, 28.

Num. 4: Verba Augustini, in Glossa in Col. 2, 15 (PL 192, 276 B-C).



5. **Augustinus in libro De baptismo parvulorum** \*. Per illum ergo redempti sumus, in quo princeps mundi nihil invenit<sup>1</sup>. Unde Augustinus<sup>2</sup>, causam et modum nostrae redemptionis insinuans, ait: « Nihil invenit diabolus in Christo ut moreretur, sed pro voluntate Patris mori Christus voluit; non habens mortis causam de peccato, sed de obedientia<sup>5</sup> et iustitia mortem gustavit; per quam nos redemit a servitute diaboli ». « Incideramus<sup>3</sup> enim in principem huius saeculi, qui seduxit Adam et servum fecit, coepitque nos quasi vernaculos possidere. Sed venit Redemptor, et victus est deceptor. Et quid fecit Redemptor captivatori nostro? Tetendit ei muscipulam, crucem suam; posuit ibi quasi escam, sanguinem suum. Ille autem sanguinem fudit non debitoris, per quod recessit a debitoribus. Ille quippe ad hoc sanguinem suum fudit, ut peccata nostra deleteret. Unde ergo diabolus nos tenebat, deletum est sanguine Redemptoris: non enim tenebat nos nisi vinculis peccatorum nostrorum<sup>4</sup>. Istae erant catenae captivorum. Venit ille, *alligavit fortem*<sup>5</sup> vinculis passionis suae; intravit *in domum eius*, id est in corda eorum ubi ipse habitabat, et *vasa eius*, scilicet nos, eripuit; quae ille impleverat amaritudine sua. Deus autem noster, vasa eius eripiens et sua faciens, fudit amaritudinem et implevit dulcedine », per mortem suam a peccatis redimens et adoptionem gloriae filiorum largiens.

## Cap. 2 (56).

**Cur Deus homo et mortuus.** Factus est igitur homo mortalis, ut moriendo diabolus vinceret. « Nisi<sup>6</sup> enim homo esset qui diabolus vinceret, non iuste, sed violenter homo ei tolli videretur, qui se illi sponte subiecit;

4 mori *trp. p.* voluit A. 4-5 mori Christus *trp.* BLN. 12 debitoribus] id est hominibus *add. BR (interl.)*.

<sup>1</sup> Resp. Ioan. 14, 30. <sup>2</sup> *De peccat. meritis* etc., II, c. 31, n. 51 (PL 44, 181s; CSEL 60, 121s). <sup>3</sup> August., *Sermo 130*, n. 2 (PL 38, 726s); cf. etiam *Sermo 263*, n. 1 (2) (PL 38, 1210; PLS 2, 593). <sup>4</sup> Cf. Prov. 5, 22; et II Tim. 2, 25-26. <sup>5</sup> Matth. 12, 29. <sup>6</sup> Vide *Glossam ordin.* in Hebr. 2, 11 (apud Lyranum, VI, 137c; cod. m, f. 167c).

Num. 5: Verba Augustini, non sine quadam paraphrasi (ut apparet tam ex originali quam ex opere Flori in h.l., 778-779), iam in *Glossa* in Hebr. 2, 14 (PL 192, 421 B-D). Videsis etiam Sermonem 4 nostri Magistri (PL 171, 385 A). De « muscipula », cf. J. Rivière, « *Muscipula diaboli* ». *Origine et sens d'une image augustiniennne*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 1 (1929) 484ss.

Cap. 2: Omnia usque ad *cecidisse*, in *Glossa Magistri* in Hebr. 2, 14 (PL 192, 421 D), ubi et reliqua saltem ad sensum; ex *Glossa ordin.*, uti supra notatur.

sed si eum homo vicit, iure manifesto hominem perdit. Et ut homo vincat, necesse est ut Deus in eo sit, qui eum a peccatis immunem faciat. Si enim per se homo esset, vel angelus in homine, facile peccaret, cum utramque naturam per se constet cecidisse ». Ideo Dei Filius hominem passibilem<sup>5</sup> sumpsit, in quo et mortem gustavit<sup>1</sup>; quo caelum nobis aperuit et a servitute diaboli, id est a peccato: servitus enim diaboli peccatum est<sup>2</sup>, et a poena redemit.

## Cap. 3 (57).

**Quomodo et a qua poena Christus nos redemit per mortem.** A qua poena? Temporalis et aeterna. Ab aeterna quidem relaxando debitum; a temporalis vero penitus nos liberabit in futuro, quando *novissima mors inimica destruetur*<sup>3</sup>. Adhuc enim exspectamus *redemptionem corporis*<sup>4</sup>. Secundum animas vero iam redempti sumus ex parte, non ex toto: a culpa, non a poena; nec omnino a culpa: non enim ab ea sic redempti sumus ut non sit, sed ut non dominetur<sup>5</sup>.

## Cap. 4 (58).

**Quomodo poenam nostram portavit.** *Peccata quoque nostra*, id est poenam peccatorum nostrorum, dicitur *in corpore suo super lignum portasse*<sup>6</sup>, quia per ipsius poenam, quam in cruce tulit, omnis poena temporalis quae pro peccato converso debetur, in baptismo penitus laxatur, ut nulla a baptizato exigatur; et in poenitentia minoratur: non enim sufficeret illa poena qua poenitentes ligat Ecclesia, nisi Christi poena cooperaretur, qui pro nobis solvit<sup>7</sup>. Unde peccata iustorum qui fuerunt ante adventum *in sustentatione Dei* fuisse usque ad Christi mortem dicit<sup>8</sup> Apostolus<sup>8</sup>, *ad ostensionem iustitiae eius in hoc tempore*. — Ecce ex parte

1 perdit] perdidit LR, *corr. in* perdidit V. 18 pecc. nostrorum *trp.* MT. 21 nulla] nullo AM.

<sup>1</sup> Hebr. 2, 9: *Ut... pro omnibus gustaret mortem*. <sup>2</sup> Resp. Ioan. 8, 34; et II Tim. 2, 26. <sup>3</sup> I Cor. 15, 26. <sup>4</sup> Rom. 8, 23; *Glossa Magistri* in h.l. (PL 191, 1445 A). <sup>5</sup> Resp. Rom. 6, 6: *ut ultra non serviamus peccato*; vide *Glossam Lombardi* in h.l.: « Non dico ut non sit, sed ut non cogamur servire, et vere non cogimur » [cogemur *cod. z*, f. 20c] (PL 191, 1405 D); de his plura in lib. II, d. 32, c. 1 (tom. I, 511-13). <sup>6</sup> I Petri 2, 24; *Glossa interl.* in h.l.: *Qui peccata nostra*: « Id est poenam pro peccatis debitam » (apud Lyranum, VI, 219). <sup>7</sup> Resp. Ps. 68, 5; v. supra, Cap. 1, n. 4. <sup>8</sup> Rom. 3, 26; cf. *Glossa Lombardi* in h.l. (PL 191, 1362 B - 1363 A).



expositum est quomodo et quid Christus per mortem nobis meruit et impetravit.

Cap. 5 (59).

**Si solus Christus debet dici redemptor, ut solus dicitur mediator.** Unde ipse vere dicitur mundi redemptor et Dei hominumque mediator. 5 Sed mediator in Scriptura dicitur solus Filius<sup>1</sup>; redemptor vero aliquando etiam Pater vel Spiritus Sanctus<sup>2</sup>, sed hoc propter usum potestatis, non propter exhibitionem humilitatis et obedientiae. Nam secundum potestatis simul et obedientiae usum, Filius proprie dicitur redemptor, quia et in se explevit per quae iustificati sumus, et ipsam iustificationem est 10 operatus potentia deitatis cum Patre et Spiritu Sancto. Est igitur redemptor in quantum est Deus potestatis usu, et in quantum homo humilitatis effectum. Et saepius dicitur redemptor secundum humanitatem, quia secundum eam et in ea suscepit et implevit illa sacramenta quae sunt 15 causa nostrae redemptionis. Proprie igitur Filius dicitur redemptor.

Cap. 6 (60).

1. **De mediatore.** Qui solus dicitur mediator, non Pater vel Spiritus Sanctus. De quo Apostolus<sup>3</sup>: *Unus mediator Dei et hominum, homo Christus Iesus*, id est per hominem quasi in medio arbiter est ad componendam pacem: id est ad reconciliandum homines Deo. Hic est arbiter quem Iob 20 desiderat<sup>4</sup>: *Utinam esset nobis arbiter.*

2. **Augustinus, Super Ioannem\*.** *Reconciliati enim sumus Deo*, ut ait Apostolus<sup>5</sup>, *per mortem Christi*: « Quod<sup>6</sup> non sic est intelligendum, quasi nos ei sic reconciliaverit Christus, ut inciperet amare quos oderat,

8 et] usum *add.* V. || obedientiae] usum *add. interl.* NR. 12 et *om.* BORVX. ||  
|| quantum] est *add.* BLR. 22 Rubrica *om.* ORVW.

<sup>1</sup> Gal. 3, 19-20; I Tim. 2, 5; Hebr. 9, 15. <sup>2</sup> Cf. Ps. 18, 15; 77, 35; Isai. 41, 14; 49, 7 et 26; 60, 16; 63, 16. <sup>3</sup> I Tim. 2, 5. <sup>4</sup> Iob 9, 33. <sup>5</sup> Rom. 5, 10. <sup>6</sup> *In Ioan.*, tr. 110, n. 6 (PL 35, 1923; CCL 36, 626).

Cap. 6-7: Cf. A. M. Landgraf, *Die Mittlerschaft Christi*, in *Dogmengeschichte*, II-2, 288-328. — Cap. 6, num. 1: Ex *Glossa* in I Tim. 2, 5 (PL 192, 339 A); partim ex *Glossa media* Gilberti (cf. V. Miano, *Il commento*, p. 196; A. M. Landgraf, *Die Mittlerschaft Christi*, 299s). — Num. 2: Verba Augustini *Super Ioannem*, mutato ordine verborum, in *Glossa Magistri* in Rom. 5, 10 (PL 191, 1384 A-B), ex Floro in Rom. 5, 8-9 (*ed. cit.*, 86); illa *De Trinitate*, in Rom. 5, 10 (PL 191, 1386 C), item ex Floro in h.l. (col. 90).

sicut reconciliatur inimicus inimico, ut deinde sint amici, qui ante se oderant; sed iam nos diligenti Deo reconciliati sumus. Non enim ex quo ei reconciliati sumus per sanguinem Filii nos coepit diligere, sed ante mundum, priusquam nos aliquid essemus». — Quomodo ergo diligenti 5 nos Deo sumus reconciliati? « Propter<sup>1</sup> peccatum cum eo habebamus inimicitias, qui habebat erga nos caritatem, etiam cum inimicitias exercebamus adversus eum operando iniquitatem ». — **Augustinus in libro De Trinitate\***: « Ita<sup>2</sup> ergo inimici eramus Deo sicut iustitiae sunt inimica peccata; et ideo, remissis peccatis, tales inimicitiae finiuntur, et reconci- 10 liantur iusto quos ipse iustificat ».

3. Christus ergo dicitur mediator eo quod medius inter Deum et homines, ipsos reconciliat Deo. Reconciliat autem dum offendicula hominum tollit ab oculis Dei, id est dum peccata delet quibus Deus offende- 15 batur et nos inimici eius eramus.

4. **Quaestio\***. Sed cum peccata deleat non solus Filius, sed et Pater et Spiritus Sanctus, quorum deletio est nostra ad Deum reconciliatio, quare solus Filius dicitur mediator? Nam de Patre legitur quod recon- 20 ciliaverit sibi mundum. Ait enim Apostolus<sup>3</sup>: *Deus erat in Christo mundum sibi reconcilians*. Cum igitur reconciliet, quare non dicitur mediator? — **Responsio\***. Quia nec medius est inter Deum et homines, nec in se habuit illa sacramenta quorum fide et imitatione iustificemur, id est recon- 25 ciliemur Deo. Reconciliavit ergo nos tota Trinitas virtutis usu, scilicet dum peccata delet; sed Filius solus impletione obedientiae, in quo patrata sunt secundum humanam naturam per quae credentes et imitantes iusti-

Cap. 7 (61).

1. **Secundum quam naturam sit mediator.** Unde et mediator dicitur secundum humanitatem, non secundum divinitatem. « Non<sup>4</sup> est enim mediator inter Deum et Deum, quia *unus est Deus*<sup>5</sup>; sed inter Deum et

7 Rubrica *om.* RVW. 8 sunt inimica *trp.* ARV. 12 reconciliat] reconciliavit LN.  
15 Quaestio *om.* RVW. 16 deletio] dilectio M, *corr. ex* delectatio L. 19 sibi reconcilians *trp.* LT *Vulg.* 20 Responsio] Solutio B, *om.* RVW. 22 ergo] igitur MT.

<sup>1</sup> August., *ibid.* <sup>2</sup> Lib. XIII, c. 16, n. 21 (PL 42, 1030s; CCL 50 A, 411). <sup>3</sup> II Cor. 5, 19. <sup>4</sup> August., *In Epist. ad Galat.*, n. 24 (PL 35, 2122); invenitur in parte in *Glossa ordin.* in Gal. 3, 19-20 (apud Lyranum, VI, 83b-c; cod. I 107a, m 100c). <sup>5</sup> Gal. 3, 20.

Cap. 7, num. 1: Cf. *Glossa* in Gal. 3, 20 (PL 192, 130 A), ubi primae duae auctoritates; dein, in I Tim. 2, 5 (PL 192, 339 A-B), ubi verba Aug. in *Confess.*



hominem, quasi inter duo extrema, quia medius esse non potest nisi inter aliqua. — **Augustinus in sermone quodam** \*: « Mediator <sup>1</sup> est igitur in quantum homo; nam in quantum Deus non mediator, sed aequalis Patri est, hoc idem quod Pater, cum Patre unus Deus ». Mediat ergo inter homines et Deum Trinitatem secundum hominis naturam, in qua suscepit illa per quae reconciliamur Deo Trinitati. — **Augustinus in libro Confessionum** \*: Et secundum eandem « habet <sup>2</sup> aliquid simile Deo et aliquid simile hominibus »: quod mediatori congruebat, « ne per omnia similis hominibus, longe esset a Deo; aut per omnia Deo similis, longe esset ab hominibus, et ita mediator non esset. Verus igitur mediator Christus inter mortales peccatores et immortalem iustum apparuit: mortalis cum hominibus, iustus cum Deo »; « per infirmitatem propinquans nobis <sup>3</sup> », « per iustitiam Deo. Recte igitur mediator dictus est, quia inter Deum immortalem et hominem mortalem est Deus homo, reconcilians hominem Deo: in tantum mediator, in quantum est homo; in quantum autem Verbum non est medius, quia unus cum Patre Deus ».

2. **Vigilius, Contra Eutychem** \*: « Si <sup>4</sup> ergo Christus secundum vos, o haeretici, unam tantum habet naturam, unde medius erit? Nisi ita sit medius ut Deus sit propter divinitatis, et homo propter humanitatis naturam, quomodo humana in eo reconciliantur divinis? Nam ipse veniens, prius in se humana sociavit divinis per utriusque naturae coniunctionem in una persona; deinde omnes fideles per mortem reconciliavit Deo », dum « sanati <sup>5</sup> sunt ab impietate quicumque humilitatem Christi credendo dilexerunt, et diligendo imitati sunt ».

3. **Summam intelligentiae praemissae perstringit** \*. Ecce hic aliquatenus insinuat quare Christus solus dicitur mediator Dei et hominum; et secundum quam naturam mediet, scilicet humanam; et cui mediet, scilicet Deo Trinitati. Trinitati enim nos reconciliavit per mortem; per

<sup>2</sup> Rubrica om. RW, trp. ad p. 123, lin. 27 alii codd. (praeter X). || est igitur trp. LNV. 3-4 Patri est trp. RVX. 13 igitur] ergo LOVWX. || quia] qui ORVW. 17 Vigilius] VIII<sup>us</sup> BX, Aug. L. 19 propter] naturam add. BLNOV. 25 Rubrica om. ARW.

<sup>1</sup> Sermo 293 (in Natali Ioan. Bapt.), n. 7 (PL 38, 1332). <sup>2</sup> Lib. X, cc. 42-43, nn. 67-68 (PL 32, 808; CSEL 33, 277s). <sup>3</sup> Ex Glossa Magistri in Ps. 29, 3 (PL 191, 292 B); ex August., Enarr. II in Ps. 29, n. 1 (PL 36, 216; CCL 38, 174). <sup>4</sup> Lib. V, n. 15 (PL 62, 145 B-D). <sup>5</sup> August., In Epist. ad Galat., n. 24 (PL 35, 2122).

Num. 2: Ex Glossa in Gal. 3, 20 (PL 192, 130 C), sed unde incorporetur in Glossam, nescimus.

quam etiam nos redemit a servitute diaboli. Nam ut Petrus ait <sup>1</sup>, non corruptibilibus auro et argento redempti sumus, sed pretioso sanguine Agni immaculati.

## DISTINCTIO XX

## Cap. 1 (62).

**Quod alio modo potuit liberare et quare potius isto.** — **Augustinus in libro X[III] De Trinitate** \*. Si vero quaeritur utrum alio modo posset Deus hominem liberare quam per mortem Christi, dicimus et « alium <sup>2</sup> modum fuisse possibilem Deo, cuius potestati cuncta subiacent, sed nostrae miseriae sanandae convenientiorem modum alium non fuisse, nec esse oportuisse ».

## Cap. 2 (63).

1. **Ratio quare isto modo** \*. « Quid <sup>3</sup> enim mentes nostras tantum erigit et ab immortalitatis desperatione liberat, quam quod tanti nos fecit Deus, ut Dei Filius immutabiliter bonus, in se manens quod erat, et a nobis accipiens quod non erat, dignatus nostrum inire consortium, mala nostra moriendo perferret? »

2. **Alia ratio** \*. — **Augustinus in eodem** \*. Est et alia ratio quare isto potius modo quam alio liberare voluit: « quia <sup>4</sup> sic iustitia superatur

<sup>1</sup> ait] in epistola canonica add. BOV. 6 et... isto om. LMRWX. 8 Deus om. LOWX, interl. R. 13 tantum trp. p. enim LRV, post erigit A. 18 Rubricae om. LRVW.

<sup>1</sup> I Petri 1, 18-19. <sup>2</sup> Cap. 10, n. 13 (PL 42, 1024; CCL 50A, 399s); partim tantum in Glossa ordin. in Rom. 5, 8 (apud Lyran., VI, 12c; cod. 1 10c, m 11b). <sup>3</sup> August., ibid. (1024; 400); partim in Glossa ordin. ut in nota praecedenti. <sup>4</sup> Cap. 13, n. 17 (1026; 404); sed verba sunt Glossae ordin. in Rom. 5, 9 (locis cit.).

Dist. XX, capp. 1-4: Fons in Glossa Lombardi, in Rom. 5, 8 (PL 191, 1384 D-1386 B), ubi dependet a Glossa media Gilberti (apud M. Simon, La glose de l'épître aux Romains de Gilbert de la Porrée, in Rev. Hist. Eccl., 52, 1957, 76). Videsis etiam Magistrum in Hebr. 2, 14-15 (PL 192, 421 D - 422 D) et eius sermones, nn. 4, 16, 18 (PL 171, 384 C, 501 C, 610 A); Hugonem, De sacram., I, 8, 4-10 (PL 176, 307 D - 312 A); Summam sent., I, 14 et 18 (PL 171, 1095 D - 1096 A, 1105 C; 176, 69 C-D, 78 C-D); et alios plures apud A. M. Landgraf, Das Axiom « Non alium modum possibilem... », in Dogmengeschichte, II-2, 254-287; et L. Ott, Untersuchungen zur theol. Briefliteratur, 599-614.



diabolus, non potentia»; «et<sup>1</sup> quomodo id factum sit, explicabo ut potero». «Quadam<sup>2</sup> iustitia Dei in potestatem diaboli traditum est genus humanum, peccato primi hominis in omnes originaliter transeunte et illius debito omnes obligante. Unde omnes homines ab origine sunt sub principe diabolo; unde Apostolus<sup>3</sup>: *Eramus natura filii irae*: natura sci-  
licet ut est depravata peccato, non ut est recta creata ab initio. Modus autem ille, quo traditus est homo in diaboli potestatem, non ita debet intelligi, tamquam Deus hoc fecerit aut fieri iusserit, sed quod tantum permiserit, iuste tamen. Illo deserente peccantem, peccati auctor illico  
invasit. Non tamen Deus continuit *in ira sua miserationes suas*<sup>4</sup>, nec  
hominem a lege suae potestatis amisit, cum in diaboli potestate esse permisit, quia nec diabolus a potestate Dei est alienus, sicut nec a bonitate; nam qualicumque vita non subsisteret, nisi per eum qui vivificat omnia. Non ergo Deus hominem deseruit, ut non se illi exhiberet Deum, sed inter  
mala poenalia, etiam malis multa praestitit bona; et tandem hominem,  
quem commissio peccatorum diabolo subdidit, remissio peccatorum per sanguinem Christi data a diabolo eruit, ut sic iustitia vinceretur diabolus, non potentia».

## Cap. 3 (64).

1. **Qua iustitia sit victus diabolus.** «Sed<sup>5</sup> qua iustitia? Iesu Christi. Et quomodo victus est ea? Quia in eo nihil dignum morte inveniens<sup>6</sup>, occidit eum tamen. Et utique iustum est ut debitores quos tenebat, liberi dimittantur in eum credentes quem sine ullo debito occidit». «Ideo<sup>7</sup> autem potentia vincere noluit, quia diabolus vitio perversitatis suae amator est potentiae, et desertor oppugnationis iustitiae: in quo homines magis eum imitantur, qui neglecta vel etiam perosa iustitia, potentiae magis student, eiusque vel adeptione laetantur, vel cupiditate inflammantur. Ideoque placuit Deo ut non potentia, sed iustitia vincens erueret hominem: in quo homo eum imitari disceret». «Post<sup>8</sup> vero in resurrectione secuta est potentia, quia revixit mortuus, nunquam postea moriturus».

4 omnes<sup>1</sup> om. MRTXz. 12 diabolus] quod diabolus non est alienus a bonitate dei rubr. marg. omnes codd. praeter AVW. 13 vita] vel (add. L<sup>3</sup>) diabolus vel homo add. BV, add. interl. O<sup>2</sup>, add. marg. L<sup>3</sup>.

<sup>1</sup> August., ibid., c. 11, n. 15 (PL 42, 1025; CCL 50A, 402). <sup>2</sup> August., ibid., c. 12-13, nn. 16-17 (1026s; 402ss). <sup>3</sup> Eph. 2, 3. <sup>4</sup> Ps. 76, 10. <sup>5</sup> August., ibid., c. 14, n. 18 (PL 42, 1027s; CCL 50A, 406). <sup>6</sup> Resp. Luc. 23, 15: *Nihil dignum morte actum est ei.* <sup>7</sup> August., ibid., c. 13, n. 17 (1026s; 404), partim in *Glossa ordin.* in Rom. 5, 9 (locis cit.). <sup>8</sup> Ibid., c. 14, n. 18 (1028; 407).

2. **Quaestio\*.** «Sed nonne<sup>1</sup> iure aequissimo vinceretur diabolus, si potentia tantum Christus cum illo agere voluisset? Utique, sed postposuit Christus quod potuit, ut prius ageret quod oportuit». Iustitia ergo humilitatis<sup>2</sup> hominem liberavit, quem sola potentia aequissime liberare potuit.

## Cap. 4 (65).

1. **De causa inter Deum et hominem et diabolum.** Si enim tres illi in causam venirent, scilicet Deus, homo, diabolus, diabolus et homo quid adversus Deum dicerent, non haberent. Diabolus enim de iniuria Dei convinceretur, quia servum eius, scilicet hominem, et fraudulenter abduxit et violenter tenuit. Homo etiam iniurius Deo convinceretur, quia praecepta eius contempsit et se alieno dominio mancipavit. De hominis etiam iniuria convinceretur diabolus, quia illum et prius fallaci promissione decepit, et post mala inferendo laesit. Iniuste igitur diabolus, quantum ad se, tenebat hominem, sed homo iuste tenebatur; quia diabolus nunquam meruit potestatem habere super hominem, sed homo meruit per culpam pati diaboli tyrannidem.

2. Si igitur Deus, qui utrique praerat, potentia hominem liberare vellet, sola iussionis virtute hominem poterat rectissime liberare; sed ob causam praemissam<sup>3</sup> iustitia humilitatis uti voluit. — **Augustinus in libro XIII De Trinitate\*:** Qui<sup>4</sup> dum in carne mortali crucifixus est, iustificati sumus, id est per remissionem peccatorum eruti de potestate diaboli, et ita a Christo iustitia diabolus victus est, non potentia. Quomodo autem in eius sanguine nobis peccata sint dimissa, supra expositum est<sup>5</sup>.

1 Quaestio om. LRVW. 8 Deus] et add. LR. || homo<sup>1</sup>] et add. BLNOR. || diabolus<sup>1</sup>] et add. M., add. sed del. T. 16 potestatem habere trp. LRV. 20-21 Rubrica om. RVW. 24 sint] sunt BNX.

<sup>1</sup> August., ibid. (1028; 406). <sup>2</sup> Cf. August., ibid.: «Ideo gratior facta est in humilitate iustitia» etc. (1028; 407). <sup>3</sup> In cap. 3, n. 2. <sup>4</sup> Potius paraphrasis Augustini, qui scribit: «Sed aliud est propter quod iustificamur in Christi sanguine, cum per remissionem peccatorum eruimur a diaboli potestate: hoc ad id pertinet quod a Christo iustitia diabolus vincitur, non potentia. Ex infirmitate quippe quam suscepit in carne mortali... crucifixus est Christus» (1028; 407). <sup>5</sup> In Dist. 19, c. 1, nn. 1 et 4.



## Cap. 5 (66).

1. De traditione Christi, quae dicitur facta a Patre, a Filio, a Iuda et a Iudaeis. Christus ergo est sacerdos idemque hostia et pretium nostrae reconciliationis<sup>1</sup>, qui se in ara crucis non diabolo, sed Deo Trinitati obtulit, pro omnibus quantum ad pretii sufficientiam<sup>2</sup>, sed pro electis tantum<sup>5</sup> quantum ad efficaciam, quia praedestinitis tantum salutem effecit.

2. De quo et legitur quod sit traditus a Patre<sup>3</sup>, et quod se ipsum tradidit<sup>4</sup>, et quod Iudas eum tradidit<sup>5</sup> et Iudaei<sup>6</sup>. Ipse se tradidit, quia sponte ad passionem accessit; et Pater eum tradidit, quia voluntate Patris, immo totius Trinitatis, passus est; Iudas tradidit prodendo, et Iudaei instigando. Et fuit actus Iudae et Iudaeorum malus, et actus Christi vel Patris bonus. Opus Christi et Patris bonum, quia bona Patris et Filii voluntas; malum fuit opus Iudae et Iudaeorum, quia mala fuit intentio.

3. Diversa fuerunt ibi facta sive opera, id est diversi actus; et una res sive factum, scilicet passio ipsa. Ideo doctores aliquando uniunt in facto illo Patrem, Filium, Iudam, Iudaeum; aliquando disiungunt. Respicientes enim ad passionem, unum opus illorum dicunt; attendentes intentiones et actus, facta diversa discernunt. — Augustinus, Super epistolam Ioannis\*. Unde Augustinus<sup>7</sup>: « Facta est, inquit, traditio a Patre, facta est traditio a Filio, facta est traditio a Iuda: una res facta est. Quid ergo discernit inter eos? Quia hoc fecit Pater et Filius in caritate; Iudas

<sup>3</sup> a om. MNW. <sup>6</sup> efficaciam] efficientiam ABNRVW, vel efficaciam add. marg. V2. || effect] efficit AN. <sup>7</sup> et] etiam LNR, om. B. <sup>19</sup> iniquit om. OX. <sup>20</sup> traditio a Filio trp. MN.

<sup>1</sup> Cf. Glossa Magistri in Hebr. 9, 25: «sacerdos et hostia» (PL 192, 477 C); et in Rom. 5, 10: «Hoc est pretium reconciliationis nostrae» (PL 191, 1386 B; ubi, licet sub rubrica Augustinus inveniatur [deest in cod. z, f. 17a], verba potius Magistri esse videntur). <sup>2</sup> Vide Glossam in Hebr. 5, 9: *causa salutis aeternae omnibus obtemperantibus sibi*: «tantum enim valet eius passio quod omnibus sufficit ad salutem» (PL 192, 438 B). <sup>3</sup> Resp. Rom. 8, 32: *Sed pro nobis omnibus tradidit illum*. <sup>4</sup> Resp. Gal. 2, 20, et Eph. 5, 2. <sup>5</sup> Cf. Matth. 26, 25; et 26, 48. <sup>6</sup> Resp. Matth. 27, 18: *Sciebat enim quod per invidiam tradidissent eum*. <sup>7</sup> In I Ioan. 4, 9, tr. 7, n. 7 (PL 35, 2032s).

Cap. 5, num. 1: De traditione Christi vide Lomb., *Sent.*, I, d. 48, c. 2; et II, d. 40, n. 11 (tom. I, 325s, 560); et in Rom. 8, 32 (PL 191, 1451 D). Circa distinctionem inter sufficientiam et efficaciam, cf. A. M. Landgraf, *Die Unterscheidung zwischen Hinreichen und Zuwendung der Erlösung*, in *Dogmengeschichte* II-2, 329-358. — Num. 3: Auctoritas Augustini ex Glossa in Gal. 2, 20 (PL 192, 117 A-B).

vero in prodicione. Videtis quia non quid faciat homo, sed qua voluntate considerandum est. In eodem facto invenimus Deum quo Iudam. Deum benedicimus, Iudam detestamur: quia Deus cogitavit salutem nostram, Iudas cogitavit pretium quo vendidit Dominum, Filius pretium quod dedit pro nobis. Diversa ergo intentio diversa facta facit, cum tamen sit una res ex diversis». Ecce unam rem dicit ibi fuisse et diversa facta, quia una fuit ibi passio, sed diversi actus; et actus quidem Iudae ac Iudaeorum mali, quibus operati sunt Christi passionem, quae bonum est et opus Dei est.

## Cap. 6 (67).

1. Quod Christi passio dicitur opus Dei et Iudaeorum et quomodo. Passio ergo Christi et opus Iudaeorum dicitur, quia ex actibus eorum provenit; et opus Dei, quia eo auctore, id est volente, fuit. Unde Augustinus<sup>1</sup>: «Nemo aufert animam Christi ab eo, quia potestatem habet ponendi et sumendi<sup>2</sup>: ecce habes auctorem operis. Ponet animam: ecce habes opus auctoris. Et ut generaliter concludam, quotiens in carne Christus aliquid patitur, opus auctoris est; quia enim sua voluntate, non alio cogente perpetitur, ipse auctor est operis».

2. Si Iudaei sunt ibi operati bonum\*. Cum autem passio Christi opus Dei sit et ideo bonum, eamque operati sint Iudas et Iudaei: quaeritur an concedendum sit eos operatos ibi esse bonum. — Hic distinguendum est: potest enim dici quod operati sunt bonum, quia ex actibus eorum bonum provenit, id est passio Christi; et item quod operati non sint bonum, sed malum, quia actio eorum non fuit bona, sed mala<sup>3</sup>.

<sup>7</sup> fuit ibi trp. MTX. || ac] et BLMRX. <sup>13</sup> est] eo add. NV. <sup>15</sup> Ponet] Ponit BMV. <sup>18</sup> perpetitur] patitur B, perpetratur MR. <sup>21</sup> ibi esse trp. LNR. <sup>22</sup> sunt] sint BMT. <sup>23</sup> sint] sunt LRV.

<sup>1</sup> Rubr. marg.: *In expositione fidei cath. contra Felicianum*; id est Vigilius Thapsensis, *Contra Felic. Arianum de unitate Trinitatis*, c. 14 (PL 42, 1169s; vel c. 20, PL 62, 348 D). <sup>2</sup> Resp. Ioan. 10, 17-18. <sup>3</sup> Cf. supra, c. 5, n. 2; et loci Libr. I et II ibi citati.

Cap. 6, num. 1: Verba ps.-Augustini, ex Glossa in I Cor. 2, 8 (PL 191, 1549 D-1550 A).



## DISTINCTIO XXI

## Cap. I (68).

1. Si in Christo divisio in morte fuit animae vel carnis a Verbo. Post praedicta considerandum est utrum in morte a Verbo sit separata anima vel caro.

2. **Opinio quorundam asserentium carnem a deitate divisam** \*. Quidam<sup>1</sup> putaverunt carnem, sicut ab anima, ita a divinitate in morte fuisse divisam. Si enim, inquiunt, anima media divinitas carnem sibi univit, sicut superius<sup>2</sup> praetaxatum est, ergo quando divisa est caro ab anima, divisa est etiam a divinitate; quia non potuit ab anima seiungi per quam Verbo erat unita, quin a Verbo divideretur. — **Augustinus** \*. Fuit autem divisa ab anima in morte: alioquin vera mors ibi non fuisset; quia ut ait Augustinus<sup>3</sup>, « mors quam timent homines, separatio est animae a carne; mors autem quam non timent, separatio est animae a Deo; utraque vero diaboli suasu homini propinata est ». Si ergo in Christo homine vera mors fuit, divisa est ibi anima, ac per hoc divinitas, a carne.

3. **Auctoritatem inducunt** \*. — **Ambrosius** \*. Huic suae probabilitati addunt auctoritatis testimonium. **Ambrosius**<sup>4</sup> enim, tractans de

8 media] mediante B, corr. in mediante X. 9 praetaxatum] dictum V, predictum X.  
17 Rubricae om. RVW.

<sup>1</sup> Ita inter alios Mag. Hermannus, *Sententiae*, c. 27: «...rationabilius esse videtur, quod a corpore fuerat separata [divinitas]. Sicut enim non potuit adiungi nisi anima mediante, sic in eo non debuit remanere anima separata » (PL 178, 1737 B). Videsis etiam *Sententias Florianenses*, n. 44 (ed. H. Ostlender, Bonn 1929, 20-21); et *Sent. Parisienses*, p. I (ed. A. M. Landgraf, in *Écrits théologiques de l'école d'Abélard*, Lovanii 1934, p. 35, 12-20). <sup>2</sup> Dist. 2, c. 2. <sup>3</sup> Rubrica marg. indicat *August. super ps. xlvii*; sed est *Enarr. in Ps. 48*, 15, sermo 2, c. 2 (PL 36, 556; CCL 38, 565s). <sup>4</sup> Iterum rubrica legitur *Ambr. in expositione psalmi*; sed revera est eius *In Lucam*, X, n. 127 (PL 15 [1845], 1836 A; CSEL 32-III, 503; CCL 14, 381).

Dist. XXI-XXII: Cf. A. M. Landgraf, *Das Problem «Utrum Christus fuerit homo in triduo mortis»*, in *Dogmengeschichte* II-1, 273-319; praesertim quoad positionem Lombardi, 273-296; Hugo, *De sacram.*, II, 1, 10-11 (PL 176, 399ss); *Summa sent.*, I, 19 (PL 171, 1105s; 176, 78ss). — Cap. I: Quaestio ponitur ut in *Summa sent.*, I, 19 (PL 171, 1105 C; 176, 78 D), unacum quadam expositionis opinionis affirmativae. Cf. etiam Hugo, *De sacram.*, II, 1, 10 (PL 176, 399 C - 400 D). — Num. 2: Auctoritas Augustini, ex *Glossa in Ps. 48*, 6 (PL 191, 466 D - 467 A). — Num. 3: Auctoritatem Ambrosii, ex *Summa sent.*, I, 19 (PL 171, 1106 C; 176, 80 A-B), inducunt *Sent. Florianenses*, n. 41 (p. 21, 7-10) et *Sent. Parisienses* (p. 35, 5-8); in parte, apud Hugonem, *De sacram.*, II, 1, 10 (PL 176, 399 C).

Christi derelictione, qui in cruce voce magna clamans dixit<sup>1</sup>: *Deus, Deus meus, ut quid me dereliquisti?* ait: « Clamat homo separatione divinitatis moriturus: nam cum divinitas mortis libera sit, utique mors ibi esse non poterat nisi vita discederet, quia vita divinitas est ». Hic videtur tradi quod divinitas separata sit in morte ab homine, quae nisi discessisset, homo ille mori non posset; quod illi ad carnem referunt, quam dicunt a Deo separatam.

4. **Responsio** \*. Quibus respondemus illam separationem sic esse accipiendam sicut intelligitur derelictio, quae illis verbis significatur: *Ut quid me dereliquisti?* Quomodo igitur Christus derelictus erat a Patre, cum in cruce se derelictum clamabat? Non recesserat Deus ab homine, ita quod esset soluta unio Dei et hominis: alioquin fuit quoddam tempus quando Christus adhuc vivus homo erat et non Deus, quia adhuc vivus se derelictum clamabat, non derelinquendum. Si ergo illa derelictio unionis intelligatur solutio, ante facta fuit solutio Dei et hominis quam Christus mortuus esset. Sed quis hoc dicat? Fateamur igitur Deum quodam modo illum hominem in morte deseruisse, quia potestati persequentium eum exposuit ad tempus; non suam potentiam exserendo illum defendit, ut non moreretur. Separavit se divinitas quia subtraxit protectionem, sed non solvit unionem; separavit se foris ut non adesset ad defensionem, sed non intus defuit ad unionem. Si non ibi cohibuisset potentiam, sed exseruisset, non moreretur Christus. Mortuus est Christus divinitate recedente, id est effectum potentiae defendendo non exhibente. — Hic est hircus apompeius, qui altero hirco immolato in solitudinem mittebatur, ut legitur in Levitico<sup>2</sup>. Duo enim hirci humanitas et divinitas Christi intelliguntur<sup>3</sup>. Humanitate igitur immolata, divinitas in solitudinem abiit, id est in caelum. — **Hesychius, super Leviticum** \*. Unde **Hesychius**<sup>4</sup>: « In solitudinem, id est in caelum tempore passionis

8 Responsio om. RVW. 18 exserendo] exercendo BNRVW. 22 exseruisset  
MOTW, exercuisset alii. 27 Rubrica om. LRVW.

<sup>1</sup> Matth. 27, 46. <sup>2</sup> Levit. 16, 8-10. <sup>3</sup> *Glossa ordin.* in Lev. 16, 7-8: *Duos hircos...* « quia Christus Deus et homo: secundum humanitatem passus, secundum divinitatem impassibilis... mittit Aaron super utrumque sortem: qua divinitatem et humanitatem dividi intelligimus » (apud Lyranum, I, 242c); ex Hesychio in h.l. (PG 93, 991 B). <sup>4</sup> *Glossa ordin.* in Lev. 16, 10: *et emittat eum in solitudinem* (apud Lyranum, I, 242c); iterum ex Hesychio in h.l. (PG 93, 992 B-C).

Num. 4: Responsio, summam ex Hugone (*ibid.*, 399 D - 400 D). De hirco apompeio prolixius (cum *Glossa ordinaria*) loquitur Magister in Sermone 22, *In Parasceve* (PL 171, 689 A); de quo cf. Proleg. ad tom. I, 106\*.



divinitas abiisse dicitur, non locum mutans, sed quodam modo virtutem cohibens, ut possent impii consummare passionem. Abiit ergo, id est virtutem cohibuit; et portavit *iniquitates* nostras<sup>1</sup>, non ut haberet, sed ut consumeret: *Deus enim ignis consumens est*<sup>2</sup>. Ex his satis ostenditur praemissa verba Ambrosii sic esse accipienda ut praediximus. 5

5. **Aliam inducunt auctoritatem.** — Athanasius\*. Alii quoque auctoritati innituntur, qui asserunt divinitatem in morte recessisse ab homine secundum carnem. Ait enim Athanasius<sup>3</sup>: «Maledictus qui totum hominem quem assumpsit Dei Filius, denuo assumptum vel liberatum tertia die a mortuis resurrexisse non confitetur. Fiat, fiat». — **Qualiter de hac auctoritate argumentando procedunt\***. Si, inquiunt, denuo assumptus est homo in resurrectione, quem assumpserat in incarnatione, deposuit ergo eum in morte; separata ergo fuit divinitas in morte ab humanitate. 10

6. **Responsio\***. Quibus respondemus quod, si his verbis assumptio talis intelligatur quae sit secundum unionem, non carnem tantum, sed totum hominem, id est animam et carnem, denuo sibi univit in resurrectione, quia non simpliciter 'hominem', sed 'totum hominem' assumptum dicit. Totum igitur hominem in morte deposuit, id est animam et carnem. Sed quis, nisi hostis veritatis, dicat animam a Verbo depositam? Et tamen, nisi hoc fateantur, quod totus homo sit assumptus, non pro eis facit illa auctoritas, quae totum dicit assumptum. 20

7. **Determinatio auctoritatis\***. Sciendum est igitur Athanasium id dixisse contra illorum perfidiam qui resurrectionem Christi negabant, putantes morte detineri qui solus *inter mortuos liber*<sup>4</sup> est. Ideo illum maledicit qui non confitetur totum hominem denuo assumptum resurrexisse, id est Christum animam denuo corpori coniunxisse, et in illis duobus denuo coniunctis in resurrectione vere secundum hominem vixisse sicut ante mortem. Nam in morte separata est anima a carne: unde vere dicitur Christus mortuus; sed neutrum separatum est a Verbo Dei. 30

6 Athanasius om. MRVW. 15 si del. O, in add. OVX.

<sup>1</sup> Resp. Lev. 16, 22: *Cumque portaverit hircus omnes iniquitates eorum in terram solitariam.* <sup>2</sup> Deut. 4, 24. <sup>3</sup> Id est Eusebius Vercellensis, *De Trinit.*, VI (inter opp. Vigili Thapsensis, PL 62, 280 A; sub proprio nomine, CCL 9, 87s); cf. *Clavis patrum latinorum*, n. 105. <sup>4</sup> Ps. 87, 6.

Num. 5: in parte ex *Summa sent.*, I, 19 (*loc. cit.*); iam in *Sent. Florian.*, uti supra. — Num. 7: partim in *Summa sent.*

8. **Auctoritatibus adstruit carnem a Verbo in morte non esse divisam.** Sicut Augustinus super Ioannem<sup>1</sup> docet, tractans illud Domini verbum<sup>2</sup>: *Ego pono animam meam ut iterum sumam eam. Nemo tollit eam a me, sed ego pono eam a me ipso; potestatem habeo ponendi eam, et iterum sumendi eam.* (De eo quod scriptum est: *Ego pono animam meam etc.*\*) Hic animam dicit emissam. A quo emissa est? A se ipsa non est emissa, quia se ipsam non posuit. Nec Verbum animam posuit vel carnem. Caro ergo animam posuit, sed potestate in se manentis deitatis; potentia ergo deitatis anima divisa est a carne, sed neutrum a Verbo Dei. Unde Augustinus<sup>3</sup>: «Verbum, ex quo suscepit hominem, id est carnem et animam, nunquam deposuit animam, ut esset anima separata a Verbo; sed caro posuit animam quando exspiravit, qua redeunte surrexit. Mors ergo ad tempus carnem et animam separavit, sed neutrum a Verbo Dei. Caro igitur ponit et sumit animam: non potestate sua, sed potestate inhabitantis carnem deitatis». Hic evidenter traditur nec animam nec carnem a Verbo Dei divisam in morte, ut aliquo modo soluta fuerit unio. 15

9. **Augustinus in Expositione fidei catholicae\***. Unde Augustinus, *Contra Felicianum*<sup>4</sup>: «Absit ut Christus sic senserit mortem, ut quantum in se est vita vitam perdiderit. Si enim hoc ita esset, vitae fons aruisset. Sensit igitur mortem participatione humani affectus quem sponte susceperat; non naturae suae perdidit potentiam per quam cuncta vivificat. Sic in sepulcro carnem suam commoriendo non deseruit, sicut in utero Virginis connascendo formavit. Mortuus est ergo non discedente vita, sicut passus est non pereunte potentia. Nemo tollit animam eius ab eo, quia potestatem habet ponendi et sumendi». Ecce et hic habes 25

4 eam?] animam R, animam meam BCLN, corr. ex animam meam X. 4 Rubrica om. LRVW. || scriptum] dictum BCX. 11 separata a Verbo trp. BCLMRT. 14 igitur] ergo BCOX. 16 divisam in morte trp. BCLMRT. 17 Rubrica incorp. in textum RV. || Augustinus<sup>1</sup> om. BCTX. 18 Christus sic trp. BCLMRT. 22 commoriendo] moriendo LX, corr. ex moriendo sed et del. corr. O, corr. interl. ex moriendo R<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Tract. 47, nn. 10-11 (PL 35, 1738s; CCL 36, 409ss). <sup>2</sup> Ioan. 10, 17-18.

<sup>3</sup> August. super Ioannem (rubr.), in Ioan. 10, 17: *quia pono animam meam*, scil. tr. 47, nn. 10-11 (PL 35, 1738s; CCL 36, 409ss); ex *Glossa ordin.* (apud Lyranum V, 216c). <sup>4</sup> Id est Vigilius Thapsensis, *Contra Felicianum Arianum de unitate Trinitatis*, c. 14 (PL 42, 1169; vel c. 20, PL 62, 348 A-C et D).

Num. 8: partim in Hugonis *De Sacram.* II, 1, 11 (PL 176, 401 B); sed Magister se vertit potius ad *Glossam ordin.* in Ioan. 10, 17 (apud Lyranum, V, 216c). — Num. 9: ex *Glossa* in I Cor. 2, 8 (PL 191, 1549 D).



Christum non deseruisse carnem in mortem, et vitam non discessisse a mortuo; et quod sponte tradidit spiritum, non alius extorsit <sup>1</sup>.

10. **Ambrosius in III libro De Spiritu Sancto \***. Unde **Ambrosius** <sup>2</sup>: «*Emisit Christus spiritum, et tamen quasi arbiter eruendi suspendique corporis, emisit spiritum, non amisit. Pendebat in cruce, et omnia* <sup>5</sup> *commovebat*». Sed unde emisit? Ex carne. Quo emisit? Ad Patrem.

Cap. 2 (69).

1. **Qua ratione Christus dicitur mortuus et passus**. Recedente vero anima, mortua est Christi caro; et quia caro mortua est, mortuus est Christus. Sicut enim mortuus dicitur Deus quando mortuus est homo, ita mortuus <sup>10</sup> dicitur homo quando mortua est caro. Separatio animae mors carnis fuit. Propter carnem ergo unitam Verbo, quae mortua est, dicitur Deus mortuus; et propter carnem et animam, quae utraque dolorem sensit, dicitur Deus <sup>15</sup> passus, cum divinitas omnis doloris exsors existeret.

2. **Augustinus, super Psalmum CXXIX \***. Unde **Augustinus** <sup>3</sup>: <sup>15</sup> «*Verbum caro factum est* <sup>4</sup>, ut per carnem panis caelestis <sup>5</sup> ad infantes transiret. Et secundum hoc ipsum Verbum crucifixum est; sed non est mutatum in hominem: homo in illo mutatus est, ut melior fieret quam erat. Per id ergo quod homo erat, mortuus est Deus; et per id quod Deus <sup>20</sup> erat, homo excitatus est et resurrexit. Quidquid passus est homo, non potest dici non passus Deus, quia Deus erat homo: quomodo non potes <sup>25</sup> dicere non te passum iniuriam, si vestis tua conscindatur, quamvis vestis tua non sis tu. Multo magis ergo quidquid patitur caro unita Verbo, debet dici pati Deus, licet Verbum nec mori, nec corrumpi, nec mutari potuerit. Sed quidquid horum passus est, in carne passus est».

<sup>8</sup> Qua ratione] Quare AOTX. <sup>14</sup> exsors] expers BC. <sup>16</sup> caro *trp.* post factum BL, post est MR.

<sup>1</sup> Glossa interl. in Matth. 27, 50: *Emisit spiritum*: «non aliud extorsit» (apud Lyran., V, 86r). <sup>2</sup> Revera, *De incarnationis dom. sacramento*, c. 5, n. 39 (PL 16 [1845], 828 B; CSEL 79, 242s); resp. Matth. 27, 50 (nihil in *Glossa ordin.* in h.l.). <sup>3</sup> Rectius, *Enarr. in Ps. 130*, 2, nn. 9-10 (PL 37, 1711; CCL 40, 1906). <sup>4</sup> Ioan. 1, 14. <sup>5</sup> Resp. Ioan. 6, 31-33.

Num. 10: Quaestio in fine, et prima pars num. 1 cap. 2: «Sed unde... carnis fuit», verba sunt Hugonis, *De sacram.*, II, 1, 11 (PL 176, 401 B-C).

Cap. 2, num. 2: Ex *Glossa* in Ps. 130, 2 (PL 191, 1172 D - 1173 A).

3. De hoc etiam **Ambrosius** in libro III *De Spiritu Sancto* <sup>1</sup> ait: «*Quod Verbi caro patiebatur, manens in carne Verbum in se pro corporis assumptione referebat: ut pati diceretur, quia caro patiebatur, sicut scriptum est* <sup>2</sup>: *Christo in carne passo*». — Hic docetur qua ratione Deus <sup>5</sup> vel Dei Filius passus vel mortuus dicitur: non quia mortem senserit in quantum Deus est, sed quia caro ei unita mortua est.

4. **Augustinus in sermone de fide \***. Secundum quam rationem dicit **Augustinus** <sup>3</sup>: «*Si quis dixerit atque crediderit Filium Dei Deum passum, anathema sit*». Cuius dicti causam, ex qua intelligentia sumenda <sup>10</sup> est, aperiens, in eodem subdit <sup>4</sup>: «*Si quis dixerit quod in passione dolorem sentiebat Filius Dei Deus, et non caro tantum cum anima quam sibi acceperat, anathema sit*».

5. Sane igitur dici potest quod mortuus est Deus et non mortuus, passus est Dei Filius et non passus, passa est tertia persona et non passa, <sup>15</sup> crucifixum est Verbum et non crucifixum. Secundum alteram naturam passus est, secundum alteram impassibilis. — Unde **Ambrosius** <sup>5</sup>: «*Generalis ista est fides: quia Christus est Dei Filius et natus ex Virgine. Quem quasi gigantem Propheta describit* <sup>6</sup>, eo quod biformis geminaeque naturae unus sit, consors divinitatis et corporis. Idem ergo patiebatur et <sup>20</sup> non patiebatur, moriebatur et non moriebatur, sepeliebatur et non sepeliebatur, resurgebat et non resurgebat. Resurgebat secundum carnem quae mortua fuerat, non secundum Verbum quod apud Deum semper manebat».

DISTINCTIO XXII

Cap. 1 (70).

1. **Si Christus in morte fuit homo**. Hic quaeritur utrum in illo triduo mortis Christus fuerit homo.

<sup>11</sup> sentiebat] senserit N, sentiret V. <sup>13</sup> igitur] ergo X, om. BC. <sup>17</sup> ista est *trp.* CLNRVX. <sup>26</sup> fuit] fuerit BCX.

<sup>1</sup> *De incarnat. dom. sacramento*, c. 5, n. 44 (PL 16 [1845], 829 D - 830 A; CSEL 79, 246s). <sup>2</sup> I Petri 4, 1. <sup>3</sup> *Sermo* 233, n. 2 (inter opp. August., PL 39, 2176; cf. PL 56, 587 A); ut iam notatur, est *Symbolum fidei* Concilii Toletani I (DS, n. 196). <sup>4</sup> *Sermo* 233, n. 3 (2176); ex Tomo Damasi, alias *Epistola IV Damaso I* attributa, n. XIV (PL 13, 362 A, et alibi; cf. *Clavis*, n. 1633). <sup>5</sup> *De incarnationis dom. sacramento*, c. 5, nn. 35-36 (PL 16 [1845], 827 C - 828 A; CSEL 79, 240s). <sup>6</sup> Resp. Ps. 18, 6: *Exsultavit ut gigas ad currendam viam*.

Dist. XXII: Cf. auctores citatos ad initium Dist. XXI. Quamplura ex hac distinctione



2. **Opinio quorundam** \*. Quod non videtur quibusdam, quia mortuus erat, et homo mortuus non est homo. — Addunt etiam quod si tunc erat homo, vel mortalis, vel immortalis; sed mortalis non, quia mortuus; nec immortalis, quia tantum post resurrectionem.

3. **Responsio qua confirmatur quod homo et qualiter** \*. Quibus respon- 5 demus quia licet homo mortuus fuerit, erat tamen in morte Deus homo; nec mortalis quidem nec immortalis, et tamen vere erat homo. Illae enim et huiusmodi argutiae in creaturis locum habent, sed fidei sacramentum a philosophicis argumentis est liberum. — **Ambrosius** \*. Unde **Ambrosius** 1: « Aufer argumenta, ubi fides quaeritur. In ipsis gymnasiis suis 10 iam dialectica taceat. Piscatoribus creditur, non dialecticis ». — Dicimus ergo in morte Christi Deum vere fuisse hominem, et tamen mortuum; et hominem quidem nec mortalem nec immortalem, quia unitus erat animae et carni seiunctis. Alia enim ratione dicitur Deus homo vel homo Deus, quam Martinus vel Ioannes. Homo enim dicitur Deus, et e converso, 15 propter susceptionem hominis, id est animae et carnis. — **Augustinus** \*. Unde **Augustinus** 2: « Talis erat illa susceptio, quae Deum hominem faceret, et hominem Deum ». Cum ergo illa susceptio per mortem non defecerit, sed Deus homini et homo Deo sicut ante unitus erat, vere et tunc Deus erat homo et e converso, quia unitus animae et carni. Et homo 20 mortuus erat, quia anima a carne divisa erat. Propter separationem animae a carne mortuus, sed propter utriusque secum unionem homo. — Non autem sic erat homo, ut ex anima et carne simul iunctis subsisteret: ex qua ratione dicitur aliquis alius homo; et ipse forte ante mortem hoc etiam modo erat homo 3, et post resurrectionem fuit. In morte vero 25 homo erat tantum propter animae et carnis secum unionem, et mortuus propter inter illa duo divisionem.

2 quod om. BCMT.

1 In libro I De Trinitate (rubr.), id est De fide, I, c. 13, n. 84 (PL 16, 548 B-C; CSEL 78, 36s).  
2 In primo libro De Trinitate (rubr.), c. 13, n. 28 (PL 42, 840; CCL 50, 69); cf. supra, Dist. 7, c. 1, n. 4.  
3 De hac sententia, supra, Dist. 6, c. 2, n. 1.

excerpuntur a Gualtero de S. Victore, in suis primis Additamentis ad *Contra IV Labyrinthos Franciae* (ed. P. Glorieux, 294s.); unde revera sese opponit (inscianter?) theologiae Magistri Hugonis. — Cap. 1 repetitur in toto a Gualtero (p. 294). — Num. 2: Ex *Summa sent.*, I, 19 (PL 171, 1106 B; 176, 79 B - 80 A). — Num. 3: In parte ex eadem et ex Hugone, *De sacram.*, II, 1, 11 (PL 176, 411 D).

Cap. 2 (71).

1. **Si Christus in morte erat homo alicubi, et si ubicumque est homo sit.** Hic quaeritur si Christus in morte alicubi erat homo, et si ubicumque est, homo sit. — Ad quod dicimus quia non ubicumque erat, homo erat; 5 nec modo ubicumque est, homo est: quia ubique est secundum deitatem, nec ubique homo, quia non ubique homini unitus. Sed ubicumque est secundum hominem, ibi homo est. Tempore autem mortis, et ubique erat secundum Deum, et in sepulcro secundum hominem, et in inferno secundum hominem; sed in inferno secundum animam, et in sepulcro secundum carnem 1. Et in sepulcro ergo erat homo, quia humanitati unitus, 10 etsi non toti, quia carni tantum; et in inferno erat homo, quia humanitati unitus; sed non toti, quia animae tantum.

2. **Oppositio** \*. Sed si in inferno animae tantum, et in sepulcro carni tantum unitus erat, ergo nec in inferno unitus erat animae et carni, nec 15 in sepulcro. Quomodo ergo hic vel ibi homo esse dicitur? Quae est ratio dicti? — **Redditio causae** \*. Quia una eademque unione unitus erat animae in inferno et carni in sepulcro; et sic erat illis duobus, tunc separatis, unitus sicut ante separationem, id est ante mortem.

3. **Oppositio** \*. Ad hoc autem opponitur: Si Christus animam tantum 20 vel carnem tantum assumpsisset, non fuisset verus homo; sed propter utriusque assumptionem verus homo fuit. Sic ergo, ubi carnem et animam sibi unitam non habebat, verus homo ibi non erat. Sed tempore mortis nusquam illa duo unita habebat, quia nec in sepulcro, nec in inferno, nec alibi; nusquam ergo erat homo. — Ad quod dicimus quia Christus utique 25 verus homo non fuisset, si carnem et animam non assumpsisset; sed tamen, quia ex quo assumpsit, neutrum deposuit, sed cum utroque eandem unionem indesinenter tenuit quam assumendo contraxit, ideo non incongrue ubicumque animae vel carni vel utrique unitus est, ibi homo

5 deitatem] divinitatem NX Gualt. 11 etsi] sed BCV. || et om. MT Gualt.  
13 Sed om. BCLR Gualt. || animae tantum trp. LNR. 16 Rubrica om. L (lac.) VW  
Gualt. 19 Oppositio om. OTVW. 21 Sic] Si L, corr. ex Si N, om. RX.

1 Cf. Fulgentius, *De fide ad Petrum*, c. 2, n. 11 (PL 65, 677 B; CCL 91A, 718).

Cap. 2, num. 1-2, apud Gualterum, *op. cit.*, 294; in parte fundantur supra Hugonem, *De sacram.*, II, 1, 11 (PL 176, 401 B - 404 B). — Num. 3: Cf. Hugo, *cap. cit.* (PL 176, 403 C-D; et inde 401 D); auctoritas Augustini invenitur in *Glossa primitiva* in Rom. 1, 3 (ad finem n. 12).



esse dicitur, quia ibi humanatus est<sup>1</sup>. Ergo et in sepulcro erat homo, et in inferno erat homo, quia utrobique humanatus erat Christus, et unam eandemque cum anima et carne, licet separatis, habebat unionem. Et uno eodemque tempore in sepulcro iacuit Christus et ad infernum descendit; sed in sepulcro iacuit secundum solam carnem, et in infernum descendit secundum solam animam. — **Augustinus, super Ioannem** \*. Unde **Augustinus**<sup>2</sup>: « Quis non est derelictus in inferno<sup>3</sup>? Christus, sed in anima sola. Quis iacuit in sepulcro? Christus, sed in carne sola. Quia in his singulis Christus est; Christum in his omnibus et in singulis confitemur ».

4. Ex his evidenter ostenditur quod carni iacenti in sepulcro unitus erat Christus, sicut animae in inferno. Alioquin, si carni mortuae non esset unitus, non in ea diceretur iacuisse in sepulcro. Anima igitur ad infernum descendit, caro in sepulcro iacuit, Sapientia cum utroque permansit. Quae « in inferno positus, ut ait **Ambrosius**<sup>4</sup>, lumen vitae fundebat aeternae. Radiabat illic lux vera Sapientiae, illuminabat infernum, sed inferno non claudebatur. Quis enim locus est Sapientiae? de qua scriptum est<sup>5</sup>: *Nescit homo vias eius, nec inventa est inter homines; de qua abyssus dicit: Non est in me; mare dicit: Non est mecum.* Ergo nec in tempore nec in loco Sapientia est. Cui nec mors tribuenda est: « in ligno<sup>6</sup> enim caro, non illa operatrix omnium substantia divina pendebat ». Confitemur tamen Christum pependisse in ligno et iacuisse in sepulcro, sed in carne, et fuisse in inferno, sed in anima sola.

### Cap. 3 (72).

1. **Quod Christus ubique totus est, sed non totum: ut totus est homo vel Deus, sed non totum.** Utique totus eodem tempore erat in inferno, totus in caelo, totus ubique. Persona enim illa aeterna non maior erat

4 in sepulcro *trp. p.* Christus ABC. 15 Quae] quia LORX. 17 sed] in *add.* ABCRTV, *add. sed del.* N. 21 substantia divina *trp.* BCV. 25 est<sup>2</sup> *om.* ABCLVX. 26 Utique] Et *praem.* MNTVX.

<sup>1</sup> Cf. supra, Dist. 7, c. 1, n. 17. <sup>2</sup> Tract. 78, n. 3 (PL 35, 1836; CCL 36, 525). <sup>3</sup> Act. 2, 31. <sup>4</sup> In tertio libro de Spiritu Sancto (rubr.), scil. De incarn. dom. sacramento, c. 5, nn. 41-42 (PL 16 [1845], 829 A-B; CSEL 79, 244s). <sup>5</sup> Iob 28, 13-14. <sup>6</sup> Ambrosius, *ibid.*, c. 6, n. 50 (831 B; 249).

Cap. 3, num. 1: Auctoritates ps.-Augustini et ipsius Augustini, in *Glossa* in I Cor. 2, 8 (PL 191, 1550 A); in parte, in *Summa sent.*, I, 19 (PL 171, 1106 A; 176, 79 A).

ubi carnem et animam simul unita sibi habebat, quam ubi alterum tantum; nec maior erat ubi utrumque simul vel alterum tantum unitum habebat, quam ubi erat neutrum habens unitum. Totus ergo Christus et perfectus ubique erat. — **Augustinus in Expositione fidei contra Felicianum** \*. Unde **Augustinus**<sup>1</sup>: « Non dimisit Patrem Christus cum venit in Virginem: ubique totus, ubique perfectus. Uno igitur eodemque tempore totus erat in inferno, totus in caelo. Erat apud inferos resurrectio mortuorum, erat super caelos vita viventium. Vere mortuus, vere vivus: in quo et mortem susceptio mortalitatis excepit, et vitam divinitas non perdidit ». « Mortem<sup>2</sup> igitur Dei Filius et in anima non pertulit et in maiestate non sensit; sed tantum participatione » infirmitatis « Rex gloriae crucifixus est<sup>3</sup> ».

2. Ex his apparet quod Christus eodem tempore totus erat in sepulcro, totus in inferno, totus ubique; sicut et modo totus est ubicumque est, sed non totum. Nec in sepulcro vel in inferno totum erat, etsi totus: sicut Christus totus est Deus, totus homo, sed non totum, quia non solum est Deus vel homo, sed et Deus et homo. 'Totum' enim ad naturam refertur, 'totus' autem ad hypostasim; sicut 'aliud' et 'aliquid' ad naturam, 'alius' vero et 'aliquis' ad personam referuntur. — **Damascenus** \*. Unde **Ioannes**<sup>4</sup>: « Totus est Christus Deus perfectus, non autem totum Deus est: non enim solum Deus est, sed et homo; et totus homo perfectus, non autem totum homo: non solum enim homo, sed et Deus. 'Totum' enim naturae est repraesentativum, 'totus' autem hypostaseos; sicut 'aliud' quidem est naturae, 'alius' autem hypostaseos »; sic et huiusmodi.

1 unita] unitam CLVX. || unitas sibi *trp.* BCLR. 4-5 Rubrica *om.* RVW. 11 tantum] tamen ANW. 15 vel] nec BMV. 17 homo<sup>2</sup>] est *add.* LOW. 19 Damascenus *om.* RVW, *Iohannes praem.* BCNX. 20 Ioannes] Damascenus *add.* BCR *Gualt.*

<sup>1</sup> Id est Vigilius Thapsensis, *Contra Felicianum*, c. 14 (PL 42, 1170; c. 21, in PL 62, 349 A). <sup>2</sup> *Ibid.*, c. 16 (1171s; vel c. 24, 351 A). <sup>3</sup> August., *De Trinit.*, I, c. 13, n. 28 (PL 42, 840; CCL 50, 69). <sup>4</sup> *De fide orthodoxa*, III, c. 7 (PG 94, 1011 B-C); versio est Burgundionis, c. 51, n. 5 (ed. E. Buytaert, 194).

Num. 2: Mediante Ioanne Damasceno, introducendo distinctionem inter *totus* et *totum* Magister aliquantulum positionem Hugonis corrigit (cf. *De sacram.*, II, 1, 11; PL 176, 403 D); saltem in parte excerpitur hic numerus a Gualtero, una cum conclusione (n. 3) capituli sequentis (p. 295).



## Cap. 4 (73).

1. Si ea quae dicuntur de Deo vel de Filio Dei, possint dici de homine illo vel de filio hominis. Solet etiam quaeri si congruenter dici possit filius hominis vel ille homo descendisse de caelo vel ubique esse, sicut dicitur Filius Dei vel Deus de caelo venisse et ubique esse.

2. Ad quod dicimus: Si ad unitatem personae referatur dicti intelligentia, sane dici potest; si vero ad distinctionem naturarum, nullatenus concedendum est. — Augustinus, Contra Maximinum \*. Unde Augustinus<sup>1</sup>: «Una persona est Christus, Deus et homo. Ideo dicitur 2: Nemo ascendit in caelum, nisi qui descendit de caelo etc. Si ergo attendas distinctionem substantiarum, Filius Dei descendit, et filius hominis crucifixus est; si vero unitatem personae, et filius hominis descendit, et Filius Dei crucifixus est. Propter hanc unitatem personae non solum filium hominis descendisse de caelo, sed etiam dixit<sup>3</sup> esse in caelo, cum loqueretur in terra». — Augustinus in primo libro De Trinitate \*. Propter hanc eandem «dicitur<sup>4</sup> Deus gloriae crucifixus, qui tamen ex forma servi tantum crucifixus est, non secundum hoc quod Deus gloriae est, secundum quod glorificat suos; et tamen dicitur Deus gloriae crucifixus, recte quidem: non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis<sup>5</sup>. Quid ergo propter quid, et quid secundum quid dicatur, prudens et diligens et pius lector intelligat».

3. Haec de corrigia calceamenti dominici<sup>6</sup> sufficiant, ne ossa regis Idumaeae consumantur usque in cinerem<sup>7</sup>.

2 possint] possunt BCLMX. 8 et 15 Rubricae om. VW. 11 distinctionem] distinctiones AOW. 13 crucifixus est *trp.* BMNTW. 15 primo om. BLOX, *trp.* p. libro CMT. 17 est<sup>2</sup>] sed *add.* ABCRTV, quod *del.* B, et *add.* O. || secundum<sup>2</sup> *corr.* in sed L, *corr.* ex sed N.

<sup>1</sup> Lib. II, c. 20, n. 3 (PL 42, 789s). <sup>2</sup> Ioan. 3, 13. <sup>3</sup> Resp. Ioan. 3, 13: *Filius hominis, qui est in caelo.* <sup>4</sup> Cap. 13, n. 28 (PL 42, 840; CCL 50, 69), *contracte.* Resp. I Cor. 2, 8: *Nunquam Dominum gloriae crucifixissent; et Phil. 2, 7: Formam servi accipiens.* <sup>5</sup> Resp. II Cor. 13, 4: *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* <sup>6</sup> Videtur supra, Dist. 2, c. 2, n. 2, et notam illic appositam. <sup>7</sup> Resp. Amos 2, 1: *Haec dicit Dominus: Super tribus sceleribus Moab, et super quatuor non convertam eum, eo quod incenderit ossa regis Idumaeae usque ad cinerem* (cf. IV Reg. 3, 27); *Glossa ordin.* in Amos 2, 1: «Allegorice: Ossa regis Idumaeae est spiritualis intelligentia solidissima et firmissima, quae versatur in littera. Sed hanc convertunt Iudaei in carnes et redigunt in cineres quando dimissa vigore spirituali, soli litterae adhaerunt» (apud Lyranum, IV, 360a-b); in parte ex Hieron. in h.l. (PL 25 [1845], 1003 C).

Cap. 4, num. 2: Auctoritates Augustini, in *Glossa* in I Cor. 2, 8 (PL 191, 1549 C et B).

## DISTINCTIO XXIII

## Cap. 1 (74).

1. Si Christus habuerit fidem et spem ut caritatem. Cum vero supra<sup>1</sup> perhibitum sit Christum plenum gratia fuisse, non est supervacuum inquirere utrum fidem et spem, sicut caritatem, habuerit. Si enim his caruit, non videtur plenitudinem gratiarum habuisse.

2. De his tribus hic tractandum est, et prius de fide \*. Ut autem haec quaestio valeat apertius explicari, de his singulis aliqua in medium proferenda sunt; et primum de fide, secundum mensuram cuius praecipit<sup>2</sup> Apostolus<sup>2</sup> unicuique sapere.

## Cap. 2 (75).

1. Quid sit fides. Fides est virtus qua creduntur quae non videntur<sup>3</sup>. Quod tamen non de omnibus quae non videntur accipiendum est, sed de his tantum quae credere, ut ait Augustinus<sup>4</sup>, «ad religionem pertinet». Multa enim sunt quae «si christianus ignoret, nihil metuendum est», quia non ideo a religione deviat.

3 habuerit BOVWX *elenchus capp.*, habuit *alii.* || ut] et BLR. 7 Rubrica om. RVW. || et] sed BCX. 12 Fides] autem *add.* NVX. 14-15 pertinet] pertinent BCTV, quod *corr.* T. 16 deviat] Augustinus in libro de predestinatione sanctorum: *Credere ipsum nihil est aliud quam cum assensione cogitare add. in summo folio T, in tertia col. (infra, ad c. 4, n. 1) W. Cf. supra, Lib. II, d. 26, c. 4, n. 4 (tom. I, 475). Omittunt omnes alii nostri codices.*

<sup>1</sup> In Dist. 13, n. 1. <sup>2</sup> Resp. Rom. 12, 3: *Sed sapere ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei.* <sup>3</sup> *Glossa ordin.* in Rom. 1, 17 (apud Lyranum, VI, 5a; cod. 1 2a, m 2a); ex August., *Enchiridion*, c. 8: «Sed melius hanc appellamus fidem... earum scilicet rerum quae non videntur» (PL 40, 235; CCL 46, 52). <sup>4</sup> *Enchiridion* (rubr.), c. 9 (PL 40, 235; CCL 46, 52).

Dist. XXIII-XXVI. Cf. G. Englhardt, *Die Entwicklung der dogmatischen Glaubenspsychologie in der mittelalterlichen Scholastik vom Abaelardstreit (um 1140) bis zu Philipp dem Kanzler (gest. 1236)*, in BGPTMA XXX, Heft 4-6 (Muenster in W., 1933), 5-114. — Cap. 2-3: Quaestiones iam proponuntur in *Glossa* in Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 A), ubi et definitio ad initium cap. 2 posita (cf. etiam 1323 D) et tres modi fidei ut in cap. 3, num. 1; cf. G. Englhardt, *Die Entwicklung*, 44-46.



## Cap. 3 (76).

1. **Quot modis dicitur fides.** Accipitur autem fides tribus modis, scilicet pro eo quo creditur et est virtus, et pro eo quo creditur et non est virtus, et pro eo quod creditur: quod aliud est ab eo quo creditur. — **Augustinus in XIII libro De Trinitate** \*. Unde Augustinus inquit<sup>1</sup>: « Aliud sunt ea quae creduntur, aliud fides qua creduntur. Illa enim in rebus sunt, quae vel esse vel fuisse vel futura esse dicuntur; haec autem in animo credentis est, ei tantum conspicua cuius est ». Et tamen nomine fidei censetur utrumque, et illud scilicet quod creditur, et id quo creditur. Id quod creditur dicitur fides, sicut ibi<sup>2</sup>: « Haec est fides catholica, quam nisi quisque fideliter firmiterque crediderit, salvus esse non poterit ».

2. Fides autem qua creditur, si cum caritate sit, virtus est, quia « caritas, ut ait Ambrosius<sup>3</sup>, mater est omnium virtutum », quae omnes informat<sup>4</sup>, sine qua nulla vera virtus est. Fides ergo operans per dilectionem<sup>5</sup> virtus est qua non visa creduntur.

3. **Augustinus in libro De fide et operibus** \*. Haec est fundamentum quod mutari non potest, ut ait Apostolus<sup>6</sup>; quae posita in fundamento,

<sup>1</sup> quod<sup>2</sup>] et BC. || allud est *trp.* BCL. |||<sup>o</sup> B.

<sup>5</sup> Rubr. om. LVW. || XIII] |||<sup>o</sup> ACNOR.

<sup>1</sup> Cap. 2, n. 5 (PL 42, 1016s; CCL 50A, 386). <sup>2</sup> In fine symboli *Quicumque* Athanasio attributi (inter opp. Athanasii, PG 28, 1583 C); DS n. 76. <sup>3</sup> *Ambr. super ep. ad Rom.* (rubr.), mediante *Glossa ordin.* in Rom. 14, 5: « Caritas est mater omnium » (cod. 1, f. 30a), cui additur « virtutum » in editionibus (apud Lyranum, VI, 29a; PL 114, 515 B). Reapse autem Ambrosiaster, in Rom. 14, 5: « Caritas, quae quasi mater est animarum » (PL 17 [1845], 167 A; CSEL 81, 432 et 433). Econtra, Hieronymus, in *Epist. 82 (ad Theophilum)*: « cunctarum virtutum mater est caritas » (PL 22 [1859], 742; CSEL 55, 118). Quem postea forsitan inscie sequitur Leo Magnus, *Sermo 38*, n. 4: « ipsam matrem virtutum omnium caritatem in secretis suae mentis inquirat... » (PL 54, 262 B). <sup>4</sup> Cf. *Glossa Magistri* in Ps. 118, 96: « omne bonum opus in caritate radicatur et formatur » (PL 191, 1092 A). <sup>5</sup> Resp. Gal. 5, 6. <sup>6</sup> Resp. I Cor. 3, 11: *Fundamentum enim aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus.*

Cap. 3, num. 1: Auctoritas Augustini, in *Glossa* in Eph. 4, 5 (PL 192, 197 C-D; ex Floro in h.l., col. 582). Quod sequitur, ex *Glossa* in Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 B). — Num. 2: Partim ex *Glossa* in Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 B), ubi tamen caritas dicitur forma omnium virtutum; cf. in Rom. 14, 5, ubi cum Ambrosiastro *mater* vocatur (PL 191, 1513 D). — Num. 3: Ex *Glossa* in I Cor. 3, 11 (PL 191, 1556 C). — Num. 4: Ex *Glossa* in Gal. 5, 6 (PL 192, 154 C-D).

neminem perire sinit. Unde Augustinus<sup>1</sup>: « Fundamentum est Christus Iesus, id est Christi fides, scilicet quae per dilectionem operatur<sup>2</sup>, per quam Christus habitat in cordibus<sup>3</sup>, quae neminem perire sinit. Alia vero non est fundamentum ».

5 4. **Augustinus, super Epistolam Ioannis** \*: « Fides<sup>4</sup> enim sine dilectione inanis est. Fides cum dilectione christiani est; alia daemonis est, nam et daemones credunt et contremiscunt<sup>5</sup> ». — **Augustinus, De verbis Domini** \*: « Sed<sup>6</sup> multum interest utrum quis credat Christum, vel Christo, vel in Christum: nam ipsum esse Christum daemones crediderunt<sup>7</sup>, nec tamen in  
10 Christum crediderunt ».

## Cap. 4 (77).

1. **Quid sit credere Deum vel Deo vel in Deum.** — **Beda; Augustinus** \*: « Aliud<sup>8</sup> est enim credere in Deum, aliud credere Deo, aliud credere Deum. Credere Deo, est credere vera esse quae loquitur: quod et mali faciunt; et nos credimus homini, sed non in hominem. Credere Deum, est credere quod ipse sit Deus: quod etiam mali faciunt. Credere in Deum, est credendo amare, credendo in eum ire, credendo ei adhaerere et eius membris incorporari ». [— **Augustinus, super Psalmum** \*:] « Per<sup>9</sup> hanc fidem iustificatur impius, ut deinde ipsa fides incipiat per dilectionem operari.  
20 Ea enim sola bona opera dicenda sunt, quae fiunt per dilectionem

<sup>12</sup> Beda om. LRVW. || Augustinus NOT, om. alii.  
<sup>18</sup> Rubrica om. codices (sumpta ex *Glossa* in Rom. 4, 3).

<sup>13</sup> est enim *trp.* AOTV.

<sup>1</sup> In libro *De fide et operibus* (rubr.), c. 16, n. 27 (PL 40, 215; CSEL 41, 69s); iam in parte (sed anonym.) in *Glossa ordin.* in I Cor. 3, 11 (apud Lyranum, VI, 37c; cod. 1 42d, m 42a). <sup>2</sup> Gal. 5, 6. <sup>3</sup> Resp. Eph. 3, 17. <sup>4</sup> Scil. In I Ioan., tr. 10, n. 2 (PL 35, 2055); « Fides... daemonis est »; iam in *Glossa ordin.* in Gal. 5, 6 (apud Lyranum, VI, 86c; cod. 1 110d, m 103d). <sup>5</sup> Iac. 2, 19. <sup>6</sup> *Sermo 144*, c. 2, n. 2 (PL 38, 788). <sup>7</sup> Resp. Marc. 3, 11-12; 5, 6-7; Luc. 4, 34. <sup>8</sup> In parte, ut videtur (haesitantes dicimus), ex *Glossa ordin.* in Iac. 2, 23 (apud Lyranum, VI, 213a), confecta ex Beda, In Iac. 2, 19 (PL 93, 22 A), et Augustino, In Ioan., tr. 29, n. 6 (PL 35, 1631; CCL 36, 287); vide etiam notam infra de fontibus. <sup>9</sup> *Enarr.* in Ps. 67, 32-33, n. 41 (PL 36, 838; CCL 39, 898).

Cap. 4: Cf. Th. Camelot, *Credere Deo, credere Deum, credere in Deum: pour l'histoire d'une formule traditionnelle*, in *Revue des sciences phil. et théol.*, 30 (1941-1942) 149-152; et C. Mohrmann, *Credere in Deum*, in *Mélanges J. de Ghellinck*, 1, Gembloux 1951, 277-285. — Num. 1: Ex *Glossa* in Rom. 4, 3 (PL 191, 1367 C), praeter verba « et nos... hominem » et infra, « credendo ei adhaerere », quae inveniuntur in *Glossa* in Ps. 77, 8 (PL 191, 727 C). Ultima auctoritas (« Ipsa etiam... »), ex *Glossa* in Gal. 5, 6 (PL 192, 154 C).



Dei». — **Augustinus, super Ioannem \***: « Ipsa<sup>1</sup> etiam dilectio opus fidei dicitur ».

2. Fides igitur quam daemones et falsi christiani habent, qualitas mentis est, sed informis, quia sine caritate est. Nam et malos fidem habere, cum tamen caritate careant, Apostolus ostendit dicens<sup>2</sup>: *Si habuero omnem fidem, caritatem autem non habuero* etc. Quae fides etiam donum Dei dici potest, quia et in malis quaedam Dei dona sunt<sup>3</sup>.

Cap. 5 (78).

**An illa informis qualitas mentis, quae in malo christiano est, fiat virtus cum fit bonus.** Si vero quaeritur utrum illa informis qualitas, quae malus christianus universa credit quae bonus christianus, accedente caritate remaneat et fiat virtus, an ipsa eliminetur, et alia qualitas succedat quae virtus sit, utrumlibet sine periculo dici potest. Mihi tamen videtur quod illa qualitas quae prius erat, remaneat, et accessu caritatis virtus fiat.

Cap. 6 (79).

1. **Ex quo sensu dicatur una fides.** Cumque diversis modis dicatur fides, fatendum est tamen unam esse fidem, ut ait Apostolus<sup>4</sup>: *Unus Dominus, una fides*. Sive enim accipiatur fides pro eo quod creditur, sive pro eo quod creditur, recte dicitur fides una.

2. **Ambrosius \***. Si pro eo quod creditur accipiatur, ex hac intelligentia dicitur *una fides*, quia « idem iubemur credere »<sup>5</sup>, et « unum idemque

<sup>1</sup> Rubrica om. RVW; ad p. 143, 18 in aliis codd.

<sup>7</sup> Dei dona trp. AMW.

<sup>1</sup> In I Ioan., tr. 10, n. 1: « Opus autem fidei ipsa dilectio est » (PL 35, 2054).  
<sup>2</sup> I Cor. 13, 2; *Glossa interl.*: « etsi illa magna »; et *ordin.*: « Habent haec utique et mali » (apud Lyranum VI, 54a; cod. 1 63c, m 61d); unde Magister: « Etsi illa magna sint, habent illa utique etiam mali » (PL 191, 1659 C). <sup>3</sup> Cf. verba Augustini: « etiam malis multa praestitit bona » (supra, Dist. 20, c. 1, ad finem n. 2). <sup>4</sup> Eph. 4, 5. <sup>5</sup> *Glossa ordin.* in Eph. 4, 5 (apud Lyran., VI, 93c; cod. 1 120b, m 112c).

Num. 2: In parte ex *Glossa* in Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 B-C); cf. etiam in I Cor. 13, 2 (PL 191, 1659 C-D).

Cap. 5: Ex eadem *Glossa* in Rom. 1, 17; cui additur conclusio ipsius Magistri. — Cap. 6: Partim ex *Glossa* in Eph. 4, 5 (PL 192, 197 C); auctoritas autem Augustini, suggerente *Glossa*, sumi videtur ex originali.

est quod creditur »<sup>1</sup> a cunctis fidelibus; unde fides 'catholica' dicitur<sup>2</sup>, id est universalis.

3. Si vero accipitur fides pro eo quo creditur, ea ratione dicitur una esse fides: non quia sit una numero in omnibus, sed genere, id est similitudine<sup>3</sup>. — **Augustinus in libro XIII De Trinitate \***. Unde Augustinus<sup>4</sup>: « Fides, quam qui habent fideles vocantur, et qui non habent infideles, communis est omnibus fidelibus; sicut pluribus hominibus facies communis esse dicitur, cum tamen singuli suas habeant. Non enim fides numero est una, sed genere; quae cum sit in uno, est et in aliis: non ipsa, sed similis; et propter similitudinem magis unam dicimus esse quam multas. Sicut idem volentium dicitur voluntas una, cum cuique sit sua voluntas; et duorum simillimorum dicitur facies una ».

Cap. 7 (80).

1. **Quod fides est de his quae non videntur proprie, quae tamen videtur ab eo in quo est.** Notandum quoque est quod fides proprie de non apparentibus tantum est. — **Gregorius in homelia quadam \***. Unde Gregorius<sup>5</sup>: « Apparentia non habent fidem, sed agnitionem ». — **Idem in Dialogo \***. Idem<sup>6</sup>: « Cum Paulus dicat<sup>7</sup>: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium*, hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri: nam credi iam non potest, quod videri potest ». « Thomas<sup>8</sup> aliud vidit, et aliud credidit: hominem vidit, et Deum confessus est dicens<sup>9</sup>: *Deus meus et Dominus meus* ».

2. **Augustinus in libro XIII De Trinitate \***. De hoc etiam Augustinus ait<sup>10</sup>: « Fidem ipsam videt quisque in corde suo esse si credit, vel non esse si non credit. Non sicut corpora quae videmus oculis corporis,

<sup>3</sup> accipitur] accipiatur BCN. <sup>3-4</sup> una esse trp. LVX. <sup>5</sup> Rubrica om. LRW.  
<sup>8</sup> habeant] habent BCV, quod corr. V. <sup>10</sup> dicimus esse trp. ABCN. <sup>11</sup> cum] tamen  
add. NOV. <sup>23</sup> etiam om. LNRV. <sup>25</sup> corporis] corporeis N Aug., vel corporeis  
add. interl. V.

<sup>1</sup> Ambr. (rubr.), id est Ambrosiaster, In Eph. 4, 4 (PL 17 [1845], 386 B; CSEL 81-III, 96). <sup>2</sup> Uti supra, cap. 3, n. 1. <sup>3</sup> *Glossa ordin.* in Eph. 4, 5 (apud Lyran., VI, 93c; cod. 1 120a, m 112c). <sup>4</sup> Cap. 2, n. 5 (PL 42, 1016s; CCL 50A, 385ss). <sup>5</sup> In Evang., hom. 26, n. 8 (PL 76, 1202 A). <sup>6</sup> Lib. IV, c. 6 (PL 77, 329 A). <sup>7</sup> Hebr. 11, 1. <sup>8</sup> Gregorius, In Evang., loc. cit. <sup>9</sup> Ioan. 20, 28. <sup>10</sup> Cap. 1, n. 3 (PL 42, 1014s; CCL 50A, 383).

Cap. 7, num. 1: Ex *Summa sent.*, 1, 2 (PL 171, 1069 D; 176, 44 B).



et per ipsorum imagines quas memoria tenemus etiam absentia cogitamus. Nec sicut ea quae non vidimus, et ex his quae vidimus cogitatione utcumque formamus, et memoriae commendamus. Nec sicut hominem cuius animam, etsi non videmus, ex nostra conicimus; et ex motibus corporis hominem, sicut videndo didicimus, intuemur etiam cogitando. Non sic videtur fides in corde in quo est ab eo cuius est; sed eam tenet certissima scientia. Cum igitur ideo credere iubeamur, quia id quod credere iubemur, videre non possumus, ipsam tamen fidem, quando est in nobis, videmus in nobis; quia et rerum absentium praesens est fides, et rerum quae foris sunt intus est fides, et rerum quae non videntur videtur fides. Et ipsa temporaliter fit in cordibus hominum; et si ex fidelibus infideles fiunt, perit ab eis ».

3. His verbis evidenter traditur fidem ipsam in corde hominis ab ipso homine videri, non corporaliter, non imaginarie, sed intellectualiter; et ipsam tamen absentium et eorum quae non videntur esse. Ut enim Augustinus alibi ait 1, « credimus ut cognoscamus, non cognoscimus ut credamus. Quid est enim fides, nisi credere quod non vides? Fides ergo est, quod non vides credere; veritas, quod credidisti videre ».

4. Unde recte fides dicitur 2 *argumentum* vel convictio rerum *non apparentium*, quia si fides est, ex eo convincitur et probatur aliqua esse non apparentia, cum fides non sit nisi de non apparentibus.

#### Cap. 8 (81).

1. **Descriptio fidei.** Ait enim Apostolus 3: *Fides est substantia rerum sperandarum, argumentum* vel convictio *non apparentium*: quia per fidem subsistunt in nobis etiam modo speranda, et subsistent in futuro per experientiam. Et ipsa est probatio et *convictio non apparentium*, quia si

1 memoria] memorie LORW, quod corr. interl. R. 2 vidimus... vidimus] videmus... videmus LOR. || cogitatione] cogitationem TX. 10 videtur fides trp. BCNX.  
13 His verbis] Hic LR. || verbis om. AMTX. 16 Augustinus trp. p. ait BCX.  
19 (et 26) convictio] convictio CLMNRX, quod corr. M (interl.) NX.

1 Super Ioan. (rubr.), tr. 40, n. 9 (PL 35, 1690; CCL 36, 355). 2 Resp. Hebr. 11, 1.  
3 Hebr. 11, 1; loco *argumentum non apparentium* (Vulg.), Augustinus habet *convictio rerum quae non videntur*, v. gr. in *Enchiridion*, c. 8 (PL 40, 235; CCL 46, 52); et *De Trinit.*, XIII, c. 1, n. 3 (PL 42, 1015; CCL 50A, 383).

Num. 3: Auctoritas Augustini invenitur tam in *Summa sent.*, I, 2 (PL 171, 1070 A, sub nomine Aug.; 176, 44 C, anonyma) quam in *Glossa* ad I Tim. 2, 3 (PL 192, 340 A). Si sequimur rubricam, fons est *Glossa*. — Cap. 8, num. 1: Mixtim ex *Summa sent.*, I, 1 (PL 171, 1068 A-B; 176, 43 A-B) et *Glossa* in Hebr. 11, 1 (PL 192, 488 B-C).

quis de eis dubitet, per fidem probantur: ut adhuc probatur futura resurrectio, quia ita crediderunt Patriarchae et alii Sancti. Vel probatio est et certitudo quod sint aliqua non apparentia, ut supra dictum est 1. Proprie autem fides dicitur *substantia rerum sperandarum*, quia sperandis substat, et quia fundamentum est bonorum quod nemo mutare potest.

2. **Si illa descriptio spei conveniat.** Si vero quaeritur an haec descriptio spei conveniat, sane concedi potest utrumlibet. Si autem dicatur convenire, sunt et alia plura quibus differunt fides et spes 2. Sed non improbe dici potest soli fidei convenire, non spei, quia fides sola fundamentum dicitur 3: non quia fides virtus possit esse sine spe et caritate. — Augustinus in *Enchiridion* \*. Unde Augustinus 4: « Fides operans per dilectionem 5 utique sine spe non potest esse, nec amor sine spe, nec sine amore spes; nec utrumque sine fide, et fides sine amore nihil prodest 6 ».

3. Potest tamen credi aliquid, quod non speratur; nihil autem potest sperari, quod non creditur. Ideoque credere, quod est actus fidei, naturaliter praecedit sperare, quod est actus spei; quia nisi aliquid credatur, non potest sperari; creditur autem quod non speratur. Inde est quod in Scriptura 7 plerumque reperitur quod fides praecedit spem, et spes sequitur fidem: non quod virtus fidei praecedat virtutem spei tempore vel causa, sed quia actus fidei naturaliter praecedit actum spei. Quod etiam quidam 8 concedunt de ipsa virtute fidei, ut naturaliter praecedat spem, non tempore.

#### Cap. 9 (82).

1. **Quare fides sola dicitur fundamentum** \*. Unde et recte ea sola dicitur fundamentum omnium virtutum et bonorum operum 9.

4 autem] tamen ANW. 24 et add. interl. M, om. BCNX.

1 Cap. 7, n. 4. 2 De quibus infra, Dist. 26, c. 3. 3 Vide supra, c. 3, nn. 2-3.  
4 Cap. 8 (PL 40, 235; CCL 46, 52); Magister mutat ordinem verborum. 5 Resp. Gal. 5, 6.  
6 Resp. I Cor. 13, 3. 7 I Cor. 13, 13: *Manent fides, spes, caritas, tria haec.* 8 Ita auctor *Summae sent.*, I, c. 2 (PL 171, 1069 A-B; 176, 43 C-D); *Glossa interl.* in Matth. 1, 2: « Abraham (fides) genuit Isaac (spes). Isaac (spes) autem genuit Iacob (caritas) » (apud Lyran., V, 5r-v); Petrus Abaelardus, *Theologia « Scholarium »*, I, 2 (PL 178, 984 B-C) seu n. 18 (ed. E. M. Buytaert, CCL Cont. Med. 12, 406); et *Sententiae Hermannii*, c. 2 (PL 178, 1696 A).  
9 Ita auctoritates in nota praecedenti citatae; quibus addi potest ipse Magister, *Glossa* in Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 B), et in Hebr. 11, 1 (PL 192, 488 A).

Num. 3: quodammodo fundatur in *Summa sent.*, I, c. 2 (PL 171, 1069 A-B; 176, 43 C).



2. Non autem fundamentum est caritatis: quia non ipsa caritatis, sed caritas ipsius virtutis fidei causa est. Caritas enim causa est et mater omnium virtutum<sup>1</sup>. (**Augustinus, super Ioannem 2\***): « Quae si desit, frustra habentur cetera; si autem adsit, habentur omnia ». Caritas enim Spiritus Sanctus est, ut in superioribus<sup>3</sup> praetaxatum est. Ipsa est ergo causa omnium virtutum, non ipsius aliqua virtutum causa est, quia omnia munera excellit. Unde Augustinus<sup>4</sup>: « Respice ad munera Ecclesiae, et universis excellentius caritatis munus cognosces »; « quae ut oleum non potest premi in imo, sed superexsilit ». Non ergo eius causa vel fundamentum fides est.

3. **Gregorius\***. Gregorius tamen, *Super Ezechielem*<sup>6</sup>, dicit: « Quia nisi prius fides teneatur, nullatenus ad spiritualem amorem attingitur. Non enim caritas fidem, sed fides caritatem praecedit, quia nemo potest amare quod non crediderit », sicut nec sperare. — Sed hoc accipi potest dictum de fide quae virtus non est: ipsa enim spem et caritatem frequenter praecedit. Vel de actu fidei, qui forte naturaliter actum caritatis praecedit, sicut actum spei. Quod verba praemissa, diligenter notata, innuunt; et ea etiam quae addit dicens<sup>7</sup>: « Nisi ea, inquit, quae audis credideris, ad amandum ea quae audis non inflammabis »: quae tantum de non visis est, ut ante diximus<sup>8</sup>. — **Ioannes Chrysostomus\***. Unde Chrysostomus<sup>9</sup>: « Fides in anima nostra facit subsistere ea quae non videntur », de quibus proprie fides est: de visis enim non est fides, sed agnitio<sup>10</sup>.

3 Rubrica om. LRVW. 11 Gregorius (rubr.) om. LORVW. 16 naturaliter  
trp. p. caritatis BCL. 20 Rubrica om. BCRVWX.

<sup>1</sup> Vide supra, c. 3, n. 2. <sup>2</sup> Tract. 9, n. 8 (PL 35, 1462; CCL 36, 95). <sup>3</sup> Lib. I, dist. 17 (tom. I, 141-52). <sup>4</sup> *Super Ps. CIII* (rubr.), 3, sermo 1, n. 9 (PL 37, 1343; CCL 40, 1482). <sup>5</sup> August., *In Ioan.*, tr. 6, n. 20 (PL 35, 1435; CCL 36, 64). <sup>6</sup> Lib. II, hom. 4, n. 13 (PL 76, 981 A-B). <sup>7</sup> Ibid. (981 B). <sup>8</sup> In cap. 7 huius Distinctionis. <sup>9</sup> *In Hebr.*, hom. 21, n. 2 (PG 63, 151). <sup>10</sup> Uti dicitur supra, c. 7, n. 1.

Num. 2: Auctoritates Augustini, ex *Glossa* in I Cor. 13, 1 (PL 191, 1658 D - 1659 A). — Num. 3: Verba Chrysostomi, ex *Glossa* in Hebr. 11, 1 (PL 192, 488 B). — Hic ad finem aliqui codices addunt: « Augustinus in libro De praedestinatione sanctorum: Credere ipsum nihil est aliud quam cum assensione cogitare » (cod. T in summo folio 148d; in marg. codd. Paris., Bibl. Nat. lat. 3025, 3028; in tertia col. cod. W, codd. Paris., Bibl. Nat. lat. 3020, 3027 A); meliores autem omittunt. De qua auctoritate cf. supra Lib. II, dist. 26, cap. 4, num. 4 (tom. I, 475, 18-19).

## DISTINCTIO XXIV

## Cap. 1 (83).

1. **Quomodo intelligitur quod scriptum est: Cum factum fuerit, credatis.** Hic quaeritur, si fides tantum de non visis est, quomodo Veritas Apostolis ait<sup>1</sup>: *Nunc dico vobis, priusquam fiat, ut cum factum fuerit, credatis*; ubi innui videtur quod fides illis fuerit de factis et visis.

2. **Augustinus, Super Ioannem\***. Super quo Augustinus<sup>2</sup> movet quaestionem, et absolvit ita inquit: « Quid sibi vult: *Ut cum factum fuerit, credatis?* Haec est laus fidei, si quod creditur non videtur. Nam et Thomas, cui dictum est<sup>3</sup>: *Quia vidisti me et credidisti*, non hoc credit, quod vidit. Cernebat enim et tangebatur carnem viventem, quam viderat morientem, et credebat Deum in carne ipsa latentem. Credebat ergo mente quod non videbat per hoc quod sensibus corporis apparebat. Si vero dicuntur credi quae videntur, sicut dicit unusquisque oculis suis credidisse, non ipsa est quae in nobis aedificatur fides, sed ex rebus quae videntur, agitur in nobis ut ea credantur quae non videntur ». — Ex his aperte intelligitur quod proprie fides non apparentium est; nec illa est fides qua in Christo aedificamur<sup>4</sup>, qua dicimus usitata locutione nos ea credere quae videmus.

3. **Quod etiam de rebus praesentibus dicitur fides, sed improprie\***. Alibi tamen dicit Augustinus<sup>5</sup>, fidem esse de rebus praesentibus: quod erit in futuro, cum per speciem Deum praesentem contemplabimur; quae tamen non proprie dicitur fides, sed veritas. — **Augustinus in libro Quaestionum Evangelii\***: « Est, inquit, fides qua creduntur ea quae non videntur; sed tamen est etiam fides rerum, quando non verbis, sed rebus ipsis praesentibus creditur: quod erit cum per speciem manifestam se

3 est] ut add. BCLX. 7 Rubrica om. RTVW. 8 absolvit] solvit LRV.  
10 et<sup>2</sup> interl. R, om. BCTV. 20 Rubrica om. AVW. 23-24 Rubrica om. LRVW.

<sup>1</sup> Ioan. 14, 29. <sup>2</sup> Tract. 79, n. 1 (PL 35, 1837; CCL 36, 526). <sup>3</sup> Ioan. 20, 29.  
<sup>4</sup> Resp. I Cor. 3, 11. <sup>5</sup> *Quaest. Evang.*, Lib. II, q. 39 (PL 35, 1352).

Cap. 1, num. 1-2: Fons quaestionis, *Summa sent.*, I, 2 (PL 171, 1070 A; 176, 44 C), ubi etiam referuntur in parte verba Augustini (num. 2); tota autem auctoritas trahitur ex *Glossa* in Hebr. 11, 1 (PL 192, 488 B; ex Floro in h.l., col. 806). — Num. 3: Auctoritas Augustini: in parte in *Summa sent.*, ibid. (PL 171, 1070 B; 176, 44 D); plenius in *Glossa* in Rom. 1, 17 (PL 191, 1323 D; dein, 1324 D et A), in parte ex Floro in h.l., col. 38.



contemplandam sanctis praebabit Dei sapientia». — Sed non proprie haec dicitur fides, immo fidei merces ad quam credendo pervenietur, ut «ex fide verborum» transeat iustus «in fidem rerum<sup>1</sup>».

Cap. 2 (84).

1. **Si Petrus habuit fidem passionis quando vidit hominem illum pati.** 5  
Si vero quaeritur utrum Petrus fidem passionis habuit, cum hominem Christum oculis pati cernebat, dicimus eum fidem passionis habuisse: non in eo quod credebat hominem pati, quia hoc videbat; sed in eo quod credebat Deum esse qui patiebatur. Non enim virtus fidei erat, quod credebatur homo pati et mori: quod Iudaeus cernens credebat; sed quod 10 credebatur Deus esse qui patiebatur.

2. Unde Augustinus super illum Psalmi<sup>2</sup> locum: *Respondit ei in via virtutis suae*: «Laus fidei est non quia credit hominem illum mortuum: quod et paganus credit, sed quia credit eum glorificatum» et verum Deum. Credit igitur fides Deum mortuum et hominem glorificatum. Non 15 igitur fuit Petro fides credere hominem illum mori: quod oculis cernebat, sed credere Deum esse qui moriebatur. Nec nobis etiam fides in hoc meretur, quod credimus hominem illum mortuum: quod et Iudaeus credit, sed quia credimus hominem-Deum mortuum.

Cap. 3 (85).

20

1. **Si aliqua sciuntur quae credantur.** Post haec quaeri solet, cum fides sit de non apparentibus et non visis, utrum sit etiam de incognitis tantum: si enim de incognitis tantum est, de his videtur esse tantum quae ignorantur.

<sup>6</sup> habuit] habuerit LMNT.      <sup>12</sup> Psalmi locum *trp.* BCLNRTV.      <sup>21</sup> sciuntur] sciuntur ANVX. || credantur] creduntur LMR.

<sup>1</sup> Ut ait Augustinus, ibidem.      <sup>2</sup> *Enarr. in Ps. 101*, 24, sermo 2, n. 7 (PL 37, 1308; CCL 40, 1442); verba sunt *Glossae interl.* in Ps. 101, 25, in cod. Laur. Plut. XVII, 4, f. 136v; *Glossae autem ordin.* apud Lyran., III, 237a.

Cap. 2, num. 1: de eodem in *Summa sent.*, I, 2 (PL 171, 1060 C; 176, 45 A). — Num. 2: ex *Glossa* in Ps. 101, 24 (PL 191, 914 C). — Cap. 3: Cf. G. Enghardt, *Die Entwicklung der dogm. Glaubenspsychologie*, 49-53.

2. **Quod fides nullo capitur sensu\***. Sed sciendum est quod, cum visio alia sit interior, alia exterior, non est fides de subiectis exteriori visioni; est tamen de his quae visu interiori utcumque capiuntur. Et quaedam utique sic capiuntur ut intelligantur, etsi non ut in futuro; 5 quaedam autem non. Quia cum fides sit *ex auditu*<sup>1</sup>, non modo exteriori, sed interiori, non potest esse de eo quod omnino ignoratur; quae ipsa ad sensum corporis non pertinet, ut Augustinus<sup>2</sup> tradit dicens: «Quamvis *ex auditu* fides in nobis sit, non tamen ad eum sensum corporis pertinet qui dicitur auditus, quia non est sonus; nec ad ullum sensum 10 corporis, quoniam cordis est res ista, non corporis».

3. **Augustinus, super Octonarium X\***. Qaedam ergo fide creduntur quae intelliguntur naturali ratione, quaedam vero quae non intelliguntur. Unde Propheta<sup>3</sup>: *Nisi credideris, non intelliges*. — Quod Augustinus<sup>4</sup> aperte distinguit: «Alia sunt, inquit, quae nisi intelligamus, non 15 credimus; alia quae nisi credamus, non intelligemus». «Nemo tamen potest credere in Deum nisi aliquid intelligat, cum fides sit ex auditu praedicationis». — Idem in libro *De Trinitate*<sup>5</sup>: «Certa fides utcumque inchoat cognitionem; cognitio vero certa non perficitur nisi post hanc vitam». — **Super Octonarium X\***. Ambrosius quoque ait<sup>6</sup>: «Ubi 20 fides, non statim cognitio; ubi cognitio, fides praecedat». — Ex his apparet aliqua credi, quae non intelliguntur vel sciuntur nisi prius credantur; quaedam vero intelligi aliquando etiam antequam credantur.

4. Nec tamen sic intelliguntur modo ut in futuro scientur; et nunc etiam per fidem, qua mundantur corda<sup>7</sup>, amplius intelliguntur, quia 25 nisi per fidem diligatur Deus, non mundatur cor ad eum sciendum. —

<sup>1</sup> Rubrica *om.* BCLMRWX.      <sup>9</sup> ullum] illum CORW, quod *corr.* in ullum OW, *corr. interl.* in alium R.      <sup>19</sup> Rubrica *om.* BCRVWX.

<sup>1</sup> Resp. Rom. 10, 17.      <sup>2</sup> In XIII libro *De Trinitate* (rubr.), c. 2, n. 5 (PL 42, 1016; CCL 50A, 385s).      <sup>3</sup> Isai. 7, 9, iuxta LXX.      <sup>4</sup> *Glossa ordin.* in Ps. 118, 73: *Da mihi intellectum* (apud Lyran., III, 267b; cod. Laur. Plut. XVII, 4, f. 167c); ex August., in h.l., serm. 18, n. 3 (PL 37, 1552; CCL 40, 1724).      <sup>5</sup> Lib. IX, c. 1, n. 1 (PL 42, 961; CCL 50, 292s).      <sup>6</sup> *Expositio de Psalmo 118*, sermo 10, n. 31 (PL 15 [1845], 1342 B; CSEL 62, 222); non invenitur in *Glossa ordin.* in v. 75: *Cognovi, Domine*, saltem ut apparet ex cod. Laurent. cit.; habetur apud Lyranum, III, 267c, probabiliter ex *Glossa Lombardi*, ut infra notatur.      <sup>7</sup> Resp. Act. 15, 9: *Fide purificans corda eorum*; August., *Enarr. in Ps. 118*, 73, serm. 18, n. 3: «Ipsa fide qua credit sanatur, ut intelligat ampliora» (PL 37, 1552; CCL 40, 1724).

Num. 3: Prima auctoritas Augustini, ex *Glossa Magistri* in Ps. 118, 73 (PL 191, 1081 B), ex *Glossa ord.*, uti supra notatur. Alia, ex *Glossa* in Phil. 3, 15 (PL 192, 249 A; ex Floro, col. 639). Illa Ambrosii, ex *Glossa* in Ps. 118, 76 (PL 191, 1082 D).



**Augustinus in VIII libro De Trinitate** \*. Unde Augustinus 1: « Quid est Deum scire, nisi eum mente conspicerem, firmeque percipere? Sed et priusquam valeamus perspicere et percipere Deum sicut percipitur a mundis cordibus 2, nisi per fidem diligatur, non poterit cor mundari quo ad eum videndum sit aptum ». Ecce hic aperte habes quia non potest sciri 5 Deus, nisi prius diligendo credatur.

5. **Quod creduntur et amantur quae ignorantur** \*. Supra autem dictum est 3 quod nemo potest credere in Deum nisi aliquid intelligatur. Unde colligitur non posse sciri et intelligi credenda quaedam nisi prius credantur, et quaedam non credi nisi prius intelligantur, et ipsa per fidem 10 amplius intelligi. Nec ea quae prius creduntur quam intelligantur, penitus ignorantur, cum fides sit *ex auditu* 4; ignorantur tamen ex parte, quia non sciuntur. Creditur ergo quod ignoratur, sed non penitus, sicut etiam amatur quod ignoratur. — **In VIII libro De Trinitate** \*. Unde Augustinus 5: « Sciri aliquid et non diligere potest; diligere vero quod nescitur, 15 quaero utrum possit. Si non potest, nemo diligit Deum antequam sciat. Ubi autem sunt illa tria, fides, spes, caritas, nisi in animo credente quod nondum scit, et sperante et amante quod credit? Amatur ergo et quod ignoratur, sed tamen creditur ».

## DISTINCTIO XXV

20

## Cap. 1 (86).

1. **De fide antiquorum**. Praedictis adiciendum est de sufficientia fidei ad salutem illis qui praecesserunt adventum Christi et qui sequuntur. Videtur profecisse fides secundum temporis processum, sicut profecit cognitio. Fides quippe magna dicitur cognitione et articulorum quanti- 25

2 et om. BCLMR. 4 poterit] potest BCN. 14 VIII] vii<sup>o</sup> ABCMOT.

1 Cap. 4, n. 6 (PL 42, 951; CCL 50, 275). 2 Resp. Matth. 5, 8: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 3 In num. 3. 4 Resp. Rom. 10, 17. 5 Cap. 4, n. 6 (PL 42, 951; CCL 50, 275).

Dist. XXV: Cf. L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 527-539, ubi agitur de controversia in capp. 1-3; J. Schupp, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus*, 130-133. — Cap. 1, num. 1: iam ex rubrica apparet quomodo dependet Magister de *Summa sent.*, I, c. 3: *De fide antiquorum* (PL 171, 1071 A; 176, 45 C); unde etiam materia istius numeri.

tate, vel constantia et devotione. Est autem quaedam fidei mensura, sine qua nunquam potuit esse salus. Unde Apostolus 1: *Oportet accedentem credere quia est, et quod remunerator est sperantium in se.*

2. **Quod sine fide mediatoris nunquam fuerit salus** \*. Sed quaeritur 5 utrum haec credere ante adventum vel ante Legem ad salutem suffecerit. Nam tempore gratiae constat certissime hoc non sufficere: oportet enim universa credi quae in symbolis continentur. — Sed nec ante adventum, nec ante Legem videtur hoc suffecisse, quia sine fide Mediatoris nullum hominem vel ante vel post fuisse salvum, Sanctorum auctoritates con- 10 testantur.

3. **Augustinus** \*. Unde Augustinus, *Ad Optatum* 2: « Illa fides sana est, qua credimus nullum hominem sive maioris sive parvulae aetatis liberari a contagio mortis et obligatione peccati quod prima nativitate

2 accedentem] ad deum *add. BCV, add. interl. N2R2.* 4 Rubrica *om. RWX.* || fuerit] fuit LT. 11 Augustinus (*rubr.*) *om. LMRVWX.* 12 parvulae] parve NOV.

1 Hebr. 11, 6: *Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit.* 2 *Epist. 190, c. 2, nn. 5-6 (PL 33, 858; CSEL 57, 141).*

Num. 2: Quaestio eruitur, ut videtur, ex *Glossa* in Rom. 5, 19: « *ita per obedientiam hominis unius, id est Christi, iusti constituuntur multi...* Et nota quod non ait per unius Dei vel Verbi, sed per unius hominis obedientiam iustificari, ne putes antiquos iustos solo Verbo Dei, id est solius Verbi fide sine fide Incarnationis liberari, sine qua nec antiqui nec moderni liberari potuerunt » (PL 191, 1396 C); quae verba praeter ultima paraphrasis sunt *Glossae mediae* Gilberti (cf. R.-M. Martin, *Le péché originel d'après Gilbert de la Porrée († 1154) et son école*, in *Revue Hist. Eccl.*, 13, 1912, 682, n. 2); cf. etiam *Glossa* in Hebr. 11, 6, ubi legitur: « Haec tamen fides non sufficit ad salutem » (PL 192, 491 B), necnon et idem cap. *Summae sent.* (PL 171, 1071 D - 1072 A; 176, 46 B). Proferri hic oportet testimonium Petri Manducatoris (PL 171, 1071 D - 1072 A; 176, 46 B). Proferri hic oportet testimonium Petri Manducatoris de doctrina Magistri in scholis suis: « Solutio. De primo, inquit, articulo fuit alia opinio antiquorum et alia Magistri. Fuit enim trita antiquorum quod antiquis ante legem sufficiebat pauciora credere quam modernis. Sufficiebat enim credere unum Deum esse creatorem omnium, remuneratorem omnium sperantium in se. Non enim visum est eis, quod pastores educati in montibus haberent aliquam noticiam articulorum. Magistro visum est, quia omnes articulos, scilicet duodecim in simbolo expressos, tenebantur credere et de omnibus aliquam noticiam habere. Et adhaerebat huic verbo: Hec est fides catholica, quam nisi quisque fide firmiter crediderit, salvus esse non potest, quia *Quicumque vult* habebant pro simbolo. Cum querebatur ab eo quam noticiam omnium articulorum poterant habere simplices vel pastores in montibus educati, dicebat quia eandem quam et discreti, licet forte sub aliis idiomatibus » (Paris. Bibl. Nat. 18108, fol. 89r); cf. I. Brady, *Peter Manducator and the Oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antonianum* 41 (1966), 475. — Num. 3: Auctoritas Augustini partim occurrit in *Summa sent.* I, 3 (1072 A, 46 B), sed Magister recurrit potius ad textum pleniorum in *Glossa* ad Rom. 5, 19 (PL 191, 1396 C-D).



contraxit, nisi per unum mediatorem Dei et hominum, Christum Iesum<sup>1</sup>. Cuius hominis eiusdemque Dei saluberrima fide etiam illi iusti salvi facti sunt, qui priusquam veniret in carnem, crediderunt in carnem venturum. Eadem enim fides est et nostra et illorum ». « Proinde<sup>2</sup>, cum omnes iusti, sive ante incarnationem sive post, nec vixerint nec vivant nisi ex fide incarnationis Christi, profecto quod scriptum est<sup>3</sup>, non esse aliud nomen sub caelo in quo oporteat salvari nos, ex illo tempore valet ad salvandum genus humanum, ex quo in Adam vitiatum est ».

4. In libro De correctione et gratia\*. Idem 4: « Nemo liberatur a damnatione quae facta est per Adam, nisi per fidem Iesu Christi ». — In libro De nuptiis et concupiscentia\*. Idem 5: « Eadem fides Mediatoris quae nos salvat, salvos iustos faciebat antiquos, pusillos cum magnis; quia sicut credimus Christum in carne venisse, ita illi venturum; et sicut nos mortuum, ita illi moriturum; et sicut nos resurrexisse, ita illi resurrecturum; et nos et illi ad iudicium vivorum et mortuorum venturum ».

5. Gregorius, Super Ezechielem<sup>6</sup>: « Et qui praeibant et qui sequebantur clamabant dicentes: Hosanna filio David etc.<sup>7</sup>, quia omnes electi, qui in Iudaea esse potuerunt, sive qui nunc in Ecclesia sunt, in Mediatorem Dei et hominum crediderunt et credunt ». — His aliisque pluribus testimoniis perspicue docetur nulli unquam salutem esse factam, nisi per fidem Mediatoris. Oportet ergo accedentem credere quae supra dixit Apostolus<sup>8</sup>, sed non sufficit.

#### Cap. 2 (87).

1. De fide simplicium. Quid ergo dicetur de illis simplicibus, quibus non erat revelatum mysterium incarnationis, qui pie credebant quod eis traditum fuit?

2. Dicitur potest nullum fuisse iustum vel salvum, cui non esset facta

<sup>1</sup> Christum Iesum *trp.* ANOW. <sup>2</sup> salvi *trp. p.* sunt NO. <sup>3</sup> vixerint] vixerunt BLMRV. <sup>4</sup> Rubrica *om.* RVW. <sup>5</sup> 10-11 Rubrica *om.* LRVW.

<sup>1</sup> 1 Tim. 2, 5. <sup>2</sup> Ibid., n. 8 (859; 143). <sup>3</sup> Act. 4, 12. <sup>4</sup> De corrept. et gratia, c. 7, n. 11 (PL 44, 923). <sup>5</sup> Lib. II, c. 11, n. 23 (PL 44, 450; CSEL 42, 277). <sup>6</sup> Lib. II, hom. 5, n. 2 (PL 76, 985 D). <sup>7</sup> Marc. 11, 9, et Matth. 21, 9. <sup>8</sup> In fine n. 1.

Num. 4-5: Ex *Summa sent.* (1072 A-B; 46 C-D).

Cap. 2: Eadem quaestio in *Summa sent.* I, 3, ubi et responsio in parte (PL 171, 1071 D et 1072 C-D; 176, 46 B et 46 D - 47 B). Cf. B. Geyer, *Verfasser und Abfassungszeit der sog. Summa sententiarum*, in *Theologische Quartalschrift*, 107 (1926), 98-100. Vide etiam Hugonem de S. Victore, *Miscell.* I, tit. 18 (PL 177, 487 B).

revelatio, vel distincta, vel velata: in aperto, vel in mysterio. Distincta, ut Abrahae et Moysi aliisque maioribus, qui distinctionem articulorum fidei habebant. Velata, ut simplicibus quibus revelatum erat ea esse credenda, quae credebant illi maiores et docebant, sed eorum distinctionem apertam non habebant. Sicut et in Ecclesia aliqui minus capaces sunt, qui articulos Symboli distinguere et assignare non valent, omnia tamen credunt quae in Symbolo continentur: credunt enim quae ignorant, habentes fidem velatam in mysterio; ita et tunc minus capaces, ex revelatione sibi facta, maioribus credendo inhaerebant, quibus fidem suam quasi committebant. — Unde Iob 1: *Boves arabant, et asinae pascebantur iuxta eos*. Simples et minores sunt asinae pascentes iuxta boves, quia humilitate maioribus adhaerendo, in mysterio credebant quae et illi in mysterio docebant; qualis forte fuit vidua Sareptana<sup>2</sup>.

#### Cap. 3 (88).

1. Quae ante adventum credere de Mediatore sufficiebat. Sed quaeritur, cum sine fide Mediatoris antiquis non fuerit salus, sicut nec modernis, utrum oportuerit illos credere omnia illa de Mediatore, quae nunc credimus.

2. Quibusdam videtur quod suffecerit illis quatuor tantum credere, scilicet nativitatem, mortem, resurrectionem, adventum ad iudicium; quod ex praemissis verbis Augustini<sup>3</sup> colligunt, ubi ista quatuor posuit.

3. Aliis autem videtur, habita fide Trinitatis, id de mysterio incarnationis fidei suffecisse, ut Dei Filius crederetur nasciturus de homine et iudicaturus. Qui de Ioanne Baptista documentum huius rei assumunt,

<sup>1</sup> velata] revelata M, *corr. ex* revelata T, vel *add.* LNOV. <sup>2</sup> et] vel BCNOV. <sup>3</sup> et *om.* BCO, *add. interl.* V. <sup>4</sup> fidem suam *trp.* NOVW. <sup>5</sup> 13 Sareptana] sareptena BCMOTX, *quod corr.* T. <sup>6</sup> 15 adventum] christi *add.* BCM. <sup>7</sup> 24 crederetur *trp. post ut* BCLMRTX.

<sup>1</sup> Iob 1, 14: *Glossa ordin.* in h.l.: « Boves arabantes, id est boni bene operantes; asinae, simpliciter viventes. Hae iuxta boves, quia intelligentia eorum pascuntur » (apud Lyranum, III, 7b). <sup>2</sup> Resp. III Reg. 17, 10-16. <sup>3</sup> Supra, in cap. 1, n. 1.

Cap. 3, num. 1: Cf. verba Magistri citata supra in nota ad cap. 1, num. 2, ex *Glossa in Rom.* 5, 19. — Num. 2: Hanc opinionem notat sed non accipit auctor *Summae sent.*, I, 3 (PL 171, 1072 C; 176, 46 D). Videtur esse Magistri Hugonis, in *De sacram.* I, 10, 7 (PL 176, 339 D - 340 A).



qui de morte Christi et descensu ad inferos in Evangelio dubitasse videtur, secundum expositionem Gregorii<sup>1</sup>, quando interrogavit per discipulos<sup>2</sup>: *Tu es qui venturus es, an alium expectamus?* Quasi: Es tu per te ipsum descensurus ad infernum, an alium ad haec sacramenta missurus es? — Quidam<sup>3</sup> tamen dicunt eum non dubitasse de ignorantia, sed de pietate, id est dubitare se ostendisse non quia ignoraverit, sed pietatis affectu compassum Christo, et eius humilitatem admirando insinuasse.

Cap. 4 (89).

1. De fide Cornelii. Solet etiam quaeri de Cornelio, utrum fidem incarnationis habuerit, cum dictum est ei per angelum<sup>4</sup>: *Acceptae sunt*

<sup>7</sup> compassum] esse add. BCLNRVX. || et] idest LR, om. T.      <sup>11</sup> habuerit] habuit ACLRVX, corr. in habuit B.

<sup>1</sup> Bis exponit Gregorius non absque quadam discrepantia: in libro I *In Ezech.*, hom. 1, n. 5: «*Tu es qui venturus est...* In quibus verbis ostenditur quia in terris quidem venisse Redemptorem noverat, sed an per semetipsum ad aperienda inferni claustra descenderet dubitabat» (PL 76, 788 D; CCL 142, 7); dein, in *In Evang.*, hom. 6, n. 1: «[Ioannes] requirit, non quia ipsum esse mundi Redemptorem dubitet, sed quaerit, ut sciat si is qui per se in mundum venerat per se etiam ad inferni claustra descendat... Ac si aperte dicat: Sicut pro hominibus nasci dignatus es, an etiam pro hominibus mori digneris insinua, ut qui natiuitatis tuae praecursor exstiti, mortis etiam praecursor fiam, et venturum inferno nuntiem, quem iam venisse mundo nuntiavi» (PL 76, 1095 D, 1096 A). — In *Glossa ordin.* autem in Luc. 7, 19 tam *Be[da]* quam *Gregorius* signantur; unde clare apparet quod verba a Lombardo citata reapse sunt paraphrasis Bedae: «Cum ab Herode interficiendus et ad inferna sim descensurus, debeo te nunciare inferis, qui nuntiavi superis? An conveniat Filio Dei mori, an alium ad haec sacramenta missurus es?» (apud Lyran., V, 144a); cf. Beda, *In Luc.* 7, 19 (PL 92, 419 B; CCL 120, 160). Sed, ut notant Editores CCL, quasi omnia ad verbum sumpsit Beda ex Hieron. in Matth. 11, 3 (PL 26 [1845], 70 B), cuius verba repetuntur in *Glossa ordin.* in Matth. 11, 3 (ap. Lyran., V, 38c); quae tamen non videtur fonti esse Magistro. <sup>2</sup> Matth. 11, 3; Luc. 7, 19.      <sup>3</sup> Ita Ambrosius, *In Luc.* 7, 19: «Non igitur fide, sed pietate dubitavit» (PL 15 [1845], 1662 D; CSEL 32-III, 221; CCL 14, 67). Cuius verba repetuntur in *Glossa ordin.* in Luc. 7, 19 (ap. Lyran., V, 144a), non autem in Matth. 11, 3. <sup>4</sup> Act. 10, 4: *Orationes tuae et eleemosynae tuae ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*; verba Augustini, infra in num. 3, hic magis allegat Magister.

Cap. 4: Cf. A. M. Landgraf, *Glaube und Werk bei der Bekehrung des Hauptmanns Cornelius*, in *Dogmengeschichte*, 1-2, 31-40, ubi agitur plus de discipulis Lombardi quam de ipso Magistro. — Inter fontes huius cap., quod non dependet a *Glossa ordin.* in Act. Apost. c. 10, enumerari licet *Summa sent.* 1, 3 (PL 171, 1073 A; 176, 47 B), unde auctoritas Augustini in num. 3. Addi lubet quod ad *Glossam* primitivam in Rom. 11, 35-36 (post *conservat omnia*, in PL 191, 1492 D) quaedam auctoritas ponitur in margine superiori codicis Vat. lat. 695,

*eleemosynae tuae, et exauditaе sunt orationes tuae.* Si enim fidem incarnationis non habebat tunc, ergo sine fide incarnationis erat ei iustitia, quia de illo scriptum est<sup>1</sup> quod *iustus erat et timens Deum.* Si vero fidem incarnationis habebat, ad quid ergo missus est ad eum Petrus?

2. Sane dici potest eum, sicut fidem unitatis, ita et incarnationis habuisse Dei revelatione, sed incarnatum iam esse Dei Filium ignorasse; et ideo missus est ad eum Petrus, ut iam natum Dei Filium ei annuntiaret et sacramentum regenerationis ei conferret. Habebat igitur fidem incarnationis, sed an facta, vel futura esset, non noverat. — **Gregorius**<sup>2</sup>.  
Et ita «per fidem venit ad opera, et per opera amplius solidatus est in fide». «Per fidem enim, ut ait Gregorius, venit ad opera. Cornelius etiam per fidem venit ad opera: Deum enim unum credebat, sed Filium eius nesciebat incarnatum. Per fidem placuerunt Deo eius opera: *Sine fide enim impossibile est Deo placere*<sup>3</sup>».

3. Augustinus vero dicit<sup>4</sup> «Cornelio dictum esse per angelum: *Acceptae sunt eleemosynae tuae et orationes tuae*, antequam in Christum crederet; nec tamen sine aliqua fide donabat et orabat. Nam quomodo invocabat in quem non credebat<sup>5</sup>? Sed si posset sine fide Christi esse

<sup>1-2</sup> fidem incarn. *trp.* BCLMRTX.      <sup>6</sup> iam esse *trp.* BCLR.      <sup>9</sup> vel] an BCV. ||  
Gregorius *om.* LRVW, *bis* in MNOT.      <sup>14</sup> Deo placere *trp.* BCLRXX, aliquem *add.* NOV.

<sup>1</sup> Act. 10, 22.      <sup>2</sup> *In Ezech.*, II, hom. 7, n. 9: «Non enim virtutibus venit ad fidem, sed per fidem pertingitur ad virtutes. Cornelius enim... non operibus venit ad fidem, sed fide venit ad opera. Nam ei per angelum dicitur: *Orationes tuae...* Sciebat igitur creatorem omnium Deum, sed quod eius... Filius incarnatus esset, ignorabat. *Sine fide impossibile est placere Deo.* Fidem ergo habuit, cuius orationes et eleemosynae placere Deo potuerunt... Per fidem ergo venit ad opera, sed per opera est solidatus in fide» (PL 76, 1018 A-B; CCL 142, 322s).      <sup>3</sup> Hebr. 11, 6.      <sup>4</sup> *De praedest. sanctorum*, c. 7, n. 12: «Quod de Cornelio dici potest, cuius acceptae sunt eleemosynae et exauditaе orationes antequam credidisset in Christum; nec tamen» etc. (PL 44, 969s).      <sup>5</sup> Resp. Rom. 10, 14: *Quomodo ergo invocabunt in quem non crediderunt?*

35b: «*Aimo.* Quidam voluerunt contra hoc intelligere centurionem cornelium, bonis suis meritis exigentibus, a Deo accepisse fidem, quasi causa remunerationis, propter elemosinas scilicet et orationes quibus instabat. Qui idcirco ignoranter locuti sunt, quoniam a fide venit ad bona opera agenda, non ab operibus ad fidem. Non enim cornelius fidem primum habuisset nisi preventus esset ab inspiratione divina. Et nequaquam bona opera habuisset; set, sicut beatus gregorius dicit, preventus est a deo ut haberet fidem unius dei. Non tamen trinitatem personarum in deo esse cognovit quoadusque petrus ad eum missus est. Unusquisque autem deo fidem et opera sua tribuit quando eius gratia preventus credit in eum et bona opera exercendo studet voluntati eius placere» (in Haymonis *Expositione in epp. Pauli*, in h.l., PL 117, 467 D - 468 A).



salus, non ad eum mitteretur architectus Ecclesiae Petrus». — Attende quod ait sine fide Christi non posse esse salutem, et tamen Cornelium exauditum antequam crederet in Christum. Quod ita potest intelligi: scilicet antequam sciret Christum incarnatum, in quem credebat in mysterio.

Cap. 5 (90).

1. De aequalitate fidei, spei et caritatis et operis, quae secundum aliquid sunt aequalia. Illud etiam non est praetermittendum, quod fides, spes, caritas et operatio secundum aliquid aequalia sunt in praesenti. — Gregorius, Super Ezechielem\*. Unde Gregorius<sup>1</sup>: «Fidem, 10 spem, caritatem atque operationem, dum in hac vita vivimus, aequales sibi esse apud nos invenimus: quia quantum credimus, tantum amamus; et quantum amamus, tantum de spe praesumimus. Quisque enim fidelis tantum credit quantum sperat et amat, et tantum operatur quantum credit et amat et sperat. Sed tamen maior spe et fide caritas dicitur<sup>2</sup>, 15 quia cum ad Dei speciem pervenitur, spes et fides transit, sed caritas permanet<sup>3</sup>», et quia (Ambrosius\*): «caritas<sup>4</sup> mater est omnium virtutum». Quae non ideo post fidem et spem ponitur<sup>5</sup>, quod ex eis oriatur, sed quia post illa remanebit aucta<sup>6</sup>: Caritas enim nunquam excidit<sup>7</sup>. Praemissa autem aequalitas proprie secundum actuum interiorum inten- 20 sionem consideranda est.

<sup>7</sup> aequalitate] qualitate LMV. || et<sup>1</sup> om. NTVX.      <sup>10</sup> Rubrica om. LRVW.  
<sup>15</sup> amat et sperat trp. AVX.      <sup>17</sup> Ambrosius om. LRVW. || mater est trp. MTV.  
<sup>20</sup> interiorum om. ALMNRTX.

<sup>1</sup> In Ezech., II, hom. 10, n. 17 (PL 76, 1068 A-C; CCL 142, 392s).      <sup>2</sup> Resp. I Cor. 13, 13.      <sup>3</sup> I Cor. 13, 8-10.      <sup>4</sup> De fonte huius dicti, vide Dist. 23, c. 3, n. 2.      <sup>5</sup> Cf. supra, Dist. 23, c. 9, n. 2.      <sup>6</sup> August., De doctrina christiana, I, c. 38, n. 42: «Sed fidei succedit species, quam videbimus; et spei succedit beatitudo ipsa, ad quam perventuri sumus; charitas autem etiam ipsis decedentibus augebitur potius»; et c. 39, n. 43: «duobus istis decedentibus caritas auctior et potior permanebit» (PL 34, 36 et 37; CSEL 80, 32; CCL 32, 31); apud Glossam Magistri in I Cor. 13, 13 (PL 191, 1662 B, 1663 B).  
<sup>7</sup> I Cor. 13, 8.

Cap. 5: Quaestio oritur, ut videtur, ex quibusdam verbis Summae sent. I, ad initium et ad finem cap. 2 (PL 171, 1069 A, 1070 D; 176, 43 C, 45 B), necnon et ex oppositione duorum dictorum, scilicet quod «fides est fundamentum omnium bonorum» (cf. supra, Dist. 23, c. 3, num. 3; c. 8, num. 1; et c. 9) dum «caritas est mater omnium virtutum» (Dist. 23, c. 3, num. 2; c. 9, num. 2).

2. Huic vero quod hic et superius dictum est<sup>1</sup>, scilicet quod caritas non est ex fide et spe, sed e converso, videtur obviare quod ait Apostolus<sup>2</sup>: Finis praecepti est caritas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta. — Augustinus\*. Quod exponens Augustinus<sup>3</sup>, cor accipit pro intellectu, et conscientiam pro spe: «Qualis, inquit, caritas est finis praecepti? Procedens de corde puro, id est de puro intellectu, ut nihil nisi Deus diligatur; et conscientia, id est de spe, bona; et fide non ficta, id est simulata». Non igitur caritas fidem vel spem, sed fides et spes caritatem praecedere videntur. — Hoc ergo ea ratione traditum intellige: non quod fides et 10 spes causa vel tempore caritatem, omnium bonorum matrem, praecedant, sed quia caritas sine illis in aliquo esse non potest; sed illa sine caritate possunt esse, quamvis non sit pia fides vel spes sine caritate. Ideo igitur ex fide et spe procedere dicitur caritas, quia nulli provenit sine istis.

DISTINCTIO XXVI

Cap. 1 (91).

De spe, quid sit. Est autem spes virtus qua spiritualia et aeterna bona sperantur, id est cum fiducia exspectantur. Est enim certa exspectatio futurae beatitudinis, veniens ex Dei gratia et ex meritis praecedentibus vel ipsam spem, quam natura praebet caritas; vel rem speratam, id est 20 beatitudinem aeternam. Sine meritis enim aliquid sperare non spes, sed praesumptio dici potest.

<sup>1</sup> quod<sup>2</sup>] quia LM.      <sup>4</sup> Rubrica om. LMORTV.      <sup>13</sup> procedere dicitur] procedit T, trp. LR. || dicitur om. O.      <sup>17</sup> enim] spes add. NOVW.

<sup>1</sup> Dist. 23, c. 8, n. 3; et c. 9.      <sup>2</sup> I Tim. 1, 5.      <sup>3</sup> De doctrina christiana, I, c. 40, n. 44 (PL 34, 36; CSEL 80, 33; CCL 32, 31s).

Num. 2: Auctoritas Augustini, ex Glossa in I Tim. 1, 5 (PL 192, 329 C-D). Conclusio trahitur in parte ex Summa sent., c. 2 (PL 171, 1069 A-B; 176, 43 D), in parte ex Glossa in I Cor. 13, 13 (PL 191, 1663 B).

Dist. XXVI, cap. 1: Cf. S. Pinckaers, Les origines de la définition de l'espérance dans les sentences de Pierre Lombard, in Rech. de théol. anc. et méd., 22 (1955), 306-312., Definitio spei concinnatur partim ex Glossa in Rom. 5, 4 (PL 191, 1380 A; ex Haymone in h.l., PL 117, 403 A) et ex Summa sent., I, c. 2 (PL 171, 1069 A-B; 176, 43 C, 44 A).



## Cap. 2 (92).

**De quibus sit spes.** — Augustinus in Enchiridion \*. Et sicut fides, ita et spes est de invisibilibus. Unde Augustinus<sup>1</sup>: « Fidem appellamus earum rerum quae non videntur. De spe quoque dicitur<sup>2</sup>: *Spes quae videtur non est spes. Quod enim videt quis, quid sperat?* » « Quod attinet ad non videre, vel quae creduntur, vel quae sperantur, fidei speique commune est ».

## Cap. 3 (93).

**Quo differant fides et spes** \*. « Distinguitur<sup>3</sup> tamen fides a spe, sicut vocabulo, ita rationabili differentia ». « Est enim fides malarum rerum et bonarum, quia et bona creduntur et mala; et hoc fide bona, non mala. Est etiam fides et praeteritarum rerum et praesentium et futurarum: credimus enim mortem Christi, quae iam praeteriit; credimus sessionem, quae nunc est; credimus venturum ad iudicandum, quod futurum est. Iterum fides et suarum rerum est et alienarum: nam et se quisque credit esse coepisse, nec fuisse utique sempiternum; et alia atque alia non modo de aliis hominibus multa, quae ad religionem pertinent, verum etiam de angelis credimus. Spes autem non nisi bonarum rerum, nec nisi futurarum, et ad eum pertinentium qui earum spem gerere perhibetur ».

## Cap. 4 (94).

**Redit ad praemissam quaestionem, an scilicet fides et spes in Christo fuerint.** Post haec superest investigare utrum fides et spes in Christo fuerint; unde tractatus iste sumpsit exordium<sup>4</sup>. — Quibusdam non indocte videtur fidem virtutem et spem in eo non fuisse, sicut in sanctis iam beatificatis vel in angelis non sunt. Et tamen sancti credunt et sperant resur-

<sup>2</sup> Aug. in Enchr. om. LRVW.      <sup>9</sup> Quo] Quod BCX.      <sup>15</sup> Iterum] Ita A,  
Item BLNRT Aug.      <sup>22</sup> fuerint] fuerunt<sup>1</sup> MT.

<sup>1</sup> Cap. 8 (PL 40, 235; CCL 46, 52), transposito ordine verborum.      <sup>2</sup> Rom. 8, 24.  
<sup>3</sup> August., ibid. (235 et 234; 52 et 51s).      <sup>4</sup> Initio Dist. 23.

Cap. 3: Cf. Glossa in Rom. 1, 17 (PL 191, 1324 C) et Summa sent., I, 2 (PL 171, 1069 C; 176, 44 A-B); utrobique distantia inter fidem et spem summatim exponitur. — Cap. 4: Cf. Summa sent., I, 18 (PL 171, 1103 D - 1104 A; 176, 77 B), quae sub verbo « Quibusdam » indicari videtur; ubi etiam ultima verba, de spe Christi.

rectionem futuram, et angeli eandem credunt; nec tamen in eis fides vel spes virtus est, quia et Deo per speciem contemplando fruuntur, et in Dei Verbo resurrectionem futuram sive iudicium, non *per speculum in aenigmate*<sup>1</sup>, sed praeclarissime inspiciunt. Si enim quia credunt resurrectionem futuram, ideo verum est eos fidem habere, ergo ea consummata, post iudicium, similiter et fidem habere dicentur, quia credent eam praeteritam. Sed sicut tunc credent, nec tamen fidem quae fideles facit habebunt: quia non credent absque scientia, quae non erit aenigmatica, sed per speciem; ita et modo credunt et sperant resurrectionem, nec tamen fidem habent, quia credendo cognoscunt. Venit enim eis *quod perfectum est*, et evacuatum est *quod ex parte est*<sup>2</sup>: venit enim cognitio et evacuata est fides; venit species et desiit spes. — Ita et Christus, in quo fuerunt bona patriae, credidit quidem et speravit resurrectionem tertio die futuram, pro qua et Patrem oravit<sup>3</sup>; nec tamen fidem virtutem vel spem habuit, quia non aenigmaticam et specularem, sed clarissimam de ea cognitionem habuit; quia non perfectius eam cognovit praeteritam, quam intellexit futuram. Speravit tamen Christus, sicut in Psalmo ait<sup>4</sup>: *In te, Domine, speravi*; nec tamen fidem vel spem virtutem habuit, quia per speciem videbat ea quae credebat.

## Cap. 5 (95).

**Si iusti apud inferos tenti fidem et spem habuerunt** \*. De antiquis vero Patribus, qui apud inferos usque ad passionem tenebantur, non incongrue dici potest quod fidem et spem virtutem habuerint, quia credebant et sperabant se visuros Deum per speciem; qualiter eum tunc non videbant, quia non patuit eis cognitio Dei per speciem ante passionem Christi, qua consummata, a fide transierunt ad speciem.

<sup>6</sup> dicentur] dicuntur MNOTVX, quod corr. T. || credent] credunt M, crederent N.  
<sup>13</sup> tertio] tertia NTV.      <sup>16</sup> cognitionem habuit trp. BCLMRTX.      <sup>21</sup> habuerunt]  
habuerint ALMX.

<sup>1</sup> I Cor. 13, 12.      <sup>2</sup> I Cor. 13, 10.      <sup>3</sup> Resp. Ioan. 17, 1: Clarifica Filium tuum etc.; Ps. 40, 11: Resuscita me et retribuam eis.      <sup>4</sup> Ps. 30, 2.

Cap. 5: Videsis Glossam in Rom. 3, 26 (PL 191, 1363 A-B), quae huic capitulo quandam habet affinitatem.



## DISTINCTIO XXVII

## Cap. 1 (96).

1. De caritate qua diligitur Deus et proximus, quae in Christo et in nobis est. Cum autem Christus fidem et spem non habuerit, dilectionem tamen habuit in quantum homo, tantam qua maior esse non valet; qui ex caritate eximia animam posuit pro amicis et inimicis<sup>1</sup>. Habuit enim in corde caritatem quam opere nobis exhibuit, ut exhibitionis forma nos ad diligendum institueret.

2. Hic aliquid dicendum est de caritate, et modo et ordine diligendi Deum et proximum.

## Cap. 2 (97).

1. Quid sit caritas. Caritas est dilectio qua diligitur Deus propter se, et proximus propter Deum vel in Deo.

2. De duobus mandatis caritatis\*. Haec habet duo mandata: unum pertinens ad dilectionem Dei, quod est maximum in Lege mandatum<sup>2</sup>; et alterum pertinens ad diligendum proximum, illi simile. Primum est: *Diliges Deum ex toto corde, ex tota mente, ex tota anima*, quod scriptum est in Deuteronomio<sup>3</sup>. Secundum est: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum. In his duobus praeceptis tota Lex pendet et Prophetarum*. — Augustinus

3 et<sup>1</sup>] vel VX, vel etiam OT. 4 habuerit] habuit ORV. 8 institueret] instrueret BCV, vel institueret add. interl. V<sup>2</sup>. 17 corde] et add. BVX, tuo et add. L, tuo add. R. 18 est<sup>2</sup>] in levitico add. BC, scriptum est in levitico nota marg. O.

<sup>1</sup> Ioan. 15, 13: *Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis.* <sup>2</sup> Resp. Matth. 22, 36-40. <sup>3</sup> Deut. 6, 5; dein cf. Levit. 19, 18.

Dist. XXVII-XXXII: Inter fontes tractatus de caritate qui satis rubricis et notis nostris indicantur, certo certius non enumerari oportet *Capitula de caritate* Maximi Confessoris, uti olim affirmabatur (cf. J. Leclercq, *Origène au XII<sup>e</sup> siècle*, in *Irénikon* 24, 1951, 433-436; et *L'amour des lettres et le désir de Dieu*, Paris 1957, 96). — De caritate cf. P. Abaelardus, *Theologia «Scholarium»*, I, 1 (PL 178, 981 D - 984 A); *Sententiae Hermanni*, capp. 31-32 (PL 178, 1747 C - 1749 D); Rolandus, *Sent.* (ed. Gietl, 313ss); Hugo, *De sacram.*, II, 13, 6-12 (PL 176, 528 D - 550 C); *Summa sent.*, IV, 7-8 (solummodo in PL 176, 125 A - 126 D). — Cap. 1: Cf. *Summa sent.*, I, 18 (PL 176, 77 B). — Cap. 2, num. 2: Auctoritas Aug., ex *Glossa* in I Tim. 1, 5 (PL 192, 328 D).

in libro I De doctrina christiana\*: «Finis<sup>1</sup> enim praecepti est dilectio, et ea gemina, id est Dei et proximi», est.

## Cap. 3 (98).

Si eadem caritate diligitur Deus et proximus. Hic quaeritur si ex ea ipsa dilectione diligitur Deus, qua diligitur proximus, an alia sit dilectio Dei, et alia proximi. — Eadem sane dilectio est qua diligitur Deus et proximus; quae Spiritus Sanctus est, ut supra dictum est<sup>2</sup>, quia *Deus caritas est*<sup>3</sup>. — Augustinus in libro VIII De Trinitate\*. Unde Augustinus<sup>4</sup>: «Ioannes ait<sup>5</sup>: *Non potest Deum diligere quem non videt, qui fratrem quem videt non diligit*. Sed si eum quem videt humano visu, spirituali caritate diligeret, videret Deum qui est ipsa caritas visu interiori, quo videri potest. Qui igitur fratrem quem videt non diligit, Deum qui est dilectio, qua caret qui fratrem non diligit, quomodo potest diligere? Ex una enim eademque caritate Deum proximumque diligimus, sed Deum propter Deum, nos vero et proximum propter Deum».

## Cap. 4 (99).

1. Quare dicitur caritas gemina\*. Si vero una eademque caritas est Dei et proximi, quare dicitur 'gemina'<sup>6</sup>? — Propter duo dilecta, id est Deum et proximum. Etsi enim una sit caritas, duo tamen diversa ea diliguntur, scilicet Deus et homo vel angelus.

2. Ob hoc idem duo habet mandata\*. Pro quo etiam et duo sunt mandata, quia cum eadem caritas utroque commendetur, diversa tamen diligendi praeceptiuntur. — Augustinus in sermone de Ascensione\*. Unde

4 diligitur] diligatur BCM. 8 Rubrica om. LRVW. || VIII] vii<sup>o</sup> BCMX. 17 dicitur caritas *trp.* LNRTV. 21 Rubrica om. ALVW. 23 Rubrica om. LRV.

<sup>1</sup> Cap. 26, n. 27 (PL 34, 29; CSEL 80, 23; CCL 32, 21); resp. I Tim. 1, 5: *Finis autem praecepti est caritas.* <sup>2</sup> In Dist. 23, c. 9, n. 2. <sup>3</sup> I Ioan. 4, 8 et 16. <sup>4</sup> Cap. 8, n. 12 (PL 42, 958s; CCL 50, 288s). <sup>5</sup> I Ioan. 4, 20. <sup>6</sup> Vide verba August. supra, ad fin. c. 2.

Cap. 3: Cf. *Glossa* in Ps. 133, 1 (PL 191, 1185 B-C). — Cap. 4, num. 1: Cf. eadem *Glossa* in Ps. 133, 1 (PL 191, 1185 B-C), et verba Aug. infra in num. 2. — Num. 2: Auctoritas Augustini, in *Glossa* in Rom. 5, 5 (PL 181, 1381 A; ex Floro, 83), ubi etiam commentum verbis Augustini appositum («ideo forte... minus»).



Augustinus<sup>1</sup>: « Arbitror ideo Spiritum Sanctum bis datum<sup>2</sup>, semel in terra et iterum de caelo, ut commendarentur nobis duo praecepta caritatis, scilicet Dei et proximi. Una est caritas et duo praecepta, unus Spiritus et duo data, quia alia caritas non diligit proximum nisi illa quae diligit Deum. Qua ergo caritate proximum diligimus, ipsa Deum diligimus. Sed<sup>5</sup> quia aliud est Deus, aliud est proximus, etsi una caritate diliguntur », ideo forte duo praecepta dicuntur, et alterum maius, et alterum minus. Vel propter duos motus qui in mente geruntur, dum Deus diligitur et proximus: movetur enim mens ad diligendum Deum, movetur et ad diligendum proximum, et multo magis erga Deum quam erga proximum. 10

Cap. 5 (100).

1. **De modo diligendi.** Consequenter modum utriusque dilectionis advertamus. — Augustinus in libro *De doctrina christiana* \*. « Haec regula, ut ait Augustinus<sup>3</sup>, dilectionis divinitus constituta est », ut Deum propter se *toto corde*, et proximum diligas *sicut te ipsum*<sup>4</sup>, id est ad quod et propter quod te ipsum diligere debes. In bono enim et propter Deum te ipsum diligere debes. — Augustinus<sup>5</sup>: « In bono ergo diligendus est proximus, non in malo », et propter Deum. — Augustinus in *Psalmo XI* \*: « Proximum<sup>6</sup> vero omnem hominem oportet intelligi, quia nemo est cum quo sit operandum male ». — Augustinus in libro *VIII De Trinitate* \*: « Qui<sup>7</sup> ergo amat homines, vel quia iusti sunt, vel ut iusti sint amare debet, hoc est in Deo vel propter Deum. Sic enim et se ipsum amare debet, scilicet in Deo vel propter Deum, id est quia iustus est, vel ut iustus sit. Qui enim aliter se diligit, iniuste se diligit, quia ad hoc se diligit ut sit iniustus: ad hoc ergo ut sit malus. Non ergo iam se diligit: 25 *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam*<sup>8</sup> ».

<sup>1</sup> Sanctum NOVW Aug., om. alii. 9 et om. BCO, add. interl. V. 13 Rubrica om. RVW. 15 se] et add. AOV. 17 Rubrica om. RVW. 20-21 Rubrica om. RVW. || VIII] vii<sup>o</sup> BCX, om. LN.

<sup>1</sup> Sermo 265, c. 8, n. 9 (PL 38, 1223). <sup>2</sup> Resp. Ioan. 20, 22; Act. 2, 4. <sup>3</sup> Lib. I, c. 22, n. 21 (PL 34, 27; CSEL 80, 19; CCL 32, 17). <sup>4</sup> Matth. 22, 37-39; et Rom. 13, 9. <sup>5</sup> De Trinit., VIII, c. 6, n. 9 (PL 42, 956; CCL 50, 283s). <sup>6</sup> Enarr. In Ps. 11, 3 (PL 36, 138; CCL 38, 82s). <sup>7</sup> Cap. 6, n. 9 (PL 42, 956; CCL 50, 283s). <sup>8</sup> Ps. 10, 6.

Cap. 5, num. 1: Praeter quoddam commentum ad initium huius numeri, omnia sumuntur ex *Glossa* in Rom. 13, 9-10 (PL 191, 1507 C, et 1508 B-C).

2. Augustinus in *XIV libro De Trinitate* \*: « Sic<sup>1</sup> condita est mens humana, ut nunquam sui non meminerit, nunquam se non intelligat, nunquam se non diligit. Sed quoniam qui odit aliquem, nocere illi studet, non immerito et mens hominis, quando sibi nocet, se odisse dicitur. Nesciens enim sibi vult male, dum non putat sibi obesse quod vult; sed tamen male sibi vult, quando id vult quod obsit sibi, secundum illud<sup>2</sup>: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam*. Qui ergo diligere se novit, Deum diligit. Qui vero non diligit Deum, etiam si se diligit: quod ei naturaliter inditum est, tamen non incongrue se odisse dicitur, cum id agit quod sibi adversatur, et se ipsum tamquam suus inimicus insequitur ».

3. Augustinus in libro *De doctrina christiana* \*: « Modus<sup>3</sup> ergo diligendi praecipendus est homini, id est quomodo se diligit ut prosit sibi. Quin autem se diligit et prodesse sibi velit, dubitare dementis est ». Modus autem praecipitur cum ait<sup>4</sup>: *Sicut te ipsum*, ut proximum diligas ad quod te ipsum. — In eodem \*: « Si ergo<sup>5</sup> te non propter te diligere debes, sed propter illum ubi dilectionis tuae rectissimus finis est, non succenseat alius aliquis homo, si et ipsum propter Deum diligis ». — Augustinus, *Super Ioannem*<sup>6</sup> \*. Huius dilectionis modum Veritas insinuat dicens<sup>7</sup>: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos*, id est ad quod dilexi vos, scilicet ut filii sitis, ut vitam habeatis<sup>8</sup>.

4. **De modo diligendi Deum.** Dilectionis autem Dei modus insinuat cum dicitur<sup>9</sup>: *Ex toto corde*, id est ex toto intellectu; *ex tota anima*, id

1-9 Notula (T) add. hic in ipso textu NOVW, in textu ad Deum<sup>1</sup> (p. 164, 5) TX; add. hic in margine L, repetit hic in marg. X; add. hic in tertia col. BC; add. in textu infra post n. 3 (et sine rubrica) M; add. seu rep. in textu post cap. 1 seq. Dist. AB (partim) CLRT. 5 id] illud BC<sup>1</sup>X<sup>2</sup>, om. M. 7 s] non BC<sup>1</sup>X<sup>2</sup>. 14 Rubrica om. ACRV. 16-17 Rubrica om. RVW.

<sup>1</sup> Cap. 14, n. 18 (PL 42, 1049s; CCL 50A, 445s). <sup>2</sup> Ps. 10, 6. <sup>3</sup> Lib. I, c. 25, n. 26 (PL 34, 28s; CSEL 80, 22; CCL 32, 20). <sup>4</sup> Matth. 22, 39; Rom. 13, 9. <sup>5</sup> Cap. 22, n. 21 (27; 19; 17). <sup>6</sup> Haec rubrica (vel eius ommissio) iam difficultates parturivit apud Scholasticos, ut apparet ex nota in cod. V: « Istud non est ibi [id est in *De doctrina christiana*] nec in glosa sed super Ioh. omelia 65, id est sententialiter ». Cui concordamus. Cf. *In Ioan.*, tr. 65, nn. 1-2 (PL 35, 1808s; CCL 36, 490ss). <sup>7</sup> Ioan. 13, 34. <sup>8</sup> Resp. I Ioan. 3, 1: *Ut filii Dei... simus*; Ioan. 5, 40: *ut vitam habeatis*. <sup>9</sup> Matth. 22, 37, cum expositione *Glossae interlin.* (apud Lyran., V, 70r); ita exponit etiam Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 13, 9 (PL 176, 536 A).

Num. 2: In *Glossa* in Magistrum quae olim Petro Pictaviensi attribuebatur, notatur: « Sic condita: Et nota hanc auctoritatem post libri editionem m[argini] esse appositam » (n. 33a; p. 88d). — Num. 3: Textus Augustini sub rubrica *In eodem*, ex *Glossa* in Rom. 13, 10 (PL 191, 1508 B). — Num. 4: Verba Augustini, ex *Glossa* in Rom. 13, 9 (PL 191, 1508 B). In codicibus nostris, ut apparet ex maiusculo ad *Dilectionis*, hic inciperet novum capitulum. Non autem sic designatur in elencho capitulorum; unde nec hic res dividere oportet.



est voluntate; *ex tota mente*, id est memoria; « ut<sup>1</sup> omnes cogitationes, et omnem vitam, et omnem intellectum in illum conferas, a quo habes ea quae confers ». Haec dicens, « nullam partem vitae nostrae reliquit, quae vacare debeat; sed quidquid venerit in animum, illuc rapiatur quo dilectionis impetus currit ». — Et diligere Deum 'propter se' modus est diligendi Deum; et sunt isti duo modi diligendi Deum, ut quibusdam placet.

## Cap. 6 (101).

1. **De impletione illius mandati.** Illud autem praeceptum non penitus impletur ab homine in hac mortali vita, sed ex parte; non ex toto, quia ex parte diligimus, sicut *ex parte cognoscimus*<sup>2</sup>; in futuro autem implebitur ex toto. — **Augustinus, De perfecta iustitia hominis** \*. Unde Augustinus<sup>3</sup>: « Cum adhuc est aliquid carnalis concupiscentiae, non omni modo *ex tota anima* diligitur Deus. Caro tamen non dicitur concupiscere, nisi quia carnaliter anima concupiscit<sup>4</sup>. *Cum autem venerit quod perfectum est*, ut destruat *quod ex parte est*<sup>5</sup>, id est iam non ex parte sit, sed ex toto, caritas non auferetur, sed augebitur et implebitur. In qua plenitudine illud praeceptum caritatis implebitur<sup>6</sup>: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo* etc. Tunc erit iustus sine peccato, quia nulla erit lex repugnans menti<sup>7</sup>; tunc prorsus *toto corde, tota anima, tota mente* diliges Deum, quod est summum praeceptum ».

2. **Quaestio de praecepti ratione.** — **Augustinus in eodem** \*: « Sed cur praecipitur homini ista perfectio, cum in hac vita eam nemo habeat? — Quia non recte curritur, si quo currendum est nesciatur. Quomodo autem sciretur, si nullis praeceptis ostenderetur? » — Ecce habes cur illud praeceptum est, quod hic penitus impleri non potest; impletur tamen ex parte, scilicet secundum perfectionem viae. Alia enim est perfectio currentis,

<sup>5</sup> Et om. MX, interl. T. BCLMR. <sup>12</sup> Rubrica om. LVW. <sup>14</sup> omni modo] omnino <sup>22</sup> Quaestio... ratione om. LRV. || Aug. in eodem om. LRW. <sup>27</sup> enim est trp. NOVW.

<sup>1</sup> August., *De doctrina christiana* (rubr.), I, c. 22, n. 21 (PL 34, 27; CSEL 80, 19; CCL 32, 17). <sup>2</sup> Resp. I Cor. 13, 9. <sup>3</sup> Cap. 8, n. 19 (PL 44, 300; CSEL 42, 17s). <sup>4</sup> Resp. Gal. 5, 17. <sup>5</sup> I Cor. 13, 10. <sup>6</sup> Matth. 22, 37; Deut. 6, 5. <sup>7</sup> Resp. Rom. 7, 23. <sup>8</sup> *De perfectione iustitiae hominis*, ibid. (PL 44, 301; CSEL 42, 18).

Cap. 6 fundatur super verba Augustini, ex *Glossa* in Phil. 3, 15 (PL 192, 249 C-D), mutato autem hic ordine verborum.

alia pervenientis; facit hoc mandatum ut cursor, qui Deum ante omnia et prae omnibus diligit, nec tamen omnino perficit.

## Cap. 7 (102).

**Quod alterum mandatum in altero est.** — **Augustinus in libro De Trinitate** \*: « Cum<sup>1</sup> autem duo sint praecepta caritatis, pro utroque saepe unum ponitur. Nec immerito, quia nec Deus sine proximo, nec proximus sine Deo diligi potest ». Unde Apostolus<sup>2</sup> omne mandatum Legis dicit *instaurari*, id est contineri et impleri, *in hoc verbo: Diliges proximum tuum sicut te ipsum*. Et Christus dilectionem proximi specialius commemorat dicens<sup>3</sup>: *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos; (Augustinus, super Ioannem \*)* « ubi<sup>4</sup> illud maius mandatum dilectionis Dei videtur praetermissum. Sed bene intelligentibus utrumque invenitur in singulis. Quia qui diligit Deum, non potest eum contemnere quem Deus praecipit diligi; et qui diligit proximum, quid in eo diligit nisi Deum? Ipsa est dilectio ab omni mundana dilectione discreta, quam distinguens Dominus ait: *Sicut dilexi vos*. Quid enim nisi Deum dilexit in nobis? Non quem habebamus, sed ut haberemus. Sicut medicus aegros; et quid in eis diligit nisi salutem quam cupit revocare, non morbum quem venit expellere? Sic et nos invicem diligamus, ut quantum possumus, invicem ad habendum in nobis Deum ex dilectione attrahamus ».

## Cap. 8 (103).

**Quae caritate diligenda sint.** Sed quae hac dilectione diligenda sint iam inquiramus. — **Augustinus in libro De doctrina christiana** \*: « Non enim omnia, ut ait Augustinus<sup>5</sup>, quibus utendum est, diligenda sunt, sed ea sola quae vel nobiscum societate quadam referuntur in Deum,

<sup>4-5</sup> Aug... Trinit. om. ARVW. <sup>11</sup> Rubrica om. CRVW. <sup>22</sup> Quae] hac add. ABCX. || sint] sunt ALRV. <sup>23</sup> Rubrica om. LRVW.

<sup>1</sup> Lib. VIII, c. 7, n. 10 (PL 42, 956; CCL 50, 284). <sup>2</sup> Rom. 13, 9. <sup>3</sup> Ioan. 13, 34. <sup>4</sup> Tract. 65, n. 2 (PL 35, 1809; CCL 36, 491s). <sup>5</sup> Lib. I, c. 23, n. 22 (PL 34, 27; CSEL 80, 19; CCL 32, 18).

Cap. 7: Prima auctoritas Augustini iam in *Glossa ordin.* in Rom. 13, 8 (l 29b; m 30b; apud Lyranum VI, 28c), dein in *Glossa Lombardi* in h.l. (PL 191, 1507 C), ubi parum supra explicatur verbum *instaurari*; illa *In Ioannem*, ibid. (1507 D - 1508 A).



sicut est homo vel angelus; vel ad nos relata, beneficio Dei per nos indigent, ut corpus», quod ita «praecipendum<sup>1</sup> est diligere, ut ei ordinate prudenterque consulatur».

## DISTINCTIO XXVIII

## Cap. 1 (104).

5

## 1. Si illo praecepto iubemur diligere totum proximum et nos totos.

Hic potest quaeri utrum illo mandato dilectionis proximi totum proximum, id est animam et corpus, nosque ipsos totos diligere praecipiamur.

2. Augustinus in libro *De doctrina christiana*\*. Ad quod dicimus omne genus diligendarum rerum illis duobus mandatis contineri. «Quatuor enim diligenda sunt, ut ait Augustinus<sup>2</sup>: unum quod supra nos est, scilicet Deus; alterum quod nos sumus; tertium quod iuxta nos est, scilicet proximus; quartum quod infra nos est, scilicet corpus. De secundo et quarto nulla praecepta danda erant», scilicet ut diligere nos vel corpus nostrum. Praecipitur autem Deus diligere et proximus; «ut<sup>3</sup> 15 autem quisque se diligat, praecepto non est opus». «Quantumlibet<sup>4</sup> enim homo excidat a veritate, remanet illi dilectio sui et dilectio corporis sui», quia *nemo unquam carnem suam odio habuit*<sup>5</sup>. Nam viri iusti qui corpus suum cruciant, «non<sup>6</sup> corpus, sed corruptiones eius et pondus 20 oderunt».

3. Hic videtur Augustinus tradere quod ex praecepto non te neamur diligere nos ipsos vel corpus nostrum. Quod si est, non omne

<sup>7</sup> potest quaeri *trp.* BCNR.

<sup>9</sup> Rubrica *om.* RVW.

<sup>1</sup> August., *ibid.*, c. 25, n. 26 (PL 34, 29; CSEL 80, 22; CCL 32, 20). <sup>2</sup> Lib. I, c. 23, n. 22 (27; 19; 18). <sup>3</sup> *Ibid.*, c. 26, n. 27 (29; 22; 21). <sup>4</sup> *Ibid.*, c. 23, n. 22 (27; 19; 18). <sup>5</sup> Eph. 5, 29. <sup>6</sup> August., *ibid.*, c. 24, n. 24 (28; 20; 19).

Dist. XXVIII, cap. 1-3: Cf. Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 13, 7 (PL 176, 531 C-534 A). Doctrinam autem horum capp. Magister directe traxit, ut videtur, ex opere Augustini, *De doctrina christiana*; cf. etiam *Glossa* Magistri in I Tim. 1, 5 (PL 192, 329 A-C). Videsis usum istius doctrinae in Sermone 19 eiusdem Magistri (PL 171, 520 C). — Num. 3: Interpretatio duorum praeceptorum quam Magister super verba Augustini fundavit, iam ab anno 1163 improbat a Gerhoho praeposito Reichersbergensis in suo opusculo *De gloria et honore Filii hominis*, c. 18, n. 5 (PL 194, 1141 B); ac iterum anno sequenti in *Epist. XVIII*, ad Alexandrum Papam III (PL 193, 565 A-D).

genus diligendarum rerum illis duobus praeceptis continetur, cum et nos ipsos et corpus nostrum diligere debeamus, ad quod necessarium est praeceptum, cum scriptum sit<sup>1</sup>: *Qui diligit iniquitatem, odit animam suam.*

5 4. Sed speciale de hoc praeceptum non erat dandum, nec speciali praecepto opus erat id tradi, ut quisque se vel corpus suum diligeret, quia hoc in illo praecepto continetur<sup>2</sup>: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Ibi enim et proximum totum et te totum intelligere debes. Unde Augustinus in eodem<sup>3</sup>: «Si te totum intelligas, id est animam et 10 corpus, et proximum totum, id est animam et corpus: homo enim ex anima constat et corpore, nullum rerum diligendarum genus in his duobus praeceptis praetermissum est. Cum enim praecurrat dilectio Dei eiusque dilectionis modus praescriptus appareat, et sequatur dilectio proximi, de tua dilectione nihil dictum videtur. Sed cum dictum est: 15 *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, simul et tui abs te dilectio praetermissa non est». Ecce hic aperte dicit in illo praecepto non modo proximi, sed et mei dilectionem contineri, et totius proximi totiusque mei.

5. Ex quo apparet quod dictum est<sup>4</sup>, 'de secundo et quarto, id est de dilectione nostri et corporis nostri, nulla praecepta danda esse', ita 20 esse intelligendum, scilicet specialia et divisa; quia in illo uno totum continetur, et «quia<sup>5</sup> id quod sumus et quod infra nos est, ad nos tamen pertinens, naturae lege diligimus, quae in bestiis etiam est». Ideoque «et de illo quod supra nos et de illo quod iuxta nos est divisa praecepta sumpsimus», in quorum altero eius quod sumus et illius quod infra nos est di- 25 lectio continetur.

## Cap. 2 (105).

Si illo praecepto continetur dilectio angelorum. — Augustinus in libro *De doctrina christiana*\*: «Oritur<sup>6</sup> autem hic de angelis quaestio, utrum ad illud praeceptum dilectionis proximi etiam dilectio pertineat ange- 30 lorum».

<sup>7</sup> hoc *om.* ABL. <sup>23</sup> nos<sup>1</sup>] est *add.* BCNV, *add. interl.* X. <sup>25</sup> continetur] notula (*supra*, p. 165, 1-9) hic *add.* (*seu rep.*) AB (*partim*) CLRT.

<sup>1</sup> Ps. 10, 6. <sup>2</sup> Matth. 19, 19; 22, 39. <sup>3</sup> *De doctrina christ.*, I, c. 26, n. 27 (PL 34, 29; CSEL 80, 23; CCL 32, 21s). <sup>4</sup> *Supra*, in num. 2. <sup>5</sup> August. in eodem (*rubr.*), I, c. 26 (PL 34, 29; CSEL 80, 22; CCL 32, 21). <sup>6</sup> Lib. I, c. 30, n. 31 (30s; 25; 23s).



## Cap. 3 (106).

1. **Quid sit proximus** \*. — **Augustinus in libro De doctrina christiana** \*:

« Nam <sup>1</sup> quod nullum hominem exceperit qui praecepit proximum diligere, Dominus in parabola *semivivi relict* <sup>2</sup> ostendit, eum dicens *proximum* qui erga illum exstitit misericors <sup>3</sup>. Deinde subdit: *Vade, et tu fac similiter*, <sup>5</sup> ut eum proximum intelligamus, cui vel exhibendum est officium misericordiae si indiget, vel exhibendum esset si indigeret. Nullum vero exceptum esse, cui misericordiae negandum sit officium, quis non videat? cum usque ad inimicos etiam porrectum sit, Domino dicente <sup>4</sup>: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos* ». « Manifestum <sup>5</sup> est igitur <sup>10</sup> omnem hominem proximum esse deputandum ».

2. **Quod hoc nomen proximus ad aliquid est** \*. — **Quod angeli illo praecepto continentur** \*. « Proximi <sup>6</sup> vero nomen ad aliquid est, nec quisquam esse proximus nisi proximo potest ». Unde consequens est « et <sup>7</sup> cui praebendum et a quo praebendum est officium misericordiae recte <sup>15</sup> proximum dici. Manifestum est igitur praecepto dilectionis proximi etiam sanctos angelos contineri, a quibus tanta nobis misericordiae impediuntur officia ».

3. **Quod etiam Christus proximus noster: quod secundum quod homo illo praecepto diligi praecipitur et diligere, non secundum quod Deus** \*. <sup>20</sup> « Ex quo <sup>8</sup> et Dominus proximum se nostrum dici voluit, ut in parabola saucii significat <sup>9</sup> et in Propheta <sup>10</sup>: *Quasi proximum et quasi fratrem nostrum sic complacebam*. Sed quia excellentior ac supra nostram naturam est divina substantia, praeceptum dilectionis Dei a proximi dilectione distinctum est ». Ideoque, licet Deus omnia nobis impendat beneficia, <sup>25</sup> non tamen nomine 'proximi' includitur in illo praecepto: quem non sicut nos diligere debemus, sed plus quam nos, *toto corde et anima* <sup>11</sup>. Christum vero, in quantum homo est, sicut nos diligere debemus; eiusque secundum hominem dilectio illo continetur mandato. Quem etiam secundum ho-

2 Quid] Quis OT. 8 sit] est LRV, quod corr. interl. V. 10 vestros] et  
add. ABCMN (interl.) T. 12-13 Quod angeli... continentur om. AVW. 12 angeli]  
in add. BCX. 19-20 Rubrica abbrev. AR, om. VW. 19 noster] est add. ABCNRX,  
dicitur add. L. || quod<sup>2</sup>] qui CLNRX. 22 et<sup>2</sup> om. LNOVR.

<sup>1</sup> Lib. I, c. 30, n. 31 (31; 25s; 24). <sup>2</sup> Resp. Luc. 10, 30-37. <sup>3</sup> Resp. Luc.  
10, 37. <sup>4</sup> Matth. 5, 44; Luc. 6, 27. <sup>5</sup> August., ibid., c. 30, n. 32 (31; 26; 25).  
<sup>6</sup> Ibid., n. 31 (31; 25; 24). <sup>7</sup> Ibid., n. 33 (31; 26; 25). <sup>8</sup> Ibid. <sup>9</sup> Resp. Luc. 10,  
36-37. <sup>10</sup> Ps. 34, 14. <sup>11</sup> Vide supra, Dist. 27, c. 5, n. 4.

minem magis quam nos, sed non quantum Deum, debemus diligere, quia in quantum est homo, minor est Deo.

## Cap. 4 (107).

**Quibus modis dicitur proximus**. Hic notandum est proximum dici <sup>5</sup> diversis modis, scilicet conditione primae nativitatis, spe conversionis, propinquitate cognationis, ratione beneficii exhibitionis.

## DISTINCTIO XXIX

## Cap. 1 (108).

1. **De ordine diligendi: quid prius, quid post**. Post praedicta de ordine <sup>10</sup> caritatis agendum est, quia dicit sponsa <sup>1</sup>: *Introduxit me rex in cellam vinariam et ordinavit in me caritatem*. — **Ambrosius** \*: « Videamus <sup>2</sup> igitur ordinem, quid prius, quid post esse debeat. Peccat enim qui praepostere agit: nam scire quid facias, et nescire ordinem faciendi, non est perfectae cognitionis. Ordinis namque ignorantia conturbat meritorum formam ».

<sup>15</sup> 2. **Augustinus in I libro De doctrina christiana** \*. Ordinem autem diligendi Augustinus <sup>3</sup> insinuat dicens: « Ipse est qui ordinatam habet dilectionem, ne aut diligat quod non est diligendum, aut non diligat quod diligendum est, aut aequae diligat quod minus vel amplius

9 prius] et add. BC || post] posterius NVX. 11 Ambrosius om. RVW. 15 Rubrica om. LRVW.

<sup>1</sup> Cant. 2, 4. <sup>2</sup> In Psalm. 118, 27, sermo 4, n. 12 (PL 15 [1845], 1245 A; CSEL 62, 73s). <sup>3</sup> Cap. 27, n. 28 (PL 34, 29s; CSEL 80, 23; CCL 32, 22).

Cap. 4 concinnatur ex *Glossa* in Ps. 11, 3 (PL 191, 155 B), quae forsitan dependet a *Glossa ord.* in h.l. (apud Lyranum III, 102a; quae in parte tantum invenitur in cod. Laurent. Plut. XVII 4, f. 12b); et ex *Glossa* in Eph. 4, 25 (PL 192, 205 D). Vide etiam Augustini *Sermonem de hac lectione*, scilicet in Eph. 4, 25: « Proximus est omnis homo. Omnes proximi sumus conditione terrenaev nativitatis; et [= sed] aliter fratrem [= fratres] illa spe caelestis hereditatis. Proximum tuum debes putare omnem hominem, et antequam sit christianus » (apud Florum, col. 588); ex *Enarr. in Ps. 25*, II, n. 2 (PL 36, 189; CCL 38, 142-143).

Dist. XXIX, cap. 1, n. 1: Verba Ambrosii, ex *Glossa* in Ps. 118, 27 (PL 191, 1058 C-D). — Num. 2: Quasi tota auctoritas Augustini invenitur in *Glossa* in I Tim. 1, 5 (PL 192, 329 A-B); sumitur potius ex originali Augustini. Cf. etiam *Sermo 19* Magistri nostri (PL 171, 520 C).



diligendum est, aut minus vel amplius quod aequè diligendum est. Omnis peccator, in quantum peccator est, non est diligendus; et omnis homo, in quantum est homo, diligendus est propter Deum; Deus vero propter se ipsum. Et Deus propter se omni homine amplius diligendus est; et amplius quisque Deum debet diligere quam se ipsum. Item amplius alius 5 homo diligendus est quam corpus nostrum: quia propter Deum omnia ista diligenda sunt, et potest nobiscum Deo perfrui: quod non potest corpus, quia corpus per animam vivit qua fruimur Deo ».

3. Audisti aliqua de ordine caritatis: ubi expressum est nos amplius debere diligere Deum quam omnes homines vel nos ipsos, et amplius 10 animum alius hominis quam corpus nostrum. In enumeratione etiam quatuor diligendorum superius posita<sup>1</sup>, prius ponitur quod supra nos est, secundo quod nos sumus, tertio quod iuxta nos est, quarto quod infra nos est: ubi ordo diligendi insinuari videtur ex ratione enumerationis. — Non est autem apertum utrum omnes homines pariter debeamus diligere, 15 et tantum quantum nos vel minus.

Cap. 2 (109).

1. An omnes homines pariter diligendi sint. Unde et super hoc saepe movetur quaestio, quam perplexam faciunt Sanctorum verba varie prolata.

2. Auctoritates ponit quae videntur dicere omnes pariter diligendos, 20 sed in effectu differentiam esse\*. Quidam enim tradere videntur quod pari affectu omnes diligendi sint; sed in effectu, id est in exhibitione obsequii, distinctio observanda sit. — Augustinus in libro I De doctrina christiana\*. Unde Augustinus<sup>2</sup>: « Omnes homines aequè diligendi

3 est homo trp. BCLMRTX. 5 Deum debet trp. NT Aug. 7 nobiscum] allus homo add. Aug., add. interl. ad perfrui V. 14 enumerationis] numerationis ALRW. 18 sint] sunt ABNVX. 20-21 Rubr. om. W, abbrev. AR. 23-24 Rubrica om. LRVW.

<sup>1</sup> Dist. 28, c. 1, n. 1.

<sup>2</sup> Cap. 28, n. 29 (30; 23s; 22s).

Cap. 2, num. 1: Quaestio ut in fine num. 3 capituli praecedentis, ex *Summa sent.* IV, 7 (PL 176, 125 A). — Num. 2: Quidam iam indicantur in parte in *Summa sent.* Distinctio inter affectum et effectum necnon et differentia in operis exhibitione inveniuntur in libro *Pancrisis* magistri Anselmi Laudunensis (ed. O. Lottin, in *Psych. et morale*, tom. V, n. 71, p. 61, lin. 9-10; et p. 63, lin. 10 et 19); in sententiis eius scholae, nn. 432-433 (*Psych. et morale*, V, p. 297); in *Sententiis* pseudo-Anselmi (ed. F. Bliemetzrieder, *Anselms von Laon systematische Sentenzen*, in BGPTMA XVII, Heft 2-3, p. 81); in tractatu seu summula *Prima rerum origo* (cf. H. Weisweiler, *Die ältesten scholastischen Gesamtdarstellungen der Theologie*, in Scho-

sunt; sed cum omnibus prodesse non possis, his potissimum consulendum est, qui pro locorum et temporum vel quarumlibet rerum opportunitatibus constrictius tibi quasi quadam sorte iunguntur. Pro sorte enim habendum est quo quisque tibi temporaliter colligatius adhaeret, ex quo 5 legis potius illi dandum esse ». — Idem, *Super Epistolam ad Galatas* 1: « Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei, id est ad christianos. Omnibus enim pari dilectione vita aeterna optanda est, etsi non omnibus eadem possunt exhiberi dilectionis officia ». Quae fratribus maxime sunt exhibenda, « quia sunt *invicem membra*<sup>2</sup> », « qui habent 10 eundem Patrem<sup>3</sup> ». — His aliisque testimoniis innituntur, qui dicunt omnes homines pariter diligendos esse caritatis affectu, sed in operis exhibitione differentiam.

3. Quae his repugnare videntur. Quibus obviat illud praeceptum Legis de diligendis parentibus<sup>4</sup>: *Honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram*. Ut quid enim specialiter illud praeciperetur de parentibus, nisi maiori dilectione forent diligendi? — Sed hoc illi referendum dicunt ad exteriorum exhibitionem, in qua praeponendi sunt parentes; unde *honora* dixit, non *dilige*.

4. Hieronymus\*. Obviat etiam illis quod Hieronymus, *Super Ezechielem*<sup>5</sup>, ait: scilicet « ut ordine caritatis, sicut scriptum est<sup>6</sup>: *Ordinavit in me caritatem*, post omnium patrem Deum, carnis quoque pater diligatur et mater, et filius et filia, frater et soror ».

5. Ambrosius\*. Ambrosius<sup>7</sup> quoque, diligendi exprimens or-

13 videntur] videantur NVW. 14 tuum om. LMORTW. || tuam om. LNORW. 19 Rubrica om. CLMRVW. 22 filia] et add. BCLR. 23 Rubrica om. CLRVW.

<sup>1</sup> In *Galat.* 6, 10, n. 61 (PL 35, 2146). <sup>2</sup> Eph. 4, 25; Ambrosiaster, in *Galat.* 6, 10 (PL 17 [1845], 371 A; CSEL 81-III, 65); sine rubrica in codd. nostris. <sup>3</sup> Hieron. (rubr.), in h.l. (PL 26 [1845], 433 A). <sup>4</sup> Exod. 20, 12; Deut. 5, 16. <sup>5</sup> In *Ezech.* 44, 25 (PL 25 [1845], 442 C; CCL 75, 667); propius, ex *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, IV, 282c). <sup>6</sup> Cant. 2, 4. <sup>7</sup> *Glossa ordin.* in Cant. 2, 4 (apud Lyran., III, 357d); ex Origene, non Ambrosio, in h.l., hom. 2, n. 8 (PG 13, 54 A-B).

*lastik*, 16, 1941, 252s et 364); et in *Sententiis Atrebatensibus* (ed. O. Lottin, in *Psych. et morale*, V, 419-420). Prima auctoritas Augustini ex parte in *Summa sent.* et in *Glossa* in I Tim. 1, 5 (PL 192, 329 B); sed potius sumitur ex originali. Alia, ex *Glossa* in Gal. 6, 10, unacum Ambrosiastro et Hieronymo (PL 192, 165 D).

Num. 4-5: Eo quod Anselmus et sequaces eius confirmationem suae opinionis in Cant. 2, 4 invenerant, Magister eis opponit auctoritates Hieronymi et ps.-Ambrosii (scil. Origenis). De commento orali Magistri nostri super verba Ambrosii adest testimonium Petri Manducatoris; cf. I. Brady, *Peter Manducator and the oral Teachings of Peter Lombard*, in



dinem, super illud Cantorum: *Ordinavit in me caritatem*, secundo capitulo, ait: « Multorum caritas inordinata est: quod in primo est, ponunt tertium vel quartum. Primo Deus diligendus est, secundo parentes, inde filii, post domestici; qui si boni sunt, malis filiis praeponendi sunt. Secundum hoc in Evangelio <sup>1</sup> ad cuiusque dilectionem proprium ponit: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo et ex omnibus viribus tuis*, et proximum tuum sicut te ipsum, et inimicos <sup>2</sup>: non ex tota virtute, non sicut te ipsum, sed simpliciter. Sufficit enim quod diligimus et non odio habemus ».

6. **Ordo diligendi hic ostenditur.** Ecce ex praemissis aperte insinuatur <sup>10</sup> quae in affectu caritatis distinctio sit habenda: ut differenti affectu, non pari, homines diligamus, et ante omnia Deum, secundo nos ipsos, tertio parentes, inde filios et fratres, post domesticos, demum inimicos diligamus. — Sed inquirunt illi quae de ordine dilectionis supra dicuntur esse referenda ad operum exhibitionem, quae differenter proximis exhibenda <sup>15</sup> sunt: primo parentibus, inde filiis, post domesticis, demum inimicis; Deum vero tam affectu quam obsequii exhibitione ante omnia diligendum.

7. **Quod aliqui eorundem tradunt tantum proximos quantum nos debere diligere.** Quorum etiam nonnulli tradunt affectu caritatis tantum proximos esse diligendos quantum nos ipsos diligimus. — **Augustinus in <sup>20</sup> libro VIII De Trinitate** \*. Quod confirmant auctoritate Augustini <sup>3</sup>, qui ait: « Nec illa iam quaestio moveat, quantum caritatis fratri debeamus impendere, quantum Deo. Incomparabiliter plus Deo quam nobis; fratri

1-2 secundo capitulo X, capitulum AW, primum capitulum NOT, primo capitulo V, ut capitulum M, sec. Apostolum B, sec. capitulum C, quintum cap. LR. 11 quae] quod LOW, corr. in quod X. 18 tradunt trp. post diligere (19) BCX. 20-21 Rubrica om. RVW. || VIII] vii<sup>o</sup> BCX.

<sup>1</sup> Luc. 10, 27; cf. Matth. 22, 37-39; Marc. 12, 30-31.

<sup>2</sup> Matth. 5, 44; Luc. 6, 27.

<sup>3</sup> Cap. 8, n. 12 (PL 42, 959; CCL 50, 288s).

Antonianum, 41 (1966), 475. — Canticum canticorum iam ante saec. XII in capitula divisum erat; vide Bedam, *In Cantica* (PL 91, 1080 A-C), et H. H. Glunz, *History of the Vulgate in England from Alcuin to Roger Bacon*, Cambridge 1933, 342, ubi tractat de exemplari Herberti de Bosham, discipuli Lombardi.

Num. 6: Vide sententias scholae Anselmi, nn. 432-433 (O. Lottin, *Psych. et morale* V, 297); ex. gr.: « Cum enim ad omnes equaliter debeat esse affectus propter Deum, patri et matri pre ceteris debet exhiberi effectus » [ed: affectus]. Cf. etiam *Sententiae Atrebatenses*, 420, lin. 126-131. — Num. 7: Opinio nonnullorum commemorari videtur in *Summa sent.*, IV, 7: « Nec est intelligendum sicut teipsum, id est quantum teipsum, sicut quidam exponunt » (PL 176, 125 A); sed qui sint, nescimus.

vero quantum nobis; nos autem tanto magis diligimus, quanto magis diligimus Deum ». — Ex hoc et praemissis testimoniis Augustini asserunt omnes homines pariter diligendos a nobis, et tantum quantum nos; Deum autem plus quam nos, corpus vero nostrum minus quam nos <sup>5</sup> vel proximos. Nec in enumeratione praemissa <sup>1</sup> quatuor diligendorum ordinem diligendi assignari dicunt, sed tantum quae sunt diligenda.

8. **Secundum alios non pari affectu omnes diligendi sunt.** Verum quia praemissa verba Ambrosii ordinem diligendi secundum affectum magis quam secundum effectum diligenter intuentibus explicare videntur, <sup>10</sup> non indocte alii dicunt non modo in exhibitione operis, sed etiam in affectu caritatis ordinem differentem esse statutum: ut ante omnia diligamus Deum, secundo nos, tertio parentes, quarto filios vel fratres et huiusmodi, postea domesticos, demum inimicos.

9. **Determinatio auctoritatum quae videntur adversari** \*. Quod vero <sup>15</sup> Augustinus dicit <sup>2</sup>, pariter omnes esse diligendos et pari dilectione omnibus vitam optandam, ita accipi potest: ut paritas non ad affectum referatur, sed ad bonum quod eis optatur, quia caritate omnibus optare debemus ut paria bona mereantur, sicut Apostolus dicit <sup>3</sup>: *Volo omnes homines esse sicut me*. Optanda est enim minoribus perfectio maiorum, ut <sup>20</sup> ipsi fiant perfecti et sic parem mereantur beatitudinem. Vel 'pari dilectione', id est eadem dilectione omnes diligendi sunt. — Item quod ait <sup>4</sup>, ut tantum diligamus fratres quantum nos, ita intelligi potest: id est ad tantum bonum diligamus fratres ad quantum nos, ut tantum bonum eis optemus in aeternitate quantum nobis, etsi non tanto affectu. Vel ibi <sup>25</sup> 'quantum' similitudinis est, non quantitatis.

10. **Quaestio de parentibus malis et aliis bonis.** Solet etiam quaeri, si parentes nostri mali sint, vel filii, vel fratres, an magis vel minus diligendi sint aliis bonis, hac ratione nobis non copulatis. — Videtur quod magis sint diligendi boni qui nobis carne non sunt coniuncti, quam alii <sup>30</sup> carne coniuncti: quia nobis sunt coniuncti corde, glutino caritatis; sanctior

16 affectum] effectum CLMRW. 27 mali sint trp. BCNX. || sint] sunt LOVW. 29 sint diligendi trp. ABCNV. || alii] mali AT<sup>2</sup> (mg.) V<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> De qua supra, c. 1, n. 1.

<sup>2</sup> *Super Epist. ad Galat.*, hic supra, num. 2.

<sup>3</sup> I Cor. 7, 7.

<sup>4</sup> Supra, in num. 7.

Num. 8: Forsitan alii respicit auctorem *Summae sent.*, IV, 7 (PL 176, 125 B), qui parum infra verba Augustini (hic in num. 9) exponit.



est enim copula cordium quam corporum. — **Beda** \*. Unde **Beda** 1  
de illis verbis Domini 2: *Mater mea et fratres mei hi sunt, qui verbum Dei*  
*faciunt*, ait: « Non iniuriose negligit matrem, nec mater negatur, quae  
etiam de cruce agnoscitur 3, sed religiosiores monstrantur copulae mentium  
quam corporum ». — Verumtamen latebrosa quaestio est haec, nec a 5  
nobis plene absolvenda properantibus ad alia.

11. Movemur enim super verbis illis 4: « Inimicos non ex tota virtute,  
non sicut te ipsum iubet diligere, sed simpliciter: sufficit enim quod di-  
ligimus et non odio habemus ». — Quod non ita accipiendum est, quasi  
sufficiat tibi diligere inimicum et non *sicut te ipsum*: quia omnes, et amicos 10  
et inimicos, sicut te ipsum diligere debes. Sed ad ostendendum gradus  
diligendi Deum et proximum et inimicum, qui tamen proximus est, 'pro-  
pria Dominus ponit', cum ait 5: *Diliges Deum ex tota virtute*, et *proximum*  
*sicut te*: non ait *ex tota virtute*, ut ostendat proximum diligendum minus  
quam Deum. Dicit etiam 6: *Diligite inimicos*, nec addit *ex tota virtute*, nec 15  
*sicut te ipsum*, 'sed simpliciter: sufficit enim quod diligimus et non odio  
habemus': id est sufficit dicere ut diligamus et non odio habeamus; non  
quin eos diligere debeamus sicut nos, quia proximi sunt; sed sufficit si  
eos minus diligimus quam alios proximos: quod dictionis genus innuit.

12. **Quaestio**. — **Augustinus in libro Retractationum** \*. Quaeri etiam 20  
solet « cur 7 Dominus praeceperit diligere inimicos 8, cum alibi praecipiat  
odio habere parentes et filios 9 ». — Ad quod dicendum est duo esse di-  
ligenda in homine: naturam et virtutem; vitium vero et peccatum odien-  
dum. Et parentes ergo, in quantum mali sunt, odiendi sunt; et inimici di-  
ligendi in quantum homines. « Diligamus 10 ergo inimicos lucrandos regno 25  
Dei, et odiamus in propinquis si impediunt nos a regno Dei »; et in omni-  
bus communiter naturam diligamus quam Deus fecit.

1 est enim *trp.* ABCOV. || Beda<sup>1</sup> *om.* LMRV. 4 agnoscitur] cognoscitur ANR.  
7 verbis illis *trp.* MOT. 10 et<sup>2</sup> *om.* ABCX. 14 te] ipsum *add.* BCNV. 19 dictio-  
nis] distinctionis BC, cui id est locutionis *add.* B (*interl.*) C (*in textu*), conditionis M, di-  
lectionis VX, quod *corr.* V. 21 praeceperit] precepit LNV. 26 nos *om.* AMNRTX Aug.

<sup>1</sup> Reapse ex *Glossa ordin.* in Luc. 8, 20, confecta partim ex Beda in Luc. 8, 19 (PL  
92, 433 D - 434 A; CCL 120, 179), partim et latius ex Ambrosio in Luc. 8, 21 (PL 15 [1845],  
1678 C; CSEL 32-III, 247s; CCL 14, 188). <sup>2</sup> Luc. 8, 21. <sup>3</sup> Resp. Ioan. 19, 26.  
<sup>4</sup> Hic supra relatis, in num. 5. <sup>5</sup> Marc. 12, 30-31. <sup>6</sup> Matth. 5, 44; Luc. 6, 27.  
<sup>7</sup> Lib. I, c. 19, n. 5 (PL 32, 615; CSEL 36, 91), retractans quod dixerat in *De Serm. Domini*  
*in monte*, I, c. 15, n. 41 (PL 34, 1250; CCL 35, 44s). <sup>8</sup> Matth. 5, 44. <sup>9</sup> Luc. 14, 26.  
<sup>10</sup> August., *ibid.* (PL 32, 615; CSEL 36, 92).

Num. 12: Cf. *Glossa Magistri* in Ps. 118, 113 (PL 191, 1100 B-C); et *Summa sent.*, IV, 7  
(PL 176, 125 C).

## Cap. 3 (110).

1. **De gradibus caritatis**. Sciendum quoque est diversos esse gradus  
caritatis: est enim caritas incipiens, proficiens, perfecta, perfectissima.  
— **Augustinus, super Epistolam Ioannis** \*. Unde **Augustinus** 1:  
5 « Perfecta caritas haec est: ut quis paratus sit pro fratribus etiam mori.  
Sed numquid mox ut nascitur, iam prorsus perfecta est? Immo, ut per-  
ficiatur nascitur; cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur;  
cum fuerit roborata, perficitur; cum ad perfectionem venerit, dicit: *Cupio*  
*dissolvi* 2 » etc. Hic aperte progressus et perfectio caritatis insinuat.

10 2. Quam perfectionem etiam Veritas commendat dicens 3: *Maiorem*  
*hac dilectionem nemo habet, quam ut animam suam ponat quis pro amicis*  
*suis*. Quod utique dictum est de opere dilectionis, quia maior dilectionis  
effectus non est, quam ponere animam pro aliis. Nec te moveat quod  
ait *pro amicis*: qui enim ponit animam pro amicis, ponit et pro inimicis,  
15 ad hoc ut et ipsi fiant amici.

## DISTINCTIO XXX

## Cap. unicum (111).

1. **Si melius est diligere amicos quam inimicos, et e converso**. Hic  
solet quaeri quid potius sit plurisque meriti, diligere amicos, an diligere  
20 inimicos. — Sed haec comparatio implicita est. Si enim conferatur di-  
lectio 'amicorum tantum' dilectioni 'amicorum et etiam inimicorum',

4 Rubrica *om.* RVW. 9 etc.] et esse cum Christo (etc. *add.* T) BCNT. 15 et  
*om.* LTVX. 18 et] vel ABNW. 21 etiam *om.* BCMNR.

<sup>1</sup> In *I Ioan.*, 3, 9, tr. 5, n. 4 (PL 35, 2014). <sup>2</sup> Phil. 1, 23. <sup>3</sup> Ioan. 15, 13.

Cap. 3: Cf. L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 335-338, ubi agitur de tri-  
bus gradibus secundum Gualterum de Mauretania; qui tres inveniuntur etiam apud Ansel-  
mum Laudun. (Cf. O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 64-65). Quendam variationem graduum  
infra (Dist. XXXI, cap. 1, num. 9) admittit ipse Magister, sub influxu Gratiani. — Num. 1:  
Auctoritas Augustini, ex *Glossa* in II Cor. 12, 15 (PL 192, 88 B).

Dist. XXX: Cf. A. M. Landgraf, *Die Bestimmung des Verdienstgrades*, in *Dogmengeschichte*  
I-2, 82-98, ubi cl. auctor potius illustrat doctrinam discipulorum Lombardi super hanc quae-  
stionem.



perspicua est absolutio. Sed si in aliquo uno homine, qui diligit simul amicum et inimicum, quid horum potius sit quaeratur, obscura est responsio: quia de motu mentis agitur de quo non est nobis facile iudicium, an unus et idem motus sit erga amicum et inimicum, sed erga amicum intensior; an duo: unus erga inimicum, qui dicitur difficilior; alter erga amicum, qui videtur ferventior. Nec incongrue putatur melior qui est ferventior. Vel si unus idemque est, inde potior ubi est ardentior, non improbe aestimatur.

2. **Augustinus in Enchiridion** \*. Augustinus tamen sentire videtur maius esse diligere inimicum quam amicum. Qui perfectorum esse dicit diligere inimicos et benefacere eis, neque hoc a tanta multitudine impleri, quanta exauditur in oratione dominica cum dicitur 1: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*. Illam enim sponsonem dicit a multis impleri, qui nondum diligunt inimicos. Ait enim sic 2: «Magnum est erga eum qui tibi nihil mali fecerit esse benevolum et beneficium; illud multo grandius, et magnificentissimae bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, tu semper bonum velis faciasque quod possis, audiens dicentem Iesum 3: *Diligite inimicos vestros et benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos*. Sed quoniam perfectorum filiorum Dei est istud, quo quidem se debet omnis fidelis extendere, et humanum animum ad hunc affectum orando Dominum secumque agendo luctandoque perducere, tamen quia hoc tam magnum bonum tantae multitudinis non est, quantam credimus exaudiri cum dicitur in oratione 4: *Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, procul dubio verba sponsonis huius implentur, si homo qui nondum ita profecit ut etiam diligat inimicum, tamen quando rogatur ab homine qui peccavit in eum ut ei dimittat, dimittit ex corde: qui etiam sibi roganti vult dimitti cum orat et dicit: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*». — «Quicumque 5 vero rogat hominem in quem peccavit, si peccato suo movetur ut roget, non est adhuc deputandus inimicus, ut eum diligere sit difficile, sicut erat quando inimicitias exercebat. Quisquis vero roganti et poenitenti non dimittit, non aestimet a Domino sua peccata dimitti; quia mentiri Veritas non potest, quae cum docuisset oratio-

6 mellor] ille add. BCLOV. 9 - p. 180, 2 Augustinus... accipiendum est [i.e. usque ad finem Dist.] om. M. 19 et<sup>1</sup> om. BCVWX.

1 Matth. 6, 12. 2 Cap. 73 (PL 40, 266s; CCL 46, 88s). 3 Matth. 5, 44; cf. Luc. 6, 27. 4 Matth. 6, 12. 5 *Enchiridion*, c. 74 (PL 40, 267; CCL 46, 89).

nem, hanc in ea positam sententiam commendavit dicens 1: *Si dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet et vobis Pater vester; si vero non dimiseritis, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra*».

3. Ecce hinc haberi videtur quod et praetaxavimus, scilicet maioris virtutis esse diligere inimicum et benefacere ei, quam illum qui nihil mali nobis fecit vel amicum. — Quod si quis concedere simpliciter noluerit, dicens: intensius diligitur amicus quam inimicus, et ideo illud potius isto, determinet ista secundum praemissam intelligentiam 2, dicens ibi comparisonem factam inter dilectionem qua tantum diligitur amicus, et illam qua amicus et inimicus diligitur.

4. Illud vero quod sequitur magis nos movet, quod scilicet dicit 3 'non esse tantae multitudinis diligere inimicos, quanta exauditur cum dicitur: *Dimitte nobis*' etc., ubi dat intelligi quod alicui a Deo dimittuntur peccata non diligenti inimicum, si tamen fratri roganti, qui in se peccavit, dimittit. — Sed cum peccata non dimittantur alicui adulto nisi caritatem habeat, sequitur ut caritatem habeat qui non diligit inimicum. Quomodo ergo nomine 'proximi' omnis homo intelligitur in illo mandato 4: *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*? Si enim omnis homo 'proximus' est, tunc inimicus; praecipimur ergo inimicos diligere. Et quia illud praeceptum generale est, omnibus praecipitur omnes homines diligere, etiam inimicos.

5. Quidam, quod hic dicitur simpliciter tenere volentes, illud praeceptum determinant dicentes illic perfectis dari in praeceptum diligere omnem hominem, etiam inimicum, minoribus vero in consilium; in praeceptum vero eos diligere qui nihil mali fecerunt eis, et inimicos non odire. — Sed melius est ut intelligatur omnibus illo mandato praecipi cunctos diligere, etiam inimicos; cui sensui attestantur superius positae auctoritates 5 et aliae multae.

6. Illud vero Augustini novissime positum 6 de perfecta caritate dictum intelligitur, quae tantum perfectorum est, qui non solum amicos, sed etiam inimicos perfecte diligunt eisque benefaciunt. Quae perfectio dilectionis 'non est tantae multitudinis, quanta exauditur in oratione dominica'. Et hoc revera grande est et eximiae bonitatis, scilicet perfecte diligere inimicum. Ita et cum dicit 7 'impleri verba illius spon-

4 et om. NRTWX, add. interl. L<sup>2</sup>. 13 dat] datur BCX. 19 ergo] et add. BLCO. 29 perfectorum est trp. BCW.

1 Matth. 6, 14-15. 2 Hic, sub num. 2. 3 In medio num. 2, supra. 4 Matth. 22, 39; Marc. 12, 31; quod omnis homo proximus est, dixit Augustinus supra, Dist. 28, c. 3, n. 1. 5 In Dist. 27-28. 6 Hic supra, n. 2. 7 Ad initium n. 2.



sionis ab homine qui non ita profecit ut diligat inimicum', de dilectione perfecta accipiendum est.

## DISTINCTIO XXXI

## Cap. I (112).

1. **Si caritas semel habita amittatur.** Illud quoque non est praetereun- 5  
dum, quod quidam asserunt caritatem semel habitam ab aliquo non posse  
excidere, nullumque damnandum hanc aliquando habere. Qui hanc tra-  
ditionem subditis muniunt testimoniis:

2. Apostolus ait 1: *Caritas nunquam excidet.* — **Augustinus, ad Iulia-**  
**num comitem** \*. **Augustinus** etiam inquit 2: «Caritas quae deseri 10  
potest, nunquam vera fuit». — **Super Psalmum CIII** \*. Item 3: «Caritas  
est fons proprius et singularis bonorum, cui non communicat alienus. Alieni  
sunt omnes qui audituri sunt 4: *Non novi vos*». De hoc fonte Scriptura  
ait 5: *Fons aquae vivae sit tibi proprius, et nemo alienus communicet tibi.*  
Si autem alieni sunt qui audituri sunt illam vocem, non ergo huic fonti 15  
communicant damnandi.

<sup>1</sup> I Cor. 13, 8.      <sup>2</sup> Rectius Paulinus Aquileiensis, *Liber exhortationis de salutaribus documentis*, c. 7 (PL 99, 202 A; inter opp. August., PL 40, 1049); ex Hieron., *Epist. 3 (ad Rufinum)*, n. 6 (PL 22 [1859], 335; CSEL 54, 18).      <sup>3</sup> Sermo I, n. 9 (PL 37, 1344; CCL 40, 1482); partim in *Glossa ordin.* in I Cor. 13, 1 (apud Lyranum, VI, 53c; cod. l 63c; m 61d).  
<sup>4</sup> Matth. 7, 23.      <sup>5</sup> Prov. 5, 17-18; de hac versione cf. CSEL 12, 679; et L. Ott, *Untersuchungen*, 337.

Dist. XXXI, Cap. I: Cf. Joh. Schupp, *Die Gnadentehre des Petrus Lombardus*, 266-273; L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 328-335; A. M. Landgraf, *Unverlierbarkeit, Vollkommenheit, Vermehrung und Verminderung der Caritas*, in *Dogmengeschichte* 1-2, 136-203, praesertim 136-169, ubi loci paralleli indicantur. — Maior fons huius capituli *Decretum* exstat Gratiani quod dehinc tam in tertio libro quam in quarto magnam habebit partem inter fontes Magistri (cf. Proleg. ad tom. I, 120\*). — Num. 1: Cf. Hugo de S. Victore, *De sacram.* 11, 13, 11: *Utrum caritas semel habita amittatur* (PL 176, 539 B). *Quidam* forsitan inveniuntur in schola Anselmi Laudun. (cf. O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 64, lin. 32ss; A. M. Landgraf, uti supra, 143) et Petri Abaelardi (cf. *Sic et non*, c. 138; PL 178, 1576 B). Antecedunt enim haec sententia operibus Hugonis, *Summae sent.*, Gratiani, etc. — Num. 2: Prima duae auctoritates, ex *Decreto*, De poenitentia d. 2, c. 7 et c. 2 (ed. Aem. Friedburg, 1192, 1190).

3. **Augustinus** \*. Item **Augustinus**, *Super Epistolam Ioannis* 1: «Radicata est caritas? securus esto: nihil mali procedere potest». — **Gregorius** \*. Item **Gregorius** in *Moralibus* 2: «Valida est ut mors dilectio 3. Virtuti enim mortis dilectio comparatur, quia nimirum mentem 5  
quam semel ceperit, a dilectione mundi funditus occidit». — **Augustinus** \*. Item **Augustinus**, *Super Epistolam Ioannis* 4: «Unctio invisibilis caritas est, quae in quocumque fuerit, radix illi erit; quae ardente sole arescere non potest: nutritur calore solis, non arescit».

4. **Beda** \*. Item **Beda**, *Super Ioannem* 5: «Quaerendum est quo- 10  
modo speciale Filii Dei agnoscendi signum fuerit, quod super eum descen-  
derit et manserit Spiritus. Quid magni est Filio Dei, quod in ipso manere  
Spiritus astruatur? Notandumque quod semper in Domino manserit  
Spiritus; in sanctis vero, quamdiu mortale corpus gestaverint, partim  
semper maneat, partim rediturus secedat. Manet enim apud eos, ut bonis 15  
insistant actibus; recedit vero ad tempus, ne semper infirmos curandi,  
mortuos suscitandi, daemones eiciendi vel etiam prophetandi habeant  
facultatem. Manet ergo semper ut possint habere virtutes, ut mirabiliter  
ipsi vivant; venit ad tempus ut etiam aliis, per miraculorum signa, quales  
sint intus effulgeant».

5. **Gregorius, super Ezechielem** \*. Item **Gregorius** 6: «In sancto- 20  
rum cordibus secundum quasdam virtutes semper manet Spiritus, se-  
cundum quasdam recessurus venit et venturus recedit. In his virtutibus,  
sine quibus ad vitam non pervenitur, in electorum suorum cordibus per-  
manet; in his vero per quas sanctitatis virtus ostenditur, ut in exhibitione 25  
miraculorum, aliquando adest, aliquando se subtrahit». — **Ambrosius** \*.  
Item **Ambrosius** 7: «Ficta caritas est, quae in adversitate deserit».

1 p. 182, 1 Item Aug... amittatur om. M.      12 astruatur] astruitur BCTV.  
20 Rubrica om. RTVW.

<sup>1</sup> In I Ioan., 4, 12-16, tr. 8, n. 9 (PL 35, 2041).      <sup>2</sup> Lib. X, c. 21, n. 39 (PL 75, 942 D - 943 A).      <sup>3</sup> Cant. 8, 6.      <sup>4</sup> In c. 2, 27: *unctionem quam accepistis*, scil. tr. 3, n. 12 (PL 35, 2004).      <sup>5</sup> Ps-Beda, In Ioan. 1, 33: *Super quem videris Spiritum descendantem et manentem* (PL 92, 650 C - 651 A).      <sup>6</sup> Lib. I, hom. 5, n. 11 (PL 76, 825 B; CCL 142, 62).  
<sup>7</sup> *Ambr. super Ep. Rom.* (rubr.), sed rectius *Glossa ordin.* in II Cor. 6, 6: *in caritate non ficta* (apud Lyran., VI, 68c; cod. l 85d; m 80d); ex Ambrosiastro in h.l., ubi legitur: «Simulata caritas in his est, qui in necessitate deserunt fratres» (PL 17 [1845], 300 B; CSEL 80-II, 241).

Num. 3-5: Ut ex rubricis apparet et operibus citatis, omnes auctoritates ex *Decreto*, De poen. d. 2, cap. 3, 4, 8, 6 (quibusdam omissis), et 11 (etiam cum quadam adaptatione), respective (ed. cit., 1190-1194).



6. Haec innuere videntur quod caritas, semel habita, non amittatur. Ideo quidam in praetaxatam prosiluerunt audaciam, dicentes caritatem a damnandis non haberi, nec a quoquam habitam posse amitti.

7. Quos ratio vincit et auctoritas. Quidam enim ad tempus sunt boni, qui postea fiunt mali, et e converso. Unde quorundam nomina Christus <sup>5</sup> dicit <sup>1</sup> *scripta* in libro vitae, qui tamen postea *abierunt retro* <sup>2</sup>; sed *scripta* dicit non secundum praescientiam, sed secundum praesentem iustitiam cui deserviebant, quia digni erant tunc illo bono quod habituri sunt scripti secundum praescientiam. — **Ambrosius in epistolam ad Romanos \***. Unde **Ambrosius** <sup>3</sup>: « Quibusdam gratia data est in usum, ut Sauli <sup>4</sup>, <sup>10</sup> Iudae et illis discipulis quibus Dominus dixit <sup>5</sup>: *Ecce nomina vestra scripta sunt in caelis*, et post *abierunt retro* <sup>6</sup>. Sed hoc dixit propter iustitiam cui deserviebant, quia boni erant. Frequenter enim ante sunt mali, qui futuri sunt boni; et aliquoties prius sunt boni, qui futuri sunt et permansuri mali »; secundum quod dicuntur scribi in libro vitae et deleri. <sup>15</sup>

8. **Determinatio auctoritatum praedictarum** <sup>7</sup>. Quod vero Apostolus ait: *Caritas nunquam excidit*, nullatenus pro illis facit. Dignitatem enim caritatis ostendens, dicit eam non excidere, quia hic et in futuro erit; sed fides et spes evacuabuntur, et scientia <sup>8</sup>. — Item quod dicitur, 'caritas nunquam fuisse vera, quae deseri potest', non ad essentiam caritatis re- <sup>20</sup> fertur, sed ad efficientiam: quia non efficit caritas quae deseritur hominem vere beatum, non perducit ad verum bonum. — 'Huic etiam fonti alieni, id est damnandi, non communicant': scilicet in fine, quia non perseverant.

<sup>2</sup> prosiluerunt] prosiliunt ALO, quod corr. in prosilierunt L<sup>2</sup>. <sup>9</sup> scripti] prescripti BCLORVW, quod corr. LO. || Rubrica om. MRVW. <sup>10</sup> Sauli] et add. BCV. <sup>12</sup> caelis] celo ABCNX, libro vite V. <sup>17</sup> excidit] excidet LMTW. <sup>22</sup> non] nec BCL.

<sup>1</sup> Resp. Luc. 10, 20. <sup>2</sup> Ioan. 6, 67. <sup>3</sup> Ambrosiaster, in Rom. 9, 11-13 (PL 17, 135 B-D; CSEL 80-1, 314-317); partim in *Glossa ordin.* in Rom. 9, 23: *Ut ostenderet divitias* etc. (apud Lyranum, VI, 22a; l 21b; m 22c). <sup>4</sup> Resp. I Reg. 9, 2: *Saul, electus et bonus*. <sup>5</sup> Luc. 10, 20. <sup>6</sup> Ioan. 6, 67. <sup>7</sup> Supra, in num. 2. <sup>8</sup> Resp. I Cor. 13, 8-10; vide infra, cap. 2.

Num. 7: Auctoritas Ambrosiastri iam in *Glossa Magistri* in Rom. 9, 23 (PL 191, 1467 D - 1468 A). — Num. 8: Cf. *Glossa* in I Cor. 13, 8 (PL 191, 1661 A-B et C), et Hugo, *De sacram.*, II, 13, 11 (PL 176, 542 A).

9. Potest tamen hoc, et cetera quae de caritate dicta sunt, de perfecta intelligi, quam soli perfecti habent. Quae semel habita, non amittitur; exordia vero caritatis aliquando crescunt, aliquando deficiunt. Sunt enim virtutis exordia et profectus et perfectio. Quos gradus ille discernit, <sup>5</sup> qui parabolam illam <sup>1</sup> intelligit: *Sic est regnum Dei, quemadmodum si iacet homo semen in terra et dormiat, et exurgat semen et germinet et crescat* etc. Etsi ergo perfecta caritas sic radicata est ut amitti nequeat, incipiens tamen et profecta amitti potest et saepe amittitur.

10. Sed dum habetur, non sinit habentem criminaliter peccare. Quod <sup>10</sup> **Augustinus** <sup>2</sup> ostendit inquiens: « Quia *radix omnium malorum est cupiditas* <sup>3</sup>, et radix omnium bonorum caritas, simul ambae esse non possunt: nisi una radicitus evulsa fuerit, alia plantari non potest. Sine causa conatur aliquis ramos incidere, si radicem non contendit evellere ».

#### Cap. 2 (113).

<sup>15</sup> **1. Quare fides et spes et scientia dicuntur evacuari, et non caritas, cum et ea ex parte sit.** Advertendum etiam est quomodo fides, spes et scientia dicuntur evacuari, quia *ex parte* sunt <sup>4</sup>, et non caritas, cum et ipsa *ex parte* sit. Ex parte enim, id est imperfecte, diligimus, sicut ex parte scimus, ut ait **Hesychius** *Super Leviticum* <sup>5</sup>. Cum igitur omne <sup>20</sup> quod *ex parte est* evacuetur, cur caritas excipitur, quae dicitur *nunquam excidere* <sup>6</sup>?

2. Caritas quidem etiam *ex parte* est, ut saepe Sancti docent, quia *ex parte* diligimus nunc; et ideo ipsa evacuabitur in quantum *ex parte*

<sup>1-13</sup> Potest... evellere om. M. <sup>11</sup> bonorum] est add. BCNTX Grat. <sup>16</sup> ea] ipsa BC et elench. capp. || Advertendum] Querendum BC, in corr. X.

<sup>1</sup> Marc. 4, 26-27. <sup>2</sup> *Super epist. Iohannis* (rubr.), rectius autem Caesarius Arelat., *Sermo 182*, n. 1 (CCL 104, 739s); alias Augustino ascribebatur ut *Sermo 270* appendicis, n. 1 (PL 39, 2248). <sup>3</sup> I Tim. 6, 10. <sup>4</sup> Resp. I Cor. 13, 8-10. <sup>5</sup> *Glossa ordin.* in Lev. 2, 2 (apud Lyran., I, 217a); ex Hesychio in h.l. (PG 93, 805 D - 806 B). <sup>6</sup> I Cor. 13, 8: *Caritas nunquam excidit*.

Num. 9: fundatur supra dicta Gratiani ante cap. 15 et in ipso capitulo (col. 1194); trahitur ex S. Greg., *In Ezech.* II, hom. 3, nn. 4-5 (PL 76, 960), ubi parabola seminis gradibus caritatis aptatur. — Num. 10: concinnatur ex dicto Gratiani (col. 1193) ante can. 13 (col. 1194) et ipso canone, qui auctoritatem continet pseudo-Augustini.

Cap. 2, num. 1: Cf. *Glossa* in I Cor. 13, 10 (PL 191, 1661 C-D), et in Phil. 3, 18 (PL 192, 249 B-C). — Num. 2: Summatim ex *Glossa* in I Cor. 13, 10 (PL 191, 1662 A). Quod tamen sequitur in *Glossa*: « Vel *ex parte...* nec quidam modus » (1662 B-C) deest in versione primitiva eiusdem.



est, quia tolletur imperfectio et addetur perfectio; remanebitque ipsa aucta, et actus eius, et modus diligendi: ut diligas Deum propter se et toto corde et proximum sicut te, sed imperfectiois modus eliminabitur. Fides vero et spes penitus evacuabuntur. Scientia vero secundum actum et modum suum qui nunc est, non secundum sui essentiam tolletur: ipsa enim virtus scientiae remanebit, sed alium tenebit usum et modum.

## Cap. 3 (114).

1. **Si Christus ordinem caritatis praescriptum habuerit.** Nunc iam superest investigare si Christus secundum quod homo ordinem diligendi praescriptum <sup>2</sup> servaverit. Quod si est, omnem hominem sicut se ipsum dilexit; omnibus ergo vitam optavit, omnesque salvos fieri voluit. Sed non omnes salvi sunt, et ita non est factum quod optavit.

2. Sed non est ignorandum in eo fuisse caritatem iuxta modum patriae, non viae; eumque ordinem diligendi implese qui servatur in patria, non in via. Qui enim in patria sunt, id est iam beatificati sunt, adeo iustitiae Dei addicti sunt, ut nihil eis placeat nisi quod Deo placet; ac per hoc illorum tantum salutem volunt, quos Deus salvari vult, eosque solos sicut se diligunt. Ita et Christus electos tantum sicut se dilexit eorumque salutem optavit.

## DISTINCTIO XXXII

20

## Cap. 1 (115).

1. **De caritate Dei.** Praemissis adiciendum est de dilectione Dei, qua ipse diligit nos; quae non est alia quam illa qua diligimus eum. Dilectio autem Dei divina usia est, eademque dilectione Pater et Filius et Spiritus Sanctus se diligunt et nos, ut supra <sup>3</sup> disseruimus.

25

8 habuerit] habuit OVX. 10 ipsum om. MTWX. 17 illorum tantum trp. BCW. || salutem] diligunt et add. LOV. 18-19 Ita... optavit om. O.

<sup>1</sup> Hic in quibusdam codicibus (ALMOT) rubrica invenitur: *Super epistolam Iohannis*; sed in vanum locum quaesivimus. <sup>2</sup> Cf. Dist. 27, c. 5, et dist. 29, cc. 1-2. <sup>3</sup> In Libro I, dist. 10 et 17 (tom. I, 110-114; 141-150).

Dist. XXXII: Cf. *Summa sent.*, IV, 8 (PL 176, 126 A-D).

2. **Quod alia magis, alia minus diligit Deus \*.** — Augustinus, super **Ioannem \***. Cumque eius dilectio sit immutabilis et aeterna, alium tamen magis, alium minus diligit. Unde Augustinus <sup>1</sup>: «Incomprehensibilis est dilectio atque immutabilis, qua Deus in unoquoque nostrum amat quod fecit, sicut et odit quod fecimus. Miro igitur et divino modo, etiam quando odit, diligit nos; et hoc quidem in omnibus intelligi potest. Quis ergo digne possit eloqui quantum diligit membra Unigeniti sui, et quanto amplius Unigenitum ipsum? De ipso etiam dictum est <sup>2</sup>: *Nihil odisti eorum quae fecisti*». — Ex his percipitur quod Deus omnes creaturas suas diligit, quia scriptum est: *Nihil odisti eorum quae fecisti*; et item <sup>3</sup>: *Vidit Deus cuncta quae fecerat, et erant valde bona*. Si omnia quae fecit bona sunt, et omne bonum diligit, omnia igitur diligit quae fecit. Et inter ea magis diligit rationales creaturas; et de illis eas amplius quae sunt membra Unigeniti sui, et multo magis ipsum Unigenitum.

15

## Cap. 2 (116).

1. **Ex qua intelligentia dicitur magis vel minus diligere haec vel illa.** Cum autem dilectio Dei immutabilis sit, et ideo non intenditur vel remittitur, si quaeritur quae sit ratio dicti, cum dicitur magis vel minus diligere hoc quam illud, et cum dicitur omnia diligere: dicimus dilectionem Dei, sicut pacem <sup>4</sup>, exsuperare omnem sensum humanum, ut ad tantae altitudinis intelligentiam vix aliquatenus aspiret.

2. **Ex quo sensu omnia quae fecit Deus diligere dicatur \*.** Potest tamen sane intelligi ea ratione dici 'omnia diligi a Deo quae fecit', quia omnia placent ei, omnia approbat, in quantum opera eius sunt; nec tunc prius vel amplius placuerunt ei cum facta sunt, sed et antequam fierent, immo ab aeterno omnia placuerunt ei, non minus quam postquam esse coeperunt.

1-2 Aug. super Ioannem om. RVW. 21 aspiret] sensus humanus aspiret L, humanus sensus asp. NV, humanus asp. sensus O (ed. 1<sup>a</sup>?). 24 tunc] vel add. ABCLR. 25 et om. CRWX, interl. L.

<sup>1</sup> In Ioan. 17, 21-23, tr. 110, n. 6 (PL 35, 1923s; CCL 36, 626). <sup>2</sup> Sap. 11, 25. <sup>3</sup> Gen. 1, 31. <sup>4</sup> Resp. Phil. 4, 7: *Pax Dei, quae exsuperat omnem sensum*.

Cap. 1, num. 2: Auctoritas Augustini, ex *Glossa* in Rom. 5, 8 (PL 191, 1384 A-C), multis omissis et mutato ordine verborum.



3. **Quomodo alios magis, alios minus diligere dicatur** \*. Quod vero rationales creaturas, id est homines vel angelos, alios magis, alios minus diligere dicitur, non mutabilitatem caritatis eius significat, sed quod alios ad maiora bona, alios ad minora dilexit; alios ad meliores usus, alios ad minus bonos. Omnia enim bona nostra ex eius dilectione nobis 5  
proveniunt. Electorum ergo alios magis, alios minus dilexit ab aeterno et diligit etiam nunc, quia aliis maiora, aliis minora ex dilectione sua praeparavit bona, aliisque maiora et aliis minora bona confert in tempore: unde magis vel minus dicitur hos vel illos diligere.

## Cap. 3 (117).

10

1. **Quod duobus modis inspicienda est dilectio Dei.** Consideratur enim duobus modis dilectio Dei: secundum essentiam, et secundum efficientiam. Non recipit magis vel minus secundum essentiam, sed secundum efficientiam tantum: ut magis dilecti dicantur, quibus ex dilectione ab aeterno maius bonum praeparavit et in tempore tribuit; et minus dilecti, quibus 15  
non tantum.

2. Inde etiam est quod aliqui, quando convertuntur et iustificantur, dicuntur tunc incipere diligi a Deo: non quod Deus nova dilectione quemquam possit diligere, immo sempiterna dilectione dilexit *ante mundi constitutionem*<sup>1</sup> quoscumque diligit; sed tunc dicuntur incipere diligi ab eo, 20  
cum aeternae dilectionis Dei sortiuntur effectum, scilicet gratiam vel gloriam. — **Augustinus in libro V De Trinitate** \*. Unde Augustinus<sup>2</sup>: « Absit ut Deus temporaliter aliquem diligit, quasi nova dilectione quae in ipso ante non erat, apud quem nec praeterita transierunt et futura iam facta sunt. Itaque omnes sanctos suos *ante mundi constitutionem*<sup>3</sup> dilexit, 25  
sicut praedestinavit. Sed cum convertuntur et inveniunt illum, tunc incipere ab eo diligi dicuntur: ut eo modo dicatur quo potest humano affectu capi quod dicitur. Sic etiam cum iratus malis dicitur et placidus bonis, illi mutantur, non ipse. Ut lux infirmis oculis aspera, firmis lenis

<sup>1</sup> dicatur] dicitur BNOR.      8 et aliis] aliisque MNV, in corr. B.      14 tantum  
trp. post sed MRTX, post secundum O.      21 dilectionis Dei trp. MTX.      22 Ru-  
brica om. MRVW.

<sup>1</sup> Eph. 1, 4.      <sup>2</sup> Cap. 16, n. 17 (PL 42, 924; CCL 50, 227).      <sup>3</sup> Eph. 1, 4.

Cap. 3, num. 2: Cf. *Summa sent.*, IV, 8 (PL 176 C-D), ubi auctoritas Augustini invenitur in parte. Videsis etiam supra, Lib. I, dist. 30, cap. 1 (tom. I, 220-222).

est, ipsorum scilicet mutatione, non sua»; ita cum aliquis per iustificationem « incipit esse amicus Dei, ipse mutatur », non Deus.

## Cap. 4 (118).

**Si quis magis vel minus diligatur a Deo uno tempore quam alio.** Si 5  
vero quaeritur de aliquo uno utrum magis diligatur a Deo uno tempore quam alio, distinguenda est dictionis intelligentia: si enim referatur ad dilectionis effectum, concessibile est; si vero ad dilectionis essentiam, infitiabile est.

## Cap. 5 (119).

10 **Si Deus ab aeterno dilexit reprobos.** De reprobis vero, qui praeparati non sunt ad vitam, sed ad mortem, si quaeritur utrum debeat concedi quod Deus ab aeterno dilexerit eos, dicimus de electis solis simpliciter hoc esse concedendum, quod Deus ab aeterno eos dilexit, quos ad iustitiam et coronam praeparavit. De non electis vero simpliciter est concedendum 15  
quod odio habuit, id est reprobavit, sicut legitur<sup>1</sup>: *Jacob dilexi, Esau odio habui*. Sed non est simpliciter dicendum quod dilexit, ne praedestinati intelligantur; sed cum adiectione: dilexit eos in quantum opus eius futuri erant, id est quod et quales factururus eos erat.

## DISTINCTIO XXXIII

## Cap. 1 (120).

20

1. **De quatuor virtutibus principalibus.** Post praedicta de quatuor virtutibus quae principales vel cardinales vocantur disserendum est, quae sunt iustitia, fortitudo, prudentia, temperantia.

<sup>4</sup> diligatur] diligitur ANVWX et elench. capp.      18 quod] quos ARVX, corr. in  
quos T2, quid O, vel quid add. mg. N.

<sup>1</sup> Rom. 9, 13; cf. Malach. 1, 2-3.

Dist. XXXIII-XXXV. Cf. Joh. Schupp, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus*, 243-251. Quoad praesentem Dist., cf. O. Lottin, *Les vertus cardinales et leur ramifications chez les théologiens de 1230 à 1250*, in *Psych. et morale*, III-1, 154s; quoad iustitiam tam in originali Augustini quam in usu Lombardi, v. H. Lio, *Estne obligatio iustitiae subvenire miseris?* Romae 1957, 1-29. — Cap. 1, num. 1: Cf. *Glossa Lombardi* in Ps. 14, 2 (PL 191, 168 B), unde ru-



2. **De usibus earum hic \***. — In XIV libro **De Trinitate \***. De quibus Augustinus ait<sup>1</sup>: « Iustitia est in subveniendo miseris, prudentia in praecavendis insidiis, fortitudo in perferendis molestiis, temperantia in coercendis delectationibus pravis ».

3. De his dicitur in libro Sapientiae<sup>2</sup>: *Sobrietatem et prudentiam docet, iustitiam et veritatem. Sobrietatem vocat temperantiam, et veritatem vocat fortitudinem. Hae virtutes 'cardinales' dicuntur, ut ait Hieronymus<sup>3</sup>; « quibus in hac mortalitate bene vivitur »<sup>4</sup>, et post ad aeternam vitam pervenitur.*

Cap. 2 (121).

10

**Quod hae virtutes in Christo fuerint \***. Quae in Christo plenissime fuerunt et sunt, *de cuius plenitudine nos accepimus*<sup>5</sup>; in quo habuerunt usus eosdem quos in patria habent, et quosdam etiam viae.

Cap. 3 (122).

1. **De usibus earum.** — Augustinus in XIV libro **De Trinitate \***. Verumtamen « an<sup>6</sup> hae virtutes, cum et ipsae in animo esse incipiant (qui cum sine illis prius esset, tamen animus erat), desinant esse cum ad aeterna

<sup>1</sup> In...Trinit. om. RVW. <sup>6</sup> veritatem<sup>1</sup> corr. in virtutem T<sup>2</sup>V<sup>2</sup>. || veritatem<sup>2</sup> corr. in virtutem T<sup>2</sup>W<sup>2</sup>, vel virtutem add. marg. V<sup>2</sup>. <sup>11</sup> Rubrica om. VW, om. in parte L. || fuerint] fuerunt AMRTV, plenissime fuerint (fuerunt X) et sunt BCX. <sup>12</sup> nos] omnes R, omnes add. AC, add. interl. V<sup>2</sup>. <sup>15</sup> De usibus earum rubr. ex elencho capp., om. codd.

<sup>1</sup> Cap. 9, n. 12 (PL 42, 1046; CCL 50A, 439). <sup>2</sup> Sap. 8, 7; de lectione *veritatem*, quae habetur in omnibus codicibus antiquioribus Magistri, cf. *Biblia Sacra iuxta latinam vulgatam versionem*, XII, Romae 1964, 52. <sup>3</sup> De quatuor virtutibus iuxta Stoicos loquitur Hieron. in *Epist. 66 (ad Pammachium)*, n. 3 (PL 22 [1859], 640; CSEL 54, 649); primus autem qui eas cardinales vocat est Ambrosius (c. 377-378), *De excessu fratris sui Satyri*, I, n. 57 (PL 16 [1845], 1309 A; CSEL 73, 239); et (c. 385-389) *In Luc.* 6, 20, V, n. 49 (PL 15 [1845], 1649 B-C; CCL 14, 152); vide etiam alias notas infra. <sup>4</sup> August., *De Trinit.*, XIV, c. 9, n. 12 (PL 42, 1045; CCL 50A, 438); cf. etiam *De civit. Dei*, XXII, c. 24, n. 3: « Artes bene vivendi et ad immortalem perveniendi felicitatem, quae virtutes vocantur » (PL 41, 789; CSEL 40-II, 644s; CCL 48, 848); et *Enarr. in Ps.* 83, 8, n. 11 (PL 37, 1065s; CCL 39, 1157s). <sup>5</sup> Ioan. 1, 16. <sup>6</sup> Cap. 9, n. 12 (PL 42, 1045s; CCL 50A, 438ss), ubi et num. 2-4.

brica hic; vel forsitan sumitur ex *Glossa interl.* in Sap. 8, 7: « Quatuor enim principales virtutes ponit » (apud Lyranum, III, 735r); iam sic nominantur ab Ambrosio, *De paradiso*, c. 3, n. 18 (PL 14 [1845], 282 C; CSEL 32-1, 277); et in *De sacramentis* III, c. 2, n. 9: « quasi cardinales sunt, quasi principales » (PL 15 [1845], 434 B; CSEL 73, 42).

perdixerint, nonnulla quaestio est. Quibusdam<sup>1</sup> visum est esse desituras; et de tribus quidem, prudentia scilicet, fortitudine, temperantia, cum hoc dicitur, non nihil dici videtur ».

2. **De usu iustitiae in futuro \***. « *Iustitia enim immortalis est*<sup>2</sup>, et magis tunc perficietur in nobis quam esse cessabit, cum beate vivemus contemplatione naturae divinae, quae creavit omnes ceterasque instituit naturas, qua nihil melius et amabilius est. Cui regenti esse subditum, iustitiae est; et ideo immortalis est omnino iustitia; nec in illa beatitudine esse desinet, sed talis ac tanta erit, ut perfectior et maior esse non possit ».

3. **De usibus aliarum trium in futuro \***. « Fortassis et aliae tres virtutes, prudentia sine ullo iam periculo erroris, fortitudo sine molestia tolerandorum malorum, temperantia sine repugnatione libidinum, erunt in illa felicitate: ut prudentiae ibi sit nullum bonum Deo praeponeere vel aequare, fortitudinis ei firmissime cohaerere, temperantiae nullo defectu noxio delectari ».

4. « Quod vero nunc agit iustitia in subveniendo miseris, quod prudentia in praecavendis insidiis, quod fortitudo in perferendis molestiis, quod temperantia in coercendis delectationibus pravis, non erit ibi omnino, ubi nihil mali erit. Ista igitur virtutum opera, huic mortali vitae necessaria, sicut fides ad quam referenda sunt, in praeteritis habebuntur ». Ecce aperte hic dicit Augustinus quod praedictae virtutes in futuro erunt, sed alios usus tunc habebunt quam modo.

5. **Beda \***. Cui Beda consentit, super Exodum<sup>3</sup>, ita dicens: « Columnae ante quas appensum est velum, potestates caeli sunt, quatuor eximiis virtutibus praeclarae, id est fortitudine, prudentia, temperantia, iustitia; quae aliter in caelis servantur ab angelis et animabus sanctis, quam hic a fidelibus ». Et consequenter assignat Beda usus illarum virtutum secundum praesentem statum et futurum, imitans Augustinum in praemissis assignationibus.

<sup>4</sup> Rubrica om. CVW. <sup>6</sup> naturae divinae *trp.* ABCLNV. <sup>11</sup> Rubrica om. BCVWX. || in futuro om. AM. <sup>13</sup> repugnatione] repugnantia BCV. <sup>24</sup> Beda<sup>1</sup> om. CRVW. <sup>29</sup> statum *trp.* post futurum BCLNV. || et futurum om. A.

<sup>1</sup> Nempse Ciceroni in *Hortensio*, cuius verba refert ibidem Augustinus. <sup>2</sup> Sap. 1, 15. <sup>3</sup> *Glossa ordin.* in Exod. 26, 32 (apud Lyranum, I, 184c); ex Beda, *De tabernaculo*, II, c. 8 (PL 91, 446 A-B; CCL 119A, 71).



## DISTINCTIO XXXIV

## Cap. 1 (123).

**De septem donis Spiritus Sancti.** Nunc de septem donis Spiritus Sancti agendum est: ubi prius considerandum est an haec dona virtutes sint; secundo an in futuro desitura sint, vel omnia vel horum aliqua; deinde 5 an in Christo fuerint cuncta haec dona.

## Cap. 2 (124).

1. **Quod septem dona sint in angelis et sint virtutes.** — Ambrosius in libro I De Spiritu Sancto \*. Haec dona virtutes esse, nec in futuro desitura, Ambrosius<sup>1</sup> ostendit, ea septem fore virtutes dicens et in 10 angelis abundantissime esse, sic: « Civitas Dei, illa Ierusalem caelestis, non meatu alicuius fluvii terrestris abluatur; sed ex vitae fonte procedens Spiritus Sanctus, cuius nos brevi satiamur haustu, in illis caelestibus spiritibus redundantius videtur effluere, pleno septem virtutum spiritualium fervens meatu. Si enim fluvius riparum editis superfusus exundat, quanto 15 magis Spiritus omnem supereminens creaturam, cum nostrae mentis arcana tamquam inferiora perstringat, caelestem illam angelorum naturam effusione quadam sanctificationum ubertate laetificat! »

2. **Ambrosius** \*. Deinde sanctificationes exponens, subdit 2: « His autem sanctificationibus significatur plenitudo septem spiritualium vir- 20 tutum, quas enumerat Isaias dicens 3: *Spiritus sapientiae et intellectus,*

10 et om. VW, interl. O. 18 effusione] effusione BCMRX.

<sup>1</sup> Cap. 16, n. 158 (PL 16 [1845], 740 B-C; CSEL 79, 82). <sup>2</sup> Ibid., n. 159 (740C; 82).

<sup>3</sup> Isai. 11, 2-3.

Dist. XXXIV, capp. 1-3. Cf. Iac. de Blic, *Pour l'histoire de la théologie des dons avant saint Thomas*, in *Revue d'ascétique et de mystique*, 22 (1946), 117-179; O. Lottin, *Les dons du Saint-Esprit du XII<sup>e</sup> siècle à l'époque de saint Thomas d'Aquin*, in *Psych. et morale*, III-1, 329-456, ubi revera parum dicitur de doctrina Lombardi; et id., *La doctrine d'Anselme de Laon sur les dons du Saint-Esprit et son influence*, in *Psych. et morale*, VI, 445-477, ubi concluditur quod nullum influxum in Lombardum exercuerit *Glossa in Matthaeum* Magistri Anselmi (p. 476). — Capp. 1-2: Cf. *Glossa* in I Cor. 12, 1-17 (PL 191, 1649 C - 1655 C); Hugo, *De sacram.*, II, 13, 2 (PL 176, 526 C - 527 B); *Summa sent.*, III, 17 (PL 171, 1143 C - 1144 D; 176, 114 C - 115 A).

*consilii et fortitudinis, scientiae et pietatis et timoris Dei.* Unum est ergo flumen, sed multi spiritualium donorum meatus ». « Quamvis<sup>1</sup> ergo multi dicantur *spiritus*, ut *spiritus sapientiae et intellectus* etc., unus tamen est Dei Spiritus », suae libertatis arbiter, *omnia* pro auctoritate voluntatis 5 *dividens singulis*<sup>2</sup>. — Hic expresse traditum est septem dona et virtutes esse sanctificationesque fidelium mentium, et in futuro non desitura, cum sint et in angelis.

## Cap. 3 (125).

1. **Quod in Christo fuerint illa septem dona.** In Christo etiam haec 10 eadem fuisse, Isaias ostendit dicens 3: *Egredietur virga de radice Iesse, et flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum spiritus Domini: spiritus sapientiae et intellectus, spiritus consilii et fortitudinis, spiritus scientiae et pietatis, et replebit eum spiritus timoris Domini.*

2. **Quod videtur obviare praemisso.** — Beda \*. His autem videtur 15 obviare quod Beda de timore Domini dicit, *Super Parabolas*<sup>4</sup>, scilicet quod omnis timor in futuro cessabit. Ait enim sic super illum locum: *Timor Domini principium sapientiae*: « Duo sunt timores Domini: servilis, qui principium est sapientiae; et amicalis, qui perfectionem sapientiae comitatur. Servilis principium sapientiae est, quia qui post errata sapere 20 incipit, primo timore corripitur divino ne puniatur; sed hunc *perfecta caritas foras mittit*<sup>5</sup>. Succedit huic *timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi*<sup>6</sup>, quem non excludit caritas, sed auget: quo timet filius ne vel in modico oculos amantissimi patris offendant. Uterque in futuro cessabit. *Caritas vero nunquam excidet*<sup>7</sup> ».

1 Dei] domini BCLNX. 2 spiritualium] spiritalium MNR. 9 fuerint] fuerunt AMRV. 14 Quod] Quid BMORX. || Beda om. RVW. 22 quo] quod AM.

<sup>1</sup> Ambrosius, *De Spiritu Sancto*, I, c. 4, n. 60 (719 B; 40s). <sup>2</sup> Resp. I Cor. 12, 11: *Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Commentum est Ambrosii, *De Spiritu Sancto*, II, c. 12, n. 140: «...ex voluntate, qui sui est liber arbitrii»; c. 13, n. 144: «Arbiter suae exprimitur potestatis» (PL 16, 772 D, 773 D; CSEL 79, 141, 143). <sup>3</sup> Isai. 11, 1-3. <sup>4</sup> *Comment. in Parabolas Salomonis*, I, c. 1 (PL 91, 939 C); scil. in Prov. 1, 7. <sup>5</sup> I Ioan. 4, 18. <sup>6</sup> Ps. 18, 10. <sup>7</sup> I Cor. 13, 8.

Cap. 3, num. 2: Suggestente *Summa sent.*, III, 17 (PL 171, 1144 C; 176, 115 C), Magister recurrit ad verba Bedae in *Glossa ord.* in Prov. 1, 7 (apud Lyranum, III, 309 C). Videsis etiam Hugonem, *De sacram.*, II, 13, 4 (PL 176, 527 D).



3. **Augustinus** \*. *Augustinus* quoque, super illum locum Psalmi: *Adorabo ad templum sanctum tuum in timore tuo*, timorem desitutum dicit, sic: « Timor Domini est magnum praesidium proficientibus ad salutem, sed pervenientibus foras mittitur. Non enim timent iam amicum, cum scilicet ad id quod repromissum est perducti fuerint ». — Ex his auctoritatibus significatur quod timor non erit in futuro. Si autem timor non fuerit in futuro, ergo nec septem dona erunt, nec modo sunt in angelis sive in animabus sanctis.

4. **Solutio** \*. Ad quod dicimus, auctoritatum praemissarum quae videtur repugnantiam dirimentes, quod septem illa dona et in angelis modo sunt et in animabus sanctis feliciter viventibus, et in nobis erunt in futuro; sed non habebunt omnia hos usus sive haec officia quae nunc habent. Ut, verbi gratia, timor filialis modo facit timere ne offendamus quem diligimus, et ne separemur ab eo; facit etiam nos revereri eundem; in futuro vero faciet nos revereri, quando non timebimus separari vel offendere. Non ergo metus separationis vel offensionis nunc est in angelis vel animabus sanctis, nec in nobis erit in futuro, sed reverentia, quae est mixta cum subiectione dilectio; quae etiam in Christo fuit, sicut Apostolus dicit in Epistola ad Hebraeos 2, loquens de Christo: *Qui exauditus est pro sua reverentia*. — Quidam tamen secundum effectum timorem in Christo et in angelis tantum esse contendunt.

Cap. 4 (126).

1. **Plena timorum distinctio**. Et quia de timore tractandi nobis occurrit locus, sciendum est quatuor esse timores, scilicet mundanum sive

<sup>1</sup> quoque] vero NRV, om. OX.

<sup>9</sup> Solutio om. NRVW.

<sup>1</sup> *Enarr. in Ps. 5, 8, n. 9* (PL 36, 87; CCL 38, 23s).

<sup>2</sup> Hebr. 5, 7.

Num. 3: Verba Augustini, ex *Glossa* in Ps. 5, 8 (PL 191, 99 C). — Num. 4: Descriptio reverentiae concinnari videtur ex *Summa sent.*, III, 17: « Ibi erit timor, scilicet reverentia. Duo enim in ipso Deo attendent, maiestatem et pietatem: ex maiestate reverentia, ex pietate dilectio. Itaque maiestatem timebunt, id est ei cum reverentia subditi erunt » (PL 171, 1144 D; 176, 115 D - 116 A).

Cap. 4: Cf. Joh. Schupp, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus*, 162-167, et 247; L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 215-234; A. M. Landgraf, *Die knechtische Furcht*, in *Dogmengeschichte*, IV-1, 276-371. — Nostrum non est historiam intexere doctrinae quatuor timorum. Quaedam elementa offert Landgraf; alia proximiora, D. Van den Eynde, *Essai chronologique sur l'oeuvre littéraire de Pierre Lombard*, in *Miscell. Lombardiana*, Novara 1957,

humanum, servilem, initialem, castum vel filialem sive amicalem. — **Cassiodorus** \*. Humanus timor est, ut ait *Cassiodorus*<sup>1</sup>, quando « timemus pati pericula carnis vel perdere bona mundi »; propter quod delinquimus. Hic timor malus est, qui « in primo gradu cum mundo deseritur »; quem Dominus prohibet in Evangelio dicens<sup>2</sup>: *Nolite timere eos qui occidunt corpus* etc. — **Augustinus** \*. Timor autem servilis est, ut ait *Augustinus*<sup>3</sup>, « cum per timorem gehennae continet se homo a peccato », « quo praesentiam iudicis et poenas metuit; et timore facit quidquid boni facit: non timore amittendi aeternum bonum quod non amat, sed timore patiendi malum quod formidat. Non timet ne perdat amplexus pulcherrimi sponsi, sed timet ne mittatur in gehennam. Bonus est iste timor et utilis », licet insufficiens, per quem « fit paulatim consuetudo iustitiae ». — Et succedit initialis timor, quando « incipit quod durum erat amari »; et sic incipit « excludi servilis timor a caritate ». — Et succedit deinde timor castus sive amicalis, « quo timemus ne sponsus tardet, ne discedat, ne offendamus, ne eo careamus. Timor iste de amore venit. Ille quidem servilis est utilis, sed non *permanens in aeternum*<sup>4</sup> ut iste ». « Timor<sup>5</sup> divinus comes est per omnes gradus ».

2. **Collatio praedictorum**. Et attende quod quatuor hic distinguuntur timores, cum supra<sup>6</sup> *Beda* dixerit duos esse. Sed *Beda* humanum timorem praetermisit, et nomine 'servilis' duos, quos hic distinximus, complexus fuit, scilicet servilem et initialem; amicalem vero 'castum' dicit.

3. *Augustinus* quoque servilem et castum timorem aperte discernit, dum Epistolae ad Romanos illum locum<sup>7</sup> exponit: *Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei*, ita dicens<sup>8</sup>: « Duo timores hic insinuantur: unus qui

<sup>1</sup> *Super psalmum* (rubr.), id est *In Ps. 127*, prol. (PL 70, 931 B-C; CCL 98, 1176).

<sup>2</sup> Matth. 10, 28. <sup>3</sup> *Enarr. in Ps. 127*, 1, nn. 7-8 (PL 37, 1680ss; CCL 40, 1871ss); ubi omnia fere ad verbum, licet hinc et inde mixtim excerpta.

<sup>4</sup> Resp. Ps. 18, 10. <sup>5</sup> *Cassiodorus*, ubi supra (931 C; 1176).

<sup>6</sup> In cap. 3, n. 2. <sup>7</sup> Rom. 8, 15. <sup>8</sup> Magister hic duos textus repetit (sine rubrica) ex *Glossa* in Rom. 8, 15 (PL 191, 1439 D); quorum primus partim legitur in *De spiritu et litt.*, c. 32, n. 56 (PL 44, 236; CSEL 60, 213); alter vero licet inveniatur in *Confess.*, I, c. 12, n. 19 (PL 32, 669; CSEL 33, 17), sumitur potius ex *Sententiis* Prosperi Aquitani, n. 172 (173) (PL 45, 1873; 51, 451 C). Cf. Lib. II, d. 40, n. 6 (tom. I, 558, 7-10).

48-49. Divisio non occurrit in manuscriptis *Glossae ord.* in Ps. 127, 1 (Van den Eynde, n. 17, p. 61; ita deest in cod. Laur. Plut. XVII, 4, f. 179v), nec in *Glossa media* Gilberti in h.l. (cod. Laur. Plut. VII, d. 9, f. 160v-161r). Alia apud *Prolegomena* nostra ad tom. I, pp. 54\*-55\*. — Fons immediatus num. 1 huius capituli *Glossa* exstat Magistri in Ps. 127, 1 (PL 191, 1161 D - 1162 D).



est in perfecta caritate, scilicet timor castus; alter qui non est in caritate, id est servilis, in quo quamvis Deo credatur, non tamen in Deum; et si bonum fiat, non tamen bene». «Nemo enim invitus bene facit, etiam si bonum est quod facit».

## Cap. 5 (127).

5

1. **De casto et servili plenius agit, tangens interdum de initiali.** — Augustinus in IX Homilia super epistolam Ioannis \*. De his eisdem timoribus latius disputat <sup>1</sup> dicens: «Coepit aliquis credere diem iudicii. Si coepit credere, coepit et timere. Sed qui adhuc timet, nondum habet fiduciam in die iudicii, nondum est in illo perfecta caritas <sup>2</sup>». «Si <sup>3</sup> perfecta in illo esset caritas, non timeret. Perfecta enim caritas faceret perfectam iustitiam, et non haberet quare timeret, immo haberet quare desideraret ut transeat iniquitas et veniat regnum Dei. (Hic tangit de initiali timore \*.) Ergo timor non est in caritate <sup>4</sup>. Sed in qua caritate? Non in inchoata. In qua ergo? In perfecta: Perfecta, inquit, caritas foras mittit timorem <sup>5</sup>. Ergo incipiat timor, quia initium sapientiae timor Domini <sup>6</sup>. Timor quasi locum praeparat caritati; cum autem coeperit caritas habitare, pellitur timor qui ei praeparavit locum. Quantum enim illa crescit, ille decrescit; et quantum illa fit interior, timor pellitur foras. Maior caritas, minor timor; minor caritas, maior timor».

20

2. **Similitudo servilis timoris inducitur** \*. «Si <sup>7</sup> autem nullus est timor, non est qua intret caritas. Sicut videmus per setam introduci linum quando aliquid suitur: seta prius intrat; nisi exeat, non succedit linum; sic timor primo occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intravit, ut introduceret caritatem».

25

3. **Quod videtur praedictis adversari.** «Est <sup>8</sup> autem alia sententia, quae videtur huic esse contraria, si non habet pium intellectorem. Dicitur enim in Psalmo <sup>9</sup>: Timor Domini castus permanet in saeculum saeculi. Aeternum quendam timorem nobis ostendit, sed castum. Quod si ostendit ille nobis aeternum timorem, numquid contradicit illi ista Epistola, quae dicit <sup>10</sup>:

30

2 id est] scilicet BCLOVW. 7 Aug... Ioannis om. RVW. 8 disputat] Augustinus add. AR, add. interl. TV. 11 in illo esset trp. ABMR. 13 Rubrica om. RTVW. 26 Quod] Quid BLX, Que V.

1 In I Ioan., tr. 9, n. 2 (PL 35, 2046). 2 Resp. I Ioan. 4, 17. 3 Ibid., n. 4 (2047). 4 I Ioan. 4, 18. 5 I Ioan. 4, 18. 6 Ps. 110, 10; Eccli. 1, 16; Prov. 1, 7. 7 Ibid. (2047s). 8 August., ibid., n. 5 (2048s). 9 Ps. 18, 10. 10 I Ioan. 4, 18.

Timor non est in caritate, sed perfecta caritas foras mittit timorem? Hoc enim dictum est per Ioannem, illud dictum est per David. Sed nolite putare alium esse Spiritum. Si unus flatus inflat duas tibias, non potest unus Spiritus implere duo corda et agitare duas linguas? Si spiritu uno, id est uno flatu, impletae duae tibiae consonant, impletae duae linguae Spiritu Dei dissonare possunt? Immo, est ibi quaedam consonantia, est quaedam concordia; sed auditorem desiderat studiosum, non otiosum. — Ecce movit duas linguas Spiritus Dei, et audivimus ex una: Timor non est in caritate; audivimus ex alia: Timor Domini castus permanet in saeculum saeculi. Quid est hoc? Dissonant? Non. Excute aures, intende melodiam. Non sine causa hic addidit castus, illic non addidit; quia est timor aliquis qui dicitur castus, est autem alius timor qui non dicitur castus. Discernamus istos duos timores, et intelligamus consonantiam tiliarum. Quomodo discernimus? — Attendat caritas vestra. Sunt homines qui propterea timent Deum, ne mittantur in gehennam, ne forte ardeant cum diabolo in igne aeterno. Ipse est timor qui introducit caritatem; sed sic venit ut exeat: si enim propter poenas times Deum, nondum amas quem sic times; non bona desideras, sed mala caves. Sed ex eo quia mala caves, corrigis te, et incipis bona desiderare. Cum bona desiderare coeperis, erit in te timor castus. Quid est timor castus? Timere ne amittas ipsa bona, timere Deum ne recedat a te. Cum autem times Deum ne te deserat praesentia eius, amplecteris eum, ipso frui desideras».

## Cap. 6 (128).

1. **Quomodo distent duo timores per similitudinem duarum mulierum ostendit.** — Augustinus \*: «Non <sup>1</sup> potes melius explanare quid intersit inter istos duos timores, quam si ponas duas mulieres maritatas, quarum unam constituas volentem facere adulterium, sed timet ne damnetur a marito. Timet maritum quia adhuc amat nequitiam. Huic non est grata, sed onerosa mariti praesentia; et si forte vivit nequiter, timet maritum ne veniat. Tales sunt qui timent diem iudicii. — Fac alteram amare virum, debere illi castos amplexus, nulla se adulterina immunditia maculare velle: ista optat praesentiam viri. Illa timet, et illa timet. Iam ergo interrogentur quare timeant. Illa dicet: timeo virum ne veniat; illa dicet:

3 potest] poterit R, potuit W. 11 addidit] addit ANVX. 25 Augustinus om. RVW. 32 Illa] Ista ABCX.

1 August., ibid., n. 6 (PL 35, 2049).



timeo virum ne discedat. Illa dicet: timeo virum ne damner; illa dicet: timeo virum ne deserar. Pone haec in animo, et invenis timorem quem foras mittit caritas, et alium timorem castum permanentem in saeculum saeculi». Illum timorem perfecta caritas foras mittit, « quia <sup>1</sup> ille timor tormentum habet: torquetur conscientia peccatorum, nondum facta est iustificatio. Est ibi quod titillat mentem, quod pungat, quod stimulet. Stimulat ille timor, sed intrat caritas, quae sanat quod vulnerat timor». Timor castus «facit securitatem in animo».

2. « Audivimus <sup>2</sup> duas tibias, Ioannem et David, consonantes. Illa de timore Dei dicit quo timet anima ne damnetur, illa de timore quo timet anima ne deseratur. Ille est timor quem caritas excludit, ille est timor qui permanet in saeculum saeculi». Ecce in his verbis praedictis aperte ostendit Augustinus quis sit timor castus et quis servilis, et qualiter differant.

3. In quibus etiam initialem timorem significavit, qui nec ex toto est servilis, nec ex toto castus, sed tamquam medius. Aliquid de servili, et aliquid de casto timore habet. Facit enim servire partim timore poenae, partim amore iustitiae; per quem timemus puniri, et timemus offendere. Iste timor est in inchoata caritate, non in perfecta; et quantum crescit caritas, tantum decrescit iste timor: quantum ad metum poenae, id est quantum ad id quod facit timere poenam et quantum ad tormentum conscientiae; nam quanto diligimus, tanto minus timemus. — Iste timor notatur in illis verbis Augustini; ubi non negat timorem esse in caritate inchoata, sed perfecta. Quod non posset dici de servili, quia ut ipse supra dixit <sup>3</sup>, servilis timor non remanet veniente caritate; nec intrat caritas nisi prius ille timor exeat; nec in illo timore aliquis credit in Deum, etsi credat Deo; nec bene facit, etiam si bonum est quod facit <sup>4</sup>. Non est ergo timor ille in caritate, etiam inchoata, quia omnis qui caritatem habet, licet non perfectam, et in Deum credit et bene bona facit.

1-2 damner... deserar MNTW Aug., damnet... deserat alii codd. 2 virum om. OT. || haec] hoc MRT Aug. 6 titillat codd., titillet Aug. 9 Ioan. et David om. M, marg. W<sup>2</sup>, trp. post consonantes R. 13 quis<sup>2</sup>] qui ACX.

<sup>1</sup> Ibid., n. 4 (2048). <sup>2</sup> Ibid., n. 8 (2051). <sup>3</sup> In cap. 5, n. 2. <sup>4</sup> Supra, c. 4, n. 3.

Num. 3: Cf. Hugo, *De sacram.*, II, 13, 5 (PL 176, 528 C-D); et *Summa sent.*, III, 17 (PL 171, 1144 C; 176, 115 B). In parte dependet hic numerus a *Glossa* in Ps. 18, 10, ubi agitur de timore initiali, « quo partim ex timore poenae, partim ex amore iustitiae servitur » (PL 191, 211 B).

Quare servilis non est timor ille, quem in caritate inchoata fore concessit, et quem crescente caritate decrescere dixit; sed ille est timor initialis, quem non negat esse in caritate nisi perfecta sit.

Cap. 7 (129).

1. **Quod timor servilis et initialis dicitur initium sapientiae, sed differenter.** Sciendum tamen est quod uterque timor, scilicet servilis et initialis, in Scripturae diversis locis dicitur *initium sapientiae* <sup>1</sup>; et ita fore comperies, si diligenter adnotaveris loca Scripturae in quibus de timore Domini fit mentio.

2. Ex alia tamen ratione et causa diversa dicitur servilis initium sapientiae, et ex alia initialis. Servilis enim ideo dicitur initium sapientiae, quia praeparat locum sapientiae et ducit ad sapientiam; sed tamen non remanet cum ea, immo foras exit <sup>2</sup>. Initialis vero dicitur initium sapientiae, quia est in inchoata sapientia: quem cum quis habere incipit, sapientiam et caritatem habere incipit. Inde etiam est quod uterque timor dicitur initialis; quod invenire poteris per diversa Scripturae loca. Uterque etiam timor interdum dicitur servilis <sup>3</sup>, quia et ipse initialis qui est in caritate inchoata, aliquid habet de servili, scilicet angorem poenae; sicut et aliquid habet de casto, scilicet quod timet offendere ac separari.

Cap. 8 (130).

1. **De hoc quod Augustinus dicit, castum timorem esse aeternum.** Illud quoque diligenter est notandum quod in superioribus Augustinus dicit <sup>4</sup>, castum timorem esse aeternum. Per quod confirmatur praemissa sententia <sup>5</sup>, scilicet quod spiritus timoris erit in futuro, sicut et alia dona Spiritus Sancti; sed non habebit omnem illum usum quem modo habet: faciet enim tunc nos revereri Deum, non timere separari vel carere.

2. Fuit ergo et in Christo timor ille <sup>6</sup>, sed iuxta usum illum quem habebit in futuro in sanctis. Non enim timuit Christus separari vel offendere Deum, sed eum prae omnibus reveritus est <sup>7</sup>.

<sup>27</sup> usum illum trp. NRV.

<sup>1</sup> Cf. Ps. 110, 10; Eceli. 1, 16; Prov. 1, 7; Prov. 9, 10: *Principium sapientiae timor Domini.*  
<sup>2</sup> Cf. verba Bedae supra, c. 3, n. 2. <sup>3</sup> Vide supra, c. 4, n. 2; c. 6, n. 3. <sup>4</sup> Cap. 5, n. 3.  
<sup>5</sup> Hic supra, cc. 2-3. <sup>6</sup> De quo supra, c. 3, n. 4. <sup>7</sup> Hebr. 5, 7: *Exauditus est pro sua reverentia.* Videsis *Glossam* Magistri in h.l. (PL 192, 437 B).



## Cap. 9 (131).

1. **An timor poenae qui fuit in Christo fuerit servilis vel initialis vel alius.** Cum autem fuerit in Christo timor poenae<sup>1</sup>, quaeritur an iste timor fuerit mundanus, vel servilis, vel initialis. — Ad quod dicimus nullum eorum fuisse in Christo, quia mundanus malus est, ut supra dictum est<sup>2</sup>,<sup>5</sup> et « in primo gradu cum mundo deseritur »; servilis vero vel initialis in perfecta caritate non est; nullus ergo timorum istorum fuit in Christo.

2. Quis ergo fuit timor ille quo poenam timuit? Potest timor ille dici naturalis sive humanus, qui omnibus hominibus inest, quo horretur mors ac formidatur poena. Et dicitur timor iste naturalis non quia accesserit<sup>10</sup> homini ex natura secundum quod prius fuit instituta, quia non fuit iste timor concretus homini nec de bonis naturalibus; sed quia ex corrupta natura per peccatum omnibus advenit, cui corruptio inolevit tamquam esset naturalis. Et est iste timor effectus peccati, ut praedictum est<sup>3</sup>.

## DISTINCTIO XXXV

15

## Cap. 1 (132).

1. **Quomodo differant sapientia et scientia.** Post praemissa diligenter considerandum est in quo differat sapientia a scientia.

2. **Augustinus in XIV libro De Trinitate\*.** — **Definitio sapientiae secundum philosophos\*.** De hoc Augustinus ita ait<sup>4</sup>: « Philosophi<sup>20</sup> disputantes de sapientia definierunt eam dicentes: Sapientia est rerum humanarum divinarumque scientia. Ego quoque utrarumque rerum cognitionem, id est divinarum et humanarum, et sapientiam et scientiam dici posse non nego ».

3. **Distinctio sapientiae et scientiae secundum theologos\*.** « Verum<sup>5</sup><sup>25</sup> iuxta distinctionem Apostoli, qua dixit<sup>6</sup>: *Alii datur sermo sapientiae,*

17 praemissa] predicta ARV. || praemissa dilig. om. L.

19 Aug... Trinit. om. RVW.

<sup>1</sup> De quo supra, Dist. 15, c. 2.

<sup>2</sup> Hic, ad initium cap. 4, n. 1, ex Cassiodoro.

<sup>3</sup> Dist. 16, c. 1, n. 2.

<sup>4</sup> Cap. 1, n. 3 (PL 42, 1037; CCL 50A, 423). De relata definitione,

v. August., *Contra Academicos*, I, cc. 6-7 (PL 32, 914ss; CSEL 63, 16-19).

<sup>5</sup> August.,

*De Trinit.*, XIV, c. 1, n. 3 (PL 42, 1037; CCL 50A, 423s).

<sup>6</sup> I Cor. 12, 8.

*alii sermo scientiae*, illa definitio dividenda est: ut rerum divinarum cognitio sapientia proprie nuncupetur, humanarum vero cognitio proprie scientiae nomen obtineat. Neque vero quidquid sciri ab homine potest in rebus humanis, ubi plurimum supervacuae vanitatis et noxiae curiosi-<sup>5</sup>tatis est, huic scientiae tribuo, sed illud tantum quo fides saluberrima, quae ad veram beatitudinem ducit, gignitur, nutritur, defenditur, roboratur; qua scientia non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam; aliud est scire quomodo hoc ipsum<sup>10</sup> et piis opituletur et contra impios defendatur: quae proprio vocabulo appellatur scientia ».

4. **Augustinus\*.** De his quoque duabus virtutibus idem Augustinus, differentiam inter eas assignans, super Psalmum ait<sup>1</sup>: « Distat sapientia a scientia, testante sancto Iob, qui quodam modo singula definiens ait<sup>2</sup>: *Sapientia est pietas, scientia vero est abstinere a malis* ». « Pietatem<sup>3</sup> vero hoc loco posuit Dei cultum: quae graece dicitur 'theosebia' », « quae est in cognitione et dilectione eius quod semper est et incommutabiliter manet, quod est Deus. Abstinere vero a malis est *in medio pravae nationis*<sup>4</sup> prudenter versari ».

5. **Augustinus in XII libro De Trinitate\*.** Idem quoque, inter haec duo aperte distinguens, ait<sup>5</sup>: « Distat ab aeternorum contemplatione actio qua bene utimur temporalibus rebus, et illa sapientiae, haec scientiae deputatur. Quamvis et illa quae sapientia est possit nuncupari scientia, ut Apostolus loquitur ubi dicit<sup>6</sup>: *Nunc scio ex parte*: quam scientiam<sup>20</sup> profecto contemplationis Dei vult intelligi. In hoc ergo differentia est, quia ad contemplationem sapientia, ad actionem vero scientia pertinet ». — Ecce aperte demonstratum est in quo differat spiritus sapientiae et spiritus scientiae, scilicet « ut<sup>7</sup> sapientia divinis, scientia humanis attributa sit rebus ».

12 Augustinus<sup>1</sup> om. MRTVW.

18 est Deus *trp.* BCNV.

20 Rubrica om. RVW.

<sup>1</sup> *Enarr. in Ps. 135*, 9, n. 8 (PL 37, 1759s; CCL 40, 1962).  
versionem August.

<sup>2</sup> Iob 28, 28, iuxta

<sup>3</sup> August., *De Trinit.*, XII, c. 14, n. 22 (PL 42, 1010; CCL 50, 375);  
verba quae sequuntur (« quae... versari »), ex *Enarr. in Ps. 135*, uti supra.

<sup>4</sup> Resp.

Phil. 2, 15. <sup>5</sup> Cap. 14, n. 22 (PL 42, 1009s; CCL 50, 375).

<sup>6</sup> I Cor. 13, 12.

<sup>7</sup> August., *De Trinit.*, XIII, c. 19, n. 24 (PL 42, 1033; CCL 50A, 415s).

Num. 4: Auctoritas Augustini concinnatur ex *Glossa in Ps. 135*, 9 (PL 191, 1197 B) et ex illa in I Cor. 12, 8 (PL 191, 1652 C-D).



6. **Augustinus in XII[I] libro De Trinitate \***. Et, ut docet Augustinus<sup>1</sup>, « utrumque agnoscimus in Christo », scilicet et rem divinam et rem humanam, et ideo de ipso habemus sapientiam et scientiam. « Cum enim legitur<sup>2</sup>: *Verbum caro factum est*, in *Verbo* intelligitur verus Dei Filius, in *carne* agnoscitur verus hominis filius ». Item cum dicitur<sup>3</sup>:  
 5 « *Vidimus plenum gratiae et veritatis, gratiam* referamus ad scientiam, et *veritatem* ad sapientiam », quia in Christo scientia et sapientia fuit plenarie<sup>4</sup>, et nos scientiam et sapientiam de eo habemus, qui Deus est et homo.

## Cap. 2 (133).

10

1. **In quo differat sapientia ab intellectu**. Ostensa differentia inter scientiam et sapientiam, quid distet inter sapientiam et intellectum videamus. — In hoc differunt illa duo, quia sapientia proprie est de aeternis, quae veritati aeternae contemplandae intendit; intelligentia vero non modo de aeternis est, sed etiam de rebus invisibilibus et spiritualibus tem-  
 15 poraliter exortis. Per eam enim et natura summa quae fecit omnes naturas, id est divina, consideratur; et quae post ipsam sunt spirituales et invisibiles naturae, ut angeli et omnes animae bonae affectiones, conspiciuntur. In hoc ergo differentia est: quia sapientia Creator tantum inspicitur, intellectu vero et Creator et creatura quaedam. Item intellectu intelligibilia  
 20 capimus tantum, sapientia vero non modo capimus superiora, sed etiam in cognitio delectamur.

2. **Quomodo differant scientia, intelligentia, sapientia \***. Sic ergo distinguere potest inter illa tria, scilicet scientiam, intellectum et sapientiam: scientia valet ad rectam administrationem rerum temporalium et ad  
 25 bonam inter malos conversationem; intelligentia ad Creatoris et creaturarum invisibilium speculationem; sapientia vero ad solius aeternae veritatis contemplationem et delectationem.

<sup>1</sup> Aug... Trinit.] Idem in eodem A, Aug. in eodem BX, om. LRVW. <sup>7</sup> scientia et sap. trp. ABCLN. <sup>19</sup> inspicitur] conspicitur LOV, quod corr. L, et add. AOV. <sup>20</sup> creatura] creata BCMNRWX. <sup>23</sup> intelligentia] intellectus AV.

<sup>1</sup> Ibid., ubi et sequentia partim vel fere verbotenus. <sup>2</sup> Ioan. 1, 14; vide supra, Dist. 6, c. 2, n. 2. <sup>3</sup> Ioan. 1, 14. <sup>4</sup> Vide supra, Dist. 14, c. 1, nn. 3-5.

Num. 6 (et conclusio num. 5): Cf. *Glossa* in Col. 2, 3 (PL 192, 269 B-C); ubi etiam, parum supra, breviter agitur de quaestione in capitulo sequenti discussa.

## Cap. 3 (134).

1. **Quod intellectus et scientia de quibus hic agitur, non illa sunt quae naturaliter habet homo**. Et notandum quod intellectus et scientia quae dicuntur dona Spiritus Sancti, alia sunt ab intellectu et scientia  
 5 quae naturaliter sunt in anima hominis. Hae enim virtutes sunt, quae per gratiam infunduntur animis fidelium ut per eas recte vivant; illa vero naturaliter habet homo ex beneficio creationis, a Deo tamen. Per has autem virtutes quae dicuntur Spiritus Sancti dona, illa naturalia reformatur atque adiuvantur: ut verbi gratia intellectus naturalis, peccato  
 10 obtenebratus, per virtutem quandam et gratiam quae dicitur *spiritus intelligentiae*, reformatur atque iuvatur ad intelligendum; ita et per illam virtutem quae dicitur *spiritus sapientiae*, iuvatur atque erigitur mentis ratio ad contemplationem et delectationem aeternae veritatis.

2. **Quod sapientia ista Dei est, nec est illa quae Deus est. — Augustinus in libro XIV De Trinitate \***. Illud etiam sciendum est, quod sapientia de qua nunc disserimus, non est « illa Dei sapientia, ut ait Augustinus<sup>1</sup>, quae Deus est, sed hominis sapientia; vera tamen, quae secundum Deum est, ac verus et praecipuus cultus eius est ». Si ergo « colat<sup>2</sup> mens hominis Deum, cuius ab eo capax facta est et cuius esse particeps potest,  
 20 sapiens ipsa fit; et non sua luce, sed summae illius lucis participatione sapiens fit. Ista ergo hominis sapientia etiam Dei est; verum non ita Dei est ut ea sapiens sit Deus: non enim participatione sui sapiens est, sicut mens participatione Dei. Sic etiam dicitur *iustitia Dei*<sup>3</sup> non solum illa qua ipse iustus est, sed etiam illa quam dat homini cum iustificat  
 25 impium ».

<sup>2</sup> agitur] agit RTX. *trp.* ABC.

14-15 Aug... Trinit. om. RVW.

<sup>19</sup> esse particeps

<sup>1</sup> Cap. 1, n. 1 (PL 42, 1035; CCL 50A, 421). (1048; 443).

<sup>2</sup> August., *ibid.*, c. 12, n. 15

<sup>3</sup> Resp. Rom. 10, 3.



## DISTINCTIO XXXVI

## Cap. 1 (135).

1. **De connexione virtutum quae non separantur.** Solet etiam quaeri utrum virtutes ita sint sibi coniunctae, ut separatim non possint possideri ab aliquo, sed qui unam habet, omnes habeat. — **Hieronymus, super Isaiam** \*. De hoc Hieronymus ait <sup>1</sup>: « Omnes virtutes sibi haerent, ut qui una caruerit, omnibus careat »; qui ergo unam habet, omnes habet.

2. Quod quidem probabile est. Cum enim caritas mater sit omnium virtutum <sup>2</sup>, in quocumque mater ipsa est, scilicet caritas, et cuncti filii eius, id est virtutes, recte fore creduntur. — **Augustinus, super Ioan-nem** \*. Unde Augustinus <sup>3</sup>: « Ubi caritas est, quid est quod possit deesse? Ubi autem non est, quid est quod possit prodesse? » — **Augustinus, ad Hieronymum** \*: « Cur <sup>4</sup> ergo non dicimus, qui hanc virtutem habet, habere omnes, cum plenitudo Legis sit caritas <sup>5</sup>? quae quanto magis est in homine, tanto magis est virtute praeditus; quanto vero minus, tanto minus inest virtus; et quanto minus inest virtus, tanto magis est vitium ».

## Cap. 2 (136).

1. **Si cunctae virtutes pariter sint in quocumque sunt.** Utrum vero pariter quis omnes possideat virtutes, an aliae magis, aliae minus in aliquo ferveant, quaestio est.

5-6 Hier. super Is. om. RVW.

10 et 12 Rubr. om. RTVW.

<sup>1</sup> Glossa interlin. in Isai. 56, 1: *Et facite iustitiam*: « Omnes virtutes... Omnes enim sibi haerent, ut qui una caruerit, omnibus careat » (apud Lyranum, IV, 92v); ex Hieron. in h.l. (PL 24 [1845], 538; CCL 73A, 629). Cf. etiam Hieron., *In Isaiam*, 16, 11 (PL 24, 238 C; CCL 73, 264). <sup>2</sup> Vide supra, Dist. 23, c. 3, n. 2. <sup>3</sup> *In Ioan.* 15, 12, tr. 83, n. 3 (PL 35, 1846; CCL 36, 536). <sup>4</sup> *Epist.* 167, c. 3, n. 11 (PL 33, 738; CSEL 44, 599). <sup>5</sup> Resp. Rom. 13, 10: *Plenitudo ergo legis est dilectio*.

Dist. XXXVI. Cf. J. Schupp, *Die Gnadentehre des Petrus Lombardus*, 251-255; de quaestione ante Magistrum, cf. Abaelardus, *Sic et non*, c. 137 (PL 178, 1570 C - 1574 B); sententiae scholae Anselmi, in O. Lottin, *Psych. et morale*, V, n. 425, p. 293; post Magistrum, cf. O. Lottin, *La connexion des vertus chez saint Thomas et ses prédécesseurs*, in *Psych. et morale*, III-1, 195-252. — Cap. 1, num. 2: Auctoritates Augustini, ex Glossa in Rom. 13, 10 (PL 191, 1508 D - 1509 A).

2. Quibusdam <sup>1</sup> enim videtur quod aliae magis, aliae minus habeantur ab aliquo, sicut in Iob patientia emineat, in David humilitas, in Moyse mansuetudo. Qui etiam concedunt magis aliquem mereri per aliquam unam virtutem quam per aliam, sicut eam plenius habet quam aliam. Non tamen magis per aliquam mereri dicunt quam per caritatem, nec aliquam plenius a quoquam haberi quam caritatem. Alias igitur magis et alias minus in aliquo esse dicunt, sed nullam plenius caritate, quae ceteras gignit. Hasque dicunt <sup>2</sup> esse multas facies quas memorat Apostolus dicens: *Ex personis multarum facierum* etc.

3. Alii verius dicunt omnes virtutes et simul et pares esse in quocumque sunt, ut qui in una alteri par exstiterit, in omnibus eidem aequalis sit. — **Augustinus in VI libro De Trinitate** \*. Unde Augustinus <sup>3</sup>: « Virtutes quae sunt in animo humano, quamvis alio et alio modo singulae intelligantur, nullo modo tamen separantur ab invicem: ut quicumque fuerint aequales, verbi gratia, in fortitudine, aequales sint et prudentia et iustitia et temperantia. Si enim dixeris aequales esse istos in fortitudine, sed illum praestare prudentia, sequitur ut huius fortitudo minus prudens sit; ac per hoc nec fortitudine aequales sunt, quia est illius fortitudo prudentior. Atque ita de ceteris virtutibus invenies, si omnes eadem consideratione percurras ».

4. Ex his clarescit omnes virtutes non modo esse connexas, sed etiam pares in animo hominis. Cum ergo dicitur aliquis aliqua praeminere virtute, ut Abraham fide, Iob patientia, secundum usus exteriores accipiendum est, vel in comparatione aliorum hominum. Quia vel humilitatis habitum maxime praefert, vel opus fidei vel alicuius ceterarum virtutum praecipue exsequitur: unde et ea prae aliis pollere, vel inter alios homines singulariter excellere dicitur.

5. **Augustinus, ad Hieronymum** \*. Secundum hunc modum, scilicet

<sup>2</sup> emineat] emicuit BC, vel emicuit *add. interl.* V. <sup>12</sup> Rubrica om. CRVW. 12-13 Augustinus] in vi<sup>o</sup> (vii<sup>o</sup>) libro de trin. *add.* BCRX. 28 - 205, 4 Secundum... omnia om. M. 28 Augustinus] in epistola *add.* ALN.

<sup>1</sup> De hac sententia et exemplis adductis, cf. Hieron., *Dialogus contra Pelagianos*, I, nn. 18-19 (PL 23 [1845], 512 B-C); Gregorius, *Moralia*, XXVII, c. 10, n. 17 (PL 76, 407 D-409 A); qui tamen non sunt noti Magistro, ut videtur. <sup>2</sup> Quorum dictum recitat Magister in Glossa in II Cor. 1, 11: *Multarum facierum*: « Id est discretorum meritorum et diversarum virtutum, ut facies Iob fuit patientia, facies David humilitas, facies Moysi mansuetudo » (PL 192, 12 C). <sup>3</sup> Cap. 4, n. 6 (PL 42, 927; CCL 50, 233s).

Num. 3: *Alii*, ut ipse Lombardus in sermone 16, *In ramis palmarum* (PL 171, 497 A).



secundum rationem actuum exteriorum, alibi Augustinus<sup>1</sup> dicit in aliquo aliam magis esse virtutem, aliam minus, et unam esse et non alteram. Ait enim sic: « Clarissima disputatione tua satis apparuit non placuisse auctoribus nostris, immo ipsi veritati, omnia paria esse peccata, etiam si hoc de virtutibus verum sit ». « Quia<sup>2</sup> etsi verum est eum qui 5 habet unam, omnes habere virtutes, et eum qui unam non habet, nullam habere, nec sic peccata sunt paria. Quia ubi virtus nulla est, nihil rectum est, nec tamen ideo non est pravo pravius distortoque distortius. Si autem, quod puto esse verius sacrisque Litteris congruentius, ita sunt animae intentiones ut corporis membra (non quod videantur locis, sed quod 10 sentiantur affectibus), et alius illuminatur amplius, alius minus, alius omnino caret lumine: profecto ut quisque illustratione piae caritatis affectus est: in alio actu magis, in alio minus, in aliquo nihil, sic dici potest habere aliam, et aliam non habere; et aliam magis, aliam minus habere virtutem. Nam et 'maior est in isto caritas quam in illo' recte possumus 15 dicere; et 'aliqua in isto, nulla in illo', quantum pertinet ad caritatem quae pietas est. Et in uno homine, quod maiorem habeat pudicitiam quam patientiam; et maiorem hodie quam heri, si proficit; et adhuc non habeat continentiam, et habeat non parvam misericordiam. Et ut generaliter breviterque complectar quam de virtute habeo notionem: Virtus est caritas 20 qua id quod diligendum est diligitur. Haec in aliis maior, in aliis minor, in aliis nulla est; plenissima vero, quae iam non possit augeri, quamdiu hic homo vivit, in nemine ».

6. Hic insinuari videtur quod aliquis ea ratione possit dici habere unam virtutem magis quam aliam, quia per caritatem magis afficitur in 25 actu unius virtutis quam alterius; et propter differentiam actuum, ipsas virtutes magis vel minus habere dici potest; et aliquam non habere, cum tamen simul omnes et pariter habeat quantum ad mentis habitum vel essentiam cuiusque. In actu vero aliam magis, aliam minus habet; aliam etiam non habet, ut vir iustus, utens coniugio, non habet continentiam 30 in actu, quam tamen habet in habitu.

7. Augustinus\*: « Cur<sup>3</sup> ergo non dicantur paria peccata? Forte

7 sunt] sint O, esse V. || est] sit BX, om. V. 14 magis] et add. BCNRV. 14-15 habere virtutem om. OVX, add. interl. R. 17 quod] qui BC, quidem OR. 21-22 maior... minor trp. LT. 23 nemine] est add. BCV Aug. 28 simul omnes trp. RTX. 32 Augustinus om. CRTVW, trp. ad Hic (lin. 24) BX.

<sup>1</sup> Epist. 167, c. 2, n. 4 (PL 33, 735; CSEL 44, 592).

<sup>2</sup> Ibid., c. 4, nn. 14-15

(PL 33, 738s; CSEL 44, 601s); de hac quaestione nihil apud Florum in II Cor. 1, 11.

<sup>3</sup> Epist. 167, c. 5, nn. 16-17 (PL 33, 739s; CSEL 44, 603s).

quia magis facit contra caritatem qui gravius peccat, minus qui levius. Nemo enim peccat nisi adversus illam faciendo, quae est plenitudo Legis<sup>1</sup>. Ideo recte dicitur<sup>2</sup>: *Qui offenderit in uno, factus est omnium reus*, id est contra caritatem facit in qua pendent omnia ».

5

## Cap. 3 (137).

1. **Repetit de caritate ut addat quomodo tota lex in ea pendet.** Cum duo sint praecepta caritatis, in quibus, ut praetaxatum est<sup>3</sup>, *tota Lex pendet et Prophetarum*<sup>4</sup>, advertendum est quomodo hoc sit, cum in Lege et Prophetis multa fuerint caerimonialia mandata, quae si ad caritatis sanctificationem pertinuisent, viderentur nondum debere cessare. Quia vero 10 non iustificationis gratia, quam facit caritas, instituta sunt, sed in figura futuri et in onus imposita<sup>5</sup>, ideo clarescente veritate, cessaverunt velut umbra<sup>6</sup>. Verumtamen et ipsa caerimonialia, secundum spiritualem intellectum quem continent, et omnia moralia ad caritatem referuntur. Pertinent enim omnia ad decem mandata in tabulis scripta<sup>7</sup>, ubi omnium summa perstringitur, ex quibus cetera emanant; sicut in sermone Domini<sup>8</sup> octo virtutes praemittuntur, ad quas cetera referuntur. Et sicut ad decem mandata Decalogi cetera referuntur, ita et ipsa decem ad duo mandata caritatis<sup>9</sup>. Omnia ergo ad duo mandata caritatis pertinent, 20 quia per caritatem implentur, et ad caritatem tamquam finem referri debent<sup>10</sup>.

2. **Augustinus in libro De doctrina christiana\***. Unde Augustinus<sup>11</sup>: « Totam magnitudinem et amplitudinem divinorum Eloquiorum possidet caritas qua Deum proximumque diligimus, quae radix est om-

22 Augustinus<sup>1</sup> om. NOT.

<sup>1</sup> Rom. 13, 10. <sup>2</sup> Iac. 2, 10. <sup>3</sup> In Cap. 1, et in Dist. 27, c. 2. <sup>4</sup> Matth. 22, 40. <sup>5</sup> Resp. Hebr. 10, 1; Act. 15, 28. <sup>6</sup> Resp. Col. 2, 16-17. <sup>7</sup> De praeceptis agitur in Dist. seq. <sup>8</sup> Matth. 5, 3-12. <sup>9</sup> Vide supra, Dist. 27, c. 2. <sup>10</sup> Resp. Rom. 13, 10: *Plenitudo ergo Legis est dilectio*; I Tim. 1, 5: *Finis autem praecepti est caritas*. <sup>11</sup> Rectius, *Sermo 350*, n. 2 (PL 39, 1534); de cuius authenticitate cf. PLS 2, 402.

Num. 2: Prima auctoritas, ex *Glossa* in I Tim. 1, 5 (PL 192, 328 D - 329 D), ubi iam, forsitan ex falso situ rubricae in suo exemplari Flori, Augustino ascribitur in *Libro de doctrina christiana*. In originali Flori rectius rubricatur *Ex sermone de laude caritatis* (col. 698); quoddam excerptum libri *De doctrina* sequitur parum infra. — Secunda, ex eadem *Glossa* (PL 192, 329 C); illa ad *Anastasium*, ex *Glossa* in I Tim. 1, 8 (PL 192, 331 A); ultima, in I Tim. 1, 5 (PL 192, 329 B); omnes autem trahuntur ex Floro, col. 698, 699, 701, et iterum 699.



nium bonorum. Unde Veritas ait <sup>1</sup>: *In his duobus mandatis universa Lex pendet et Prophetiae*. Si ergo non vacat omnes Paginas sanctas perscrutari, omnia involucra sermonum evolvere, tene caritatem, ubi pendent omnia », quia perfectio est et finis omnium. — **Augustinus in Enchiridion** \*: « Tunc <sup>2</sup> enim et praecepta et consilia recte fiunt, cum referuntur ad diligendum <sup>5</sup> Deum, et proximum propter Deum. Quod vero timore poenae vel aliqua intentione carnali fit, ut non referatur ad caritatem, nondum fit sicut fieri oportet, quamvis fieri videatur ». — **Augustinus, ad Anastasium** \*: « Inimicus <sup>3</sup> enim iustitiae est, qui poenae timore non peccat; amicus vero, qui eius amore non peccat ». — **Augustinus in libro De doctrina <sup>10</sup> christiana** \*: « Omnium <sup>4</sup> igitur haec summa est, ut intelligatur Legis et omnium divinarum Scripturarum plenitudo esse dilectio Dei et proximi ».

## DISTINCTIO XXXVII

## Cap. 1 (138).

**1. De decem praeceptis, quomodo contineantur in duobus mandatis <sup>15</sup> caritatis.** Sed iam distributio Decalogi, qui in duobus mandatis completur, consideranda est. — **Augustinus, De decem chordis** \*: « Habet <sup>5</sup> enim Decalogus decem praecepta, quae sunt decachordum psalterium <sup>6</sup>. Quae sic sunt distributa, ut tria quae sunt in prima tabula pertineant ad Deum, scilicet ad cognitionem et dilectionem Trinitatis; septem quae sunt in <sup>20</sup> secunda tabula ad dilectionem proximi ».

<sup>1</sup> Unde] ut L, uti O, Et ut W.

<sup>12</sup> divin. Script. trp. BCX.

<sup>1</sup> Matth. 22, 40.

<sup>2</sup> Cap. 121 (PL 40, 288; CCL 46, 113s).

<sup>3</sup> Epist. 145, n. 4

(PL 33, 594; CSEL 44, 269).

<sup>4</sup> Lib. 1, c. 35, n. 39 (PL 34, 34; CSEL 80, 30; CCL 32, 28s).

<sup>5</sup> Sermo 9, cc. 5-6 (PL 38, 79s; CCL 41, 117-122); quoad Decalogum, cf. Exod. 20, 3-17; Deut. 5, 7-21.

<sup>6</sup> Resp. Ps. 143, 9: *In psalterio decachordo psallam tibi*.

Dist. XXXVII: Cf. Hugo, *De sacram.*, I, 12, 5-8 (PL 176, 352 A - 360 B); *Summa sent.*, IV, 3-6 (PL 171, 1150 B [= finis textus huius editionis]; 176, 120 D - 124 D); et praesertim *Glossa ordinaria* in Exod. 20, 3-17, et Deut. 5, 6-21 (apud Lyranum, I, 163a-165a; 337r), unde pleraque hausit Magister. — Cap. 1, num. 1: concinnatur auctoritas ex *Glossa* in Rom. 13, 9 (PL 191, 1509 A) et in Galat. 3, 13 (PL 192, 121 D); cf. etiam *Glossa* in Ps. 32, 2 (PL 191, 327 A), necnon et in Eph. 6, 2 (PL 192, 217 C-D).

**2. De primo praecepto** \*. Primum in prima tabula est <sup>1</sup>: *Non habebis deos alienos, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem* etc. Haec Origenes <sup>2</sup> dicit esse duo mandata, sed Augustinus <sup>3</sup> unum. Hoc ipsum enim quod dixerat, *non habebis deos alienos*, perfectius <sup>5</sup> explicat, cum prohibet coli figmenta, scilicet idolum vel similitudinem alicuius rei. — **Origenes** \*. Quae duo Origenes <sup>4</sup> ita dicit distare, ut *idolum* sit quod nihil habet simile sui; *similitudo* vero quod habet speciem alicuius rei, ut, verbi gratia, « si quis in auro vel ligno vel alia re faciat speciem serpentis vel avis vel alius rei, et statuat ad adorandum, non <sup>10</sup> idolum, sed similitudinem fecit. Qui vero facit speciem quam non vidit oculus, sed animus sibi fingit, ut si quis humanis membris caput canis vel arietis formet, vel in uno habitu hominis duas facies, non similitudinem, sed idolum facit, quia facit quod non habet aliquid simile sui ».

## Cap. 2 (139).

**1. Quomodo idolum nihil esse in mundo dicitur** \*. « Ideo <sup>5</sup> dicit Apostolus <sup>6</sup>: *Quia idolum nihil est in mundo*. Non enim aliqua ex rebus constantibus assumitur species, sed quod mens otiosa et curiosa reperit. Similitudo vero est, cum aliquid *ex his quae sunt vel in caelo vel in terra vel in aquis* <sup>7</sup> formatur ». — **Aliter Augustinus**. — **Augustinus, super Ioannem** \*. <sup>20</sup> Augustinus <sup>8</sup> vero ita exponit illud: « *Idolum nihil est in mundo*, id est inter creaturas mundi non est forma idoli. Materiam enim formavit Deus, sed stultitia hominum formam dedit. Quaecumque facta sunt naturaliter, facta sunt per Verbum; sed forma hominis in idolo non est

<sup>6</sup> Origenes (rubr.) om. RVW. <sup>8</sup> ut om. MRWX, add. interl. T. <sup>9</sup> alius] aliculus ABCLMN. <sup>10</sup> vidit] videt BCN. <sup>11</sup> oculus MRX Origen., oculis alii codd., corr. in oculus T. || fingit] finxit LOV, corr. interl. in finxit T. <sup>19</sup> Aliter om. BCX. || Aliter Aug. om. RVW, trp. LM. || Aug. super Ioan. om. RVW.

<sup>1</sup> Exod. 20, 3-4; Deut. 5, 7-8. <sup>2</sup> In Exod., hom. 8, n. 2 (PG 12, 351 C; GSC 29 [1920], 219). <sup>3</sup> Quaest. in Heptat., q. 71 (PL 34, 620s; CSEL 28-II, 136; CCL 33, 102).

<sup>4</sup> Ibid., n. 3 (PG 12, 353 C-D; GSC 29, 222). <sup>5</sup> Origenes, ibid. (353 D - 354 A; 222).

<sup>6</sup> I Cor. 8, 4. <sup>7</sup> Resp. Exod. 20, 4; Deut. 5, 8. <sup>8</sup> In Ioan. 1, 3, tr. 1, n. 13 (PL 35, 1385; CCL 36, 7).

Num. 2: Ex *Glossa* ord. in Exod. 20, 2-3 (apud Lyranum, I, 163a-c), ubi et verba Origenis.

Cap. 2: Verba Origenis, ibid. (163c); auctoritas Augustini, ex *Glossa* ord. in I Cor. 8, 4 (cod. I 52b; m 51b; apud Lyranum, VI, 44c), unde sumitur in *Glossam* Lombardi in h.l. (PL 191, 1602 B-C).



facta per Verbum. Sicut peccatum non est factum per Verbum, sed est nihil; et nihil fiunt homines cum peccant ».

2. **Quaestio. In expositione horum verborum: Omnia per ipsum facta sunt** <sup>1</sup> \*. Sed quaeritur quomodo hic dicatur forma idoli non esse facta per Verbum, cum alibi legatur <sup>2</sup>: « Omnis forma, omnis compago, omnis concordia partium facta est per Verbum ». — Hoc autem a diversis varie solvitur. Quidam enim dicunt omnem formam et quidquid est, a Deo esse in quantum est; et formam idoli, in quantum est vel in quantum forma est, a Deo esse, sed non in quantum est idoli, id est posita ad adorandum. In hoc enim non est creatura, sed perversio creaturae. Sicut illud quod peccatum est, in quantum peccatum est, « nihil est; et homines cum peccant nihil fiunt <sup>3</sup> », quia ab illo qui vere est separantur. — **Hieronymus, super Ezechielem** \*. Unde Hieronymus <sup>4</sup>: « Quod ex Deo non est, qui solus vere est, non esse dicitur »; ideoque peccatum, quod nos a vero esse abducit, nil esse vel non esse dicitur. — Alii vero dicunt omnem formam, quae scilicet naturaliter est, et omne quod naturaliter est, esse a Deo; sed forma idoli non est naturaliter, quia naturae iustitiae non servit. Id enim naturaliter esse dicitur, quod simplici naturae iustitiae, quae Deus est, militat, non resultat, et naturam creatam non vitiat.

3. **De secundo praecepto** \*. Secundum praeceptum est <sup>5</sup>: *Non assumes nomen Dei tui in vanum*. Quod est dicere, secundum litteram: Non iurabis pro nihilo nomen Dei <sup>6</sup>. — **Isidorus** \*. Allegorice vero praecipitur ut « non <sup>7</sup> putes creaturam esse Christum, Dei Filium, quia omnis creatura vanitati subiecta est <sup>8</sup>, sed aequalem Patri ».

4. **De tertio** \*. Tertium vero est <sup>9</sup>: *Memento ut diem sabbati sanctifices*.

<sup>3-4</sup> Rubr. om. VW. || In... facta sunt proprius ponitur ad alibi (lin. 5). 12-13 Rubrica om. RVW. <sup>15</sup> nihil ABCLMVX, corr. ex nihil N. <sup>22</sup> Isidorus om. RVW.

<sup>1</sup> Ioan. 1, 3. <sup>2</sup> August., *In Ioan.*, tr. 1, n. 13 (PL 35, 1386; CCL 36, 8). <sup>3</sup> Verba sunt August., supra, ad finem n. 1. <sup>4</sup> *In Ezech.* 26, 19: « Qui Deo non vivit, in Scripturis sanctis » dicitur « non subsistere » (PL 25 [1845], 246 A; CSEL 75, 355s). <sup>5</sup> Exod. 20, 7; Deut. 5, 11. <sup>6</sup> Ita *Glossa interl.* in Exod. 20, 7 (apud Lyran., I, 164r). <sup>7</sup> *Glossa ordin.* in Exod. 20, 2, et in Deut. 5, 11 (apud Lyranum, I, 163c; 337a); ex Isidoro, *Quaest. in Vd. Test.*, *In Exod.*, c. 29, n. 3 (PL 83, 301 C). <sup>8</sup> Resp. Rom. 8, 20. <sup>9</sup> Exod. 20, 8; Deut. 5, 12. Cf. *Glossa ordin.* in Deut. 5, 12 (apud Lyran., I, 337a).

Num. 2: Unde quaestio et verba Augustini, quae non « alibi » sed ibidem parum inferius, sumantur, nescimus. De prima opinione, quae forsitan Magistri sit, cf. Lib. II, Dist. 35, cap. 2, num. 1, et Dist. 37, cap. 1 (Tom. I, 530, 15-19; 543-545). — De secunda, cf. Sententiae scholae Anselmi, n. 511 (apud O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 325); et *Summa sent.*, IV, 3 (PL 176, 121 B-C), quae tamen non enumerentur oportet inter fontes huius capituli.

Ubi secundum litteram praecipitur sabbati observantia; allegorice vero, ut requiem et hic a vitiis et in futuro in Dei contemplatione exspectes ex Spiritu Sancto, id est ex caritate et dono Dei; non quod Spiritus Sanctus sine Patre et Filio hoc operetur.

Cap. 3 (140).

1. **Quare in Spiritu Sancto proprie dicitur fieri remissio** \*. — **Augustinus, De blasphemia Spiritus Sancti** \*: « Accepit <sup>1</sup> utique Ecclesia hoc donum, ut in Spiritu Sancto fiat remissio peccatorum. Quam remissionem cum Trinitas faciat, proprie tamen ad Spiritum Sanctum dicitur pertinere, quia ipse est *Spiritus adoptionis filiorum* <sup>2</sup> », ipse est Patris et Filii amor et connexio vel communitas <sup>3</sup>; ideoque iustificatio nostra et requies ei attribuitur saepius <sup>4</sup>.

2. Haec sunt tria mandata primae tabulae ad Deum pertinentia. Et primum quidem, quod est de uno Deo colendo, pertinet ad Patrem, in quo est unitas vel auctoritas; secundum ad Filium, in quo est aequalitas; tertium ad Spiritum Sanctum, in quo est utriusque communitas <sup>5</sup>.

Cap. 4 (141).

1. **De mandatis secundae tabulae**. In secunda vero tabula septem erant mandata ad dilectionem proximi pertinentia.

2. **De primo secundae tabulae** \*. Quorum primum ad patrem carnalem refertur, sicut primum primae tabulae ad Patrem caelestem; quod est <sup>6</sup>: *Honora patrem tuam et matrem tuam, ut sis longaevus super terram, scilicet viventium* <sup>7</sup>. Parentes vero sic sunt honorandi, ut eis debita reverentia exhibeatur et necessaria ministrentur.

<sup>6</sup> remissio] peccatorum add. LRV.

<sup>1</sup> *Sermo 71*, c. 17, n. 28 (PL 38, 460). <sup>2</sup> Resp. Rom. 8, 15. <sup>3</sup> Cf. Lib. I, d. 10, c. 2, nn. 4-5; et d. 31, c. 6 (tom. I, 112s, 232). <sup>4</sup> *Glossa interlin.* in Exod. 20, 8: « Tertium mandatum pertinens ad Spiritum Sanctum, cuius dono requies aeterna promittitur et sanctificatio perficitur » (apud Lyranum, I, 164r). <sup>5</sup> Cf. *Glossa ordin.* in Deut. 5, 11 (apud Lyranum, I, 337a). <sup>6</sup> Exod. 20, 12; Deut. 5, 16. Cf. *Glossa ordin.* et *interlin.* in hos locos (164v; 337r). <sup>7</sup> Resp. Ps. 26, 13: *Credo videre bona Domini in terra viventium*.

Cap. 3, num. 1: Ex *Glossa* in Eph. 4, 4 (PL 192, 197 A); cf. etiam in Rom. 8, 16 (PL 191, 1440 D). — Cap. 4, num. 1-2: ex *Summa sent.*, IV, 3, et 4 (PL 176, 121 A, 122 A), praeter ultima verba, quae sunt ex *Glossa* Magistri in Eph. 6, 2 (PL 192, 217 D et C).



3. **De secundo** \*. Secundum est<sup>1</sup>: *Non occides*. Ubi secundum litteram actus homicidii prohibetur, secundum spiritum vero etiam voluntas occidendi. Unde huic mandato secundum litteram fit superadditio in Evangelio<sup>2</sup>, quia littera Evangelii exprimitur, quod Legis littera non exprimebatur.

4. **De sensu spirituali et carnali** \*. Evangelii littera exprimit intelligentiam spiritualem, id est quam spirituales habent, et secundum quam spiritualiter vivitur; littera Legis sensum carnalem, id est quem carnales habent, et secundum quem carnaliter vivitur: cui facta est superadditio.

5. **De tertio** \*. — **Isidorus** \*. Tertium est<sup>3</sup>: *Non moechaberis*, « id est<sup>4</sup> ne cuilibet miscearis, excepto foedere matrimonii. A parte enim totum intelligitur ». — **Augustinus, super Exodum** \*: « Nomine<sup>5</sup> igitur moechiae omnis concubitus illicitus, illorumque membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi ».

Cap. 5 (142).

1. **De quarto**. Quartum est<sup>6</sup>: *Non furtum facies*. Ubi sacrilegium et rapina omnis prohibetur. — **Augustinus, super Exodum** \*: « Non<sup>7</sup> enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit, sed furti nomine bene intelligi voluit omnem illicitam usurpationem rei alienae ».

2. Sacrilegium tribus modis committitur: quando scilicet vel sacrum de sacro, vel non sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro aufertur.

<sup>12</sup> igitur] ergo N, enim ABC.

<sup>17</sup> rapina omnis *trp.* CLV.

<sup>1</sup> Exod. 20, 13; Deut. 5, 17. <sup>2</sup> Resp. Matth. 5, 21-22: *Audistis quia dictum est antiquis: Non occides... Ego autem dico vobis, quia omnis qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio etc.* <sup>3</sup> Exod. 20, 14; Deut. 5, 18. <sup>4</sup> *Glossa interlin. in Exod. 20, 14: « Id est... Per partem enim totum vult intelligi »* (apud Lyranum, I, 164v); ex Isidoro, *Quaest. in Vet. Test., In Exod.*, c. 29, n. 11 (PL 83, 302 D - 303 A). <sup>5</sup> *Glossa ordin. in Exod. 20, 14: « et nomine moechiae omnis illicitus concubitus atque illorum membrorum non legitimus usus prohibitus debet intelligi »* (apud Lyranum, I, 164d); ex August., *Quaest. in Heptat.*, II, q. 71 (PL 34, 622; CSEL 28-II, 138s; CCL 33, 104s). <sup>6</sup> Exod. 20, 15; Deut. 5, 19; dein *Glossa interlin. in hos locos: « Quamlibet rei usurpationem », « Quamlibet rapinam »* (apud Lyranum, I, 164v, 337r). <sup>7</sup> *Glossa ordin. in Exod. 20, 14: « ...furti nomine bene intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienae (non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit) »* (apud Lyranum, I, 164d); ex August., loc. cit.

Cap. 5, num. 1: Cf. Hugo, *De sacram.*, I, 12, 7 (PL 176, 356 D). — Num. 2-3: ut supra notatur, partim ex *Summa sent.*, IV, 4 (PL 176, 122 B-C); partim (August.) ex *Glossa in Ps.* 54, 12 (PL 191, 511 B); partim ex Hieronymo *In Ezechielem*.

Sacrum vero dicitur quidquid mancipatum est cultui divino, ut ecclesia vel res ecclesiae.

3. **Hieronymus, in epistola quadam** \*. Hic etiam usura prohibetur, quae sub rapina continetur. Unde Hieronymus<sup>1</sup>: « Usuras quaerere vel fraudare aut rapere nihil interest. Commoda fratri tuo, et accipe quod dedisti et nihil superfluum quaeras, quia superabundantia in usura computatur ». — **Augustinus, super Psalmum** \*. Est enim usura, ut ait Augustinus<sup>2</sup>, « cum quis plus exigit in iniuria vel qualibet re quam acceperit ». — **Hieronymus, super Ezechielem** \*. Item Hieronymus<sup>3</sup>: « Putant aliqui usuram tantum esse in pecunia; sed intelligant usuram vocari superabundantiam, scilicet quidquid est, si ab eo quod dederit plus est: ut si in hieme demus decem modios, et in messe quindecim recipiamus ».

4. **Si furtum fecerunt filii Israel quando spoliaverunt Aegyptios** \*. Si vero quaeritur de filiis Israel, qui, Domino iubente, ab Aegyptiis mutuaverunt vasa aurea et argentea et vestes pretiosas, et asportaverunt<sup>4</sup>, utrum furtum commiserint, dicimus eos qui ut parerent Deo iubenti illud fecerunt, non fecisse furtum, nec omnino peccasse. — **Augustinus, super Exodum** \*. Unde Augustinus<sup>5</sup>: « Israelitae non furtum fecerunt, sed Deo iubenti ministerium praebuerunt. Hoc enim Deus iussit, qui Legem dedit. Sicut minister iudicis sine peccato occidit quem Lex praecipit; sed si id sponte faciat, homicida est, etiam si eum occidat quem scit a iudice occidendum ». — **Augustinus, super Psalmum** \*: « Infirmi<sup>6</sup> autem, qui ex cupiditate Aegyptios deceperunt, magis permissi sunt hoc facere illis, qui iure talia passi sunt, quam iussi ».

<sup>8</sup> iniuria] pecunia X, usura AMT, quod corr. M (mg.) T. <sup>9</sup> tantum esse *trp.* BLNR. 24 iure talia *trp.* MRTX.

<sup>1</sup> Non invenitur apud Hieronymum; sumitur unacum alia auctoritate eiusdem in Ezech. (infra), ex *Summa sententiarum*, IV, 4 (PL 176, 122 C). <sup>2</sup> *Glossa ordin. in Ps.* 54, 12: *usura et dolus* (apud Lyranum, III, 162a; cod. Laurent. Pl. XVII, 4, fol. 69d); ex Augustino in h.l., n. 14 (PL 36, 638; CCL 39, 667). <sup>3</sup> *Glossa ordin. in Ezech.* 18, 8 (apud Lyranum, IV, 237a); ex Hieron., *In Ezech.*, 18, 8 (PL 25 [1845], 176 C, 177 A; CCL 75, 240). <sup>4</sup> Exod. 11, 2; et 12, 35-36. <sup>5</sup> *Glossa ordin. in Exod.* 11, 2 (apud Lyranum, I 145a); ex August., *Quaest. in Heptat.*, II, q. 39 (PL 34, 607s; CSEL 28-II, 112; CCL 33, 85). <sup>6</sup> *Glossa ordin. in Ps.* 104, 37: *Et eduxit eos cum argento et auro* (apud Lyranum, III, 243c; cod. Laurent., f. 144a); ex August. in h.l., n. 28 (PL 37, 1400; CCL 40, 1547s).

Num. 4: Quaestio suggeritur in *Summa sent.*, IV, 4 (PL 176, 122 C); vide dein Lomb. in Ps. 104, 37 (PL 191, 955 C).



5. Augustinus, super Psalmum \*. Hic opponitur quod etiam boni in illo opere peccaverunt, quia naturalem legem, cui concordat Evangelium et lex moralis praeceptionis, transgressi sunt, quae est: *Quod tibi non vis, alii ne feceris* <sup>1</sup>. «Quam <sup>2</sup> Veritas scripsit in corde hominis; et quia non legebat in corde, iteravit in tabulis, ut voce forinsecus admota, rediret ad <sup>5</sup> cor <sup>3</sup> et ibi inveniret quod extra legeret». Hanc igitur illi praevaricati videntur in illo facto, aliis facientes quod nolebant sibi fieri. — Sed ibi subintelligendum est 'iniuste', ut non alii scilicet iniuste facias, quod tibi non vis fieri. Alioquin huius praevaricator est iudex, dum punit reum, nolens aliquid tale sibi fieri. Ita etiam et illud Domini verbum <sup>4</sup>: *Omnia* <sup>10</sup> *quaecumque vultis ut faciant vobis homines* etc., de bonis accipiendum est quae nobis invicem exhibere debemus.

## Cap. 6 (143).

1. De quinto \*. Quintum praeceptum est <sup>5</sup>: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium*. Ubi crimen mendacii et periurii prohibetur. <sup>15</sup>

2. Augustinus, super Exodum: scilicet si omne mendacium ibi prohibetur \*: «Solet <sup>6</sup> autem quaeri utrum prohibitum sit omne mendacium. Quidam dicunt illud tantum prohiberi quod obest et non prodest ei cui dicitur. Tale enim non est *adversus proximum*, ut ideo videatur hoc addidisse Scriptura. Sed de mendacio magna quaestio est, nec cito explicari potest».

<sup>3</sup> vis] fieri add. LRX, add. interl. V.  
17 scilicet om. MNVW.

<sup>4</sup> ne] non OV.

<sup>10</sup> et om. MRT.

<sup>1</sup> Resp. Tob. 4, 16; Matth. 7, 12; Luc. 6, 31. <sup>2</sup> Partim in *Glossa ordin.* in Ps. 57, 1: *Si vere utique iustitiam loquimini* (apud Lyran., III, 165c; cod. cit., 72b, in parte tantum); ex August. (rubrica) in h.l., n. 1 (PL 36, 673s; CCL 39, 708). <sup>3</sup> Resp. Isai. 46, 8: *Redite, praevaricatores, ad cor.* <sup>4</sup> Matth. 7, 12: *Glossa interlin.* in h.l.: «Voluntas hic de bonis tantum dicitur» (apud Lyranum, V, 28v). <sup>5</sup> Exod. 20, 16; Deut. 5, 20. *Glossa interlin.* in Exod. 20, 16: «Quod est crimen mendacii et falsitatis» (apud Lyranum, I, 165r). <sup>6</sup> *Glossa ordin.* in Exod. 20, 16 (apud Lyran., I, 165a); ex August., *Quaest. in Heptat.*, II, q. 71 (PL 34, 622s; CSEL 28-II, 139s; CCL 33, 105).

Num. 5: Verba Augustini, ex *Glossa* in Ps. 57, 1 (PL 191, 534 C).

## DISTINCTIO XXXVIII

## Cap. 1 (144).

1. De triplici genere mendacii. — Augustinus, super Psalmum V \*. Sciendum est tamen tria esse genera mendaciorum. «Sunt <sup>1</sup> enim mendacia <sup>5</sup> quaedam pro salute vel commodo alicuius, non malitia, sed benignitate dicta: qualiter obstetrices <sup>2</sup> mentitae sunt» et Raab <sup>3</sup>. — «Est et aliud mendacii genus, quod fit ioco, quod non fallit: scit enim cui dicitur, causa ioci dici. Et haec duo genera mendaciorum non sunt sine culpa, sed non cum magna. Perfectis vero non convenit mentiri, nec etiam pro temporali <sup>10</sup> vita alicuius, ne pro corpore alterius animam suam occidant. Licet autem eis verum tacere, sed non falsum dicere: ut si quis non vult hominem ad mortem prodere, verum taceat, sed non falsum dicat». — Tertium vero genus mendacii est, quod ex malignitate et duplicitate prodit, cunctis valde cavendum.

<sup>15</sup> 2. His videtur innui mendacia illa quae fiunt ioco vel pro salute alicuius, imperfectis esse venialia peccata; perfectis vero illud quod pro commodo alterius dicitur, esse damnabile. Quod etiam de mendacio ioci putari potest, praecipue si iteretur.

<sup>20</sup> 3. Quod mendacium obstetricum et Raab fuit veniale \*. — Augustinus, super Leviticum \*. De mendacio autem obstetricum et Raab, quod

<sup>15</sup> videtur innui *trp.* MRTX.

<sup>1</sup> Num. 7 (PL 36, 85; CCL 38, 22); vide notam infra positam. <sup>2</sup> Resp. Exod. 1, 15-21. <sup>3</sup> Resp. Ios. 2, 3-6.

Dist. XXXVIII. Cf. Ivo Carnutensis, *Decretum*, XII, De mendacio et periurio (PL 161, 779ss, 792ss); et eius *Panormia*, VIII, capp. 124-134 (PL 161, 1333ss); Hugo, *De sacram.*, I, 12, 7 (PL 176, 356 D - 357 C); *Summa sent.*, III, 5 (PL 176, 122 D - 123 D); Gratianus, *Decretum*, C. 22, q. 2 (ed. Ae. Friedberg, I, 866-875). — Cap. 1, num. 1: Auctoritas Augustini, ex *Glossa ord.* in Ps. 5, 7 (cod. Laurent., Plut. XVII, 4, f. 4c; apud Lyranum, III, 93b); inde, quibusdam probabiliter adiunctis textui originali, in *Glossa Magistri* (PL 191, 98 A-D); cf. Proleg. ad tom. I, 59\*. — De verum tacendo, cf. A. M. Landgraf, *Der verfolgte Feind und das nichtgehaltene Versprechen in der Theologie der Frühscholastik*, in *Divus Thomas* (Fr.), 22 (1944), 3-30. — Num. 3: Prima auctoritas Augustini, ex *Glossa ord.* in Levit. 19, 11 (apud Lyranum, I, 247b). Alia (et aliae quae infra inveniuntur) de *Enchiridion*, ex originali quod ad manum habuit Lombardus. Non negamus quod inspirante Gratiano Magister recurrit a *Decreto* ad originale, etiam infra.



fuerit veniale, Augustinus tradit dicens<sup>1</sup>: « Forsitan sicut obstetrices non remuneratae sunt quia mentitae sunt, sed quia infantes liberaverunt, et propter hanc misericordiam veniale fuit peccatum, non tamen nullum: sic Raab liberata propter liberationem exploratorum, pro qua fuit veniale peccatum. Sed ne putet quisque in ceteris peccatis, si propter liberationem hominum fiant, ita posse concedi veniam. Multa enim mala detestanda talem sequuntur errorem ». — Augustinus in *Enchiridion* \*: « Possumus<sup>2</sup> enim et furando alicui prodesse, si pauper cui datur sentit commodum, et dives cui tollitur non sentit incommodum. Ita et adulterando possumus, si aliqua, nisi ad hoc ei consentiatur, appareat amando moritura; et si vixerit, poenitendo purganda: nec ideo peccatum grave negabitur tale adulterium ».

## Cap. 2 (145).

1. De octo generibus mendacii. Sciendum est etiam octo esse genera mendacii, ut Augustinus in libro *De mendacio*<sup>3</sup> tradit; quae diligenter notanda sunt, ut appareat quod mendacium sit veniale, et quod damnabile. « Primum capitale est mendacium longeque fugiendum, quod fit in doctrina religionis; ad quod nulla causa quisquam debet adduci. Secundum, quod tale est ut nulli prosit, sed obsit alicui. Tertium, quod ita prodest alteri, ut obsit alteri. Quartum, sola mentiendi fallendique libidine, quod mirum mendacium est. Quintum, quod fit placendi cupiditate de suaviloquio. His omnibus evitatis, sequitur sextum genus, quod et nulli obest et prodest alicui, ut si quis pecuniam alicuius iniuste tollendam sciens ubi sit, nescire se mentiatur. Septimum, quod et nulli obest et prodest alicui, ut si quis, nolens hominem ad mortem quaesitum prodere, mentiatur. Octavum, quod nulli obest, et ad hoc prodest ut ab immunditia corporali aliquem tueatur ».

<sup>5</sup> quisque] quisquam MV, corr. in quisquam O<sup>2</sup>T. <sup>14</sup> De octo gen. (speciebus elench.) mendacii BCX et elenchus capp., Quod sunt genera mendaciorum N, om. alii codd. 17 - 215, 4 Primum... arbitretur om. M.

<sup>1</sup> Quaest. in Heptat., III, q. 68 (PL 34, 708; CSEL 28-II, 296s; CCL 33, 221s).

<sup>2</sup> Cap. 22 (PL 40, 244; CCL 46, 62); partim in Decreto Gratiani, C. 22, q. 2, c. 4, § 2 (I, 868).

<sup>3</sup> Cap. 14, n. 25 (PL 40, 505; CSEL 41, 444s).

Cap. 2, num. 1: Ex Decreto Gratiani, tam ex dicto eius ante cap. 8 quam ex C. 22, q. 2, c. 8 (869), quibusdam omissis.

2. « In his<sup>1</sup> autem tanto minus peccat quisque cum mentitur, quanto magis a primo recedit. Quisquis vero aliquod genus esse mendacii, quod peccatum non sit, putaverit, decipiet se ipsum turpiter, cum honestum esse deceptorem aliorum arbitretur ». — « Omne<sup>2</sup> ergo genus mendacii summpere fuge », « quia<sup>3</sup> omne mendacium non est a Deo ».

## Cap. 3 (146).

Quid sit mendacium. Hic videndum est quid sit mendacium et quid sit mentiri, deinde utrum omne mendacium sit peccatum et quare. — Augustinus in libro *Contra mendacium* \*: « Mendacium est, ut ait Augustinus<sup>4</sup>, falsa significatio vocis cum intentione fallendi ». Ut ergo mendacium sit, necesse est ut falsum proferatur, et cum intentione fallendi: « hoc<sup>5</sup> enim malum est proprium mentientis, aliud habere clausum in pectore, aliud promptum in lingua ».

## Cap. 4 (147).

1. Quid sit mentiri \*. Mentiri<sup>6</sup> vero est loqui contra hoc quod animo sentit quis, sive illud verum sit, sive non. Omnis ergo qui loquitur mendacium, mentitur, quia loquitur contra hoc quod animo sentit, id est voluntate fallendi; sed non omnis qui mentitur, mendacium dicit, quia quod verum est loquitur aliquando mentiando, sicut e converso falsum dicendo aliquando verax est. — Augustinus in *Enchiridion* \*. Unde Augustinus

<sup>1</sup> peccat quisque trp. RTVX. <sup>2</sup> esse mendacii trp. ABCN. <sup>3</sup> decipiet] decipit ATV, corr. ex decipit R. <sup>12-13</sup> hoc... lingua om. M. <sup>20</sup> Rubrica om. RTV.

<sup>1</sup> August., ibid., c. 21, n. 42 (PL 40, 516; CSEL 41, 464s). <sup>2</sup> Isidorus (sine rubrica), *Synonyma de lamentatione animae peccatricis*, II, n. 52 (PL 83, 857 C). <sup>3</sup> Cui attribuendum sit hoc dictum, non apparet. <sup>4</sup> Cap. 12, n. 26 (PL 40, 537; CSEL 41, 507). <sup>5</sup> August., *Enchiridion*, c. 18 (PL 40, 241; CCL 46, 58). <sup>6</sup> Haec descriptio Magistri quasi paraphrasis exstat Augustini, in *Enchiridion*, c. 22 (PL 40, 243; CCL 46, 62).

Num. 2: Ex eodem canone *Decreti*, § 2 (870). Ultima autem verba ex c. 16 (872).

Cap. 3: Cf. A. M. Landgraf, *Definition und Sündhaftigkeit der Lüge nach die Lehre der Frühscholastik*, in *Zeitschrift für kath. Theologie*, 63 (1939), 50-85, 157-180. — Definitio invenitur in *Glossa* in II Cor. 1, 17 (PL 192, 14 D), et in dicto Gratiani ad secundam partem C. 22, q. 2 (868).

Cap. 4, num. 1: quasi omnia verba Augustini in *Enchiridion*veniuntur etiam apud Gratiani *Decretum*, C. XXII, q. 2, c. 4, § 3 (868); Magister autem auctoritatem traxit, ut videtur, ex originali (ita etiam infra in sequentibus capitulis).



n u s <sup>1</sup>: « Nemo sane mentiens iudicandus est, qui dicit falsum quod putat verum, quia quantum in ipso est non fallit ipse, sed fallitur. Non igitur mendacii arguendus est, qui falsa incautius credit ac pro veris habet; potiusque e contrario ille mentitur, qui dicit verum quod putat falsum. Quantum enim ad animum eius attinet, non verum dicit, quia non quod 5 sentit dicit, quamvis verum inveniatur esse quod dicit. Nec ille liber est a mendacio, qui ore nesciens loquitur verum, sciens autem voluntate mentitur ».

2. **Quaestio de Iudaeo qui dicit Christum esse Deum** \*. Hic quaeri solet, si Iudaeus dicat Christum esse Deum, cum non ita sentiat animo, 10 utrum loquatur mendacium. — Non est mendacium quod dicit, quia licet aliter teneat animo, verum est tamen quod dicit, et ideo non est mendacium; mentitur tamen illud quod verum est dicens.

## Cap. 5 (148).

1. **Quod omne mendacium sit peccatum** \*. — Augustinus in Enchi- 15 ridion \*. Quod vero omne mendacium sit peccatum, Augustinus insinuat <sup>2</sup>: « Mihi, inquit, videtur omne mendacium esse peccatum, sed multum interesse quo animo et de quibus rebus quisque mentiatur. Non enim sic peccat qui consulendi, ut qui nocendi voluntate mentitur; nec tantum nocet qui viatorem mentiendi in diverso itinere mittit, quantum 20 qui viam vitae mendacio depravat ».

2. **Quare omne mendacium sit peccatum** \*. « Porro <sup>3</sup> omne mendacium ideo dicendum est esse peccatum, quia hoc debet loqui homo quod animo gerit, sive illud verum sit, sive putetur et non sit. Verba enim ideo sunt instituta: non ut per ea homines invicem fallant, sed per ea in alterius 25 notitiam suas cogitationes ferant. Verbis ergo uti ad fallaciam, non ad quod sunt instituta, peccatum est ».

<sup>12</sup> est tamen *trp.* BCLT.  
<sup>18</sup> Interesse] interest BCRVW.

<sup>15-16</sup> Aug. in Ench. *om.* RVW. || in Ench. *om.* BCN.  
<sup>22</sup> Quare] Quod CMT. <sup>23</sup> est *om.* BCMNT.

<sup>1</sup> Cap. 18 (PL 40, 240; CCL 46, 58).  
<sup>3</sup> Ibid., c. 22 (243; 62).

<sup>2</sup> Cap. 18 (PL 40, 240; CCL 46, 58).

Num. 2: Quaestio oritur ex *Summa sent.*, IV, 5 (PL 176, 123 B).  
Cap. 5, num. 1: Cf. *Decretum*, C. 22, q. 2, c. 12 (871). — Num. 2: *ibid.*, c. 4, § 1 (867s).

3. **Quod non ideo mendacium non est peccatum quia prodest** \*. « Nec <sup>1</sup> ideo etiam ullum mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus alicui aliquando prodesse mentiendi: possumus enim, ut praedictum est <sup>2</sup>, et furando et adulterando prodesse ».

5 4. **Quod non tantum tunc mendacium est quando laedit** \*. — Augustinus, super *Leviticum* \*: « Mendacium <sup>3</sup> quoque non tunc tantum esse possumus dicere, quando aliquis laeditur: cum enim a sciente dicitur falsum, mendacium est, sive quis sive nemo laedatur ».

10 5. **Hic solvitur supraposita quaestio** \* <sup>4</sup>. Ecce ex his constat omne mendacium esse peccatum. Non tamen de omni mendacio accipiendum est illud <sup>5</sup>: *Perdes omnes qui loquuntur mendacium*; nec illud <sup>6</sup>: *Os quod mentitur, occidit animam*. Nec omne mendacium isto praecepto prohiberi videtur, nec praemissa descriptione mendacium ioci includi.

## Cap. 6 (149).

15 1. **Ubi cum periculo erratur vel non**. — Augustinus in *Enchiridion* \*. Illud etiam sciendum est, quod « in <sup>7</sup> quibusdam rebus magno malo, in quibusdam parvo, in quibusdam nullo fallimur ». « In <sup>8</sup> quibus rebus nihil interest ad capessendum Dei regnum, utrum credantur an non, vel utrum vera putentur an falsa, sive sint sive non: in his errare, id est aliud pro 20 alio putare, non arbitrandum est esse peccatum; vel si est, minimum atque levissimum ». « Et <sup>9</sup> sunt vera, quamvis non videantur, quae nisi credantur, ad vitam aeternam non potest perveniri ».

2. **Quid sit error** \*. Et licet « error <sup>10</sup> maxima cura cavendus sit, non modo in maioribus, sed etiam in minoribus rebus, nec nisi rerum ignorantia

5-6 Aug. super *Levit. om.* RVW. 15 Aug. in Ench. *om.* RVW. 23 Quid] Quis OT.

<sup>1</sup> Ibid., c. 22 (243s; 62). <sup>2</sup> Supra, Cap. 1, in fine n. 3. <sup>3</sup> Id est, *Quaest. in Heptat.*, III, q. 68 (PL 34, 707; CSEL 28-II, 295; CCL 33, 221). <sup>4</sup> Posita in fine *Dist.* 37, c. 6, n. 2. <sup>5</sup> Ps. 5, 7. <sup>6</sup> Sap. 1, 11. <sup>7</sup> Cap. 19 (PL 40, 241; CCL 46, 59). <sup>8</sup> Ibid., c. 21 (PL 40, 243; CCL 46, 61). <sup>9</sup> Ibid., c. 20 (242; 61). <sup>10</sup> Ibid., c. 17 (239; 57); videsis etiam *Lib. II*, d. 22, c. 5 (tom. I, 446).

Num. 3: *ibid.*, § 2 (868). — Num. 4: non videtur trahi de *Glossa ord.* in *Levit.* 19, 11 (apud Lyranum, I, 247a), nec ex originali Augustini; non invenitur in collectione Flori Lugdunensis. — Num. 5: Cf. dictum Gratiani ad C. 22, q. 2, c. 8 (869), quod in parte fons est huius numeri.

Cap. 6, num. 1: Quaedam verba Augustini in *Decreto*, C. 22, q. 2, c. 6 (868-869).



possit errari, non est tamen consequens ut continuo erret quisquis aliquid nescit, sed quisquis se existimat scire quod nescit: pro vero enim approbat falsum, quod est erroris proprium. Verumtamen in qua re quisque erret, interest plurimum. Sunt enim quae nescire sit melius quam scire. Item nonnullis errare profuit aliquando, sed in via pedum, non in via morum ».

3. **De Iacob, si mentitus fuit** \*. Solet quaeri de Iacob, qui se dixit esse Esau<sup>1</sup>, aliter animo sentiens, utrum mentitus sit. — De hoc **Augustinus**<sup>2</sup> ait: « Iacob quod matre fecit auctore ut falleret patrem, si diligenter attendatur, videtur non esse mendacium, sed mysterium ». Intendebat enim matri obedire, quae per Spiritum noverat mysterium. Et ideo, propter familiare consilium Spiritus Sancti quod mater acceperat, a mendacio excusatur Iacob.

## DISTINCTIO XXXIX

## Cap. 1 (150).

**De periurio.** Nunc de periurio videamus. Periurium est mendacium iuramento firmatum.

## Cap. 2 (151).

1. **An periurium sit quod non est mendacium** \*. — **Hieronymus, super Ieremiam** \*. Hic quaeritur utrum sit periurium, ubi non est mendacium. Quod quibusdam videtur, ex auctoritate **Hieronymi** dicentis<sup>3</sup>: « Advertendum est quod iusiurandum tres habeat comites: veritatem, iudicium et iustitiam. Si ista defuerint, non erit iuramentum, sed

19-20 Hieron. super Ier. om. RVW.

<sup>1</sup> Resp. Gen. 27, 19-24. <sup>2</sup> Contra mendacium, c. 10, n. 24 (PL 40, 533; CSEL 41, 499). <sup>3</sup> In Ierem. 4, 2 (PL 24 [1845], 706 A-B; CSEL 59, 51; CCL 74, 40).

Num. 3: Quaestio et solutio, ex *Summa sent.*, IV, 5 (PL 176, 122 D - 123 A). Dist. XXXIX: Cf. Hugo, *De sacram.*, I, 12, 7 (PL 176, 357 C - 358 C); *Summa sent.*, IV, 5 (PL 176, 123 D - 124 B); et M. David, *Parjure et mensonge dans le Décret de Gratien*, in *Studia Gratiana* 111, 1955, 117-141. — Cap. 1: Definitio, ex *Summa sent.*, IV, 5 (PL 176, 123 D). — Cap. 2, Num. 1: Auctoritas Hieronymi, ex *Decreto*, C. 22, q. 2, c. 2 (867); tres tamen legitur in dicto Gratiani post c. 23 ad finem q. 4 (882, lin. 2).

periurium ». Ubi autem falsum iuratur, veritas deest; si ergo falsum iuretur, etsi non sit ibi intentio fallendi, videtur esse periurium, quia deest veritas.

2. **Quorundam opinio de hac re** \*. Quibusdam placet non esse periurium ubi non est mendacium; et sicut dicitur aliquando falsum sine mendacio, ita iuratur falsum sine periurio. Falsum forte dixit **Apostolus**<sup>1</sup> cum se venturum ad Corinthios promisit, nec tamen, sicut ei imponebatur<sup>2</sup>, culpam mendacii contraxit, quia sic animo sentiebat. Et si iuramento illud confirmasset, non periurium incurrisset, quia quantum in ipso fuit, verum dixit; et si iurationem addidisset, quantum in se foret, verum iurasset, etsi aliter evenerit quam dixit. Ideo, sicut quis non est mendax nisi aliter sentiat animo quam dicit, sive ita sit sive non, ita videtur quibusdam neminem periurum constitui nisi aliter sentiat animo quam loquitur, sive ita sit sive non.

## Cap. 3 (152).

1. **De triplici modo periurii.** — **Sententia verior** \*. Sed melius creditur et ille peierare qui falsum voluntate fallendi iurat, et qui falsum putans quod verum est iurat, et qui verum putans quod falsum est iurat. — Unde **Augustinus**<sup>3</sup>: « Homines falsum iurant vel cum fallunt, vel cum falluntur. Aut putat homo verum esse quod falsum est, et temere iurat; aut scit vel putat falsum esse, et tamen pro vero iurat, et nihilominus cum scelere iurat. Distant autem ista periuria duo quae commemoravi. Fac illum iurare qui verum esse putat pro quo iurat: verum putat esse, et tamen falsum est; non ex animo iste periurat, sed fallitur: hoc pro vero habet quod falsum est, non pro falsa re sciens iurationem interponit. Da alium qui scit falsum esse et dicit verum esse, et iurat tamquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis quam ista detestanda sit belua.

11 evenerit] eveniret BC, corr. ex evenit in eveniret V. 16 Sententia verior om. LRVW. 18 et... iurat marg. TW. 21 falsum esse trp.NTV.

<sup>1</sup> Resp. I Cor. 16, 5. <sup>2</sup> Ab huiusmodi accusatione se purgat **Apostolus**, II Cor. 1, 15-23; cf. *Glossa Magistri* in h.l. (PL 192, 14 C). <sup>3</sup> *De verbis Apostoli in sermone xxviii* (rubr.); id est *Sermo 180*, c. 2, n. 2 (PL 38, 973).

Num. 2: Fundatur, ut videtur, in dictum Gratiani post capitulum iam citatum in num. 1, ubi arguitur ex verbis **Apostoli**, et aliud post cap. 3 (ibid.).

Cap. 3, num. 1: Hic quodammodo arguitur contra conclusionem Gratiani, post eundem canonem 2. Auctoritas **Augustini**, ibidem in can. 3 (867).



Fac alium qui putat falsum esse, et iurat tamquam verum sit, et forte verum est. Verbi gratia, ut intelligatis: Pluit in illo loco? interrogas hominem. Et dicit pluisse. Et tunc pluit ibi, sed putat non pluisse: periurus est. Interest quemadmodum verbum procedat ex animo: ream linguam non facit nisi rea mens. — His evidenter traditur quod tripliciter peierat homo, ut supra diximus: dum vel sciens falsum iurat, vel putans falsum quod verum est iurat, vel existimans verum quod falsum est iurat.

2. Sed hoc extremum non videtur esse periurium; vel si periurium nominetur eo quod falsum iuratur, non videtur esse reus periurii qui sic iurat, quia non est mens eius rea, et ideo nec lingua. — Immo eius mens rea est, dum iurare praesumit quod perspicue verum non deprehendit. Non igitur omne periurium mendacium est, nec omnis qui peierat mentitur; sed omnis mentiendo iurans peierat, et omnis qui falsum iurat, sive mentiens sive non, peierat.

3. **Quaestio.** Cum vero quis iurat quod verum est, aestimans esse falsum, quaeritur quid sit ibi periurium. Ipsa enim significatio vocis vera est, quia verum nescienter loquitur. Non igitur ipsa significatio vel falsum vel mendacium est, quia vera est; et quod verum est, periurium non videtur esse. — **Solutio** \*. Ad hoc dicimus loqui sic, scilicet contra mentem sub attestazione iuramenti, esse periurium. Mentiri ergo adhibita iuratione periurium est. Periurium ergo est vel iurando loqui falsum cum intentione fallendi, vel iurando loqui falsum sine intentione fallendi, vel iurando loqui verum cum intentione fallendi.

4. **Oppositio.** Hic opponitur: Si omnis qui falsum iurat, peierat, tunc qui alicui promittit dare sub certo termino aliquid, quod tamen non faciet, ex quo iuravit, peieravit, quia falsum iuravit: non enim ita futurum erat ut iuravit. — **Determinatio** \*. Ad hoc dici potest quia non omnis qui iurat quod falsum est, ex quo iurat periurus est, sicut iste de quo agimus; sed ex quo propositum mutat vel terminum transgreditur, iuratio talis fit periurium.

3 tunc] cum add. ACOT, add. sed del. B. 7 existimans] estimans BCX.  
11 mens eius trp. MRT. 16 Quaestio om. MRVW. || aestimans] existimans LMR.  
20 Solutio om. TVW. || hoc] quod MNTV. 21-22 Mentiri... est! om. M. 23 vel!...  
fallendi om. (hom.) MO. 27 faciet] facit BC, faciat X. 31 periurium] reatu  
add. BCNTVW.

Num. 2: Cf. dictum Gratiani post cap. 3 (867).

## Cap. 4 (153).

1. **An iuratio sit malum.** Si autem quaeritur utrum iurare sit malum, dicimus aliquando malum esse, aliquando non. Sponte enim et sine necessitate iurare, vel falsum iurare, peccatum grande est. Ex necessitate autem iurare, scilicet vel ad asserendam innocentiam, vel ad foedera pacis confirmanda, vel ad persuadendum auditoribus quod est eis utile, malum non est, quia necessarium.

2. **Augustinus, De sermone Domini in monte** \*. Unde Augustinus 1: «Iuramentum faciendum est in necessariis, cum pigri sunt homines credere quod est eis utile. Iuratio non est bona, non tamen mala cum est necessaria», id est non est appetenda sicut bona, non tamen fugienda tamquam mala, cum est necessaria.

3. **Augustinus, super Epistolam ad Galatas** \*: «Non 2 est enim contra praeceptum Dei iuratio; sed ita intelligitur Dominus prohibuisse a iuramento 3, ut quantum in ipso est, quisque non iuret: quod multi faciunt, in ore habentes iurationem tamquam magnum atque suave aliquid. Apostolus enim novit praeceptum Domini, et tamen iuravit 4. Prohibemur ergo iurare cupiditate vel delectatione iurandi».

4. **Augustinus, De sermone Domini** \*. Quod ergo Christus ait in Evangelio 5: *Ego dico vobis non iurare omnino*, «ita intelligitur praecepisse, ne quisquam sicut bonum appetat iuramentum, et assiduitate iurandi labatur in periurium». Quod vero addidit 6: «*Sit sermo vester, Est, est.*

13 Rubrica om. RVW. 22 addidit] addit MRTWX, corr. interl. ex addit V.

1 Lib. I, c. 17, n. 51 (PL 34, 1255; CCL 35, 58). 2 In Gal. 1, 20: *Ecce coram Deo, quia non mentior*, n. 9 (PL 35, 2110). 3 Matth. 5, 34 (uti infra, in num. 4).  
4 Verbi gr., Rom. 1, 9; I Cor. 15, 31; II Cor. 11, 31; Gal. 1, 30; Phil. 1, 8. 5 Matth. 5, 34; inde August., *De serm. Domini in monte*, I, c. 17, n. 51 (PL 34, 1255s; CCL 35, 58s).  
6 Matth. 5, 37.

Cap. 4, num. 1: Quaestio oritur ex dicto Gratiani ad initium C. 22, q. 1, ad I Partem (862); cf. etiam *Glossa Magistri* in I Cor. 15, 30 (PL 191, 1683 C). — Num. 2: Auctoritas Augustini, ex *Glossa ord.* in Rom. 1, 9 (cod. I 1c; m 1c; apud Lyranum, VI, 4c), inde in *Glossa Magistri* in h.l. (PL 191, 1318 C); cf. Gratianus, C. 22, q. 1, c. 5 (862). *Glossa* ad verba Aug., ex dicto Gratiani, ibid., pars III (864). — Num. 3: Ex *Decreto*, C. 22, q. 1, c. 2 (861). — Num. 4: concinnatur ex cap. 5 et 6, c. 2 in fine et c. 14 in fine (862, 861, 864); sed «qui aliter non credit», ex Augustino (*De sermone Domini in monte*, loc. cit.) in *Glossa* in I Cor. 15, 30 (PL 191, 1683 D); vide etiam dictum Gratiani, ibid., pars III (864).



Non, non, bonum est et appetendum. Quod autem amplius est, a malo est, id est si iurare cogaris, scias de necessitate venire infirmitatis eorum quibus aliquid suades. Quae infirmitas utique malum est, unde nos quotidie liberari precamur dicentes 1: *Libera nos a malo*. Ideoque non dixit: *Quod amplius est*, malum est: tu enim non facis malum, qui bene uteris iuratione; sed *a malo est*: illius » « qui aliter non credit », id est ab infirmitate 2, quae aliquando poena est, aliquando poena et culpa 3. « Ibi ergo Dominus prohibuit malum, suasit bonum, indulsit necessarium 4 ».

## Cap. 5 (154).

1. De iuramento quod fit per creaturas. Quaeritur etiam utrum liceat iurare per creaturam. Quod non videtur, cum in Lege scriptum sit 5: *Reddes autem Domino iuramenta tua*, et Christus in Evangelio 6 praecipiat *non iurare omnino, nec per caelum, nec per terram, nec per Ierosolymam, nec per caput tuum*.

2. Hieronymus, super Matthaenum \*: « Iudaeis 7 quasi parvulis concessum fuit iurare per Creatorem », et (Augustinus \*) « praeceptum ut

12 praecipiat] preceperat M, precepit V, in corr. X. 15 Rubrica om. RVW.

1 Matth. 6, 13. 2 August. ibidem legit: « illius cuius infirmitate iurare cogaris » (PL 34, 1256; CCL 35, 59); *Glossa ordin.* in Matth. 5, 37: *A malo est*: « Non tuo, sed illius a quo cogaris iurare, id est ab infirmitate illius, quae malum est » (apud Lyranum, V, 22a). 3 Cf. Lib. 11, d. 36, c. 1 (tom. I, 536s). 4 Haec ultima phrasid datur tanquam Augustini, et quidem sub rubrica: *Idem in eodem* (id est *De sermone Domini in monte*), in *Glossa in Rom.* 1, 9 (PL 191, 1318 B; cod. z 6a); unde transit in *Summam Alex. de Hales*, III, n. 313, solutio (IV, 473b), et in alios Scholasticos. Sed adhuc non invenimus. Non habetur apud Florum in *Rom.* 1, 9 (col. 37-38); nec in originali Augustini *De sermone Domini in monte*, uti parum supra. Unde nihil aliud videtur esse quam resumptio ipsius Magistri doctrinae Augustini, quod scilicet Dominus prohibet malum (in num. 3), suadet bonum (n. 4), indulget necessarium (nn. 1-2). 5 Verba sunt Christi, Matth. 5, 33, praeceptum memorantis Deut. 23, 31: *Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere*; vel Ps. 49, 14: *Redde Altissimo vota tua*. 6 Matth. 5, 34-36. 7 In Matth. 5, 33 (PL 26 [1845], 40 A; CCL 77, 32); de rubrica Augustini, vide alias notas infra.

Num. 2: Auctoritas conflatur, ut nobis videtur, ex *Glossa ord.* in Matth. 5, 33 (apud Lyranum, V, 22a); sub forma diversa invenitur in parte in *Decreto*, C. 22, q. 1, c. 8 (863). Quare quaedam verba Hieronymi ad initium passus Augustino attribuantur, nescimus, nisi forte in autographo Magister hic rubricam collocaverit quam poni oportuisset ad finem capituli. Quod sequitur conficitur ex dicto Gratiani post cap. 16, C. 22, q. 1 (865-866), et ex *Glossa ord.* in Matth. 5, 34-36 (22a).

si iurare contingeret, non nisi per Creatorem iurarent, non per creaturam »; quia « iurantes per angelos et elementa, creaturas venerabantur honore, et melius erat hoc exhiberi Deo quam creaturis ». Infirmis ergo illud prohibuit; sanctis vero, qui in creaturis Creatorem venerabantur tantum, non prohibuit. Unde Ioseph *per salutem Pharaonis* iuravit 1, Dei iudicium in eo veneratus, quo positus erat in infimis. Christus vero ita per creaturas iurare prohibuit, ne vel aliquid divinum in eis crederetur, pro quo reverentia eis deberetur; vel ne per ea iurantes falsum, homines se iuramento non teneri putarent 2.

10

## Cap. 6 (155).

Quae iuratio magis teneatur, an quae fit per Deum, an quae fit per Evangelia, vel per creaturas. Si autem quaeritur quis magis teneatur, an qui per Deum, an qui per Evangelium vel per creaturas iurat, dicimus: qui per Deum, quia per eum haec facta sunt. — Ioannes Chrysostomus \*. Unde Chrysostomus 3: « Si qua causa fuerit, modicum videtur facere qui iurat per Deum; qui vero per Evangelium, maius aliquid fecisse videtur. Quibus dicendum est: Stulti! Scripturae propter Deum sanctae sunt, non Deus propter Scripturas ». Ita et creaturae factae sunt per Deum.

20

## Cap. 7 (156).

1. Quid est dicere: Per Deum. Hic quaeritur quid sit dicere: 'Per Deum iuro'. Hoc est testem adhibere Deum. Iuravit enim Apostolus dicens 4: *Testis est mihi Deus*; ac si dixisset: Per Deum, ita est. — Augusti-

6 infimis] infirmis V, corr. ex infirmis LNRT. 8 ea corr. in eas AW. 11 teneatur OTVX, teneat alii. || fit... fit] sit... sit MOR. 14 facta] et sancta add. L<sup>2</sup>W, vel sancta add. marg. V. 15 Unde] Iohannes add. CLNRV. 18 sanctae] facte ALMOX. || factae] sancte NRT. 19 per] propter LR, corr. ex propter A. 21 Deum] iuro add. AV.

1 Resp. Gen. 42, 15-16. 2 *Glossa ordin.* in Matth. 5, 34: « Vel caelum plus aliquid suspicabantur, vel per illud iurantes, non putabant se iuramento teneri » (apud Lyranum, V, 22a); ultima sententia est August., *De serm. Domini in monte*, I, c. 17, n. 52 (PL 34, 1256; CCL 35, 59). 3 Pseudo-Chrysostomus, *In Matth. opus imperf.*, hom. 44 (PG 56, 883). 4 Rom. 1, 9; Phil. 1, 8.

Cap. 6: Omnia ex *Decreto* Gratiani, ibid., ex dicto et c. 11 (863s). Conclusio est Magistri.

Cap. 7: In parte dependet ex *Glossa in Rom.* 1, 9 (PL 191, 1318 A-B); sed ut apparet ex integra rubrica marginali in codicibus *Sententiarum*: *In sermone de periurio qui sic incipit: Quisquis est pravi et perversi cordis* (quae verba inveniuntur in medio sermonis 180 seu sermonis 28 *De verbis Apostoli*, c. 6, n. 6, PL 38, 975), fons num. 1-2 et 4 forsitan invenitur in *Pa-*



nus in sermone de periurio \*. Unde Augustinus<sup>1</sup>: «Ridiculum est putare hoc». «Si dicas 'per Deum', iuras; si dicas 'testis est Deus', non iuras? Quid est enim 'per Deum', nisi 'testis est Deus'? Aut quid est 'testis est Deus', nisi 'per Deum'? Quid est autem iurare, nisi ius Deo reddere quando per Deum iuras? ius scilicet veritatis, et non falsitatis». 5

2. In sermone de periurio \*. Item 2: «Ecce dico caritati vestrae: Et qui per lapidem iurat falsum periurus est», quia non lapidem, qui «non audit», sed eius Creatorem adhibet testem. Hoc est ergo iurare per quamlibet creaturam, scilicet Creatorem eius testem adhibere.

3. Augustinus, super Psalmum VII \*: Est etiam «quoddam<sup>3</sup> genus 10 iuramenti gravissimum, quod fit per execrationem, ut cum homo dicit: Si illud feci, illud patiar», vel illud contingat filiis meis. Secundum quem modum accipitur etiam interdum, cum aliquis iurando dicit: 'per salutem meam', vel 'per filios meos' et huiusmodi. Obligat enim haec Deo.

4. In sermone de periurio. Unde Augustinus<sup>4</sup>: «Cum quis ait 15 'per salutem meam', salutem suam Deo obligat; cum dicit 'per filios meos', oppignerat eos Deo, ut hoc eveniat in caput eorum, quod exit de ore ipsius: si verum, verum; si falsum, falsum». Et sicut per haec iurans aliquando haec Deo obligat, ita per Deum iurans, ipsum adhibet testem. In omni ergo iuratione, aut Deus testis adhibetur, aut creatura Deo obligatur 20 et oppigneratur: ut hoc sit iurare, scilicet Deum testem adhibere, vel Deo aliquid oppignerare.

Cap. 8 (157).

De illis qui iurant per falsos deos. Post haec quaeritur utrum fide eius utendum sit, qui per daemona vel idola iuraverit. — De hoc Au- 25

10 Rubrica om. RVW. 18 haec] hoc LOW. 19 haec] hoc LO. 22 oppi-  
nerare] Hoc... adhibere add. seu rep. ex lin. 8-9 ABCMOT, quod exp. (va-cat) T.

<sup>1</sup> De serm. Domini in monte, I, c. 17, n. 51: «Ridiculum est hoc putare» (PL 34, 1255; CCL 35, 58); cetera ex Sermone 180, c. 6, nn. 6-7 (PL 38, 975). <sup>2</sup> Sermo 180, c. 12, n. 13 (PL 38, 978). <sup>3</sup> Num. 3 (PL 36, 99; CCL 38, 38). <sup>4</sup> Sermo 180, c. 6, n. 7 (PL 38, 975).

normia Ivonis, VIII, cap. 115-116 (PL 161, 1332 B - 1333 A, ubi rubricas codicum mutilavit cl. Editor M. de Vosmidian), non autem in Decreto eiusdem, XII, cap. 34 (PL 161, 788 C - 798 A), ubi rubrica diversa est; nec in Gratiani Decreto, C. 22, q. 5, c. 10 (885), ubi tantum in parte habetur. — Num. 3: Ex Glossa in Ps. 7, 5 (PL 191, 113 A).

Cap. 8: Quaestio eruitur ex dicto Gratiani ante C. 22, q. 1, c. 16 (865), ubi etiam verba Augustini, quae hic contracte adaptantur. Idem cap. invenitur apud Ivonem, Decretum,

gustinus scribens Ad Publicolam<sup>1</sup> ait: «Te prius considerare volo utrum, si quispiam per deos falsos iuraverit et fidem non servaverit, non tibi videtur bis peccasse. Bis utique peccavit, quia et iuravit per quos non debuit, et contra pollicitam fecit fidem quod non debuit. Ideo- 5 que, qui utitur fide illius quem constat iurasse per deos falsos, et utitur non ad malum, sed ad bonum, non peccato illius se sociat quo per daemonia iuravit, sed bono pacto eius quo fidem servavit. Et sine dubitatione minus malum est per deos falsos iurare veraciter, quam per Deum verum fallaciter. Quanto enim per quod iuratur magis sanctum est, 10 tanto magis est poenale periurium».

Cap. 9 (158).

1. Quod iuramentum quo incaute iuratur non est observandum, vel votum, vel promissio iniuste facta. Nunc superest videre utrum omne iuramentum implendum sit. Si enim quis aliquid iuraverit contra fidem 15 et caritatem, «quod observatum peiorem vergat in exitum<sup>2</sup>», potius est mutandum quam adimplendum. — Ambrosius in libro I De officiis \*. Unde Ambrosius<sup>3</sup>: «Est contra officium nonnunquam, promissum solvere sacramentum, ut Herodes fecit<sup>4</sup>».

2. Isidorus in Synonymis \*. Item Isidorus<sup>5</sup>: «In malis promissis 20 rescinde fidem; in turpi voto muta decretum. Quod incaute vovisti, non facias; impia est promissio, quae scelere adimpletur». — Isidorus in libro Sententiarum \*. Idem<sup>6</sup>: «Non est observandum sacramentum quo malum incaute promittitur, ut si quis adulterae perpetuam fidem cum ea permanendi polliceatur. Tolerabilius enim est non implere sacramentum, 25 quam permanere in stupro».

5 utitur<sup>2</sup>] fide illius add. MOV, add. marg. L<sup>2</sup>. 10 est poenale trp. BCR. 12-13 vel... vel] nec... nec ABCV, nec... vel LNW. 19 Rubrica om. RVW. 20 non] ne BCW. 22 Idem] Item MRV. 24 enim est trp. LNRT Grat.

<sup>1</sup> Epist. 47, n. 2 (PL 33, 184; CSEL 34-II, 130). <sup>2</sup> Verba sunt Bedae, ut infra ad initium num. 3. <sup>3</sup> Cap. 50, n. 254 (PL 16 [1845], 100 C - 101 A). <sup>4</sup> Resp. Matth. 14, 7-11. <sup>5</sup> Lib. II, n. 58 (PL 83, 858 C). <sup>6</sup> Lib. II, c. 31, n. 9 (PL 83, 634 A).

XII, 35; et Panormia, VIII, 117 (PL 161, 789 A-C, 1333 A-B); sed non immediate sequitur quod haec opera Magistro fontibus fuerint.

Cap. 9: Rubrica trahitur, saltem in parte, ex illa Gratiani ad C. 22, q. 4, c. 6 (876), unde etiam auctoritates huius capituli, uti monstrant ad oculos tam earum rubricae quam textus. — Num. 1: Ambrosius, ex Gratiani canone 2 (875). — Num. 2: Ex cc. 5 et 13 (876, 878).



3. **Beda in Homilia XLIII \***. Item *Beda* 1: « Si quid nos incautius iurare contigerit, quod observatum peiorem vergat in exitum, libere illud salubriori consilio mutandum noverimus, ac magis instante necessitate peierandum esse nobis, quam pro vitando periurio in aliud crimen gravius esse divertendum. Denique iuravit David 2 per Deum occidere Nabal, 5 virum stultum; sed ad primam intercessionem Abigail, feminae prudentis, remisit minas, revocavit ensem in vaginam, nec aliquid culpa se tali periurio contraxisse doluit ».

4. **Augustinus in sermone quodam \***. Item *Augustinus* 3: « Quod David iuramentum per sanguinis effusionem non implevit, maior pietas 10 fuit. Iuravit David temere, sed non implevit iurationem maiori pietate ». — Ex his aliisque pluribus ostenditur quaedam iuramenta non esse observanda. Et qui sic iurat, vehementer peccat; cum autem mutat, bene facit. Qui autem non mutat, dupliciter peccat, et quia iniuste iuravit, et quia facit quod non debet. 15

## Cap. 10 (159).

1. **Si est periurus, qui non facit quod incaute iuravit.** Qui vero mutat, utrum periurus debeat dici, solet quaeri. *Beda*, supra 4, tale iuramentum vocavit periurium. — *Ioannes* etiam, apocrisarius orientali- 20 um sedium, dixit 5: « Sermo patris nostri Sophronii significat quod melius est iurantem peierare, quam servare sacramentum in fractione sanctorum imaginum ».

2. Sed 'periurium' dicitur tale iuramentum non observatum, et 'peierare' qui non implet quia falsum iuravit, non quia inde reus sit, quod non observat, sed quia iuravit iniustum: ex quo reus est sicut ille 25 qui peierat.

1 (et 9) Rubr. om. RVW. 3 salubriori] saluberrimo AMO, cui add. interl. vel salubriori O. 4 esse] est BCX, corr. ex est R, om. ANTW Grat. 17 periurus qui] periurium quod MOT, sed corr. quod in qui O. || quod] qui T. || iuravit] iurat N et etench. capp. 21 peierare] peiurare MNRTW.

1 Id est *In Evang.*, II, hom. 20 (PL 94, 239 D - 240 A; hom. 23 in CCL 122, 352).  
2 Resp. I Reg. 25, 22-25. 3 *Sermo 308*, c. 2, n. 2 (PL 38, 1408s). 4 *Supra*, in c. 9, n. 3.  
5 Scil. *Ioannes de Ierusalem*, in actione (seu sessione) quarta Concilii II Nicaeni (I oct. 785); in *Concil.*, ed. regia (Paris. 1644), XVIII, 392; ed. I. B. Mansi, XIII, 599; de quo cf. L. Petit, art. *Jean de Jérusalem*, in *Dict. de théol. cath.* VIII, 765s.

Num. 3: Ex Gratiani c. 6 (876, una cum lectione varianti circa num. homiliae). — Num. 4: ex cc. 3-4 (876).

Cap. 10, num. 1: Verba *Ioannis*, ex *Decreto Gratiani*, C. 22, q. 4, c. 18 (879).

## Cap. 11 (160).

**De eo qui verborum calliditate iurat.** — *Isidorus in libro II Sententiarum \**. Hoc etiam sciendum est, quod « quacumque 1 arte verborum quis iuret, Deus tamen, qui conscientiae testis est, ita hoc accipit, sicut ille 5 cui iuratur intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui et nomen Dei in vanum assumit, et proximum in dolo capit ».

## Cap. 12 (161).

1. **De illo qui cogit aliquem iurare.** Quaeritur etiam si peccat, qui hominem iurare cogit. — *Augustinus in sermone quodam \**. De hoc *Augustinus* ait 2: « Qui exigit iurationem, multum interest si nescit illum iuraturum falsum, an scit. Si enim nescit, et ideo dicit 'iura mihi' ut fides ei sit, non est peccatum; tamen humana tentatio est 3. Si vero scit eum fecisse, et cogit eum iurare, homicida est ». — *Idem* 4: « Qui provocat hominem ad iurationem et scit eum falsum iurare, vincit homicidam; 15 quia homicida corpus occisurus est, ille animam, immo duas animas: et eius quem iurare provocavit, et suam ».

2. **Ex concilio Aurelianensi** 5: « Sancta synodus decrevit, nisi pro pace facienda, ut omnes fideles ieiuni ad sacramenta accedant ».

2 *Isidorus...* Sent. om. RVW. 5 intelligit] Si sane intelligit nota seu rubr. marg. add. BCX. 9 Rubrica om. RVW.

1 Cap. 31, n. 8 (PL 83, 634). 2 *Sermo 180*, c. 10, n. 11 (PL 38, 978). 3 Resp. I Cor. 10, 13. 4 *Sermo 308*, c. 4, n. 4 (PL 38, 1409). 5 Si rubricam sequimur et ordinem verborum, sumi videtur ex *Decreto Ivonis*, XII, c. 70 (PL 161, 797 D - 798 A); sed aeque modo fons potest esse *Decreto Burchardi Wormatiensis*, XII, cap. 13 (PL 140, 878 C). Utrobique apparet quod verbo sacramenta iuramenta intelliguntur. Fontes antiquiores seu remotiores usque adhuc non invenimus.

Cap. 11: Rubrica eadem est ac titulus Gratiani ad C. 22, q. 5, c. 9 (885), ubi et auctoritas *Isidori*; sed eadem ratione sumpta dici posset ex *Panormia Ivonis*, VIII, cap. 112 (PL 161, 1332 A).

Cap. 12, num. 1: Prima auctoritas (praeter rubricam) sumitur etiam ad ipsa verba ex *Decreto Gratiani*, C. XXII, q. 5, c. 6 (884). Alia, *ibid.*, c. 5 (883), quamquam hic pro esse iuraturum legitur iurare cum Ivone ut in *Panormia*, VIII, cap. 108 (PL 161, 1330 D).



## DISTINCTIO XL

## Cap. 1 (162).

1. De sexto praecepto et septimo. Sextum praeceptum est 1: *Non desiderabis uxorem proximi tui*. Septimum est: *Non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam* etc. — Sed videtur praeceptum de non concupiscendis rebus proximi unum esse cum eo quo dicitur: *Non juraberis*; et praeceptum de non concupiscenda uxore unum esse cum eo quo dicitur: *Non moechaberis*. — Augustinus, super Exodum \*: «Poterat enim praeceptum non furandi in illa generalitate intelligi, ubi de non concupiscenda re proximi praecipitur; et in eo quod dictum est, *Non moechaberis*, poterat illud intelligi: *Non concupisces uxorem proximi tui*. Sed in illis duobus praeceptis non moechandi et non furandi, ipsa opera notata sunt et prohibita; in his vero extremis ipsa concupiscentia ». Multum ergo differunt illa ab istis. Unde illi praecepto non moechandi fit superadditio in Evangelio 3, ubi omnis concupiscentia moechandi prohibetur. 15

2. Quare Lex dicitur non comprimere animum, sed manum. Sed cum hic prohibetur concupiscentia alienae uxoris et alienae rei, quare dicitur Lex comprimere manum et non animum, Evangelium vero et manum et animum 4? — Solutio \*. Illud de Lege dicitur secundum caerimonialia, non secundum moralia. Vel quia in Lege non est generalis prohibitio 20 omnis mortiferae concupiscentiae ut in Evangelio.

3 Rubrica AV, om. alii. 4 est om. MTVX. 8 Rubrica om. RVW. || super Exodum om. MT. 16 Quare... manum] Questio A, Quare dicitur lex (om. C) comprimere manum et (om. B) non animum BCX. 19 Solutio om. COTVW. 21 Evangelio] vel secundum eorum carnalem intelligentiam add. marg. L<sup>2</sup>V<sup>2</sup>, add. in ipso textu infra post Evangelio (229, 7) BC.

1 Exod. 20, 17; Deut. 5, 21; ubi et sequens. 2 Quaest. in Heptat., II, q. 71 (PL 34, 621; CSEL 28-II, 137s; CCL 33, 103s). 3 Resp. Matth. 5, 27-28. 4 Glossa ordin. in Ps. 18, 8: *Lex Domini immaculata convertens animas: «Voluntates, non modo manus, ut Vetus»* (cod. Laurent. Pl. XVII, 4. f. 21d; apud Lyranum, III, 111a); Lombardus, Glossa in h.l.: «Et nota quod ait animas, id est voluntates, non solummodo manus, ut Vetus Lex manum maxime, non animum cohibebat» (PL 191, 210 D).

Dist. XL, Cap. I, num. 1: Praeter Glossam ord. in Exodum (infra), cf. Hugo, *De sacram.*, I, 12, 7 (PL 176, 358 C - 359 B); *Summa sent.*, IV, 6 (PL 176, 124 B-D). — Auctoritas Augustini, ex Glossa ord. in Ex. 20, 15 et 14, et interl. in Ex. 20, 17 (apud Lyranum, I, 164d et c, 165r).

## Cap. 2 (163).

Quae sit littera occidens. — Augustinus, De baptismo parvulorum. Si vero quaeritur quam dicat Apostolus 1 litteram occidentem, «ea 2 certe est Decalogus. Qui non dicitur *littera occidens* eo quod mala sit Lex, sed quia prohibens peccatum, auget concupiscentiam et addit praevaricationem, nisi liberet gratia»; quae gratia non sic abundabat in Lege ut in Evangelio. «Lex ergo bona est, et tamen occidit sine gratia, cum sit *virtus peccati* 3, quae iubet quod sine gratia impleri non potest». Gratia autem deerat, et ideo littera occidens erat.

## Cap. 3 (164).

1. De Legis et Evangelii distantia. — Augustinus \*. Distat autem Evangelii littera a Legis littera 4: quia diversa sunt promissa, ibi terrena, hic caelestia promittit. Diversa etiam sacramenta, quia illa tantum significabant, haec conferunt gratiam. Praecepta etiam diversa: quantum ad caerimonialia, nam quantum ad moralia sunt eadem, sed plenius in Evangelio continentur. 15

2. Audistis decem chordas psalterii 5 utrique sexui impositas: quae caritate tangendae sunt, ut vitiorum ferae occidantur.

## EXPLICIT LIBER TERTIUS.

6 abundabat] abundat LRV. 11 Augustinus om. MRVW. 13-14 significant LMOV, significant alii codd.

1 Resp. II Cor. 3, 6: *Littera enim occidit*. 2 Non obstante rubrica (ex errore Flori, col. 453; idem error supra, in tomo I, p. 475, lin. 28), verba Augustini, hic valde abbreviata, trahuntur ex *De spiritu et littera*, c. 14, nn. 24 et 25 (PL 44, 215, 216; CSEL 60, 178s); deinde, in ultima parte, quae exstat in *Glossa ordin.* in II Cor. 3, 6 (cod. l 79b; m 75c; apud Lyranum, VI, 64c), ex August., *Epist. 145 (ad Anastasium)*, nn. 2-3 (PL 33, 593; CSEL 44, 268). 3 Resp. I Cor. 15, 56. 4 Cf. August., *Enarr. in Ps. 73*, 1, n. 2 (PL 36, 930s; CCL 39, 1005s). 5 De quo supra, Dist. 37, c. 1, n. 1; resp. August., *Sermo 9*, c. 9, n. 13: «Tange easdem decem chordas, et feras occidas... Nam multa capita sunt sub istis capitibus. In singulis chordis non singulas bestias, sed greges interficis bestiarum. Sic ergo canticum novum cum amore, non cum timore cantabis» (PL 38, 85; CCL 41, 132, 134).

Cap. 2: Fundatur in *Glossam* in II Cor. 3, 6 (PL 192, 24).

Cap. 3, num. 1: ex *Glossa* in Hebr. 8, 6-7 (PL 192, 460 A); cf. etiam *Glossa* in Ps. 73, 1 (PL 191, 682 D), ubi abbreviatur *Glossa media* Gilberti Porretani in h.l. (apud D. Van den Eynde, *L'oeuvre littéraire de Géroch de Reichersberg*, Rome 1957, 390s); et Hugo de S. Victore, *De sacram.*, I, 12, 10 (PL 176, 364 A).



## INCIPIT LIBER QUARTUS

### De Doctrina Signorum

His tractatis quae ad doctrinam rerum pertinent quibus fruendum  
est<sup>1</sup>, et quibus utendum est, et quae fruuntur et utuntur, ad doctrinam  
5 signorum accedamus.

### DISTINCTIO I

#### Capitulum Primum

1. Samaritanus enim, vulnerato appropians, curationi eius sacramen-  
torum alligamenta adhibuit<sup>2</sup>; quia contra peccati originalis et actualis  
10 vulnera sacramentorum remedia Deus instituit.

2. De sacramentis, ubi quatuor prius considerata sunt\*. De quibus  
quatuor primo considerata occurrunt: quid sit sacramentum, quare in-  
stitutum, in quibus consistat et conficiatur, et quae sit distantia inter  
sacramenta veteris et novae Legis.

---

1 liber om. M. || quartus] de sacramentis add. RX, sententiarum add. W. 3 His]  
Transitus praem. A, Incipit prologus quarti libri praem. T. 5 accedamus] Explicit prolo-  
gus add. LT, Explicit liber tercius add. X. 9 peccati originalis trp. BCT. 11 Ru-  
brica om. RVWX. 12 occurrunt] sunt CL, est B.

---

<sup>1</sup> Cf. Lib. I, d. 1, c. 1, n. 3 (tom. I, 55), ubi distinguitur cum Augustino inter res (quae tractantur in Libris I-III) et signa (de quibus hic in libro IV); dein, ibid., c. 2 (p. 56), ubi iterum distinguitur iuxta Augustinum inter res quibus fruendum est, illas nempe quae nos beatos faciunt, et illas quibus utendum est (mundum scilicet et in eo creata); tunc inter eas quae fruuntur et utuntur (nosmetipsos et angelos sanctos). Quae distinctio quodammodo singulis libris respondet. <sup>2</sup> Resp. Luc. 10, 33-34: *Samaritanus autem... appropians, alligavit vulnera eius.*

---

Cap. 1, n. 1. Invenitur « sacramentorum alligamenta » iam in *Glossa ordin.* in Ps. 146, 3: *Et alligat contritiones eorum* (cod. Flor. Laurenz. Pl. XVII.4, f. 397a; apud Lyranum, III, 303b). Quod repetitur in *Glossa Magistri* in hunc locum (PL 191, 1274 D) unacum glossa Augustini, *Enarrat. in Ps. 146*, n. 8 (PL 37, 1903s; CCL 40, 2127). Reliqua, ex *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1145 D; 176, 117 A). — Num. 2: In parte ex eodem loco *Summae sent.*, et aequo modo ex Hugonis de S. Victore *De sacramentis*, I, p. 9, c. 1; et I, 11, 4 (PL 176, 317 B, 345 A).



## Cap. 2.

**Quid sit sacramentum.** — Augustinus in libro X De civitate Dei <sup>1</sup> \*: « Sacramentum est sacrae rei signum ». Dicitur tamen sacramentum etiam 'sacrum secretum' <sup>2</sup>, sicut dicitur sacramentum deitatis <sup>3</sup>: ut sacramentum sit sacrum signans et sacrum signatum. Sed nunc agitur de sacramento secundum quod est signum. Item, sacramentum est invisibilis gratiae visibilis forma <sup>4</sup>.

<sup>3</sup> etiam om. BCR.

<sup>1</sup> Cap. 5: « sacramentum id est sacrum signum » (PL 41, 282; CSEL 40-I, 452; CCL 47, 277). Cf. etiam *Contra advers. Legis et Prophet.*, II, c. 9, n. 34: « tantae rei sacramenta, id est sacra signa » (PL 42, 658); et *Epist. 138 (ad Marcellinum)*, c. 1, n. 7: « Quae [signa], cum ad res divinas pertinent, sacramenta appellantur » (PL 33, 527; CSEL 44, 131).

<sup>2</sup> Non invenitur apud Augustinum; cf. tamen *Enarr. in Ps. 103*, 3, n. 14: « Quid est quod occultum est, et non publicum in ecclesia? sacramentum baptismi, sacrum [sacramentum CCL] eucharistiae » (PL 37, 138; CCL 40, 1487); necnon et *Epist. 55 (ad Ianuarium II)*, n. 25: « Profundum (crucis) quod terrae infixum est, secretum sacramenti praefigurat » (PL 33, 216; CSEL 34-II, 197).

<sup>3</sup> Cf. Sap. 6, 24: *Et non abscondam a vobis sacramenta Dei*; et Eph. 3, 9: *dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo*. <sup>4</sup> Cf. Augustinus, *Quaestiones in Heptat.*, III, q. 84: « Dominus [sanctificavit] invisibili gratia per Spiritum Sanctum, ubi est totus fructus etiam visibilium sacramentorum. Nam sine ista sanctificatione invisibilis gratiae, visibilia sacramenta quid prosunt? » (PL 34, 712; CSEL 28-II, 305; CCL 33, 227s).

Cap. 2. Inter nova et vetera de sacramento definiendo, cf. J. de Ghellinck, *Un chapitre dans l'histoire de la définition des sacrements au XII<sup>e</sup> siècle*, in *Mélanges Mandonnet II* (Bibl. thomiste XIV), 1930, 79-96; ac eiusdem, *Le mouvement théologique du XII<sup>e</sup> siècle*, Bruges 1948 (sub verbo *Sacrements*); F. Holböck, *Der eucharistische und der mystische Leib Christi in ihren Beziehungen zueinander nach der Lehre der Frühscholastik*, Romae 1941; N. M. Häring, *Berengar's Definitions of Sacramentum and their Influence on mediaeval Sacramentology*, in *Mediaeval Studies* 10 (1948) 109-146; D. Van den Eynde, *Les définitions des sacrements pendant la première période de la théologie scolastique (1050-1240)*, Rome 1950; H. Weisweiler, *Sakrament als Symbol und Teilhabe. Der Einfluss des ps-Dionysius auf die allgemeine Sakramentenlehre Hugos von St. Viktor*, in *Scholastik* 27 (1952) 321-343; N. M. Häring, *Character, Signum und Signaculum. Die Entwicklung bis nach der karolingischen Renaissance*, in *Scholastik* 30 (1955), 481-512; 31 (1956) 41-69, 182-212; J. Finkenzeller, art. *Sakrament: dogmengeschichtlich*, in *LThK<sup>2</sup>* 9 [1964] 220-225; necnon et recentius A. Caprioli, *Alle origini della « definizione » di sacramento: da Berengario a Pier Lombardo*, in *La scuola cattolica* 102 (1974) 718-743. — Prima definitio hic proposita Augustino ascribitur in *Summa sent.*, ibid.; quam « doctoribus » iam assignavit Magister Hugo, *De sacram.*, I, 9, 2 (PL 176, 317 B-C). Citatur iam in *Glossa Magistri in I Cor. 11, 24* (PL 191, 1642 B) seu in tractatu primitivo *De eucharistia*, n. 9 (vide Proleg. ad hunc tomum). De secunda (*sacrum secretum*), cf. D. Van den Eynde, *Les définitions*, 22.

## Cap. 3.

**Quid sit signum** \*. — Augustinus, *De doctrina christiana* <sup>1</sup> \*: « Signum vero est res, praeter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid ex se faciens in cogitationem venire ».

## Cap. 4.

1. **Quo differant signum et sacramentum** \*. « Signorum <sup>2</sup> vero alia sunt naturalia, ut fumus significans ignem; alia data ». Et eorum quae data sunt, quaedam sunt sacramenta, quaedam non. Omne enim sacramentum est signum, sed non e converso. — Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius signum est. — Augustinus\*: « Si <sup>3</sup> enim sacramenta non haberent similitudinem rerum quarum sacramenta sunt, proprie sacramenta non dicerentur ».

2. **Quid proprie dicitur sacramentum** \*. Sacramentum enim proprie dicitur, quod ita signum est gratiae Dei et invisibilis gratiae forma, ut ipsius imaginem gerat et causa existat. Non igitur significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed et sanctificandi.

3. **Quod legalia melius signa quam sacramenta dicuntur** \*. Quae enim significandi gratia tantum instituta sunt, solum signa sunt, et non sacramenta: sicut fuerunt sacrificia carnalia et observantiae caerimoniales veteris Legis, quae nunquam poterant iustos facere offerentes <sup>4</sup>; quia ut ait

<sup>2</sup> Quid sit signum om. LVW.

<sup>17</sup> dicuntur *trp.* post melius BCX, post signa T.

<sup>1</sup> Lib. II, c. 1, n. 1 (PL 34, 35; CSEL 80, 33; CCL 32, 32). <sup>2</sup> Augustinus, ibid., n. 2 (36, 34, 32s). <sup>3</sup> *Epist. 98 (ad Bonifacium episc.)*, n. 9: « Si enim... omnino sacramenta non essent » ((PL 33, 364; CSEL 34-II, 531). <sup>4</sup> Resp. Hebr. 10, 1-4: *Nunquam potest accedentes perfectos facere... Impossibile enim est sanguine taurorum et hircorum auferri peccata*.

Ultima, in *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1145 D; 176, 117 A), et in *Decreto Gratiani*, de consecr. d. 2, c. 32 (1324). Forsitan concinnatur ex August., *Epist. 105*, c. 3, n. 12: « Si autem malus est (minister), operatur per illum Deus visibilem sacramenti formam, ipse autem donat invisibilem gratiam » (PL 33, 401; CSEL 34-II, 604).

Cap. 3: ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 33 (1324); vel ex originali. — Cap. 4, n. 1: Ultima pars conficitur ex Hugone, *De sacram.*, I, 9, 2 (PL 176, 318 B), et (quoad auctorit. Aug.) ex *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1146 A; 176, 117 A). — Num. 3: cf. Magister in Hebr. 9, 13 (PL 192, 471 C), ubi et verba Augustini. Verba Ambrosiastri (Alcuini), ex *Glossa Magistri in Hebr.* 10, 5 (PL 192, 480).



Apostolus<sup>1</sup>, *sanguis hircorum et taurorum, et cinis vitulae aspersus, inquinatos sanctificabat ad emundationem carnis*, « non animae », nam inquinatio illa erat contactus mortui. — **Augustinus** \*. Unde Augustinus<sup>2</sup>: « Nihil aliud intelligo inquisitionem quam Lex mundat, nisi contactum mortui hominis: quem qui tetigerat, *immundus erat septem diebus*; sed purificabatur secundum Legem<sup>3</sup> *die tertio et septimo*, et mundus erat », ut iam intraret templum. Mundabant etiam interdum « a corporali lepra » illa legalia<sup>4</sup>; sed nunquam ex operibus Legis aliquis iustificatus est, ut ait Apostolus<sup>5</sup>, etiam si in fide et caritate fierent. Quare? — **Ambrosius, super epistolam ad Hebraeos** \*: « Quia<sup>6</sup> imposuit ea Deus in servitute, non in iustificationem, et ut figura futuri essent<sup>7</sup>, volens ea sibi potius offerri quam idolis ». — Illa ergo signa erant; sed tamen et sacramenta, licet minus proprie, in Scripturis saepe vocantur, quia signa erant rei sacrae: quam utique non praestabant.

4. **Quae dicantur opera Legis** \*. Illa autem Apostolus<sup>8</sup> *opera Legis* dicit, quae tantum significandi gratia vel in onus<sup>9</sup> instituta sunt.

#### Cap. 5.

1. **De causa institutionis sacramentorum**. Triplici autem ex causa sacramenta instituta sunt: propter humiliationem, eruditionem, exercitationem.

<sup>2</sup> sanctificabat] sanctificat MNORX, quod corr. MO. <sup>6</sup> et<sup>2</sup> om. MNO. <sup>7</sup> intraret] in add. NRV. <sup>15</sup> Quae] quid BCX.

<sup>1</sup> Hebr. 9, 13; sequitur *Glossa interlin.* in h.l.: « non animae » (cod. m 178v; apud Lyranum VI, 150v). <sup>2</sup> Augustinus, *Quaest. in Heptat.* IV, q. 33 (PL 34, 735; CSEL 28-11, 346s; CCL 33, 258s). <sup>3</sup> Resp. Num. 19, 11-12: *Qui tetigerit cadaver hominis, et propter hoc septem diebus fuerit immundus: aspergetur ex hac aqua die tertio et septimo, et sic mundabitur.* <sup>4</sup> *Glossa interl.* (potius, in margine in cod. m, f. 178d) in Hebr. 9, 13: *sanctificat: « a corporali macula leprae »* (apud Lyranum VI, 150v); de lepra: Lev. 13-14; etiam apud Lombardum in Hebr. 9, 13 (PL 192, 471 C). <sup>5</sup> Rom. 3, 20: *Ex operibus Legis non iustificabitur omnis caro*; Gal. 2, 16: *Non iustificatur homo ex operibus Legis.* <sup>6</sup> Non invenitur in *Glossa Ambrosiastri* seu Alcuini in Hebr. 10, 5 (PL 100, 1078), sed revera in *Glossa ordin.* in h.l. (cod. m 180c; apud Lyran. VI, 152c). <sup>7</sup> Cf. I Cor. 10, 6 et 11. <sup>8</sup> Resp. Rom. 3, 20; Gal. 2, 16. <sup>9</sup> Resp. Act. 15, 10.

Cap. 5: Mixtim ex Hugone, *De sacram.*, I, 9, 3 (PL 176, 319 A - 320 C), praesertim in nn. 1-3; et, in num. 4, ex *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1146 C - 1147 A; 176, 117 C - 118 B), praeter auctoritatem Hieronymi.

2. **Prima causa** \*. Propter humilitatem quidem, ut, dum homo insensibilibus rebus, quae natura infra ipsum sunt, ex praecepto Creatoris se reverendo subicit, ex hac humilitate et obedientia Deo magis placeat et apud eum mereatur, cuius imperio salutem quaerit in inferioribus se, etsi non ab illis, sed per illa a Deo.

3. **Secunda** \*. Propter eruditionem etiam instituta sunt, ut per id quod foris in specie visibili cernitur, ad invisibilem virtutem quae intus est agnoscendam mens erudiat. Homo enim, qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per peccatum adeo hebuit, ut nequeat divina capere nisi humanis excitatus.

4. **Tertia** \*. Propter exercitationem similiter instituta sunt: quia, cum homo otiosus esse non possit, proponitur ei utilis et salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam et noxiam declinet occupationem. Non enim facile capitur a tentatore, qui bono vacat exercitio. Unde Hieronymus<sup>1</sup> monet: « Semper aliquid operis facito, ut te occupatum diabolus inveniat ». — **De triplici genere exercitationis** \*. Sunt autem exercitationum tres species: una ad aedificationem animae pertinet, altera ad corporis fomentum, alia ad utriusque subversionem.

5. Cum igitur absque sacramentis, quibus non alligavit potentiam suam Deus, homini gratiam donare posset, praedictis de causis sacramenta instituit.

6. **In quibus constat sacramentum** \*. Duo autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet verba et res; verba, ut invocatio Trinitatis; res, ut aqua, oleum et huiusmodi.

#### Cap. 6.

**De differentia sacramentorum veterum et novorum**. Iam videre restat distantiam sacramentorum veterum et novorum, ut 'sacramenta' vocemus

<sup>1</sup> Prima causa *trp.* BCX, om. RVW. || humilitatem] humiliationem ALVX. <sup>10</sup> excitatus] exercitatus ARTW, quod corr. RT. <sup>24</sup> aqua] et add. BCL.

<sup>1</sup> *Epist. 125 (ad Rusticum)*, n. 11 (PL 22 [1859], 1078; CSEL 56, 130).

Num. 5: in parte ex conclusione cap. 7 tract. V *Summae sent.* (PL 176, 133 D); cf. etiam Hugo, *De sacram.*, I, 9, 5 (PL 176, 323 C - 324 A). — Num. 6: ex *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1147 A; 176, 118 C).

Cap. 6. Cf. J. Schupp, *Die Gnadentehre des Petrus Lombardus*, 126-30. Verba Augustini (et onus huius capituli), ex *Glossa* in Hebr. 8, 6 (PL 192, 460 A).



quae antiquitus res sacras signabant, ut sacrificia et oblationes et huiusmodi. — **Super psalmum LXXIII** \*. Eorum autem differentiam breviter Augustinus assignat dicens 1: « quia illa promittebant tantum » et significabant, « haec autem dant salutem ».

## Cap. 7.

5

**De circumcissione.** Fuit tamen et inter illa sacramentum quoddam, scilicet circumcissionis, idem conferens remedium contra peccatum quod nunc baptismus. — **Augustinus, Ad Valerium contra Iulianum** \*. Unde Augustinus 2: « Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quae erat tunc *signaculum iustitiae fidei* 3, ad purgationem valebat, magnis et parvulis, originalis veterisque peccati; sicut baptismus ex illo valere coepit ad innovationem hominis, ex quo institutus est ». — **Beda, super Evangelium** \*. Item Beda 4: « Idem salutiferae curationis auxilium circumcisio in Lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptismus agere revelatae gratiae tempore consuevit, excepto quod regni caelestis ianuam necdum intrare poterant; tamen in sinu Abrahae post mortem beata requie consolati, supernae pacis ingressum spe felici exspectabant ». — His aperte traditur per circumcissionem, ex quo instituta fuit, remissionem peccati originalis et actualis parvulis et maioribus a Deo praestitam; sicut nunc per baptismum datur.

20

1 signabant] significabant LMN, sonabant W. 6 et om. BCLMNO. 8 Valerium] valentinum ABCOT. || contra Iulianum om. AOTV. 16 necdum] nondum ABCMOW. 19 peccati originalis *trp.* AO, peccati *trp.* ante actualis N.

1 August., *Enarr. in Ps. 73*, n. 2 (PL 36, 931; CCL 39, 1006); iam in *Glossa ordin.* in Ps. 73, 1 (cod. Laurent. XVII. 4, 94c, sine nomine; ap. Lyranum III, 190a). Cf. supra, lib. III, d. 40, c. 3 (p. 229). 2 Scilicet, *De nuptiis et concup.*, II, c. 11, n. 24 (PL 44, 450; CSEL 42, 276s). 3 Rom. 4, 11. 4 *In Evang.*, I, hom. 10 (PL 94, 54 B) seu hom. 11 (CCL 122, 74).

Capp. 7-9: Cf. A. M. Landgraf, *Die Wirkungen der Beschneidung*, in *Dogmengeschichte* III-1, 61-108. Praeter quaedam infra notata, dependent haec capitula a *Glossa Magistri* in Rom. 4, 11-12 (PL 191, 1371 C - 1372 C), in qua recte videri potest tractatus primitivus super hanc materiam, ubi incorporatur plurimum de *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1147 D - 1148 B; 176, 119 B-C). — Cap. 7: Auctoritas Augustini cum rubrica, ex *Decreto*, de consecr., d. 4, c. 6 (1363); illa Bedae (quae iam invenitur in *Summa sent.*, IV, 1; 1148 C; 119 D), ex *Glossa* in Rom. 4, 11 (PL 191, 1372 B), ubi et conclusio Magistri.

## Cap. 8.

**De viris qui fuerunt ante circumcissionem, et de feminis quae fuerunt ante et post.** Quaeritur autem de viris qui fuerunt ante circumcissionem, et de feminis quae fuerunt ante et post, quod remedium contra peccatum habuerunt. — Quidam 1 dicunt sacrificia et oblationes eis valuisse ad remissionem peccati. Sed melius est dicere illos qui de Abraham prodierunt per circumcissionem iustificatos; mulieres vero per fidem et operationem bonam: vel suam si adultae erant, vel parentum si parvulae; eos vero qui fuerunt ante circumcissionem, parvulos in fide parentum; parentes vero per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis, iustificatos. — **In Moralibus, libro IIII** \*. Unde Gregorius 2: « Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro parvulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificii; vel pro his qui ex Abrahae stirpe prodierunt mysterium circumcissionis ».

15

## Cap. 9.

**1. De institutione circumcissionis et causa.** Hic dicendum est in quo instituta fuerit circumcisio, et quare, et cur mutata per baptismum. — Abraham primus mandatum circumcissionis habuit, ad probationem obedientiae 3. Nec ei soli praecepta fuit circumcisio, sed et semini eius, id

5 habuerunt] habuerint ABCLX, *corr.* in habuerint NT. 6 prodierunt] prodierant BCLNTX. 17 instituta fuerit] instituerit MO, *quod corr.* O.

1 Auctor scil. *Summae sent.* (unde quaestio trahitur), IV, 1: « De mulieribus quaeritur quod remedium contra originale peccatum habebant. Respondetur: Fidem, oblationes et sacrificia » (PL 171, 1148 B; 176, 119 C); forsitan ex *Glossa ordin.* in Gen. 17, 23-27 (apud Lyran. I, 69a). 2 Cap. 3 (PL 75, 635 B). 3 Resp. Gen. 17, 10-12.

Cap. 8: Ad verba *in fide parentum* postea annotabit Petrus Manducator: « De parvulis... quaestio est: in fide quorum parentum salvabantur ante circumcissionem, id est, an in fide parentum de quibus secundum carnem nascebantur, an spiritualium, id est patriarcharum. Et non audiui super hoc magistrum in certitudine dogmatizantem... » (cf. I. Brady, *Peter Manducator and the oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antonianum* 41 [1966] 478). — Auctoritas Gregorii, ex *Glossa* in Rom. 4, 12 (PL 191, 1372 B-C), ex *Summa sent.*, IV, 1 (1147 C; 119 A). — Cap. 9 resumptio est *Glossae* in Rom. 4, 11-12 (PL 191, 1371 C - 1372 C), quae in multis pendet ad litteram de *Summa sent.*, IV, 3 (PL 171, 1147 D - 1148 A; 176, 119 B-C); plura repetit Magister in *Sermone 7, In Circumc. Domini* (PL 171, 400 A).



est omnibus Hebraeis. Quae fiebat secundum Legem<sup>1</sup> octava die, lapideo cultro, in carne praeputii.

2. **Quare data circumcisio** \*. Data autem fuit circumcisio pluribus de causis: scilicet (Strabus \* 2:) « ut per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per praevaricationem Adam displicuerat ». Data etiam fuit (Augustinus \* 3:) « in signum magnae fidei Abrahae, qui credidit se habiturum filium, in quo fieret benedictio omnium ». Deinde « ut hoc signo a ceteris nationibus discerneret populus ille ».

3. **Quare in carne praeputii** \*. In carne vero praeputii ideo iussa est fieri circumcisio, quia in remedium instituta est originalis peccati, quod a parentibus trahimus per concupiscentiam, quae in parte illa magis dominatur. Et « quia<sup>4</sup> in parte illa culpam inobedientiae primus homo sensit, decuit ut ibi signum obedientiae acciperet ».

4. **Quare die octavo et petrino cultro** \*. Fiebat autem octava die, petrino cultro, quia et in resurrectione communi, octava aetate futura, per petram Christum<sup>5</sup> omnis ab electis abscidetur corruptio; et per Christi resurrectionem, octava die factam, circumciditur a peccatis anima cuiusque in eum credentis<sup>6</sup>. Duae igitur res sunt illius sacramenti.

5. **Quare per baptismum mutata sit** \*. Ideo autem mutata est circumcisio per baptismum, quia sacramentum baptismi et communius est et perfectius, quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adiutrix, nec virtutum possessio vel augmentum ibi praestabatur, ut in baptismo, ubi non modo abolentur peccata, sed etiam gratia adiutrix confertur et virtutes augentur. Unde *aqua refectionis* dicitur<sup>7</sup>, quae aridos fecundat, et iam fructificantes ampliori ubertate donat. Quia quantumcumque per fidem

<sup>1</sup> octava] octavo ANT, septima M.      <sup>3</sup> data] fuit add. BCNRVX.      <sup>10</sup> circumcisio om. BCRVWXz.      <sup>12</sup> primus] prius AOTWX, quod corr. O.      <sup>14</sup> octava] octavo CMRTV.

<sup>1</sup> Cf. Gen. 17, 11-12; et 21, 4.      <sup>2</sup> Glossa ordin. in Gen. 17, 10-11 (apud Lyran. I, 68c); ex pseudo-Remigio Altiss. (Strabo?) in h.l. (PL 131, 88 C).      <sup>3</sup> Potius Ambrosiaster, in Rom. 4, 10-11 (PL 17 [1845], 84 B-C; CSEL 81-I, 134-137). Nomina tam Augustinam Ambrosiaster in margine codicum Glossae Magistri (x, f. 25d; z, f. 14c) et in editione (PL 191, 1371 C).      <sup>4</sup> Glossa ordin. in Gen. 17, 11 (I, 68c).      <sup>5</sup> Resp. I Cor. 10, 4: *Petra autem erat Christus*.      <sup>6</sup> Cf. Rom. 4, 24: *Reputabitur credentibus in eum, qui suscitavit Iesum Christum*.      <sup>7</sup> Resp. Ps. 22, 2, ubi Glossa interl.: « reficiuntur qui vires amiserint [amiserant = Ed.] et anima ariditate peccatorum sterilis fecundatur (apud Lyran. III, 117r; cod. Laurent. XVII.4, f. 26v); P. Lombardi Glossa in h.l. (PL 191, 242 D); ex August., *Enarr. in Ps. 22*, n. 2 (PL 36, 182; CCL 38, 134), et Cassiodoro in h.l. (PL 70, 168 B; CCL 97, 210).

et caritatem ante habitam aliquis iustus ad baptismum accedit, uberiores ibi recipit gratiam; sed non ita in circumcisione. Unde Abrahae, per fidem iam iustificato, signaculum tantum fuit; nihil ei intus contulit.

## Cap. 10.

5 **De parvulis defunctis ante diem octavum**. Si vero quaeritur de parvulis qui ante diem octavum moriebantur, antequam non fiebat circumcisio ex Lege<sup>2</sup>, utrum salvarentur vel non, idem potest responderi quod sentitur de parvulis ante baptismum defunctis: quos perire constat<sup>3</sup>. — **Beda** \*. Unde Beda<sup>4</sup>: « Qui nunc per Evangelium terribiliter et salubriter clamat<sup>5</sup>: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei*, ipse dudum clamat per suam Legem<sup>6</sup>: *Anima cuius praeputii caro circumcisa non fuerit, peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit* ». — Forte tamen sub Lege, ingruente necessitate mortis, ante octavum diem circumcidebant sine peccato filios, sicut modo in Ecclesia fit de baptismo.

## DISTINCTIO II

### Cap. 1 (11).

1. **De sacramentis novae Legis**. Iam ad sacramenta novae Legis accedamus: quae sunt baptismus, confirmatio, panis benedictionis, id est eucharistia, poenitentia, unctio extrema, ordo, coniugium. Quorum alia

<sup>6</sup> antequam] ante quem AW, corr. in quem O.      <sup>11</sup> intrabit] potest intrare BCRTV, potest introire M *Summa sent.* || Dei] celorum BC, et add. M. || clamat] clamabat BCNV. <sup>18</sup> sacramentis] sacramento AMOVX.      <sup>19</sup> benedictionis] benedictio BCMNX, quod corr. interl. N.

<sup>1</sup> Resp. Rom. 4, 11: *Et signum accepit circumcisionis, signaculum iustitiae fidei*. Cf. Glossa Magistri in h.l.: « iustitiae signum iam habitae. Non ergo circumcisio aliquid magnae dignitatis habebat, sed signum erat ei tantum » (PL 191, 1371 A), ex Ambrosiastro in h.l. (PL 17, 84 B-C; CSEL 81-I, 134-137).      <sup>2</sup> Cf. Gen. 17, 12.      <sup>3</sup> Cf. infra, Dist. 4, c. 4, nn. 12-13.      <sup>4</sup> *In Evang.*, I, hom. 10 (PL 94, 54 C) seu hom. 11 (CCL 122, 74).      <sup>5</sup> Ioan. 3, 5.      <sup>6</sup> Gen. 17, 14.

Cap. 10. Quaestio ponitur in *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1148 B; 176, 119 C-D), ubi etiam auctoritas Bedae, sine titulo operis.

Dist. II, c. 1, n. 1. Quoad historiam huius septenarii, cf. B. Geyer, *Die Siebenzahl der*



remedium contra peccatum praebent et gratiam adiutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut coniugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut eucharistia et ordo.

2. **Quare mox post casum non fuerunt instituta** \*. Si vero quaeritur quare non fuerint haec sacramenta instituta mox post hominis lapsum 5 cum in his sit iustitia et salus, dicimus non ante adventum Christi, qui gratiam attulit<sup>1</sup>, gratiae sacramenta fuisse danda, quae ex ipsius morte et passione virtutem sortita sunt. Christus autem venire noluit antequam homo de lege naturali et scripta convinceretur quod neutra iuvare posset.

3. **Quod sacramentum coniugii fuit ante peccatum** \*. Fuit tamen coniugium ante peccatum institutum, non utique propter remedium, sed ad 10 sacramentum et ad officium. Post peccatum vero fuit in remedium contra carnalis concupiscentiae corruptelam. De quo suo loco tractabimus<sup>2</sup>.

Cap. 2 (12).

1. **De baptismo**. Nunc vero de baptismi sacramento videamus, quod 15 inter novae gratiae sacramenta primum est.

2. **De baptismo Ioannis** \*. Baptismum Christi Ioannes suo baptismo praenuntiavit. Qui primus baptizasse legitur<sup>3</sup>, sed in aqua, non in Spiritu, sicut ipse ait<sup>4</sup>: *Ego baptizo vos in aqua in poenitentiam*. Sola enim corpora abluebat, a peccatis vero non mundabat. 20

1 remedium] remedia NR. || peccatum] peccata CNV. 4 post] hominis add. BCX. || casum] hominis add. NV. || fuerunt] sint BCX. 10-11 coniugium] et add. WX, etiam add. BLRT. 13 suo loco trp. BCMR. 17 Rubrica. om. RTVW.

1 Ioan. 1, 17: *Gratia et veritas per Iesum Christum facta est*.

2 Infra scil., in Dist. 26.

3 \* In Matheo \* (rubrica in quibusdam codd.) 3, 5-11; cf. etiam Marc. 1, 4-8; Luc. 3, 3-16; Ioan. 1, 25. 4 Matth. 3, 11; *Glossa interl.* in h.l.: *in aqua: « tantum, non Spiritu »; et *Glossa ordin.*: « Tantum corpora lavo, qui peccata solvere nequeo » (apud Lyran. V, 14v et 14a); cf. etiam *Glossa ordin.* in Luc. 3, 16: « aqua non Spiritu baptizat » (f. 134c).*

*Sakramente in ihrer historischen Entwicklung*, in *Theologie und Glaube* 10 (1918) 325-348; E. Dhanis, *Quelques anciennes formules septénaires des sacrements*, in *Rev. Hist. Eccl.* 26 (1930) 574-608, 916-950; 27 (1931) 5-26; H. Weisweiler, *Maître Simon et son groupe « De sacramentis »* (Spicil. sacrum Lovan. 17), LXXV-LXXX; D. Van den Eynde, *Les définitions*, 44s; J. de Ghellinck, *Le mouvement théol.*, 537-47; A. Michel, *Sacrements*, in *DThC XIV-1*, 545-51. — Num. 2. Eadem quaestio in *Summa sent.*, IV, 1 (PL 171, 1147 B; 176, 118 C). — Num. 3: *Textitur ex verbis Hugonis, De sacram.*, I, 8, 12-13 (PL 176, 314 A-C). — Cap. 2 fundatur usque ad verba in *Summam sent.*, V, 1 (PL 176, 127 A; iam desinit textus in PL 171).

Cap. 3 (13).

**De differentia baptismi Christi et Ioannis** \*. Baptismus Ioannis erat in poenitentiam, non in remissionem; baptismus vero Christi in remissionem<sup>1</sup>. Quia Ioannes baptizans, homines ad poenitentiam vocabat; et 5 quos baptizabat, poenitere docebat<sup>2</sup>, secundum illud<sup>3</sup>: *Veniebant ad Ioannem in Iordanem, confitentes peccata sua*. Sed in baptismo Ioannis non dabatur peccatorum remissio; quae data est in Christi baptismo.

Cap. 4 (14).

1. **Quid utilitatis habuit baptismus Ioannis**. Ad quid ergo utilis erat 10 baptismus Ioannis? Quia homines usu baptizandi praeeparabat ad baptismum Christi.

2. **Quare dictus baptismus Ioannis** \*. Sed quaeritur quare dictus est Ioannis baptismus, sicut Veritas dicit<sup>4</sup>: *Baptismus Ioannis unde est?* Quia ibi Ioannis operatio visibilis tantum erat exterius lavantis, non in- 15 visibilis gratia Dei interius operantis. Sed tamen et illa Ioannis operatio a Deo erat et baptismus ille a Deo erat, non ab homine; sed hominis dictus est, quia nihil ibi gerebatur, quod non ageret homo.

Cap. 5 (15).

**Si vere fuit sacramentum baptismus ille** \*. Si vero quaeritur an sacra- 20 mentum fuerit, satis potest concedi, ex eo sensu quo legalia signa dicun-

2 Rubrica om. TVW. 6 baptismo Ioannis trp. BCLRTX. 9 habuit] habet OT, haberet R. 12 Rubrica om. AVW. || dictus] est add. BCLR. || quaeritur om. BCLRTV, add. marg. W. 13 Ioannis baptismus trp. BCO. 20 satis potest trp. BCRTX.

1 *Glossa ordin.* in Matth. 3, 11: *Fortior me est: « Quia ego baptizo in poenitentiam, ille in remissionem »* (apud Lyran. V, 14c). 2 *Glossa interl.* in Matth. 3, 11: *in poenitentiam: « docendo poenitere »* (apud Lyran. V, 14v). 3 Mixtim ex Ioan. 3, 23: *Et veniebant et baptizabantur*, et Matth. 3, 6: *Et baptizabantur ab eo in Iordane, confitentes peccata sua*.

4 Matth. 21, 25.

Cap. 3-4: Cf. *Summa sent.*, ibid. (unde quaedam verba) et Hugo, *De sacram.*, II, 6, 6 (PL 176, 451 C-D); plura apud J. Kürzinger, *Zur Deutung der Johannestaufe in der mittelalt. Theologie*, in *Aus der Geisteswelt des Mittelalters* (BGPTMA, Supplbd III-2, 954-73). — Cap. 5: Negat Magister Simon, *Tract. de sacram.*, et auctor *Tract. de septem sacram. Ec-*



tur sacramenta<sup>1</sup>. Signabat enim baptismus Ioannis rem sacram, scilicet baptismum Christi, qui non tantum est poenitentiae, sed et remissionis peccatorum.

Cap. 6 (16).

1. De forma baptismi Ioannis et de baptizatis ab eo. Hic considerandum est si baptizati a Ioanne iterum baptizati sint baptismo Christi, et qua forma verborum usus sit Ioannes.

2. Illi qui baptizati sunt a Ioanne nescientes Spiritum Sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi<sup>2</sup>. — Baptismus autem Ioannis in nomine Venturi tradebatur<sup>3</sup>. 10 — Hieronymus\*. Unde Hieronymus, *Super Ioel* 4: « Qui dicit se in Christum credere, et non credit in Spiritum Sanctum, nondum habet claros oculos. Unde baptizati a Ioanne in nomine Venturi, id est Domini Iesu, quia dixerunt<sup>5</sup>: *Sed neque si Spiritus Sanctus est audivimus*, iterum baptizantur, immo verum baptisma accipiunt ». 15

3. Illi vero qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, et Patrem et Filium et Spiritum Sanctum credebant, non post baptizati fuerunt; sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum Sanctum receperunt. Alii vero, qui non ita credebant, baptizati sunt baptismo Christi, ut praedictum est. — Hieronymus in *Epistola de unius uxoris viro*\*. Unde Hieronymus<sup>6</sup>: « Qui Spiritum Sanctum nesciebant 20

2 et] etiam BCRX. 15 baptizantur] baptizabantur V, corr. in baptizabantur MT.  
|| accipiunt] accipiebant W, acceperunt V. 17 post] postea A, om. O, add. interl. N,  
add. mg. R.

<sup>1</sup> Cf. supra, Dist. 1, c. 4, nn. 1 et 3. <sup>2</sup> Resp. Act. 19, 2-6. <sup>3</sup> Act. 19, 4: *Ioannes baptizavit baptismum poenitentiae populum, dicens: In eum qui venturus esset post ipsum, ut crederent, hoc est, in Iesum.* <sup>4</sup> Glossa ordin. in Ioel 2, 28: *Effundam spiritum meum* (apud Lyran. IV, 335c), ex Hieron. in h.l. (PL 25 [1845], 976 A-B). <sup>5</sup> Act. 19, 2. <sup>6</sup> *Epist. 69 (ad Oceanum)*, n. 6 (PL 22 [1859], 660; CSEL 54, 691).

*clesiae* (ed. H. Weisweiler, in *Magister Simon...*, 15, et 83); asserit Hugo, *De sacram.*, II, 6, 6: « Sacramentum ergo utrobique quantum ad formam exteriorem idem fuit » (PL 176, 451 D).

Cap. 6, nn. 1-2, et in prima parte n. 3, dependet de *Summa sent.*, V, 1 (PL 176, 127 B - 128 A, unde auctoritas Hieron. in num. 3). Sententia Magistri proposita ad initium n. 3 falsae innititur interpretationi Act. Ap. 8, 16-17: *Nondum enim in quemquam illorum venerat [Spiritus sanctus], sed baptizati tantum erant in nomine Iesu. Tunc imponebant manus super illos, et accipiebant Spiritum sanctum.* Unde « hic Magister non tenetur » (cod. W, 223c). — Verba Ambrosii ex originali, ut videtur (cf. etiam tom. I, 576, 21-31).

cum baptismum a Ioanne acceperunt, iterum baptizati sunt, ne quis ex Iudaeis vel Gentibus putaret aquam sine Spiritu Sancto ad salutem posse sufficere ». — In libro *De Spiritu Sancto*\*. De hoc etiam Ambrosius<sup>1</sup>: « Quidam negaverunt se scire Spiritum Sanctum, cum baptizatos se dicerent Ioannis baptismo<sup>2</sup>, qui in advenientis Iesu, non in suo baptizavit nomine. Isti ergo, quia nec in Christi nomine, nec cum fide Spiritus Sancti baptizati fuerant, non potuerunt accipere baptismi sacramentum. Baptizati sunt igitur in nomine Christi. Nec iteratum est in his baptisma, sed novatum ». 5

DISTINCTIO III

Cap. 1 (17).

1. Quid sit baptisma. Post haec videndum est quid sit baptismus, et quae sit forma, et quando institutus, et causa institutionis.

2. Baptismus dicitur tinctio, id est ablutio corporis exterior, facta 15 sub forma verborum praescripta. Si enim fiat ablutio sine verbo, non est ibi sacramentum; sed accedente verbo ad elementum, fit sacramentum: non utique ipsum elementum fit sacramentum, sed ablutio facta in elemento. — *Super Ioannem*\*. Unde Augustinus<sup>3</sup>: « Verbo baptisma consecratur. Detrahe verbum, et quid est aqua nisi aqua? Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum. Unde est haec tanta virtus aquae, 20 ut corpus tangat et cor abluat, nisi faciente verbo? Non quia dicitur, sed quia creditur. Nam et in ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud est virtus manens ». — In duobus ergo consistit sacramentum baptismi, sci-

5 in<sup>1</sup> om. ANTWX, add. interl. LO. 9 novatum] innovatum MVX. 12 baptisma] baptismus BCRV. 14 tinctio] unctio ANR. 23 manens] immanens ALTW.

<sup>1</sup> Lib. I, c. 3, nn. 41-42 (PL 16 [1845], 713 A-B; CSEL 79, 31s). <sup>2</sup> Act. 19, 2. <sup>3</sup> Tract. 80, n. 3 (PL 35, 1840; CCL 36, 529).

Dist. III. Cf. J. Bellamy, *Baptême dans l'Église latine depuis le VIII<sup>e</sup> siècle*, in DThC II (Paris 1910), 83-88. — Cap. 1, n. 1: Quasi eadem quaestiones (ordine quidem diverso) in *Summa sent.*, V, 2 (PL 176, 128 A). — Num. 2: Hac definitione (quae iam *Summae sent.* erat, V, 4, 129 C-D) Magister quodammodo sese opponit Hugoni de S. Victore, qui sacramentum in aqua posuerat sanctificata per Verbum Dei, non in actione abluionis (*De sacram.* II, 6, 2; PL 176, 443 A-C). Cf. N. M. Häring, *Signum und Signaculum...*, in *Schol.* 31 (1956) 188. Auctoritas Augustini ex *Glossa Lombardi* in Rom. 10, 8 (PL 191, 1475 C), ex Floro in h.l. (199).



licet verbo et elemento. Ergo, etsi alia desint, quae ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum sacramentum et sanctum, si verbum sit ibi et elementum.

3. **Quod in hoc et in aliis sacramentis quaedam fiunt ad decorem, quaedam ad necessitatem** \*. Nam et in hoc sacramento et in aliis quaedam solent fieri ad decorem et honestatem sacramenti, quaedam ad substantiam et causam sacramenti pertinentia. De substantia huius sacramenti sunt verbum et elementum; cetera ad solemnitatem eius pertinent.

Cap. 2 (18).

**De forma baptismi.** Sed quod est illud verbum, quo accedente ad elementum, fit sacramentum? — Veritas te docet, quae huius sacramenti formam tradens ait discipulis 1: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.* Invocatio ergo Trinitatis verbum dicitur quo baptisma consecratur; et haec est forma verborum sub qua traditur baptismus. — **Zacharias** \*. Unde Bonifacio episcopo **Zacharias** Papa 2: « Firmissime praeceptum est in synodo Anglorum, ut quicumque sine invocatione Trinitatis mersus fuisset, quod sacramentum regenerationis non haberet. Quod omnino verum est, quod si mersus in baptismi fonte quis fuerit sine invocatione Trinitatis, perfectus christianus non est, nisi in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti fuerit baptizatus ».

1 desint] desunt ABCMOX. 4 Rubrica om. VW. || hoc] sacramento add. BCX.  
5 quaedam ad necessitatem om. MT. || necessitatem] quaedam ad substantiam et causam pertinentia sacramenti add. BCX. || et<sup>1</sup> om. [post Nam] ANOV. 15 Unde] et add. CLOR. || Bonifacio episcopo trp. post Papa V, om. LRTW, rubrica marg. tantum BCX. 16 ut om. BCLTW, interl. R.

1 Matth. 28, 29. 2 Epist. 11, ad Bonifacium Moguntinum archiep. (PL 89, 943 D).

Num. 3 dependet a *Summa sent.*, V, 4 (129 D).

Cap. 2. De quaestione utrum *Baptizo te* pertineat ad formam baptismi, cf. A. Landgraf, *Die Ansicht der Frühscholastik von der Zugehörigkeit des Baptizo te zur Taufform*, in *Schol.* 17 (1942) 412-427, 531-555; vel sub titulo *Die Frage der Zugehörigkeit des Baptizo te zur Form der Taufe*, in *Dogmengeschichte* III-2, 47-86, praesertim 47-56. — Cf. Hugo, *De sacram.*, II, 6, 2 (PL 176, 443 B, 445 D); necnon et *Summa sent.*, V, 3 (PL 176, 129 A-C). Verba Zachariae, ex *Decreto Gratiani*, de consecr. d. 4, c. 83 (1389).

Cap. 3 (19).

**Quod Apostoli in nomine Christi baptizaverunt** \*. Legitur tamen in Actibus Apostolorum 1 Apostolos baptizasse in nomine Christi. Sed in hoc nomine, ut exponit **Ambrosius** 2, tota Trinitas intelligitur: « Intelligitur enim, cum Christum dicis, et Pater a quo unctus est, et ipse qui unctus est, et Spiritus Sanctus per quem unctus est ». — **Nicolaus** \*. Unde **Nicolaus** Papa ad consulta Bulgarorum 3: « A quodam Iudaeo multos baptizatos asseritis, et quid inde agendum sit consulitis. Hi profecto, si in nomine sanctae Trinitatis, vel in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizentur, baptizati sunt. Unum enim idemque est, ut sanctus exponit **Ambrosius** ».

Cap. 4 (20).

1. **Si in nomine Patris tantum vel Spiritus possit tradi baptismus.** Hic quaeritur an baptismus esset verus, si diceretur in nomine Patris tantum vel Spiritus Sancti, ut cum dicitur in nomine Christi. — **Ambrosius** videtur dicere quod, si fide mysterium Trinitatis teneatur, et una persona tantum nominetur, plenum esse sacramentum; et e converso, si tres nominentur, et non recte de aliquo illorum sentiatur, vacuum fieri mysterium. (**Ambrosius in I libro De Spiritu Sancto** \*.) Ait enim

2 Rubrica om. RVW. || in<sup>1</sup> interl. L, om. MT. || nomine Christi trp. ABC elenchus capp. 7 ad consulta Bulg. om. LTW, in rubrica mg. tantum BC, add. interl. R<sup>2</sup>. 11 exponit Ambrosius trp. BMN. 13 Spiritus] sancti add. BCLNRVW elench. capp. 19 Rubrica om. RVW. || primo (1) om. ANX.

1 Cf. Act. 8, 12: *In nomine Iesu Christi baptizabantur*; 19, 5: *Baptizati sunt in nomine Domini Iesu*. Cf. etiam 2, 38: *Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Iesu Christi*. 2 *De Spiritu Sancto*, I, c. 3, n. 44 (PL 16 [1845], 715 A; CSEL 79, 33). 3 *Nicolaus I, Epist. et decreta*, c. 104 (PL 119, 1014 D; ex I. Mansi 15, 432 C-D; cf. DS 646).

Cap. 3. Prima pars, cum auctoritate Ambrosii, sumitur quasi ad litteram de *Summa sent.*, V, 3 (PL 176, 129 A-B). Altera, ex *Decreto Gratiani*, de consecr. d. 4, c. 24 (1368); cf. DS, n. 646. — Cap. 4. Quaestio suscitatur tam a Hugone, *De sacram.*, II, 6, 2 (PL 176, 446 A) quam ab auctore *Summae sent.*, V, 3 (129 B). Responsio seu verba Ambrosii (in nn. 1-2), ex eodem capitulo Hugonis sumuntur (446 B et D, 447 A-B); strictura vero (in n. 3) fundatur in verba eiusdem (447 C); ita etiam determinatio Magistri in num. 4. Conclusio (n. 5) propria Magistri est.



sic<sup>1</sup>: « Ubi non est plenum baptismi sacramentum, nec principium, nec species aliqua baptismi aestimatur. Plenum autem est, si Patrem et Filium et Spiritum Sanctum fatearis. Si unum neques, totum subrues. Et sicut si unum in sermone comprehendas, vel Patrem, vel Filium, vel Spiritum Sanctum, fide autem nec Patrem, nec Filium, nec Spiritum Sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum; (Nota!) ita etiam licet Patrem et Filium et Spiritum Sanctum dicas, et Patris vel Filii vel Spiritus Sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Cum dicitur *in nomine Christi*, per unitatem nominis impletum est mysterium; nec a Christi baptisate Spiritus separatur, quia Christus baptizavit *in Spiritu* »<sup>2</sup>.

2. **Quaestio Ambrosii** \*. « Nunc<sup>3</sup> consideremus utrum sicut in Christi nomine legimus baptismi plenum esse sacramentum, ita etiam Spiritu Sancto tantum nuncupato, nihil desit ad mysterii plenitudinem ». — **Solvit** \*. « Rationem sequamur. Qui unum dixerit, Trinitatem signavit. Si Christum dicas, et Patrem a quo unctus est Filius, et ipsum qui unctus est Filium, et Spiritum quo unctus est designasti. Scriptum est enim<sup>4</sup>: *Hunc Iesum a Nazareth, quem unxit Deus Spiritu Sancto*. Et si Patrem dicas, Filium eius et Spiritum oris eius pariter indicas; si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum dicas, Deum Patrem a quo procedit, et Filium cuius est spiritus nuncupasti. Unde, ut rationi copuletur auctoritas, Dominus dicit<sup>5</sup>: *Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto*; ex quo indicat nos recte posse baptizari in Spiritu Sancto ».

3. **Perstringitur praemissorum intelligentia cum determinatione cuiusdam dicti** \*. Ex his aperte intellexisti in nomine Christi verum baptismum tradi. Ubi nihilominus insinuari videtur verum baptismum dari posse in nomine Patris tantum vel Spiritus Sancti, si tamen ille qui baptizat fidem Trinitatis teneat: quae Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Si autem aliquis perverse credens, et errorem inducere intendens, unum de tribus tantum nuncupet, non implevit mysterium.

4. **Ecce quid oportet determinari** \*. Quod vero ait, 'nominatis tribus vacuum esse mysterium, si baptizans minuat potestatem Patris vel Filii

<sup>7</sup> Nota om. ABCRWX. sanctum add. BTX Ambr. 31 vel] et BCO.

<sup>14</sup> Solvit] solutio BCX, om. RVW. <sup>16</sup> Spiritum] 23-24 Rubrica om. VW. || cuiusdam dicti om. MOT.

<sup>1</sup> Cap. 3, nn. 42-43 (PL 16 [1845], 713 B - 714 B; CSEL 79, 32). <sup>2</sup> Cf. Ioan. 1, 33: *Super quem videris Spiritum...*, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto; Marc. 1, 8: *Ille vero baptizabit vos Spiritu Sancto*; Act. 1, 5: *Vos autem baptizabimini Spiritu Sancto*. <sup>3</sup> Ambrosius, ibid., nn. 44-45 (PL 16, 714 B - 715 A; CSEL 79, 32s), ubi et solutio sequens. <sup>4</sup> Act. 10, 38. <sup>5</sup> Act. 1, 5.

vel Spiritus Sancti', id est male sentiat de potentia alicuius horum, non credens unam potentiam trium, intelligendum est hoc super eum qui non intendit nec credit baptizare: qui non tantum caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet.

5. **Quid est 'in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti'** \*. Qui ergo baptizat in nomine Christi, baptizat in nomine Trinitatis, quando ibi intelligitur. Tutius est tamen tres personas ibi nominare, ut dicatur: *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. — **Ambrosius in libro I De Spiritu Sancto** \*<sup>1</sup>: « Non in nominibus, sed *in nomine* », id est in invocatione vel in confessione Patris et Filii et Spiritus Sancti. Invocatur enim ibi Trinitas ut invisibiliter ibi operetur per se, sicut extra visibiliter per ministrum. Si autem dicatur *in nominibus*, non est ibi sacramentum, quia non servatur forma.

Cap. 5 (21).

1. **De institutione baptismi**. De institutione baptismi, quando coeperit, variae sunt aestimationes. — Alii dicunt baptismum tunc institutum, cum Nicodemo Christus ait<sup>2</sup>: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*. — Alii dicunt institutionem baptismi factam cum Apostolis dixit<sup>3</sup>: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti*. Sed hoc dixit eis post resurrectionem, praeciens eis de vocatione gentium; quos ante passionem binos et binos miserat ad praedicandum in Iudaea et ad baptizandum, dicens<sup>4</sup>: *In viam gentium ne abieritis*. Iam ergo institutus erat baptismus, quia baptizabant simul et praedicabant.

<sup>5</sup> Rubrica om. RVW (in codd. ponitur ad lin. 10). <sup>6</sup> quando] que RX, corr. in que W. <sup>8-9</sup> Ambrosius... Sancto] Aug. (Ambr. N) in libro de trin. BCNX, om. RVW. <sup>11</sup> ministrum] ministerium BCV, misterium AM. <sup>12</sup> forma] baptismi add. ABC, add. interl. V2, add. mg. W2. <sup>15</sup> baptismi] tunc institutum cum nicodemo ait: nisi quis renatus fuerit ex aqua et spiritu sancto add. MOT. <sup>16</sup> aestimationes] institutiones MO. || institutum] esse add. ANV. <sup>16-18</sup> tunc... Sancto mg. O2. <sup>17</sup> Nic. Christus trp. LRX. || Christus] dominus NO2 (mg.) V. <sup>18</sup> Sancto om. BC, etc. add. ANVW.

<sup>1</sup> Cap. 13, n. 132 (PL 16 [1845], 735 C; CSEL 79, 72); cf. etiam supra, Lib. I, d. 2, c. 5, n. 2 (I, 67, 16-17). <sup>2</sup> Ioan. 3, 5; ita Augustinus infra, d. 4, c. 4, n. 9. <sup>3</sup> Matth. 28, 19. <sup>4</sup> Matth. 10, 5; cf. etiam Marc. 6, 7; Luc. 9, 1-2. Hisc locis mandantur ad praedicandum et sanandum, non autem, ut dicit Magister, ad baptizandum; cf. tamen Ioan. 3, 22; et 4, 2.

Cap. 5, n. 1 fundatur in verba Hugonis, *De sacram.*, II, 6, 4 (PL 176, 449 C).



## 2. De forma in qua baptizaverunt Apostoli ante Christi passionem.

Si vero quaeritur in qua forma tunc baptizaverint, sane dici potest: in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma in qua baptizaverunt postea gentes: quae ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum. Non ergo tunc illam formam Christus prius tradidit, cum ad evangeli-  
zandum gentibus misit<sup>1</sup>; sed quam ante tradiderat mittens in Iudaeam<sup>2</sup>, post iteravit cum ad gentes misit.

3. Commodius ergo dicitur institutio facta quando Christus a Ioanne baptizatus est in Iordane<sup>3</sup>: quod dispensavit (Ambrosius:<sup>4</sup> \*) non quia mundari voluerit, cum sine peccato fuerit; sed quia contactu mundae carnis suae vim regenerativam contulit aquis, ut qui postea immergeretur, invocato nomine Trinitatis, a peccatis purgaretur. Tunc igitur institutus est baptismus Christi in quo Trinitas, cuius mysterium ibi innouit<sup>5</sup>, interius hominem baptizat.

## Cap. 6 (22).

15

Quare in aqua tantum fiat. Celebratur autem hoc sacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, ut Christus ait<sup>6</sup>: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua etc.* — Ambrosius, *Super Epistolam ad Romanos* \* 7: « Ideo uni-

<sup>2</sup> baptizaverint] baptizaverunt ALMRVW, corr. ex baptizaverunt TX. <sup>3</sup> baptiz. postea trp. LTX. || gentes trp. post qua BCLX. <sup>12</sup> igitur] invocato nomine trinitatis add. LNV, add. mg. W. <sup>17</sup> in<sup>2</sup>] aliquo add. MV. || alio] aliquo NO, aliquo add. A.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 28, 19, scil. post resurrectionem. <sup>2</sup> Ioan. 3, 22. Tum hic cum ad finem n. 1 Magister de suo hanc interpretationem inducere videtur. <sup>3</sup> Resp. Matth. 3, 16; Marc. 1, 9; Luc. 3, 21. <sup>4</sup> In Luc., II, n. 83 (PL 15 [1845], 1583 A; CSEL 32-III, 87; CCL 14, 67); sed revera potius sub forma *Glossae ordin.* in Luc. 3, 21: « Baptizatur Dominus, non mundari indigens, sed tactu mundae carnis suae aquas mundans, ut vim abluendi habeant. Et ideo qui ad lavacrum Christi venerit... vim regenerativae sanctificationis aquae concipit » (apud Lyranum, V, 135a); ex Beda in h.l. (PL 92, 358 B; CCL 120, 83). <sup>5</sup> Cf. *Glossa ordin.* in Marc. 1, 10: « Mysterium Trinitatis in baptismo demonstratur: Filius baptizatur, Spiritus est in columba, Pater in voce sonat » (apud Lyranum, V, 91a); ex Beda in h.l. (PL 92, 138 B; CCL 120, 442). <sup>6</sup> Ioan. 3, 5. <sup>7</sup> Ambrosiaster, in Rom. 6, 4: « Nam ideo per aquam celebratur, ut sicut aqua sordes corporis abluat, ita et nos per baptismum ab omni peccato spiritualiter purgatos nos et innovatos credamus » (PL 17 [1845], 100 C; CSEL 81-I, 192s).

Num. 3 concinnatur ex verbis Hugonis, *De sacram.*, II, 6, 4 (449 D), *Summae sent.*, V, 1 (127 C), et *Glossae ordin.* (uti supra). — Totum cap. 6 depromitur ex *Summa sent.*, V, 10 (PL 176, 136 A-B).

formiter id fieri in aqua praecipitur, ut intelligatur quod sicut aqua sordes corporis ac vestes abluat, ita baptismus maculas animae sordesque vitiorum emundando abstergit ». — Augustinus \* 1: Vel ideo, « ut nullum inopia excusaret: quod posset fieri si in vino et oleo fieret; et ut communis materia baptizandi inveniretur apud omnes ». Quod aqua signavit, quae de latere Christi manavit<sup>2</sup>; sicut sanguis alterius sacramenti signum fuit. Non igitur in alio liquore potest consecrari baptismus, nisi in aqua.

## Cap. 7 (23).

1. De immersione, quoties fieri debeat. De immersione vero, si quaeritur quomodo fieri debeat praecise, respondemus: vel semel, vel tertio, pro vario more Ecclesiae. — Leandro episcopo Gregorius \*. Unde Gregorius<sup>3</sup>: « De trina immersione baptismi, nil verius responderi potest quam quod ipsi sensistis; quia in una fide nihil officit Ecclesiae sanctae consuetudo diversa. Quia enim in tribus subsistentiis una substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo vel ter vel semel mergere: quia et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Nos vero, qui tertio mergimus, etiam triduae sepulturae sacramentum signamus ». — Secundum hoc licet non modo ter, sed etiam semel tantum mergere.

2. Ibi tamen dumtaxat semel mergere licet, ubi consuetudo Ecclesiae talis existit. Si quis vero id facere incipiat ubi consuetudo talis non est, vel semel tantum mergendum esse asserat, reprehensibilem se constituit. — Haymo, *super Epistolam ad Romanos* \*. Unde Haymo<sup>4</sup>: « In suo sensu abundabat Cyprianus cum semel mergebat in baptismo

<sup>4</sup> et] vel BCLX, in add. C. <sup>5</sup> signavit] significavit BC. <sup>10</sup> quomodo] quotiens X, corr. in quotiens W. <sup>11</sup> Leandro ep. Greg. trp. Greg. Leandro ep. ABCX. <sup>16</sup> et] om. LMNORV. <sup>24</sup> mergebat in baptismo trp. BCL.

<sup>1</sup> Non invenitur apud Augustinum. <sup>2</sup> Ioan. 19, 34. <sup>3</sup> *Registrum epist.*, I, epist. 43 (41), ad Leandrum episcopum (PL 77, 497 C - 498 A; MGH, Epist., I, 56). <sup>4</sup> Haymo Altiss., *In Rom.* 14, 5: *Unusquisque in suo sensu abundet* (PL 117, 488 A). De sententia Cypriani, v. August., *Epist. 93 (ad Vincentium)*, c. 10, nn. 38-40 (PL 33, 340; CSEL 34-II, 482ss).

Cap. 7. Tres auctoritates (in nn. 1-3), diverso tamen ordine, leguntur in *Summa sent.*, V, 4 (PL 176, V, 4 (PL 176, 129 D - 130 B)). Illi Gregorii (in n. 1) quaedam adiungit Magister ex versione Gratiani in *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 80 (1388). In illa Augustino attributa (etiam in *Decreto*, c. 79), loco vos... promissistis legit Magister nos... promissimus.



parvulos: qui quod intelligebat, studiose implebat, bonis operibus abundando, licet in hoc nescius delinqueret. Sed quia bonis operibus abundabat, postea correctus a Deo, abundavit altiori sensu, ter illos mergendo». — Ecce habes quia deliquit qui semel mersit; sed hoc ideo, quia aliter se habebat illius Ecclesiae consuetudo, vel quia unam tantum faciendam 5 mersionem asserebat.

3. **Augustinus, in homilia quadam** \*. De trina mersione Augustinus<sup>1</sup> ait: «Postquam nos credere promisimus, tertio capita nostra in sacro fonte dimersimus. Qui ordo baptismi duplici mysterii significatione celebratur. Recte enim tertio mersi estis, qui accepistis baptismum in 10 nomine Trinitatis; recte tertio mersi, qui accepistis baptismum in nomine Christi, qui die tertia resurrexit a mortuis. Illa enim tertio repetita dimersio typum dominicae exprimit sepulturae».

4. Constat ergo baptizandos tertio debere immergi; et tamen, si semel tantum immergantur, verum baptismum accipiunt. Et qui semel immergit 15 tantum, non peccat, nisi consuetudo Ecclesiae obsistat, vel hoc modo tantum debere fieri asserat.

Cap. 8 (24).

**Quando circumcisio amisit vim suam.** Solet quaeri si circumcisio amisit statum ab institutione baptismi. — Ad quod dicimus in Christi 20 morte terminata legalia omnia. Ex tunc igitur circumcisio perdidit vim suam, ita quod postea non profecit, potius obfuit observatoribus suis<sup>2</sup>. Sed usque ad oblationem verae hostiae, potuit prodesse. Si enim ante passionem legalia finem habuissent, non ea imminente vetus pascha cum discipulis manducasset<sup>3</sup>.

4 deliquit] delinquit OVR, quod corr. O. 9 dimersimus] mersimus C, demersimus LNW, corr. in demersimus R. 11 mersi] estis add. MN, add. interl. V2. 16 consuetudo Eccl. trp. BCLMRTX. 17 debere fieri trp. ALMRX. 22 profecit] profecerit MOR, sed add. BCLRVW.

<sup>1</sup> Sermo de mysterio baptismatis (inter opp. August., PL 40, 1211; item inter opp. Maximi Taurin., PL 57, 778 A); verius Mediolani confectus saec. VI medio (Clavis, n. 222; PLS II, 1370). <sup>2</sup> Cf. Gal. 5, 2: Ecce ego Paulus dico vobis: quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. <sup>3</sup> Cf. Matth. 26, 17ss; Marc. 14, 12ss; Luc. 22, 7ss.; Ioan. 13, 1ss.

Cap. 8. Quaestio ponitur eisdem quasi verbis ut in Summa sent., V, 2 (PL 176, 128 C). Solutio autem Magistri est; partim invenitur in Glossa sua in Galat. 5, 2 (PL 192, 153 C). Cf. L. Ott, Untersuch. zur theol. Brieflit., 502s, 505.

Cap. 9 (25).

1. **De causa institutionis.** Causa vero institutionis baptismi est innovatio mentis, ut homo qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam baptismi renovetur<sup>1</sup>; quod fit depositione vitiorum et collatione virtutum. 5 Sic enim fit quisque novus homo, cum abolitis peccatis ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit foeditatem; appositio virtutum affert decorem<sup>2</sup>. Et haec est res huius sacramenti, scilicet interior munditia<sup>3</sup>.

2. **An baptismus aperuerit caelum, quod non aperuit circumcisio.** Si quaeritur utrum baptismus aperuerit caelum, quod non aperuit circumcisio, 10 dicimus quia nec baptismus nec circumcisio aditum regni nobis aperuit, sed hostia Salvatoris<sup>4</sup>; quae si tempore circumcisionis oblata fuisset, illius temporis homines in regnum intrassent. Res ergo huius sacramenti iustificatio est<sup>5</sup>.

DISTINCTIO IV

Cap. 1 (26).

15 1. **Quod alii suscipiunt sacramentum et rem, alii sacramentum et non rem, alii rem et non sacramentum.** Hic dicendum est aliquos suscipere sacramentum et rem, aliquos sacramentum et non rem, alios rem et non sacramentum.

20 2. **De errore quorundam** \*. Sacramentum et rem simul suscipiunt omnes parvuli, qui in baptismo ab originali mundantur peccato. Quamvis

4 renovetur] renovaretur BCX. 8 aperuerit] aperuit BCRX. 11 Salvatoris] salutaris BC, salvationis X. 18 rem] sacramenti add. BCLX.

<sup>1</sup> Cf. Rom. 6, 2-11; Eph. 4, 22-24; Col. 3, 9-10. <sup>2</sup> Cf. Magistri Glossa in Ps. 103, 2: Confessionem et decorem induisti: «Prius est in ea confessio peccatorum, per quam foeditatem deponit; deinde decor virtutum» (PL 191, 927 C); ex August. in h.l., sermo 1, n. 6 (PL 37, 1340; CCL 40, 1478). <sup>3</sup> De qua fusius infra, d. 4, c. 7. <sup>4</sup> Cf. supra, Lib. III, d. 18, c. 5 (pp. 116-118). <sup>5</sup> Vide infra, d. 4, c. 7.

Cap. 9. Suggestur quaestio in Summa sent. (128 B); solvitur autem, ut videtur, auxilio Glossae in Rom. 6, 5 (PL 191, 1403).

Dist. IV, c. 1, n. 1 sumitur ex Summa sent., V, 5 (PL 176, 130 B). De qua cf. D. Van den Eynde, William of St. Thierry and the Author of the Summa Sententiarum, in Franc. Studies 10 (1950) 241-52. — Num. 2 iterum dependet ad initium et ad finem ab eodem cap. Summae



quidam diffiteantur illis qui perituri sunt parvulis in baptismo dimitti peccata, innitentes illi verbo Augustini<sup>1</sup>: « Sacramenta in solis electis efficiunt quod figurant »; non intelligentes illud ita esse accipiendum: quia cum in aliis efficiant remissionem, non eis hoc faciunt ad salutem, sed solis electis. — Augustinus in Enchiridion\*. Nam quod omnibus parvulis in baptismo remittatur peccatum, evidenter Augustinus<sup>2</sup> dicit: « A parvulo, inquit, recens nato usque ad decrepitum senem, sicut nullus prohibetur a baptismo, ita nullus est qui non peccato moriatur; sed parvuli tantum originali, maiores vero etiam omnibus quae male vivendo addiderunt ad illud », nisi vitae enormitas impediatur. — Adulti quoque qui cum fide baptizantur, sacramentum et rem suscipiunt.

Cap. 2 (27).

1. De ficte accedentibus\*. Qui vero sine fide accedunt vel ficte, sacramentum, non rem suscipiunt. — Hieronymus, super Ezechielem\*. Unde Hieronymus<sup>3</sup>: « Sunt lavacra gentilium, haereticorum, sed non lavant in salutem. In Ecclesia etiam, qui non plena fide baptismum accipiunt, non Spiritum, sed aquam accipiunt ».

2. Augustinus, in Psalmum LXXVII\*. Augustinus<sup>4</sup> etiam ait: « Iudaeis omnibus communia erant sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quae est virtus sacramentorum. Ita et nunc baptismus communis est omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id

<sup>4</sup> eis hoc trp. BCLR. <sup>7</sup> recens] recenter RVW, mg. B, corr. in recenter LO (?).

<sup>1</sup> Non obstante rubrica marginali: In libro de baptismo, sententia non est Augustini; cf. tamen De bapt. contra Donatistas, V, cc. 27-28, nn. 38-39 (PL 43, 195ss; CSEL 51, 293-297) et notas infra positas. <sup>2</sup> Cap. 43 (PL 40, 253; CCL 46, 73). <sup>3</sup> In Ezech., 16, 4 (PL 25 [1845], 127 B-C; CCL 75, 163s). <sup>4</sup> Enarr. in Ps. 77, 1, n. 2 (PL 36, 983s; CCL 39, 1067).

sent. Error, quod illis qui perituri sint non dimittantur peccata in baptismo, forsitan Porretanorum fuit, non autem Magistri Gilberti. Cf. A. M. Landgraf, Die Summe des cod. lat. 109 der Stiftsbibliothek von Zwettl und die Lehre von der Nachlassung zukünftiger Sünden durch die Taufe, in Dogmengesch., III-2, 187s.

Cap. 2. Cf. A. M. Landgraf, Die Wirkung der Taufe im Fictus und im Contritus, in Dogmengeschichte, III-2, 87-128. — Num. 1 verbis introducitur Summae sent., V, 5 (PL 176, 130), unde etiam secunda auctoritas in n. 2. Illa Hieronymi, ex Glossa ordin. in Ezech. 16, 4: Et aqua non est lota in salutem (apud Lyran. IV, 231a). — Num. 2: Illa Augustini in Psalmum, ex Glossa in I Cor. 10, 5: Non in pluribus beneplacitum est Deo (PL 191, 1620 B-C); aptatur ex Floro in h.l. (358).

est ipsa gratia». — Augustinus, De poenitentia\*. Idem<sup>1</sup>: « Omnis qui iam suae voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi poeniteat eum veteris vitae, novam non potest inchoare. Ab hac poenitentia, cum baptizantur, soli parvuli immunes sunt ».

3. His aliisque testimoniis aperte ostenditur adultis sine fide et poenitudine vera in baptismo non conferri gratiam remissionis, quia nec parvulis sine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in baptismo remissio. Si quis ergo ficte accedat, non habens cordis veram contritionem, sacramentum sine re accipit.

4. Attende diligenter\*. Videtur tamen Augustinus dicere quod ficte accedenti, qui etiam habet odium fraternum, in ipso momento quo baptizatur omnia condonentur, et post baptismum mox redeant; sed non hoc asserendo dicit, immo hanc opinionem et praemissam sententiam conferendo. — Augustinus, in libro De baptismo\*. Ait enim sic<sup>2</sup>: « His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur, quia Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum<sup>3</sup>; aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa, iterum per fictionem replicantur: ut etiam illud verum sit<sup>4</sup>: Quotquot in Christo baptizati estis etc., et illud<sup>5</sup>: Spiritus Sanctus disciplinae effugiet fictum: ut induat eum Christum sanctitas baptismi, exuat eum Christum pernicies fictionis ». — De reditu peccati\*. « Nam redire dimissa peccata ubi fraterna caritas non est, aperte Dominus docet<sup>6</sup> in illo servo a quo dominus dimissum debitum petiit, quia ille conservo dimittere noluit. Sic non impeditur baptismi gratia quominus omnia peccata dimittantur, etiam si frater odium in eius cui dimittuntur animo perseverat. Solvitur enim hesternus dies, et quidquid superest; solvitur etiam ipsa hora momentumque ante baptismum et in baptismo; deinceps autem continuo reus esse incipit, non solum consequentium, sed et praeteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quae dimissa sunt ».

20-21 Rubrica om. BCVWX, add. sed del. R.

<sup>1</sup> Id est, Sermo 351 (seu potius Liber de poenitentia), c. 2, n. 2 (PL 39, 1537); licet sexies citetur a Floro Lugd., de eius genuinitate valde dubitat (et recte) Clavis Patrum, n. 284 (p. 75); cf. etiam Rev. Bén. 48 (1936) 118. <sup>2</sup> De bapt. contra Donatistas, I, c. 12, nn. 19-20 (PL 43, 119s; CSEL 51, 163ss). <sup>3</sup> Sap. 1, 5. <sup>4</sup> Gal. 3, 27. <sup>5</sup> Sap. 1, 5. <sup>6</sup> Resp. Matth. 18, 23-25.

Num. 4: Cf. sententia scholae Anselmi Laudun., n. 370, ed. O. Lottin, Psych. et morale, V, 275. Fons autem Magistri Decretum est Gratiani, de consecr. d. 4, c. 41, § 6 (1379).



5. Hoc autem, ut praediximus<sup>1</sup>, non sub assertione dixit. Quod ostenditur ex eo quod ait in eodem libro<sup>2</sup> sic: « Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa? Eligant quod volunt ». Ecce aperte cernis, si tamen intendis, id dixisse Augustinum non asserendo, sed quaerendo et aliorum opinionem referendo. — Augustinus,<sup>5</sup> in eodem libro\*. Idem enim ait<sup>3</sup>: « Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit, quae corde in malitia perseverante peccatorum ablutionem non sinebat fieri ». Non igitur ficte accedenti peccata dimittuntur.

## Cap. 3 (28).

10

Quomodo intelligatur illud: 'Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis'. Quaeritur ergo quomodo accipiendum sit illud<sup>4</sup>: Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis. — Potest dici quod qui in Christo, id est in Christi conformitate, baptizantur: ut scilicet moriantur vetustati peccati<sup>5</sup> sicut Christus vetustati poenae, induunt<sup>15</sup> Christum, quem per gratiam inhabitantem habent. — Potest et aliter solvi. Duobus enim modis induere Christum dicimur: vel per assumptionem sacramenti, vel rei perceptionem. — Augustinus, in libro De baptismo\*. Unde Augustinus<sup>6</sup>: « Induunt homines Christum aliquando usque ad sacramenti perceptionem, aliquando usque ad vitae sanctificationem. Atque illud primum bonis et malis potest esse commune; hoc autem proprium est bonorum et piorum ». Omnes ergo qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt, vel secundum sacramenti perceptionem, vel secundum sanctificationem.

3 Eligant] Eligat LMO. || volunt] voluerint A, voluerit LMO. 6-7 ad salutem bapt. trp. LMVX. 11-12 Rubrica om. VW, abbrev. AC. 17-18 per assumptionem] assumptionem BCLTWX. 18 perceptionem] perceptione BCLTWX. 20 sacramenti perceptionem trp. AOVW.

<sup>1</sup> Supra, ad initium n. 4. <sup>2</sup> Ibid., n. 18 (PL 43, 119; CSEL 51, 162). <sup>3</sup> Num. 18 (119; 163). <sup>4</sup> Gal. 3, 27. <sup>5</sup> Cf. Eph. 4, 22-23; Rom. 6, 3-4. <sup>6</sup> De baptismo contra Donatistas, V, c. 24, n. 34 (PL 43, 193; CSEL 51, 291).

Num. 5: prima auctoritas, parum supra in Decreto, c. 32, § 2 (1372); alia, ex c. 42 (1379). Cap. 3. Fere totum ex Summa sent., V, 5 (PL 176, 131 A-B); auctoritas autem Augustini potius ex Decreto, uti supra, c. 41, § 1 (1377) quam ex Summa sent. (131 B).

## Cap. 4 (29).

1. De illis qui suscipiunt rem et non sacramentum. Sunt et alii, ut supra posuimus<sup>1</sup>, qui suscipiunt rem et non sacramentum.

2. Quod passio implet vicem baptismi\*. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Iesu, etsi non sacramentum, rem tamen percipiunt. — In libro XIII De civitate Dei\*. Unde Augustinus<sup>2</sup>: « Quicumque non percepto regenerationis lavacro pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte baptismi ». Audisti quod passio pro nomine Iesu suscepta supplet vicem baptismi.

3. Quod non modo passio, sed fides et contritio, implet vicem baptismi\*. — Augustinus in libro III De baptismo\*. Nec tantum passio vicem baptismi implet, sed etiam fides et contritio, ubi necessitas excludit sacramentum, sicut aperte docet Augustinus, dicens<sup>3</sup>: « Baptismi vicem aliquando implere passionem, de latrone illo cui non baptizato dictum est<sup>4</sup>: Hodie mecum eris in paradiso, beatus Cyprianus<sup>5</sup> non leve documentum assumit. Quod etiam atque etiam considerans, invenio non tantum passionem pro nomine Christi id quod baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conversionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim latro ille pro nomine Christi crucifixus est, sed pro me-

4 effundunt] fundunt BCRTWX. 9 Audisti] Audistis LNV. || Iesu] Christi LNVX. 11 Rubrica om. CRVW. 13 vicem LX Aug., vim alii codd. 16 Cyprianus] in libro iv de baptismo add. hic in marg. BCX, add. in textu ALMOT, add. sed del. V; sed reapse est rubrica ad August. (lin. 12) ut in N, quam om. RW. 17 Quod] Quid BC, Qui M, ego add. L. 19 conversionemque BL (sed corr.) RTX Grat., et conversionem AL (post corr.) MNOVW, contritionemque C; conversionem corr. mg. in contritionem A; vel contritionem add. interl. B.

<sup>1</sup> Initio huius distinctionis (c. 1, n. 1). <sup>2</sup> Cap. 7 (PL 41, 381; CSEL 40-1, 622; CCL 48, 389). <sup>3</sup> De baptismo contra Donatistas, IV, c. 22, n. 29 (PL 43, 173; CSEL 51, 257). <sup>4</sup> Luc. 23, 43. <sup>5</sup> Epist. 73 (ad Iubaianum et episc. Numidiaae), n. 22 (PL 3 [1844], 1124 B - 1125 A; CSEL 3-1, 796).

Cap. 4. Cf. L. Ott, Untersuchungen zur theol. Briefliteratur, 507-527; A. M. Landgraf, Das Sacramentum in voto, in Dogmengesch., III-1, 210-253; et Kindertaufe und Glaube, ibid., 279-345. Pleraque huius cap. ex eadem Summa sent., V, cc. 5-6 (PL 176, 131 B - 133 A). — Num. 3: Auctoritas Augustini potius ex Decreto Gratiani, de consecr., d. 4, c. 34 (1372-1373) quam de Summa sent., V, 5 (PL 176, 131 C - 132 A), quamvis conclusio seu resumptio ad finem huius numeri eiusdem Summae sit (132 B).



ritis facinorum suorum; nec quia credidit passus est, sed dum patitur credit. Quantum igitur valeat etiam sine visibili baptismi sacramento quod ait Apostolus<sup>1</sup>: *Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem*, in illo latrone declaratum est. Sed tunc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. « Et <sup>2</sup> baptismus quidem potest etiam esse, ubi conversio cordis defuerit; conversio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest. Nec ullo modo dicenda est conversio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur ». — Ecce hic habes non solum passionem, sed etiam fidem et contritionem conferre remissionem, ubi non contemnitur sacramentum, ut in latrone illo ostenditur: qui non per passionem, sed per fidem salvatus est sine baptismo.

4. **Augustinus in libro Retractationum II** \*. Sed dicunt quidam Augustinum hoc retractasse. Retractavit quidem exemplum, sed non sententiam. Ait enim sic <sup>4</sup>: « In quarto libro *De baptismo*, cum dicem vicem baptismi posse habere passionem, non satis posui idoneum illius latronis exemplum, quia utrum non fuerit baptizatus incertum est ».

5. **Ambrosius** \*. Constat igitur sine baptismo aliquos iustificari et salvari. Unde Ambrosius<sup>5</sup> de Valentiniano: « *Ventrem meum doleo* <sup>6</sup>, ut prophético utar eloquio, quia quem regeneraturus eram amisi; ille tamen gratiam quam poposcit non amisit ».

6. **Quae videntur obviare praedictis** \*. His autem videtur obviare quod Dominus ait <sup>7</sup>: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in regnum caelorum*. Quod si generaliter verum est, non videntur esse vera superius posita.

6 esse] inesse T Aug., Grat. 11 non] nec LON. 13 Rubrica om. RVW. 15 quarto libro trp. ABMT. 16 posui idoneum trp. BCLRTX Aug. 22 Rubrica om. RVW, abbrev. A. 24 potest introire] potest intrare AV, in. BTW, intrabit CR. || caelorum] dei AVX.

<sup>1</sup> Rom. 10, 10.

<sup>2</sup> August., ibid., c. 25, n. 32 (PL 43, 176; CSEL 51, 260).

<sup>3</sup> Inter quos auctor anonymus (et Magistro ignotus) *Sent. divinae paginae*: « Augustinus dicit: Si non contemptus religionis, sed articulus excludit necessitatis, salvantur. Sed in libro retractationum profitetur se male dixisse, aperte ostendens quod nullus sine gratia baptismi salvari potest » (ed. Bliemetzrieder, BGPTMA XVIII, Heft 2-3, 46). <sup>4</sup> Cap. 18 (PL 32, 638; CSEL 36, 153).

<sup>5</sup> *De obitu Valentiniani*, nn. 29-30 (PL 16 [1845], 1368 B-C; CSEL 73, 344). <sup>6</sup> Ier. 4, 19. <sup>7</sup> Ioan. 3, 5.

Num. 4-5: Ex *Summa sent.*, ibid. (132 A); n. 6, ibid. (131 B-C), ubi desunt quaedam verba, ut notat dom. L. Ott, *Briefliteratur* 517, n. 54.

7. **Determinatio** \*. Sed illud intelligendum est de his qui possunt et contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum est: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto*, id est ea regeneratione quae fit per aquam et Spiritum Sanctum, non salvabitur. Illa autem regeneratio fit non tantum per baptismum, sed etiam per poenitentiam et sanguinem. — **Super epistolam ad Hebraeos** \*. Unde auctoritas <sup>1</sup> dicit ideo Apostolum « pluraliter » dixisse *fundamentum baptismatum*, « quia est baptismus in aqua, in sanguine, in poenitentia ». Hoc autem non ideo dicit, quod baptismi sacramentum fiat nisi in aqua, sed quia ipsius virtus, id est sanctificatio, datur non modo per aquam, sed per sanguinem vel poenitentiam.

8. Ratio etiam id suadet. Si enim parvulis non valentibus credere sufficit baptismus, multo magis sufficit fides adultis volentibus, sed non valentibus baptizari. — **In libro De unico baptismo** \*. Unde Augustinus <sup>2</sup>: « Quaeis quid sit maius, fides an aqua? Non dubito quin respondeam fidem. Si ergo quod minus est sanctificare potest, nonne quod maius est, id est fides, de qua Christus ait <sup>3</sup>: *Qui crediderit in me, etiam si mortuus fuerit, vivet?* »

9. **Opinio quorundam quod nullus sine baptismo possit salvari, nisi patiens pro Christo** \*. Sed dicunt aliqui <sup>4</sup> nullum adultum in Christum credere vel caritatem habere sine baptismo, nisi sanguinem fundat pro Domino; subdita introducentes testimonia. — **Augustinus, in libro de**

5 etiam] et BCTW, om. R. 21 introducentes] inducentes BCLRTWX.

<sup>1</sup> *Glossa ordin.* in Hebr. 6, 1-2: *Non rursus iacentes fundamentum poenitentiae... baptismatum doctrinae* etc. (apud Lyr. VI, 143a; cod. l 194b, ubi legitur « in poenitentia, in sanguine », ut etiam in *Glossa Magistri* hic [PL 192, 440 C; cod. m 172b]). <sup>2</sup> Non invenimus apud Augustinum; cf. tamen *De unico bapt. contra Petilianum*, c. 11, n. 18 (PL 43, 604; CSEL 53, 18), et notam infra positam. <sup>3</sup> Ioan. 11, 25. <sup>4</sup> Sententia est P. Abaelardi, *In Rom.* II (PL 178, 837 A - 838 C; CCL, Contin. Med. 11, 117-121).

Num. 7: Ex *Glossa Magistri* in Hebr. 6, 2 (PL 192, 440 C - 441 A). — Num. 8: *Ratio* dependet de *Summa sent.*, V, 5 (PL 176, 132 B). Quod sequitur, sub nomine Augustini, non invenitur apud eum nec apud Florum nec in *Glossis Magistri*; concinnata videtur ex verbis Hugonis, *De sacram.*, I, 9, 5: « Utrum est maius, aqua an fides?... *Qui credit in me, mortem non videbit in aeternum* » (PL 176, 324 D - 325 A). — Num. 9: Ex *Summa sent.*, V, 5 (PL 176, 132 B-C), ubi et auctoritates. Ad primam Gennadii codices eiusdem *Summae* legunt: *Ex dictis Augustini episcopi loco Anselmi* (132 C), ut notat L. Ott, *Briefliteratur*, 512, 517. Probabiliter Magister sese contulit ad originale Gennadii, eo quod ultima auctoritas non datur in *Summa sent.* Vide etiam H. Grillmeier, *Fulgentius von Ruspe, De fide ad Petrum, und die Summa sententiarum*, in *Scholastik* 34 (1959) 539.



**fide ad Petrum** \*. Augustinus ait<sup>1</sup>: « Ex illo tempore quo Salvator dixit<sup>2</sup>: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto* etc., absque sacramento baptismi, praeter eos qui in Ecclesia sanguinem fundunt, aliquis vitam aeternam accipere non potest ». — **In ecclesiasticis dogmatibus, ex dictis Augustini** \*. Item<sup>3</sup>: « Nullum catechumenum, quamvis in bonis operibus defunctum, vitam aeternam habere credimus, excepto martyrio, ubi baptismi tota sacramenta complentur ». — **In eodem** \*. Item<sup>4</sup>: « Baptizatis tantum iter esse salutis credimus ».

10. **Responsio** \*. Sed quod in his minus dixit, in aliis capitulis supra positus supplevit<sup>5</sup>; et ideo haec sic intelligenda sunt, ut soli habentes tempus excipiantur. Si enim aliquis habens fidem et caritatem voluerit baptizari, et non potest, necessitate praeventus, (**Augustinus** \*) « supplet<sup>6</sup> Omnipotentis benignitas quod sacramento defuerat ». Dum enim solvere potest, nisi solvat tenetur; sed cum iam non potest et tamen vult, non imputat ei Deus, qui suam potentiam sacramentis non alligavit<sup>7</sup>.

11. **Augustinus** \*. Quod vero invisibilis sanctificatio sine visibili sacramento quibusdam insit, aperte Augustinus<sup>8</sup> super Leviticum tradit, dicens « invisibilem sanctificationem quibusdam adfuisse et profuisse sine visibilibus sacramentis; visibilem vero sanctificationem, quae fit sacramento visibili, sine invisibili posse adesse, non posse prodesse ».

2 ex... Sancto om. BCLTX. || et... Sancto om. AR. || Sancto om. MV. 7 complentur] implentur AMOV. 8 esse salutis trp. BCMV. 9 Responsio] Expositio BCX, om. NRW. 10 soli] non add. interl. R2, add. mg. W2. 18 super Leviticum trp. post insit X, post aperte L, post dicens ANVW.

<sup>1</sup> Immo Fulgentius, *De fide ad Petrum*, c. 3, n. 41 (PL 65, 692 B; CCL 91 A, 740).  
<sup>2</sup> Ioan. 3, 5. <sup>3</sup> Gennadius, *Liber sive definitio eccl. dogmatum*, c. 74 (PL 58, 997 C; c. 41 in PL 42, 1220). <sup>4</sup> Ibidem, ante locum iam citatum. <sup>5</sup> Scilicet in nn. 2-4 huius cap.

<sup>6</sup> *De baptismo contra Donatistas*, IV, c. 24: « In illo latrone quod ex baptismi sacramento defuerat complevit Omnipotentis benignitas » (PL 43, 175; CSEL 51, 260). <sup>7</sup> Augustinus, *De Genesi ad litt.*, VI, c. 13, n. 23: « Ita enim certas temporum leges generibus qualitativisque rerum... attribuit, ut eius voluntas sit super omnia. Potentia quippe sua numeros creaturae dedit, non ipsam potentiam eisdem numeris alligavit » (PL 34, 348s; CSEL 28-I, 188). Applicationem principii ad sacramenta idem innuit, *De diversis quaest.* 83, q. 62 (PL 40, 53). <sup>8</sup> *Quaest. in Heptat.*, III, q. 84 (PL 34, 713, dein 712; CSEL 28-II, 305s; CCL 33, 228); sed hic potius ut textus exstat in fonte, scil. *Glossa ordin.*

Num. 10. Praeter primam phrasim, sumitur ex *Summa sent.*, V, 7 (133 C-D). Cf. L. Ott, *ibid.*, 518. — Num. 11: Ex *Glossa ordin.* in Levit. 21, 12-13 (apud Lyran. I, 252b); vel forsitan ex *Glossa ignota ipsius Magistri* in h.l.

Nec tamen visibile sacramentum ideo contemnendum, quia contemptor eius invisibiliter sanctificari non potest. Hinc Cornelius et qui cum eo erant, iam Spiritu sanctificati baptizati sunt<sup>1</sup>; nec superflua iudicata est visibilis sanctificatio quia invisibilis praecessit. « Sine visibili ergo invisibilis sanctificatio esse potest et prodesse; visibilis autem, quae fit sacramentotenus, sine invisibili prodesse non potest, cum ista sit omnis illius utilitas. Simoni Mago visibilis baptismus non profuit<sup>2</sup>, quia invisibilis non adfuit; sed quibus invisibilis adfuit, profuit ».

12. « **Firmissime tene** ». Nec tantum valet fides aliena parvulo, quantum propria adulto. Parvulis enim non sufficit fides Ecclesiae sine sacramento. Qui si absque baptismo fuerint defuncti, etiam cum deferuntur ad baptismum, damnabuntur, sicut multis Sanctorum testimoniis comprobatur. — **Augustinus in libro De fide ad Petrum** \*. Ad quod hoc unum sufficiat Augustini<sup>3</sup>: « Firmissime tene parvulos qui vel in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, vel de matribus nati sine sacramento baptismi de hoc saeculo transeunt, aeterno supplicio puniendos: quia etsi peccatum propriae actionis non habuerunt, originale tamen peccatum carnali conceptione traxerunt ».

13. Et sicut parvuli qui sine baptismo moriuntur numero infidelium adscribuntur, ita qui baptizantur fideles vocantur. Quia a fidelium consortio non separantur cum orat Ecclesia pro fidelibus defunctis; fideles igitur sunt non propter virtutem, sed fidei sacramentum. — **Augustinus, ad Bonifacium** \*. Unde Augustinus<sup>4</sup>: « Parvulum, etsi nondum sacramentum, id est baptismus, fidelem facit. Sicut credere respondetur, ita etiam fidelis vocatur: non rem ipsam mente annuendo, sed ipsius rei sacramentum percipiendo ».

9 Rubrica om. RVW.

20 qui] quia B2MT.

<sup>1</sup> Resp. Act. 10, 44-48. <sup>2</sup> Resp. Act. 8, 13-24. <sup>3</sup> Rectius Fulgentii, c. 27, n. 70: « Firmissime tene et nullatenus dubites, non solum homines iam ratione utentes, verum etiam parvulos, qui sive in uteris matrum vivere incipiunt et ibi moriuntur, sive iam de matribus nati sine sacramento sancti baptismatis quod datur in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, de hoc saeculo transeunt, ignis aeterni sempiterno supplicio puniendos. Quia etsi peccatum propriae actionis nullum habuerunt, originalis tamen peccati damnationem carnali conceptione et nativitate traxerunt » (PL 65, 701 B-C; CCL 91 A, 753). <sup>4</sup> *Epist.* 98, n. 10 (PL 33, 364; CSEL 34-II, 531s).

Num. 12. Cf. *Summa sent.*, V, 6 (PL 176, 132 D). — Num. 13. Verba Augustini inveniuntur apud Florum in Rom. 6, 4 (100); non repetuntur a Magistro in h.l. (PL 191, 1402).



## Cap. 5 (30).

**Quid prosit baptismus his qui cum fide accedunt.** Solet quaeri de illis qui iam sanctificati Spiritu, cum fide et caritate ad baptismum accedunt, quid eis conferat baptismus. Nihil enim videtur eis praestare, cum per fidem et contritionem iam remissis peccatis iustificati sint. — **Responsio** \*. 5  
Ad quod sane dici potest eos quidem per fidem et contritionem iustificatos, id est a macula peccati purgatos et a debito aeternae poenae absolutos; tamen adhuc teneri satisfactione temporali qua poenitentes ligantur in Ecclesia. Cum autem baptismum percipiunt, et a peccatis, si qua interim post conversionem contraxerunt, mundantur, et ab exteriori satisfactione absolvuntur, et gratia adiutrix omnisque virtus augetur, ut vere novus homo tunc dici possit. Fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. — Ideo Hieronymus<sup>1</sup> dicit quod « fides quae fideles facit, in aquis baptismi datur vel nutritur »: quia non habenti aliquando ibi datur, et iam habenti ut plenius habeatur. Sic et de aliis intelligendum 15 est. — Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior; et omni habenti ibi amplius datur<sup>2</sup>.

## Cap. 6 (31).

**1. Quod exterior satisfactio ibi dimittitur** \*. — **Ambrosius** \*. Quod vero omnis exterior satisfactio ibi relaxetur, Ambrosius<sup>3</sup> ostendit, 20 super illum locum: *Sine poenitentia sunt dona Dei et vocatio*, dicens: « Gratia Dei in baptismo non requirit gemitum vel planctum, vel aliquod opus, et omnia gratis condonat ». Quod quidem de exteriori gemitu vel planctu

<sup>2</sup> Solet] etiam add. ABLV.

<sup>5</sup> sint] sunt BCLRVX. || Responsio om. RVW.

<sup>1</sup> Auctoritas spuria. Vide tamen Hieronymi « aquarum et baptismi laudes » in *Epist. 69 (ad Oceanum)*, nn. 6-7 (PL 22 [1859], 659ss; CSEL 54, 689-694). <sup>2</sup> Resp. Matth. 25, 29: *Omnis enim habenti dabitur et abundabit.* <sup>3</sup> Ambrosiaster in Rom. 11, 29 (PL 17 [1845], 154 A; CSEL 81-I, 384-387).

Cap. 5. Cf. A. M. Landgraf, *Die Wirkung der Taufe im Fictus und im Contritus*, in *Dogmengeschichte* III-2, 128-169. Fundatur doctrina Magistri in *Summam sent.*, V, 7 (PL 176, 133 A-D). Unde vel cuius sit auctoritas Hieronymo attributa (frequentissima in diebus illis), nescimus. — Cap. 6, n. 1: Verba Ambrosiasteri iam in *Glossa ordin.* in Rom. 11, 29 (apud Lyran. VI, 26a; cod. 1, fol. 26a; m, fol. 27d, ubi *Ambr.* adiungitur s.m.); dein in *Glossa Magistri* (PL 191, 1491 A).

accipiendum est, nam sine interiori nemo adultus renovatur; sed exteriores satisfactiones et afflictiones, scilicet sordes poenitentium, ibi dimittuntur. — Multum ergo confert baptismus etiam iam per fidem iustificato; qui accedens ad baptismum, quasi ramus a columba portatur in 5 arcam<sup>1</sup>: ante intus erat iudicio Dei, sed nunc etiam iudicio Ecclesiae intus est.

2. Cum vero in baptismo peccatum deleatur et satisfactio exterior non imputetur, quaeritur cur poenalitas cui pro peccato addicti sumus non tollatur. — Hoc ideo fieri tradunt Sancti<sup>2</sup>: « Quia si a poena homines 10 per baptismum liberarentur, ipsam putarent baptismi pretium, non aeternum regnum. Ideo soluto reatu peccati, temporalis poena tamen manet, ut illa vita studiosius quaeratur, quae erit a poenis omnibus aliena ». Ideo etiam manet, ut sit fideli certandi materia et vincendi occasio; qui non vinceret si non pugnaret, nec pugnaret si in baptismo immortalis 15 fieret.

## Cap. 7 (32).

**1. Cuius rei baptismus qui datur iam iusto sit sacramentum.** Si quaeritur cuius rei baptismus ille sit sacramentum, qui datur iam iusto, dicimus sacramentum esse et rei quae praecessit, id est remissionis ante per fidem 20 datae, et remissionis temporalis poenae (sive peccati, si quod interim committitur habetur), et novitatis ac munditiae ibi praestitae. Omnis enim rei signum est, cuius causa est.

2. Nec mireris rem aliquando praecedere sacramentum, cum ali-

<sup>11</sup> Ideo... peccati] reatus peccati tollitur M. || poena tamen *trp.* ABC. || tamen] tantum MX, cum *corr. interl.* in tantum V. <sup>13</sup> certandi] concertandi AMOX. <sup>14-15</sup> immortalis fieret *trp.* BCLX. <sup>17</sup> sit sacramentum *trp.* post rei ABC; cf. etiam *elenchus capp.* <sup>21</sup> ac munditiae] sacramentum omnis gratie V. || munditiae] omnis gratie NW. <sup>21-22</sup> Omnis... est<sup>2</sup> om. AMORTX, *va-cat* N.

<sup>1</sup> Gen. 8, 11-12.

<sup>2</sup> Propius Isidorus, *Sententiae*, I, c. 22, n. 3 (PL 83, 588 A-589 A).

Num. 2 dependet a *Summa sent.*, V, 11 (PL 176, 136 D), ubi auctoritas attribuitur (et recte) Isidoro, *De summo bono*.

Cap. 7. Cf. A. M. Landgraf, *Nebenfragen: res und sacramentum in der Taufe des Gerechten*, in *Dogmengesch.*, III-2, 169-172; J. Schupp, *Die Gnadenlehre...* § 18, 189. — Notare lubet quod contra meliores codd. (cf. lect. variantes), ad finem n. 1 retinenda adiudicamus ultima verba, eo quod inveniuntur in *Glossa Summa divinae paginae* olim Petro Pictaviensi attributa (cod. b 5; n 49b; p 95).



quando etiam longe post sequatur: ut in illis qui fecte accedunt, quibus cum post poenituerint, incipiet baptismus prodesse; in quibus fuit baptismus sacramentum huius sanctificationis quam poenitendo habent. — Sed si nunquam poeniterent nec a figmento recederent, cuius rei sacramentum esset baptismus ab illis susceptus? Potest dici: rei quae ibi fieret, 5 si non illorum enormitas impediret.

3. **Si parvulis datur in baptismo gratia qua possint in maiori aetate proficere.** Solet etiam quaeri si parvulis in baptismo datur gratia, qua cum tempus habuerint utendi libero arbitrio, possint velle et currere 1. — De adultis enim qui digne recipiunt sacramentum, non ambigitur 10 quin gratiam operantem et cooperantem 2 perceperint. Quae *in vacuum* eis cedit 3 si per liberum arbitrium post mortaliter deliquerint; qui merito peccati gratiam appositam perdunt. Unde et dicuntur contumeliam facere Spiritui Sancto 4 et ipsum a se fugare 5. — De parvulis vero qui nondum ratione utuntur, quaestio est an in baptismo receperint gratiam, 15 qua ad maiorem venientes aetatem, possint velle et operari bonum.

4. **Hinc inde opponit \*.** Videtur quod non receperint, quia gratia illa caritas est et fides, quae voluntatem praeparat et adiuvat. Sed quis dixerit eos accepisse fidem et caritatem? — Si vero gratiam non receperunt, qua bene operari possint cum fuerint adulti, non ergo sufficit eis in hoc 20 statu gratia in baptismo data; nec per illam possunt modo boni esse, nisi alia addatur; quae si non additur, non est ex eorum culpa, quia iustificati sunt a peccato.

5. **Responsio \*.** Quidam putant gratiam operantem et cooperantem cunctis parvulis in baptismo dari, in munere, non in usu, ut cum ad maio- 25

6 illorum] eorum L, morum BC, om. A. || impediret] Item: Ego dico... erat Christus baptizavit *add. hic* (ex d. 5, c. 1, n. 3) X; quod *infra* repetit in loco suo. 7 datur in baptismo *trp.* BCX. 9 utendi] utendo MOX. 17 Rubrica om. LRVW. 24 Rubrica om. CRVW.

1 Cf. Rom. 9, 16: *Non volentis neque currentis, sed miserentis est Dei.* 2 De quibus gratiis in Lib. II, dist. 26-27 (I, 470-487). 3 Resp. II Cor. 6, 1: *Ne in vacuum gratiam Dei recipiatis.* 4 Cf. Hebr. 10, 29: *Quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui... spiritui gratiae contumeliam fecerit.* 5 Cf. *Glossa interlin.* in Eph. 4, 30: *Nolite contristare Spiritum Sanctum: « a vobis per mala opera fugando »* (apud Lyran., VI 95r; cod. 1, f. 122v; cod. m, 115r).

Num. 3-5. De quaestione hic proposita cf. A. M. Landgraf, *Kindertaufe und Glaube*, in *Dogmengeschichte* III-1, 320-324. Quod solutio ipsius Magistri exhibetur sub n. 5, patet ex testimonio Petri Manducatoris: « Solutio. Quorundam, inquit, opinio est quod parvulis in baptismo tantum dimittantur peccata et nulla virtus conferatur. Et hanc, inquit, sententiam

rem venerint aetatem, ex munere sortiantur usum; nisi per liberum arbitrium usum muneris exstinguant peccando. Et ita ex culpa eorum est, non ex defectu gratiae, quod mali fiunt; qui ex Dei munere valentes habere usum bonum, per liberum arbitrium renuerunt, et usum pravum elegerunt. 5

## DISTINCTIO V

## Cap. 1 (33).

1. **Quod baptismus aequae sanctus est a bono vel malo datus bono vel malo.** Post haec sciendum est sacramentum baptismi a bonis et a malis ministris dari, sicut a bonis et a malis sumitur. Nec melior est baptismus 10 qui per meliorem datur, nec minus bonus qui per minus bonum datur, nec malus qui per malum datur. Nec maius munus datur in baptismo a bono dato, nec minus in baptismo dato a malo, sed aequale, quia non est hominis, sed Dei munus. Quod totum subditis declaratur testimoniis.

2. **Augustinus, Super Ioannem \*.** Augustinus ait 1: « Baptismus talis est, qualis est ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur ». — **Augustinus in libro De unico baptismo \*.** Item 2: « Prorsus fieri potest ut aliqui verum habeant baptismum, et non habeant veram fidem ». — **Augustinus, Contra Crescentium grammaticum \*.** Item 3: « Si inter bonos ministros, cum sit alius alio melior, non 20

9 a<sup>2</sup> om. ACMR, *add. interl.* O. 10 a<sup>2</sup> om. ABCM. 15 Rubrica A, om. alii. 17 in libro om. BOX.

1 *In Ioan.*, tr. 5, n. 6 (PL 35, 1417; CCL 36, 43s). 2 Cap. 11, n. 18 (PL 43, 604; CSEL 53, 18). 3 *Rectius Contra Cresconium*, III, c. 6 (PL 43, 499; CSEL 52, 415).

non improbat Magister in *Sententiis*. Nos autem, qui audivimus eum, scimus quia erat in contraria sententia, scilicet quod parvulis in baptismo dantur virtutes, sed in munere vel habitu, non in usu. Nondum enim habet usum alicuius virtutis sed munus, et ex munere sortitur usum ». Cf. I. Brady, *Peter Manducator and the Oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antoniano* 41 (1966) 478.

Dist. V, c. 1. Cf. L. Ott, *Briefliteratur*, 146-160. Fons principalis *Summa* exstat *Sententiarum*, V, 8 (PL 176, 133 D - 134 C), unacum auctoritatibus ex fontibus diversis. — Num. 2: Prima auctoritas (cum rubrica), ex *Summa sent.* (134 B) vel ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 26 (1369); alia, ex *Glossa* in I Cor. 1, 13 (PL 191, 1540 A), ex Floro in h.l. (259); tertia, ex *Decreto*, c. 25 (1368) una cum rubrica.



est melior baptismus qui per meliorem datur, nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem baptismus datur. Et ideo per ministros dispares Dei munus aequale est, quia non illorum, sed eius est ».

3. **Augustinus, Super Ioannem** \*. Idem 1: « Cum baptizat malus, illud quod datum est unum est, nec impar propter impares ministros, sed par et aequale propter hoc 2: *Hic est qui baptizat* ». — Item 3: « Ego dico, et nos dicimus omnes, quia iustos oportet esse per quos baptizatur, iustos oportet esse tanti iudicis ministros. Sint ministri iusti si volunt; si autem noluerint esse iusti qui in cathedra Moysi sedent 4, securum me fecit magister meus, de quo Spiritus Sanctus dicit 5: *Hic est qui baptizat* ». — Item 6: 10 « Quos baptizavit Iudas, Christus baptizavit. Si quos ergo baptizavit ebriosus, homicida, adulter: si baptismus Christi erat, Christus baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: *Hic est qui baptizat* ». — Item 7: « Homicida dedit baptismum Christi. Quod sacramentum tam sanctum est, ut 15 nec homicida ministrante polluatur ».

4. **Augustinus in libro De fide ad Petrum** \*. Item 8: « Si in haeresi quacumque vel schismate quisquam *in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* 9 baptismi sacramentum acceperit, integrum sacramentum accipit; sed salutem, quae virtus est sacramenti, non habebit, si extra catholicam Ecclesiam ipsum sacramentum habuerit. Debet igitur ad Ecclesiam redire: non ut sacramentum baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere; sed ut in societate catholica vitam accipiat. Baptismus enim extra Ecclesiam nequit prodesse: ibi enim cuique potest prodesse baptismus, cui potest prodesse eleemosyna, scilicet in Ecclesia ». 25

9 sedent *trp. p.* qui BCLX. 13 non<sup>2</sup> BCX *Aug., Ivo, nec L, om. alti et Grat.*  
20-21 catholicam Ecclesiam *trp.* BCLX. 23 aliquo] quolibet NRTX. 25 cui] ubi V,  
*corr. in* ubi C<sup>2</sup>W (mg.).

1 Tr. 6, n. 8 (PL 35, 1429; CCL 36, 57). 2 Ioan. 1, 33. 3 *In Ioan.*, tr. 5, n. 15  
(PL 35, 1422; CCL 36, 49). 4 Matth. 23, 2. 5 Ioan. 1, 33. 6 *In Ioan.*, tr. 5,  
n. 18 (PL 35, 1424; CCL 36, 51s). 7 *Ibid.*, n. 19 (1424; 52). 8 *Seu Fulgentius*, c. 3,  
n. 43 (PL 65, 692 B-C; CCL 91 A, 741). 9 Matth. 28, 19.

Num. 3: Prima, ex *Decreto*, *ibid.*, c. 27 (1369); alia, forsitan ex eodem *Decreto*, c. 26 (1369), cum quibusdam verbis (« Sint ministri iusti si volunt ») suppletis de *Summa sent.* (134 C); tertia, ex fonte qui nos evadit; non invenitur apud Florum vel *Glossam Magistri*, nec videtur componi ex duobus Gratiani capp., scil. C. 1, q. 1, c. 46 (376), et de *consecr.* d. 4, c. 26 § 4 (1369); idem dicendum est de ultima. — Num. 4 probabiliter ex originali; illa Isidoro attributa in num. 5, ex *Decreto*, de *consecr.* d. 4, c. 23 (1368), ut notatur secunda manu in mg. cod. A (f. 72a); vide etiam C. 1, q. 1, c. 59 (380).

5. **Isidorus** \*. Item Isidorus 1: « Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat, sed Spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat ». — In his perspicue cernis baptismum verum bonis et malis dari a bonis et a malis; et ipsum tamen aequale sanctum esse, et munus eius aequale in bonis, sive a bonis sive a malis baptizentur.

### Cap. 2 (34).

1. **De potestate baptismi et ministerio**. Quia ministerium tantum habent, non potestatem baptismi: potestatem enim sibi retinuit. Quod novit Ioannes cum vidit columbam descendentem super Christum 2. — 10 **Super Ioannem** \*. Unde Augustinus 3: « Quid noverat Ioannes Baptista? Dominum. Quid non noverat? Potestatem baptismi dominici in nullum hominem a Domino transituram, sed ministerium plane transiturum: potestatem a Domino in neminem, sed ministerium in bonos et malos. Non exhorreat columba ministerium malorum: respiciat Domini potestatem. Quid facit tibi minister malus, ubi bonus est Dominus? » « *Neque* 15 *qui plantat, neque qui rigat est aliquid; sed qui incrementum dat, est Deus* 5. Si superbus fuerit minister, cum diabolo computatur; sed non contaminatur donum Christi. Quod per illum fluit purum est. Per lapideum canalem transit aqua ad areolas: in canali lapideo nihil generatur, 20 sed hortus fructus plurimos affert ». Habent igitur non modo boni, sed et mali ministerium baptizandi; sed neutri potestatem baptismi.

1 Isidorus<sup>2</sup> *om.* BCMNO, *interl.* W<sup>2</sup>. 4 dari] et *add.* LNVX. || a<sup>2</sup> *om.* AMRT.  
10 Super Ioannem *om.* NVW. 11 baptismi dominici *trp.* BCX. 12 hominem] ho-  
minum TX. 16 est aliquid *trp. p.* plantat ABCX. || est<sup>2</sup> *om.* BTX, *del.* V.

1 Dictum spurium; quoad historiam tam istius dicti quam totius quaestionis, cf. N. M. Haring, *A Brief Historical Comment on St. Thomas, Summa theol. III, qu. 67, a. 5: « Utrum non baptizatus possit sacramentum baptismi conferre »*, in *Mediaeval Studies* 14 (1952) 153-59.  
2 Ioan. 1, 32-33: *Vidi Spiritum descendentem quasi columbam... Et ego nesciebam eum; sed qui misit me... ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem... hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* 3 *Tract.* 5, n. 11 (PL 35, 1419; CCL 36, 46). 4 *Ibid.*, n. 15 (1422; 50). 5 1 Cor. 3, 7.

Cap. 2. Initium ita concisum (ab ultimis verbis cap. praeced.) Magistri est, factum forsitan quando elenchum capitulorum postea compilavit et materiam divisit. — Num. 1. Auctoritas Augustini, probabiliter ex originali; in parte tantum invenitur in *Summa sent.*, V, 8 (PL 176, 134 B-C); non datur apud Florum.



2. **Augustinus, Super Ioannem** \*: « Ministerium <sup>1</sup> enim dedit Christus servis, sed potestatem sibi retinuit. Quam, si vellet, poterat servis dare, ut servus daret baptismum suum tamquam vice sua. Et potestatem suam poterat constituere in aliquo vel aliquibus servis suis, ut tanta vis esset in baptismo servi, quanta est in baptismo Domini. Sed noluit, ne servus <sup>5</sup> in servo spem poneret. Baptizat servus ut minister; baptizat Dominus tamquam potestatem habens. Quam si daret servis, ut scilicet ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot servi: ut sicut dictus est *baptismus Ioannis* <sup>2</sup>, sic diceretur baptismus Petri vel Pauli. Quod ne fieret, tenuit sibi Dominus potestatem baptismi, servis ministerium de- <sup>10</sup> dit. Si ergo servus dicit se baptizare, recte dicit, sed tamquam minister baptizat; et ideo non differt, sive bonus sive malus baptizet ». « Inde <sup>3</sup> etiam nemo dicit baptismus meus, cum tamen dicat *evangelium meum* <sup>4</sup>, *prudencia mea* <sup>5</sup>, licet haec sint a Deo. In quibus differentia est: alius enim alio melius operatur in evangelizando, et alius alio prudentior est; alius <sup>15</sup> autem alio magis minusve baptizatus, sive ab inferiore sive a maiore baptizetur, dici non potest ».

Cap. 3 (35).

1. **Quae fuit potestas baptismi quam Christus potuit dare servo.** Hic quaeritur quae sit illa potestas baptismi, quam Christus sibi tenuit et potuit dare servis. — Haec est, ut plurimi volunt, potestas dimittendi peccata in baptismo.

2. **Oppositio** \*. Sed potestas dimittendi peccata quae est in Deo,

<sup>1</sup> Augustinus Super Ioannem] In eodem A, om. CR, Super Ioan. om. N. <sup>20</sup> Christus sibi trp. LT, sibi om. V. <sup>23</sup> Oppositio om. RVW. || est in Deo trp. ABCNRVX.

<sup>1</sup> Tract. 5, n. 7 (1417; 44).

<sup>2</sup> Cf. Matth. 21, 25: *Baptisma Ioannis unde erat?*

<sup>3</sup> Quamvis inveniatur sub eadem rubrica, revera est August., *De bapt. contra Donatistas*, V, c. 14, n. 16 (PL 43, 185; CSEL 51, 277).

<sup>4</sup> Cf. II Tim. 2, 8: *Secundum evangelium meum.*

<sup>5</sup> Cf. Eph. 3, 4: *Potestis legentes intelligere prudentiam meam.*

Num. 2 iam in parte in *Glossa ordin.* in I Cor. 1, 12 (apud Lyranum VI, 34a; cod. 1 37c; deest in cod. m); deinde, uti hic iacet, in *Glossa Magistri* in h.l. (PL 191, 1538 C-1539 A; cod. x f. 70c; z fol. 44c); non invenitur apud Florum.

Cap. 3. Cf. A. M. Landgraf, '*Potestas auctoritatis, ministerii, excellentiae*' und der Streit um die '*potestas, quam Christus potuit dare servis et non dedit*', in *Dogmengeschichte* III-1, 169-209. — Num. 1. Notare oportet quod rubrica hic brevior est quam in elencho capitulorum (supra, p. 12), ubi adiungitur *et non dedit*. — Num. 2: Primum argumentum in contrarium

Deus est: ideo alii dicunt hanc potestatem non potuisse dare alicui servorum, quia nulli potuit dare ut esset quod ipse est, vel ut haberet essentiam quam ipse habet, cui hoc est esse quod posse <sup>1</sup>. — **Alia** \*. Dicunt etiam: Si hanc potentiam alicui dare potuit, potuit ei dare creare creaturas, quia non est hoc maioris potentiae quam illud <sup>2</sup>.

3. Ad quod dici potest quia potuit eis dare potentiam dimittendi peccata: non ipsam eandem qua ipse potens est, sed potentiam creatam, qua servus posset dimittere peccata, non tamen ut auctor remissionis, sed ut minister, nec tamen sine Deo auctore: ut sicut in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio haberet intus mundare; et sicut illud facit Deo auctore, qui cum eo et in eo operatur illud exterius, ita mundaret interius Deo auctore, qui eius verbo velut quodam ministerio uteretur. — Ita etiam posset Deus per aliquem creare aliqua: non per eum tanquam auctorem, sed ministrum, cum quo et in quo operaretur; sicut <sup>15</sup> in bonis operibus nostris ipse operatur et nos: nec ipse tantum, nec nos tantum, sed ipse nobiscum et in nobis; et tamen in illis agendis ministri eius sumus, non sumus auctores. — Ita ergo potuit dare servo potestatem dimittendi peccata in baptismo, id est ut in mundatione interiori servus cum Domino operaretur: non servus sine Domino, nec Dominus sine servo, <sup>20</sup> sed Dominus cum servo et in servo; sicut in exteriori ministerio Dominus operatur cum servo et in servo.

4. Unde et Dominus dicitur sanctificare et servus, sed Dominus invisibili gratia, servus visibili sacramento. Unde **Augustinus** super

<sup>1</sup> Deus est trp. ATWV. <sup>3</sup> Alia] oppositio add. AN, om. RVW. <sup>6</sup> dare potentiam trp. BCX. <sup>8</sup> tamen om. ABCTW. <sup>9</sup> tamen om. BNRWX, add. interl. C. 11-12 mundaret] mundare MOW. <sup>15</sup> nostris, om. M, add. interl. O<sup>2</sup>, add. mg. R<sup>2</sup>. <sup>17</sup> sumus<sup>2</sup> om. LNX. <sup>20-21</sup> sicut... in servo om. AMN.

<sup>1</sup> Vide Lib. I, d. 8, c. 8; et d. 45, capp. 1-2 (I, 101ss; 306s). <sup>2</sup> Cf. *Glossa ordin.* in Ioan. 14, 12: *Et maiora horum faciet*: « malus videtur impios iustificare quam iustos creare » (apud Lyran., V, 228c); ex August., in h.l., tr. 72, n. 3 (PL 35, 1823s; CCL 36, 508s).

iam in *Glossa primitiva* in I Cor. 1, 13 (PL 191, 1539 A-B; cod. x 70d; z 43c-d), quam conferat Magister post Pascha 1148. Ambo tamen, ut recte notat cl. L. Hödl, inveniuntur in quadam quaestione Magistri Odonis Suessionis (seu postea Ursicampi), qui saltem ab anno 1145 Parisius docuit in eisdem scholis Nostrae Dominae; cf. L. Hödl, *Die Geschichte der scholastischen Literatur und der Theologie des Schlüsselgewalt*, 123, 131-132. — Num. 3: Solutio maturior est quam illa Glossae (1536 B-C), adiuvante auctoritate Augustini (in n. 4) ex *Glossa ordin.* (vel forsitan ex quadam Glossa adhuc ignota ipsius Magistri) in Levit. 21, 13 (apud Lyranum, I, 252b).



Leviticum 1: « Dominus ait 2: *Ego Dominus, qui sanctifico*. De Moyses etiam dictum est 3: *Et sanctificabis eum*. Sed Moyses sanctificat visibilibus sacramentis per ministerium; Dominus autem invisibili gratia per Spiritum, ubi est totus fructus visibilium sacramentorum. Sine hac sanctificatione visibilia sacramenta nihil prosunt ». — Si quis hoc melius aperire poterit, non invidio.

## DISTINCTIO VI

## Cap. 1 (36).

**Quibus liceat baptizare.** Nunc quibus liceat baptizare addamus. — In libro *De officiis* \*. De hoc *Isidorus* ait 4: « Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum; eiusque ministerium nec ipsis diaconibus implere est licitum absque episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus et ultima languoris cogat necessitas; quod et laicis fidelibus permittitur ». — **Ex Concilio Carthaginensi quinto** \*: Item 5: « Mulier, quamvis sancta, baptizare non praesumat », nisi necessitate cogente.

## Cap. 2 (37).

**1. Si rebaptizandi sunt qui ab haereticis sunt baptizati** \*. De illis vero qui ab haereticis baptizantur, utrum rebaptizandi sint, quaeri solet. —

17 qui om. NR *elenchus capp.* || sunt om. NOR *elenchus capp.* || sunt baptizati] baptizantur ACM, *trp.* BX. || Rubrica om. VW.

<sup>1</sup> August., *Quaest. in Heptat.*, III, q. 84 (PL 34, 712; CSEL 28-II, 304s; CCL 33, 227s).  
<sup>2</sup> Lev. 21, 15. <sup>3</sup> Potius Moysi dictum est a Domino de Aaron et filiis eius, Exod. 28, 41; 29, 24; 30, 30. <sup>4</sup> *De eccl. officiis* II, c. 25, n. 9 (PL 83, 822 C). <sup>5</sup> Rectius invenitur inter statuta Concilio Carthaginensi IV (suppositio, sub anno 436) adscripta, n. 100: « Mulier baptizare non praesumat »; verba « quamvis sancta », ex n. 99: « Mulier, quamvis docta et sancta viros in conventu docere non audeat », in *Concilia Africae A. 345 - A. 525*, ed. C. Munier (CCL 149, 352); cf. etiam *Statuta Ecclesiae antiqua* (c. annum 475), nn. 41 et 37, in *Concilia Galliae A. 314 - A. 506*, ed. C. Munier (CCL 148, 173 et 172).

Dist. VI, Cap. 1: Quaestio eruitur ex *Summa sent.*, V, 8 (PL 176, 133 D); sed auctoritates veniunt potius ex *Decreto Gratiani*, de consecr. d. 4, cc. 19-20 (1367). — Cap. 2. Cf. L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 146ss; et N. M. Häring, *The Augustinian Axiom: « Nulli sacramento iniuria facienda est »*, in *Mediaeval Studies* 16 (1954) 87-117; A. M. Landgraf,

Ad quod breviter dicimus quia quicumque sit qui baptizet, si servatur forma a Christo tradita, verum baptismum dat; et ideo qui illum sumit, non debet rebaptizari.

2. **Beda** \*. Unde *Beda* 1: « Sive haereticus, sive schismaticus, sive facinorosus, quisque in confessione sanctae Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est a bonis catholicis rebaptizari, ne confessio et Trinitatis invocatio videatur annullari ». — **Ad quaestiones Orosii** \*. Item *Augustinus* 2: « Quamvis unum baptismum sit et haereticorum (scilicet eorum qui in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti baptizantur) et Ecclesiae catholicae, tamen qui foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem: habentes formam sacramenti, virtutem autem eius abnegantes 3; et ideo Ecclesia non eos rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt, et ipsa est forma sacramenti ». — **Augustinus, Ad Maximinum** \*. Item 4: « Rebaptizare haereticum qui haec sanctitatis signa perceperit, omnino peccatum est; catholicum vero, immanissimum scelus est ».

3. Ex his aperte colligitur quod qui etiam ab haereticis baptizati sunt servato caractere Christi, rebaptizandi non sunt, sed tantum manus impositione reconciliandi, ut Spiritum Sanctum accipiant, et in signum detestationis haereticorum.

4. **Opinio quorundam** \*. Sunt tamen nonnulli doctorum, ut *Cyprianus* et alii quidam 5, qui dicere videntur ab haereticis non posse

1-2 servatur forma... tradita] servat formam... traditam LX. 2 baptismum] baptismum BCM. 11 baptismum ad salutem *trp.* BCLX. 14 Rubrica om. MRVW.

<sup>1</sup> *In Evang.*, II, hom. 12 (PL 94, 198 B) seu hom. 18 (CCL 122, 312); in parte ex *Genadio, Liber seu definitio eccl. dogmatum*, c. 52 (PL 58, 993 B-C; c. 22 in PL 42, 1217); invenitur etiam apud *Pseudo-Beda, In Ioan.* 3, 4 (PL 92, 668 C). Hic lubet notare etiam epistolam Leonis Pp. I de hac quaestione: *Epist. 166*, Neoni ep. Ravennati (PL 54, 1193 B-1194 B); apud *Decreto Gratiani*, de consecr. d. 4, c. 112 (I, 1396). <sup>2</sup> *Ps.-August.* (post saec. IX), *Dialogus quaest. 65 Orosii percontantis et Augustini respondentis*, q. 59 (PL 40, 750; cf. PLS II, 1364). <sup>3</sup> *Resp.* II Tim. 3, 5: *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes*. <sup>4</sup> *Epist.* 23, n. 2 (PL 33, 95; CSEL 34-I, 65). <sup>5</sup> De quibus cf. *August.*, *De bapt. contra Donatistas*, III, VI et VII (PL 43, 139ss, 197ss, 223ss; CSEL 51, 196ss, 297ss, 341ss).

*Zur Frage von der Unwiederholbarkeit von Sakramenten*, in *Dogmengesch.* III-1, 254-278. — Num. 1-2. Auctoritas *Beda* (circa quam v. N. M. Häring, *ibid.*, 89-90), de *Summa sent.*, ubi etiam sine titulo operis (134 A); illae *Augustini*, ut apparet ex rubricis, ex *Decreto*, cc. 29 et 108 (1370, 1395). — Num. 3-5 fundantur usque ad litteram in dicta *Summae sent.* (134 D-135 B).



tradi baptismum, et eos esse rebaptizandos cum veniunt ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizati. — Sed hoc de illis verum est, qui extra formam Ecclesiae baptizare praesumunt.

5. Cyprianus tamen ibi a veritate deviasse videtur, qui ait <sup>1</sup> de haeretico: « Quomodo sanctificare aquam potest, cum ipse immundus <sup>5</sup> est, et apud quem Spiritus Sanctus non est, cum Dominus dicat in Lege <sup>2</sup>: *Quaecumque tetigerit immundus, immunda erunt?* Quis potest dare quod ipse non habet? » — Augustinus in libro *De unico baptismo* \*. Hoc vero ex ignorantia eum dixisse, Augustinus innuit dicens <sup>3</sup>: « Martyrem gloriosum Cyprianum, qui apud haereticos vel schismaticos datum bap- <sup>10</sup> tismum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta eius merita, usque ad triumphum martyrii, secuta sunt, ut et caritatis qua excellebat luce obumbratio illa fugaretur; et si quid purgandum erat, passionis falce tolleretur. Nec nos, qui baptismi veritatem et haeticorum iniquitatem agnoscimus, ideo Cypriano meliores sumus; sicut nec Petro, quia gentes <sup>15</sup> iudaizare non cogimus <sup>4</sup> ».

6. Hieronymus, *Super Epistolam ad Ephesios* \*. Hoc etiam sciendum est, quod « licet <sup>5</sup> ter immergatur propter mysterium Trinitatis, tamen unus baptismus reputatur ».

Cap. 3 (38).

20

1. **Quod nullus in materno utero baptizatur.** Illud etiam ignorandum non est, quod in materno utero nullus baptizari potest, etiam si mater baptizetur. — Isidorus in libro *Sententiarum primo* \*. Unde Isidorus <sup>6</sup>: « Qui in maternis uteris sunt ideo baptizari non possunt, quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci; <sup>25</sup> neque regeneratio in eum dici potest, in quem generatio non praecessit ». — Augustinus, *Ad Dardanum* \*. Item Augustinus <sup>7</sup>: « Non potest quisquam renasci antequam natus sit ».

<sup>9</sup> innuit] insinuat BCLX.

<sup>21</sup> Rubrica X et elenchus capp.; om. alii codd.

<sup>1</sup> *Epist. 70 (ad Ianuarium)*, n. 1 (PL 3, 1039 A - 1040 A; CSEL 3-I, 767s). <sup>2</sup> Num. 19, 22. <sup>3</sup> Cap. 13, n. 22 (PL 43, 606; CSEL 53, 22). <sup>4</sup> *Resp. Gal. 2*, 14. <sup>5</sup> *In Eph. 4*, 5 (PL 26 [1845], 496 C). <sup>6</sup> Cap. 22, n. 5 (PL 83, 589). <sup>7</sup> *Epist. 187*, c. 9, n. 31 (PL 33, 844; CSEL 57, 109).

Num. 6: Ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 8 (1389).

Cap. 3, nn. 1-3: Quaestio et auctoritates iam in *Summa sent.*, V, 12 (PL 176, 136 D - 138 A); ubi etiam quaedam elementa solutionis in n. 4.

2. **De Ioanne Baptista et Ieremia** \*. Si vero opponitur de Ieremia et de Ioanne Baptista, qui ab utero sanctificati leguntur <sup>1</sup>, quod etiam de Iacob quidam putant <sup>2</sup>, dicimus: Si sanctificatio ibi accipitur interior emundatio, in miraculis divinae potentiae esse habendum, ut Augustinus <sup>5</sup> nus (in libro *Ad Dardanum* \*) ait <sup>3</sup>, ambigue super hoc loquens: « Si usque adeo, inquit, in illo puero acceleratus est usus rationis et voluntatis, ut intra materna viscera iam posset agnoscere, credere, quod in aliis parvulis exspectatur aetas ut possint, in miraculis est habendum divinae potentiae, non ad humanae trahendum exemplum naturae; nam quando <sup>10</sup> voluit Deus, etiam iumentum <sup>4</sup> locutum est ».

3. **In eodem** \*. Idem <sup>5</sup>: « De Ieremia legitur <sup>6</sup>: *Priusquam exires de vulva, sanctificavi te*; illa tamen sanctificatio, qua efficimur templum Dei <sup>7</sup>, nonnisi renatorum est ». *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non intrabit in regnum Dei* <sup>8</sup>; « nemo autem renascitur, nisi prius <sup>15</sup> nascatur. Unde illa sanctificatio potest secundum praedestinationem accipi ». Ecce dubitanter videtur loqui. — Qui etiam in eodem dicit <sup>9</sup>: « Non dictum est quia *credidit* infans in utero, sed *exsultavit*. Nec Elisabeth dicit: *exsultavit in fide*, sed *exsultavit in utero meo*. Et potuit esse haec sanctificatio tantae rei a maiori cognoscendae indicium, non a parvulo <sup>20</sup> cognitae ».

4. Absque assertionem de hac sanctificatione loquitur, non definiens qualiter intelligenda sit illa sanctificatio, an signum futurae rei, an veritas iustificationis per Spiritum factae. Sed melius est ut dicamus illos praeter communem legem in uteris iustificatos et gratia praeventos,

<sup>11</sup> In eodem om. BCWVX. <sup>12</sup> vulva] ventre BCR. <sup>14</sup> intrabit COR, l. BWX, in. T, potest introire (intrare V) LMNV. || Dei] celorum BCT.

<sup>1</sup> *Resp. Ier. 1*, 5: *Antequam exires de vulva, sanctificavi te*; Luc. 1, 15: *Et Spiritu Sancto replebitur adhuc ex utero matris suae*. Cf. *Glossa ordin.* in Ier. 1, 5: « Ioannes sanctificatur quoque in utero, et Spiritum Sanctum accipit » (apud Lyran. IV, 111a); ex Hieron. in h.l. (PL 24 [1845], 683 A; CSEL 59, 7; CCL 74, 4). <sup>2</sup> Cf. Gen. 25, 22-25; Mal. 1, 2; Rom. 9, 11-13: *Cum enim nondum nati fuissent... scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui*. <sup>3</sup> *Epist. 187*, c. 7, n. 24 (PL 33, 840; CSEL 57, 101). <sup>4</sup> Cf. Num. 22, 28, de asina Baalam. <sup>5</sup> Cap. 10, n. 32 (PL 33, 844; CSEL 57, 110). <sup>6</sup> Ier. 1, 5. <sup>7</sup> Cf. I Cor. 6, 19. <sup>8</sup> Ioan. 3, 5. *Verba Summae sent.* quae sequuntur fundantur in illa Augustini in eadem ep., c. 10, n. 33: « Renascitur ergo antequam nascitur; quod fieri nullo modo potest »; c. 12, n. 37: « Nam illa priusquam exiret de vulva, sanctificatio Ieremiae... potest et secundum praedestinationem non inconvenienter intelligi » (PL 33, 845, 846; CSEL 57, 111, 114). <sup>9</sup> In eadem epist., c. 7, n. 23 (PL 33, 840; CSEL 57, 101). *Resp. Luc. 1*, 41: *Exsultavit infans in utero eius*, et 1, 44: *Exsultavit in gaudio infans in utero meo*.



dimissis omnibus peccatis. Quod et multis Sanctorum testimoniis edocetur <sup>1</sup>.

Cap. 4 (39).

1. **Si baptismus sit, illis verbis corrupte prolatis.** Quaeri etiam solet, si corrupte proferantur illa verba, an baptismus sit. — **Zacharias Papa** <sup>5</sup> \*. De hoc **Zacharias** Bonifacio scribit <sup>2</sup>: «Retulerunt mihi nuntii tui quod fuerit sacerdos in eadem provincia qui latinam linguam penitus ignorabat, et dum baptizaret, nescius latini eloquii, infringens linguam diceret: Baptizo te in nomine Patria et Filia et Spiritu Sancta; et propter hoc considerasti rebaptizare. Sed si ille qui baptizavit, non errorem in-  
10 troducens vel haeresim, sed pro sola ignorantia romanae locutionis, in-  
fringendo linguam baptizans dixisset, non possumus consentire ut denuo baptizetur».

2. **Leo Papa** \*. Praeterea sciendum est quod illi de quibus «nulla <sup>3</sup> exstant indicia inter propinquos vel clericos vel vicinos, quibus baptizati  
15 fuisse doceantur, agendum est ut renascantur, ne pereant; in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit ut videatur iteratum. Conferendum eis videtur quod collatum esse nescitur; quia non temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis».

Cap. 5 (40).

1. **De illo qui pro ludo immergitur.** Solet etiam quaeri de illo qui iocans sicut mimus, commemoratione tamen Trinitatis immergitur, utrum bapti-

<sup>1</sup> Ita v. gr. Hieron., *In Ier.* 1, 5 (PL 24 [1845], 683 A; CSEL 59, 7; CCL 74, 4), uti supra in notis ad num. 2; Ambrosius, *In Luc.* 1, 15 (PL 15 [1845], 1547 A-B; CSEL, 32-III, 31s; CCL 14, 22s); Beda, *In Luc.* 1, 13-15, et 1, 41 (PL 92, 312 A-D, 320 C; CCL 120, 25s, 35s); id., *In Evang.* 1, hom. 2 (PL 94, 15 A - 16 A) seu hom. 4 (CCL 122, 21ss); etc. <sup>2</sup> *Epist.* 6 (Ioan. Mansi, *Concilia*, XII, 325 D) seu *Epist.* 7 (PL 89, 929 B-C). <sup>3</sup> Leo I, *Epist.* 167 (*ad Rusticum Narbon.*), inq. 16-17 (I. Mansi, VI, 406 A-B, C; PL 54, 1208 A - 1209 A).

Cap. 4, n. 1. Quaestio sumitur de *Summa sent.*, V, 9 (PL 176, 135 C-D); ubi et auctoritas, quae tamen corrigitur ope *Decreti*, de consecr. d. 4, c. 86 (1390). Illa Leonis, in n. 2, quibusdam omissis, ex eodem, c. 113 (1396s).

Cap. 5. Quaestio est *Summae sent.*, V, in eodem cap. 9 (135 D); cf. etiam Hugo, *De sacram.*, II, 6, 13 (PL 176, 459 A). Cui auctoritate Augustini respondetur ut in eadem *Summa*, auxiliante *Decreto*, de consecr. d. 4 c. 31 § 1 (1371). Solutio quasi ad litteram est eiusdem *Summae*.

zatus sit. — **Augustinus in libro De baptismo** \*. Hoc autem **Augustinus** non definit, ita inquit <sup>1</sup>: «Si totum ludicre et mimice et ioculariter ageretur, utrum approbandus esset baptismus qui sic daretur, divinum iudicium, per alicuius revelationis miraculum, oratione implorandum esse  
5 censerem». — Videtur tamen sapientibus non fuisse baptismus. Ut cum aliqui in balneum vel in flumen merguntur in nomine Trinitatis, non est tamen baptismus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc et in aliis sacramentis, sicut forma est servanda, ita et intentio illud celebrandi est habenda.

10 2. **Augustinus, ad Bonifacium** \*: «Illud <sup>2</sup> etiam non te moveat, quod quidam non ea fide parvulos ad baptismum ferunt, ut per Spiritum ad vitam regenerentur aeternam, sed eos putant hoc remedio temporalem retinere vel recipere sanitatem. Non enim propterea illi non regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur».

15 3. **Leo Papa** \*. Agnoscendum est etiam «in <sup>3</sup> baptizandis electis duo tempora esse servanda, id est Pascha et Pentecosten», ut in sabbato

<sup>6</sup> balneum... flumen *trp.* LNV. <sup>7</sup> tamen *om.* BCLMO. <sup>15</sup> Agnoscendum] Cognoscendum LO.

<sup>1</sup> *De bapt. contra Donatistas*, VII, c. 53, n. 102 (PL 43, 243; CSEL 51, 374). <sup>2</sup> *Epist.* 98, n. 5 (PL 33, 361; CSEL 34-II, 526). <sup>3</sup> *Epist.* 16 (*ad universos episc. Siciliae*), cc. 5-6 (PL 54, 701 A et 702 B).

Num. 2: Ex *Decreto*, *ibid.*, c. 33 (1372). Ad finem huius numeri in duobus nostris codicibus (L et R) in tertia columna additur: «Contrarium (*om.* R): legitur in ecclesiastica historia quod Alexander episcopus Alexandriae, cum Petri Martiris solemniter celebraret, post expleta missarum sacramenta vidit super oram maris puerorum ludum imitantium, ut solet fieri, episcopum, et gerentium ea que in ecclesia geri mos est. Mox eos ad se perducere iubet, et quid egissent percunctatur. Illi rei ordinem pandunt, baptizatos a se esse quosdam catechuminos confitentur per Athanasium puerum, qui illis fuerat episcopus simulatus. Ubi ex responsis eorum vidit secundum religionis nostre ritum cuncta constare, statuit illis quibus integris interrogationibus et responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea que sacerdotis mos est» (Rufinus, *Hist. eccl.*, I, 14; PL 21, 487 A-B; *Decretum*, C. 1, q. 1, dictum post c. 58 [380], unde textus hic). Idem legitur in quibusdam aliis codd. quos olim consulimus (ex. gr. Paris., BN lat. 3016, 3017, 3021, 3025, etc.); ac refertur a Gundulpho Bonon. (p. 427), et in Glossa olim Petro Pictav. attributa, in h.l. (n. 50r; p. 96c), ubi concluditur: «Nos vero sentimus in contrarium, nec est istud ad consequentiam trahendum». Haec verba probabiliter sese referunt ad traditionem viva voce *Sententiarum* ex parte Magistri, ut apparet ex *Tractatu de sacramentis* Magistri Petri Manducatoris, de baptismo, n. 21, ubi post summarium nostri textus additur: «Magister autem Petrus non dicit esse baptismum, quia nec iste intendit baptizare, nec illi baptizari» (ed. R. M. Martin, apud *Spicileg. sacrum Lovaniense* 17, 27\*). — Num. 3: Ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 12 (1365); dein, c. 16 (1367).



Paschae vel Pentecostes baptismi sacramentum celebretur. « Qui vero necessitate mortis vel periculi urgentur, omni tempore debent baptizari ».

Cap. 6 (41).

1. **De responsione patrinorum.** Porro cuncti ad baptismum venientes fidem suam profiteri debent, et exponere quid petere venerint ad ecclesiam. Unde et a baptizando quaeritur: *Quid venisti ad ecclesiam petere?* Qui, si adultus est, pro se respondet: *Fidem*, id est sacramentum fidei et doctrinam. Ita etiam per singula interrogatus, respondet se credere in Patrem et Filium etc. Si autem parvulus est, non valens credere vel loqui, alius pro eo respondet. — **Isidorus in libro De officiis** \*. Unde **Isidorus** 1: « Parvuli alio profitente baptizantur, qui adhuc loqui vel credere nesciunt; sicut etiam pro aegris, mutis vel surdis alius profitetur dum baptizantur ». « Sic et de poenitentibus agendum est ». — **Augustinus in libro De unico baptismo** \*: « Si 2 vero pro eo qui respondere potest alius respondeat, non itidem valet; sicut dictum est 3: *Aetatem habet, pro se loquatur* ».

2. **De sensu illorum verborum.** — **Responsio** \*. Si vero quaeritur ex quo sensu pro parvulo dicatur *credo* vel *fidem peto*, dicimus de sacramento fidei id esse intelligendum: quod respondetur petere cum defertur ad ecclesiam, et habere cum baptizatur; ut sit sensus: cum dicitur *fidem peto*, id est sacramentum fidei praesto sum recipere; *credo*, id est sacramentum fidei suscipio; quod est: hic parvulus praesto est sacramentum fidei accipere. — **Augustinus, Ad neophytos** \*. Unde **Augustinus** 4: « Nihil

1 Pentecostes] Pentecosten MVW. 5 petere] petendum LMOW, quod corr. W. 9 etc.] et spiritum sanctum CLNVX. 10 Rubrica om. LVW. 23 Ad neophytos] de neophitis BCWX.

1 *De eccl. officiis*, II, c. 25, n. 7 (PL 83, 822 A); vide etiam aliam seriem notarum. 2 *De baptismo contra Donatistas*, IV, c. 24, n. 31 (PL 43, 175s; CSEL 51, 260). 3 Ioan. 9, 21. 4 *Potius Epist. 98 (ad Bonifacium)*, n. 9 (PL 33, 364; CSEL 34-II, 531).

Cap. 6: Cf. ultimum studium cl. A. M. Landgraf piae memoriae, *Zur Eröffnenden Frage im römischen Taufritus*, in *ZfKTh* 80 (1958) 562-566. — Num. 1: Rubrica ex titulo *Summae sent.*, V, 11 (PL 176, 136 B). Auctoritas Isidori, ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 74 (1387); verba quae sequuntur (« Sic... est »), ex c. 75 (1387), ubi Concilio Carthag. IV ascribuntur cum nota editoris: *deest*, scil. in canone 48 illius Concilii (de quo Concilio et textu, cf. CCL 149, 265, lin. 424-426); auctoritas Augustini, ex c. 77 (1388). — Num. 2: Quaestio eruitur ex *Summa sent.*, V, 11 (136 C); auctoritas autem Augustini, ex *Decreto*, *ibid.*, c. 76 (1387).

est aliud credere quam fidem habere; et ideo, cum respondetur credere parvulus, qui fidei nondum habet affectum, respondetur fidem habere propter fidei sacramentum, et convertere se ad Deum propter conversionis sacramentum ».

3. **Item de sensu verborum** \*. Sed adhuc quaeritur ex quo sensu pro parvulo respondeatur: *Credo in Deum Patrem et in Iesum Christum et in Spiritum Sanctum*. Numquid de sacramento fidei, an de fide mentis ibi agitur? Si de sacramento, cur nominatim distinguuntur personae? Si vero de fidei affectu, quomodo verum est, cum eo careat parvulus? An illud facturus parvulus spondetur cum creverit, sicut et omnibus pompis diaboli respondetur abrenuntiare? Quod si non servaverit factus adultus, tenebitur ipse, vel sponsor? — **Responsio** \*. Sane dici potest ibi responderi pro parvulo quod, ad maiorem aetatem si venerit, et pompis diaboli renuntiabit et sanam fidem tenebit, cuius tunc sacramentum recipit. Hac autem sponsione parvulus pro quo fit tenebitur, non sponsor; si tamen ut cautio impleatur quantum in se est et operam dederit, quia exigitur a patrino diligens circa eum pro quo respondit sollicitudo. — **Ad catechumenos** \*. De hoc **Augustinus** 1: « Certissimam emisistis cautionem, qua renuntiare pompis diaboli spondistis ».

Cap. 7 (42).

1. **De catechismo et exorcismo.** Illa autem interrogatio et responsio fidei fit in catechumeno, cui et additur exorcismus. Ante baptismum enim fit catechismus et exorcismus. Post catechismum sequitur exorcismus, ut ab eo qui iam fide instructus est adversaria virtus pellatur.

1 est aliud *trp.* ATV. 11 respondetur] spondetur BCNRVW, corr. in spondetur LX. 12 Responsio om. RVW. || responderi] sponderi BCTW, responsio dari N. 16 et om. BCLW, del. RV. 17 respondit] respondet BCL, respondebit M, responderit X, spondedit R. 18 emisistis] emisisti BCL. 19 spondistis] spondisti BCL, spondederatis A. 23 et exorcismus om. BCV.

1 *Sermo 2* (inter opp. August., PL 40, 1209; reapse Mediolani confectus saec. VI: *Clavis*, n. 222, et PLS II, 1370).

Num. 3: Verba August. *ad catechumenos* (ita codd.), ex c. 73 (1386).

Cap. 7. Praeter auctoritates in fine, conflatur ex verbis Hugonis, *De sacram.*, et illis *Summae sent.* — Num. 1: Mixtim ex *Summa sent.*, V, 13 (PL 176, 138 B) et *De sacram.*, II, 6, 10 (456 A); in num. 2, quaedam sunt Hugonis, II, 6, 9 (456 A), reliqua eiusdem *Summae*; num. 3 dependet ab Hugone, II, 6, 7 (454 C).



2. Exorcismus de graeco in latinum dicitur adiuratio; catechismus, instructio. Catechizare est instruere, ut de symbolo ac rudimentis fidei. Exorcizare est adiurare, ut: *Exi ab eo, spiritus immunde*. Symbolum dicitur signum vel collatio; signum, quia eo fideles ab infidelibus discernuntur; collatio, quia ibi totius fidei sufficientia et integritas collata est. 5

3. Catechismus et exorcismus neophytorum sunt, magisque sacramentalia quam sacramenta dici debent. Neophytus novitius interpretatur vel rudis; et dicitur neophytus nuper ad fidem conversus, vel in disciplina religiosae conversationis rudis.

4. Haec igitur praecedunt baptismum: non quod sine istis non possit esse verus baptismus, sed ut baptizandus de fide instruatur et sciat cui debitor fiat deinceps, et ut diaboli potestas in eo minuatur. — **Rabanus, De instructione clericorum** \*. Unde **Rabanus** 1: « Ante baptismum catechizandi debet in hominem praevenire officium, ut fidei catechumenus accipiat rudimentum, et sciat cui debitor deinceps fiat ». — **Augustinus, in libro De symbolo** \*. Item **Augustinus** 2: « Parvuli exsufflantur et exorcizantur, ut pellatur ab eis diaboli potestas »; (**Rabanus** \*:) « ne 3 iam contendat eos subvertere ne baptismum consequantur ». — **Augustinus** \*: « Non 4 ergo in infantibus creatura Dei exsufflatur vel exorcizatur, sed » diabolus, ut recedat ab homine. 20

## DISTINCTIO VII

## Cap. 1 (43).

**De confirmatione.** Nunc de sacramento confirmationis addendum est, de cuius virtute quaeri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba quae dicit episcopus, cum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. 25

3 spiritus immunde *trp.* AMNTVW. 11 verus *om.* LMO. 14 hominem] homini LR.

1 *De institutione clericorum*, I, c. 25 (PL 107, 310 C-D). 2 Cap. I, n. 2 (PL 40, 628; CCL 46, 186). 3 *Op. cit.*, I, 27 (312 A). 4 Augustinus, *loc. cit.*

Num. 4: conclusio est illa *Summae*; dein Rabanus, ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 54 (1382); et Augustinus, ex c. 62 (1383).

Dist. VII. Praeter titulum ad cap. I et nomina ante auctoritates, aliae rubricae seu tituli desunt in codicibus; unde apparet quod materiam in capitula postea divisit Magister quando elenchum capp. confecit. Quam divisionem sequimur etiam hic, rubricas supplendo ex eodem

## Cap. 2 (44).

1. **Quod nonnisi a summis sacerdotibus tradi potest.** — **Eusebius Papa** 1 \*: Quod « sacramentum ab aliis perfici non potest nisi a summis sacerdotibus; nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur peractum; nec ab aliis quam qui locum eorum tenent perfici potest aut debet. Nam si aliter praesumptum fuerit, irritum habeatur et vacuum, nec inter ecclesiastica reputabitur sacramenta ». — **Gregorius** 2 \*. Licet autem « presbyteris baptizatos tangere in pectore », sed « non chrismate signare in fronte ».

2. **Gregorius** tamen Ianuario episcopo ita scribit 3: « Pervenit ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui baptizati sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum veterem usum nostrae Ecclesiae fecimus. Sed si omnino de hac re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizatos chrismate tangere debeant, concedimus ». « Sed istud pro scandalo sedando semel tantum concessum aestimatur ».

2 Quod... potest (*rubr.*) ex *elencho capp.*; *om. omnes codices.* 5 quam] ab ipsis *add.* N, ab illis *add.* RVX. 6 habeatur] habetur LRTWX, quod *corr.* L, *corr. in* habetur N, erit M. 7 Gregorius (*rubric.*) ad *lin.* 6 MNO, Augustinus ABCL et quidem ad *lin.* 6 BC, *om.* TX. 10 Glossa volatilis *om.* ANOV; *hic ad calcem col.* X2; *hic in tertia col.* W; *post sacramenta* (T) M2; *post cap.* 3 R2 (marg.) T (*in textu*); *ad finem dist.* VII BCL. 15 concessum] concessisse LMR.

1 *Epist.* 3, ad *episc.* Tusciae et Campaniae (PL 7, 1114 A-B), manifeste spuria (PLS 1, 175). 2 *Registrum epist.* IV, ep. 9, ad *Ianuarium episc.* (PL 77, 677 A). 3 *Registrum IV*, epist. 26 (PL 77, 696 A-B). Quod additur in fine (« Sed... aestimatur »), dictum est Gratiani post c. 2 (332).

elencho (supra, p. 12). — Cf. Gius. Riggio, *Liturgia e pastorale della Confermazione nei secoli XI-XII-XIII*, in *Ephem. Liturgicae* 87 (1973) 445-472; H. Weisweiler, *Das Sakrament der Firmung in den systematischen Werken der ersten Frühscholastik*, in *Schol.* 8 (1933) 481-523; L. A. van Buchum, *L'homélie pseudo-eusébiennne de Pentecôte. L'origine de la « confirmation » en Gaule méridionale et l'interprétation de ce rite par Fauste de Riez*, Nijmegen 1967. — Cap. 1: Titulus et quaestio, ex *Summa sent.*, VI, 1 (PL 176, 137 C).

Cap. 2, n. 1: Titulus et auctoritas Eusebii, ex eadem *Summa* (137 C - 138 C). Illa Gregorii, forsitan ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 120 (1399). — Num. 2: Verba Gregorii, ex eodem *Decreto*, d. 95, c. 1 (331).



## Cap. 3 (45).

**Quae sit virtus huius sacramenti.** Virtus vero huius sacramenti est donatio Spiritus Sancti ad robur, qui in baptismo datus est ad remissionem. — **Rabanus** \*. Unde **Rabanus** <sup>1</sup>: « A summo sacerdote per impositionem manus Paraclytus traditur baptizato, ut roboretur per Spiritum Sanctum ad praedicandum aliis illud quod ipse in baptismo consecutus est ». — **Urbanus Papa** \*. Item <sup>2</sup>: « Omnes fideles per manus impositionem episcoporum post baptismum accipere debent Spiritum Sanctum, ut pleni christiani inveniantur ».

## Cap. 4 (46).

1. **Utrum hoc sacramentum sit dignius baptismo.** — **Melchides Papa** \*: « Scitote <sup>3</sup> utrumque magnum esse sacramentum, sed unum maiori veneratione tenendum, sicut a maioribus datur ». Ecce maius dicit sacramentum confirmationis. — Forte non ob maiorem virtutem vel utilitatem quam conferat, sed quia a dignioribus datur, et in digniori parte corporis fit, id est in fronte. — Vel forte quia maius virtutum augmentum

<sup>2</sup> Rubrica additur ex elencho capp., om. codd. <sup>6</sup> in baptismo trp. post est NVX.  
<sup>11</sup> Utrum... baptismo (rubr.) ex elencho capp. <sup>12</sup> magnum esse trp. ANRV. || sacramentum trp. post utrumque R, post magnum X.

<sup>1</sup> De institutione clericorum, I, c. 30 (PL 107, 314 A). <sup>2</sup> Epistola [spuria] ad omnes christianos, VII (PG 10, 140 C - 141 A). <sup>3</sup> Melchides seu potius Miltiades papa (310-314), Epist. [spuria; PLS I, 175] ad omnes Hispaniae episcopos, II: « De his vero, super quibus rogitastis... scitote, utrumque magnum esse sacramentum. Et sicut unum de maioribus fit, id est, a summis pontificibus, quod a minoribus perfici non potest, ita et maiore veneratione venerandum et tenendum est » (I. Mansi II, 430; ex *Decretal. collect.* Isidori Mercatoris, PL 130, 240 B). Quatenus autem haec epistola, saltem in parte (« sicut exigit militaris... confirmationis auxilia »; Mansi 430 D - 431 A; PL 130, 240 D - 241 A), dependet ad litteram ab homilia 29 (seu 28), De Pentecosten, Eusebii 'Gallicani' (CCL 101, 337-338; PLS 4, 615s), facile deducitur commenticiam esse etiam nostram auctoritatem. Cf. V. Natalini, *Relazione ontologica della grazia del battesimo con la grazia della cresima*, in *Antoniarum* 37 (1962) 56-59, ubi etiam literatura.

Cap. 3: Quaestio et verba Rabani, ex *Summa sent.*, VI, c. 1 (PL 176, 138 C - 139 A); illa Urbani, ex *Decreto*, de consecr. d. 5, c. 1 (1413). — Cap. 4, n. 1, suggeritur in eodem cap. *Summae sent.* (139 A); auctoritas autem, ex *Decreto*, de consecr. d. 5, c. 3 (1413); unde etiam Rabanus, c. 5 (1414).

praestat, licet baptismus ad remissionem plus valeat. Quod videtur innuere **Rabanus** <sup>1</sup>, dicens in unctione baptismi « Spiritum Sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam », in hac vero « eiusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis et virtutis venire in hominem ».

2. Hoc sacramentum tantum a ieiunis et ieiunis tradi debet, sicut et baptismus, nisi aliter cogat necessitas.

## Cap. 5 (47).

1. **Utrum possit iterari.** Nec debet iterari, sicut nec baptismus vel ordo. — **Augustinus** <sup>2</sup> \*: « Nulli enim sacramento facienda est iniuria »; quod fieri putatur quando non iterandum iteratur.

2. **Augustinus, Contra epistolam Parmeniani** \*. Sed utrum aliqua vel nulla iterari possint, quaestio est. Nam de baptismo et ordine, quod non debeant iterari, aperte **Augustinus** ait <sup>3</sup>: « Utrumque sacramentum est et quadam consecratione datur: illud quidem cum baptizatur, illud vero cum ordinatur. Ideoque in catholica utrumque non licet iterari », quia « neutri <sup>4</sup> facienda est iniuria ». Quod indubitanter etiam de confirmatione tenendum est. De aliis vero, utrum iterari valeant vel debeant, postea disseremus <sup>5</sup>.

<sup>9</sup> Rubrica ex elencho capp. <sup>14</sup> ait] ostendit L, dicit NVX. <sup>16</sup> in] ecclesia add. BC. || catholica] ecclesia add. LMNVW, add. interl. T<sup>2</sup>. <sup>17</sup> iniuria trp. p. neutri NVX.

<sup>1</sup> De institutione cleric., I, c. 30 (PL 107, 314 B). <sup>2</sup> De bapt. contra Donatistas, I, c. 1, n. 2 (PL 43, 109; CSEL 51, 146); cf. N. M. Haring, *The Augustinian Axiom: Nulli sacramento iniuria facienda est*, in *Mediaeval Studies* 16 (1954) 87-117. <sup>3</sup> Lib. II, c. 13, n. 28 (PL 43, 70; CSEL 51, 79). <sup>4</sup> August., ibid., n. 30 (72; 81). <sup>5</sup> Infra, in Dist. 23, c. 4, ubi agitur de Extrema unctione.

Num. 2 summatim ex *Decreto*, de consecr. d. 5, cc. 6-7 (1414).

Cap. 5, n. 1: Quaestio oritur forsitan ex Hugonis *De sacram.* II, 7, 5 (PL 176, 461 C - 462 A); probabilius autem, ex verbis Augustini in *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 32 (1372). — Num. 2: Manifeste ex *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 97, §§ 1 et 7 (393, 394).



## DISTINCTIO VIII

## Cap. 1 (48).

**De sacramento altaris.** Post sacramentum baptismi et confirmationis, sequitur eucharistiae sacramentum. Per baptismum mundamur; per eucharistiam in bono consummamur. Baptismus aestus vitiorum exstinguit; eucharistia spiritualiter reficit. Unde excellenter dicitur 'eucharistia', id est bona gratia, quia in hoc sacramento non modo est augmentum virtutis et gratiae, sed ille totus sumitur, qui est fons et origo totius gratiae.

## Cap. 2 (49).

1. **Quod huius sacramenti in veteri Testamento figura praecessit, sicut et baptismi.** — Ambrosius\*. Cuius figura praecessit quando « manna 1 Deus pluit Patribus in deserto 2, qui quotidiano caeli pascebantur alimento; unde 3: *Panem angelorum manducavit homo*. Sed tunc panem illum qui manducaverunt mortui sunt; iste vero *panis vivus qui de caelo descendit* 4, vitam mundo tribuit. Manna illud e caelo, hoc super caelum.

3 altaris] et eucharistiae add. BCR<sup>2</sup>. 6 Unde] et add. ANRVW. 10-11 Rubrica ex elencho capp., om. codd. 11-12 manna Deus trp. BC. 12 Deus pluit trp. NVX. 15 e] de ALMNVX Ivo, Grat.

1 Ambrosius, *De mysteriis*, c. 8, nn. 47-48 (PL 16 [1845], 404 C - 405 A; CSEL 73, 109).

2 Resp. Exod. 16, 4: *Ecce ego pluam vobis panes de caelo* etc. 3 Ps. 77, 25. 4 Ioan. 6, 41.

Dist. VIII-XIII. Inter fontes tractatus Magistri *De sacramento altaris* enumerari oportet *Glossa* ipsius in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1641 C - 1647 D; cod. x 101b-103c; z 61a-62a), cuius textus exstat in Prolegomenis huius tomi. Quae *Glossa* permulta recapitulat ex *Summa sent.*, VI, c. 2-9 (PL 176, 139 A - 146 C), cuius auctor hic dependet de *Tractatu de sacramento altaris* Guillelmi de S. Theodorico (PL 180, 341-366); cf. D. Van den Eynde, *William of Saint-Thierry and the Author of the Summa sententiarum*, in *Franc. Studies* 10 (1950) 241-256; circa relationem inter illam *Summam* et tractatum Magistri uti supra, cf. eiusdem *Nouvelles précisions chronologiques sur quelques oeuvres théologiques du XII<sup>e</sup> siècle*, in *Franc. Studies* 13 (1953) 71-118, in specie 83-86. Cui fonti Magister hic adiungit *Decretum* Gratiani et alia quae infra notantur; parum autem vel nihil sumitur, ut videtur, ex tractatu Hugonis in *De sacramentis* II, 8, 1-14 (PL 176, 461 D - 472 C). — Cap. 1: Ex initio c. 2 *Summae sent.*, VI (PL 176, 139 A-B). — Cap. 2, n. 1: Verbis introducitur *Summae sent.*, VI, 2 (139 B); sed unde auctoritas Ambrosii, nobis evadit; forsitan ex quadam *Glossa* Magistri in Ioannem vel in Exodum.

Illud scaturiebat, in diem alterum reservatum 1; hoc ab omni corruptione alienum, quicumque religiose gustaverit, corruptionem non videbit ».

2. Illud datum fuit antiquis post transitum maris Rubri, ubi submersis Aegyptiis, liberati sunt Hebraei 2; ita hoc caeleste manna non nisi renatis praestari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit; haec esca caelestis fideles huius saeculi desertum transeuntes in caelo subvehit. Unde recte *viaticum* appellatur quia in via nos reficiens, usque in patriam deducit. Sicut ergo in mari Rubro figura baptismi praecessit, ita in manna significatio dominici corporis.

3. Haec duo sacramenta demonstrata sunt ubi de latere Christi sanguis et aqua fluxerunt 3, quia Christus per sanguinem redemptionis et aquam ablutionis nos redimere a diabolo et a peccato venit, sicut Israelitas per sanguinem agni paschalis ab exterminatore 4, et per aquam maris ab Aegyptiis liberavit 5.

4. Huius etiam sacramenti ritum Melchisedech ostendit 6, ubi panem et vinum Abrahae obtulit. Unde, ut ait Ambrosius 7, intelligi datur « anteriora esse sacramenta Christianorum quam Iudaeorum ».

## Cap. 3 (50).

20 **De institutione sacramenti.** Hic etiam ante alia consideranda occurrunt quatuor, scilicet institutio, forma, sacramentum et res. — Sacramentum Dominus instituit, quando post typicum agnum, corpus et sanguinem suum discipulis in coena porrexit 8. Unde Eusebius Emis-

1 reservatum] servatum ALT. 7 caelo] celum BCLMNVX. 8 nos reficiens trp. LNVX. 13 peccato] peccatis BCMO. || venit (voluit X) trp. p. redimere NRVX. 16 etiam] autem ABCW. etiam om. BCW. 21 scilicet om. LMOX. || sacramentum<sup>1</sup> trp. p. scilicet (quatuor) AMO, trp. p. institutio LR. 23-1 (p. 282) Emisenus] misenus M, Emisenus NV, om. RX.

1 Resp. Exod. 16, 20: *et scaturire coepit vermibus et computruit*. 2 Resp. Exod. 14, 20-40; cf. I Cor. 10, 1-4. 3 Ioan. 19, 34; cf. supra, Dist. 3, c. 6. 4 Resp. Exod. 12, 13s. 5 Exod. 14, 20-30. 6 Gen. 14, 18. 7 *De sacramentis*, IV, c. 3, n. 10 (PL 16 [1845], 438 A; CSEL 73, 4). 8 Resp. Matth. 26, 26-28; Marc. 14, 22-24; Luc. 22, 19-20.

Num. 2: Ex eodem cap. *Summae*. — Num. 3: cf. Lib. II, d. 18, c. 3, n. 2 (I, 417). — Num. 4: Ex *Summa sent.*, VI, 2 (PL 176, 139 C), ubi et verba Ambrosii.

Cap. 3 suggeritur in eadem *Summa*, sed dependet immediatius ex tractatu in *Glossa* in I Cor., n. 1; cui hic adiungit auctoritatem Eusebii, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 35 (1325).



n u s<sup>1</sup>: « Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis et illaturus sideribus, necesse erat ut die coenae sacramentum nobis corporis et sanguinis consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur in pretium ».

## Cap. 4 (51).

5

**De forma.** Forma vero est, quam ipse ibidem edidit dicens<sup>2</sup>: *Hoc est corpus meum*; et post: *Hic est sanguis meus*. Cum enim haec verba proferuntur, conversio fit panis et vini in substantiam corporis et sanguinis Christi; reliqua ad Dei laudem dicuntur. — **Ambrosius in libro De sacramentis**<sup>3</sup> \*. Unde **Ambrosius**: « Sermone Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat; et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione verbi caelestis. Consecratio quibus fit verbis? Attende quae sunt verba<sup>4</sup>: *Accipite et edite ex eo omnes: hoc est corpus meum*; et item: *Accipite et bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus*. Per reliqua omnia quae dicuntur, laus Deo defertur, oratio praemittitur pro populo, pro regibus ». — **Augustinus** \*. Item **Augustinus**<sup>5</sup>: « Credendum est quod in verbo Christi sacramenta conficiantur; reliqua omnia nihil aliud sunt quam laudes vel obsecrationes fidelium et petitiones ». Ecce quae sit institutio et forma huius sacramenti.

20

14 edite] comedite LNVX. 15 hoc] eo CNTVX. 16 populo] et add. NVX.  
17 verbo] verbis BCLNTVW.

<sup>1</sup> Eusebius Gallicanus, *Hom. XVII seu VI de Pascha*, n. 1 (CCL 101, 196); alibi ut Ps-Hieron., *Ep. 38* (PL 30 [1846], 272 A), etc., ut ibi notatur (CCL 101, 192). <sup>2</sup> Matth. 26, 26-28.

<sup>3</sup> Lib. IV, cc. 4-5, n. 14: « Ergo sermo Christi hoc conficit sacramentum »; n. 17: « Accipe ergo quemadmodum sermo Christi creaturam... mutet »; n. 19: « Ergo didicisti, quod ex pane corpus fiat Christi. Et quid vinum, aqua? In calicem mittitur, sed fit sanguis consecratione caelesti »; n. 14: « Consecratio igitur quibus verbis est? »; nn. 21-22: « Accipe quae sunt verba .. *Accipite et edite ex hoc omnes; ... Accipite et bibite ex hoc omnes; hic est enim sanguis meus* »; n. 14: « Reliqua omnia quae dicuntur... laudes Deo, defertur oratio, petitur pro populo, pro regibus, pro ceteris » (PL 16 [1845], 440 A - 444 A; CSEL 73, 52-56). Minime autem Ambrosio directe usus est Magister. <sup>4</sup> Matth. 26, 26-28.

<sup>5</sup> Immo Paschasius Radbertus, *De corp. et sanguine Domini*, c. 15, n. 1 (PL 120, 1322 A).

Cap. 4: Initium trahitur ex eadem *Summa*, c. 4 (PL 176, 140 D - 141 A). Auctoritas Ambrosii unacum rubrica, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 45 (1334-1335), multis omissis et aliis transpositis. Illa pseudo-Augustini (etiam sine nomine operis) conficitur ex c. 72, §§ 2 et 3 (1342-1343).

## Cap. 5 (52).

1. **Quare post alium cibum dedit corpus et sanguinem discipulis** \*. Ubi consideratione dignum est quare illud sacramentum post coenam dedit discipulis. — **Hieronymus** \*: « Dominus<sup>1</sup> igitur Iesus ad invisibilia paternae maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico pascha, quiddam memorabile eis commendare volens, sub specie panis et vini corpus et sanguinem suum eis tradidit, ut ostenderet Legis veteris sacramenta, inter quae praecipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac novae Legis sacramenta substitui, in quibus excellit mysterium Eucharistiae ». « Ideo etiam post alia dedit, ut hoc unum arctius memoriae discipulorum infingeretur, et ab Ecclesia deinceps frequentaretur ».

2. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, ut post alios cibos sumatur. Potius a ieiunis sumi oportet, sicut Apostolus docet<sup>2</sup>, ut singulari reverentia *diiudicetur*, « id<sup>3</sup> est discernatur ab aliis cibis ». Quod Dominus Apostolis disponendum reliquit. — **Augustinus in libro Responsionum ad Ianuarium** \*. Unde **Augustinus**<sup>4</sup>: « Apparet, cum primo acceperunt discipuli eucharistiam, non eos accepisse ieiunos. Non ideo tamen calumniandum est universae Ecclesiae, quod a ieiunis semper sumitur. Placuit enim Spiritui Sancto ut in honore tanti sacramenti, prius in os christiani dominicum corpus intraret quam alii cibi; ideo ubique mos iste servatur. Non enim quia post cibos Dominus dedit, ideo pransi

2 Rubrica *hic* A, *trp. ad lin. 4 LM, ad lin. 8 N, ad Ideo (lin. 10) BCTX, om. ORVW.*  
6 quiddam] quoddam MTW. || memorabile] memoriale BRTVWX. 7 eis tradidit  
*trp. ATV.* 18 discipuli] apostoli MTX.

<sup>1</sup> Verba sunt Lombardi in *Glossa super I Cor. 11, 25*, ubi introducitur « de corpore Domini plenior tractatus » (PL 191, 1641 C) quibusdam verbis Hieronymi in Matth. 26, 26 (PL 26 [1845], 195 B; CCL 77, 251). De quo tractatu infra agitur in alia serie notarum.  
<sup>2</sup> I Cor. 11, 20-29. <sup>3</sup> Ex *Glossa interlin.* in I Cor. 11, 29: *Non diiudicans corpus Domini* (cod. l 60v; m 59r; apud Lyranum, VI, 51v). <sup>4</sup> *Epist. 54*, c. 6, nn. 7-8 (PL 33, 203; CSEL 34-II, 166s).

Cap. 5, n. 1 dependet ex eadem quaestione in *Glossa* seu tractatu, nn. 1 et 3; reliqua ex *Glossa ordin.* in Matth. 26, 26 (apud Lyran., V, 79b-c). — Conclusio (« Ideo etiam ») est Lombardi in eadem *Glossa* in I Cor., in fine n. 3; remote ex *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyran. VI, 50a; cod. l 59c). — Num. 2: Auctoritas Augustini, ex *Glossa* in I Cor. 11, 18-20 (PL 191, 1638 D), ex Floro in h.l. (378).



vel coenati illud accipere debent, ut illi faciebant quos Apostolus arguit<sup>1</sup>. Nam Salvator, quo vehementius commendaret mysterii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus et memoriae discipulorum, a quibus ad passionem digressurus erat. Quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis, per quos Ecclesias dispositurus erat, reservavit docendum ».

Cap. 6 (53).

**De sacramento et re.** Nunc quid ibi sacramentum sit et quid res, videamus. — **Augustinus in libro De civitate Dei** \*: « Sacramentum<sup>2</sup> est invisibilis gratiae visibilis forma »; forma ergo panis vel vini, quae ibi videtur, sacramentum est, id est signum sacrae rei, quia « praeter<sup>3</sup> speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid facit in cogitationem venire ».

— **Gregorius, in homilia paschali** \*. Tenent ergo « species<sup>4</sup> vocabula rerum quae ante fuerunt, scilicet panis et vini ».

Cap. 7 (54).

**1. De re sacramenti, quae est duplex** \*. Huius autem sacramenti gemina est res: una scilicet contenta et significata, altera significata et non contenta. Res contenta et significata est caro Christi quam de Virgine traxit, et sanguis quem pro nobis fudit. — **Augustinus, Super Ioannem** \*: Res autem significata et non contenta est « unitas<sup>5</sup> Ecclesiae in praede-

<sup>1</sup> illi om. V. || illi faciebant (*lectio prima?*) add. marg. O, om. AMRTX: || faciebant om. N. <sup>5</sup> reservavit] reservatur M, servavit ALNT Ivo, Grat., Gl. in I Cor., quod corr. N. <sup>7</sup> sacramentum sit trp. ALX. <sup>11</sup> cogitationem] cogitatione L, mentem M, cognitionem NWX, corr. in cognitionem R. <sup>12</sup> Gregorius] August. LT. || species] speciem BCM, quod corr. B, om. X.

<sup>1</sup> I Cor. 11, 20-29. <sup>2</sup> De hac definitione, cf. Dist. 1, c. 2. <sup>3</sup> Cf. Dist. 1, c. 3. <sup>4</sup> Verba sunt Lanfranci, *Liber de corpore et sanguine Domini*, c. 20: « Species namque, et similitudo illarum rerum vocabula sunt, quae ante fuerunt et ex quibus corpus Christi sanguisque conficitur » (PL 150, 436 B), ubi rubrica hic posita invenitur ad 435 B. Error est Gratiani (infra). <sup>5</sup> Tract. 26, n. 15 (PL 35, 1614; CCL 36, 267).

Cap. 6. Quaestio trahitur ex *Summa sent.*, VI, 3 (PL 176, 140 A); cf. D. Van den Eynde, *William of Saint-Thierry*, in *Franc. Studies* 10 (1950) 243. Definitio sacramenti, ut rubrica demonstrat, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 32 (1324); dein, quaedam verba ex *Summa sent.* Auctoritas Gregorio attributa, ex *Decreto*, c. 34 (1324). Idem error alibi invenitur, uti infra, Dist. XI, c. 2, nn. 8-9, ubi res prolixius investigatur. — Cap. 7, nn. 1-2, fundatur in tract. primitivum, nn. 5-10.

stinatis, vocatis, iustificatis et glorificatis ». Haec est duplex caro Christi. — **Hieronymus, super Epistolam ad Ephesios** \*. Unde Hieronymus<sup>1</sup>: « Dupliciter, inquit, intelligitur caro Christi et sanguis: vel illa quae crucifixa est et sepulta, et sanguis qui militis effusus est lancea; vel spiritualis illa ac divina, de qua ipse ait<sup>2</sup>: *Caro mea vere est cibus, et sanguis meus vere est potus*; et: *Nisi manducaveritis carnem meam et biberitis sanguinem meum, non habebitis vitam aeternam* ».

**2. De tribus quae hic possunt distingui** \*. Sunt igitur hic tria distinguenda: unum quod tantum est sacramentum, alterum quod est sacramentum et res, et tertium quod est res et non sacramentum. Sacramentum et non res est species visibilis panis vel vini; sacramentum et res, caro Christi propria et sanguis; res et non sacramentum, mystica eius caro. — Porro species illa visibilis sacramentum est geminae rei, quia utramque rem significat, et utriusque rei similitudinem gerit expressam. Nam sicut panis prae ceteris cibis corpus reficit et sustentat, et vinum hominem laetificat atque inebriat, sic caro Christi interiorem hominem plus ceteris gratiis spiritualiter reficit et saginat; unde<sup>3</sup>: *Calix tuus inebrians, quam praeclarus est!* — Habet etiam similitudinem cum re mystica, quae est unitas fidelium: quia sicut ex multis granis conficitur unus panis, et ex pluribus acinis vinum in unum confluit<sup>4</sup>, sic ex multis fidelium personis unitas ecclesiastica constat.

**3. Augustinus, De sacramentis fidelium** \*. Unde Apostolus<sup>5</sup>: *Unus panis et unum corpus multi sumus*. Unde Augustinus<sup>6</sup>: « Unus panis et unum corpus Ecclesia dicitur, pro eo quod, sicut unus panis ex multis granis et unum corpus ex multis membris componitur, sic Ecclesia ex multis fidelibus caritate copulante connectitur ». « Hoc<sup>7</sup> mysterium pacis et unitatis nostrae Christus in sua mensa consecravit. Qui accipit hoc mysterium unitatis et non tenet vinculum pacis, non accipit mysterium pro se, sed contra se ».

<sup>2</sup> Eph.] hebr. BCX. <sup>4</sup> militis trp. post lancea BC. || lancea trp. post militis NVX. 11 vel] et BCMV, corr. ex et N. <sup>14</sup> significat] signat ATW.

<sup>1</sup> In Eph. 1, 7 (PL 26 [1845], 451 A). <sup>2</sup> Ioan. 6, 56; et 6, 54. <sup>3</sup> Ps. 22, 5. <sup>4</sup> August., In Ioan., tr. 26, n. 17: « Dominus noster Iesus Christus corpus et sanguinem suum in eis rebus commendavit, quae ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namque aliud in unum ex multis granis confit; aliud in unum ex multis acinis confluit » (PL 35, 1614; CCL 36, 268). <sup>5</sup> I Cor. 10, 17. <sup>6</sup> Scil. Sermo 229, cuius fragmentum tantum exstat (PL 38, 1103); cf. PLS 2, 406s, de hac quaestione. <sup>7</sup> August., Sermo 272 (PL 38, 1248).

Num. 3: Ex Glossa in I Cor. 10, 17 (PL 191, 1624 C).



4. « Cuius<sup>1</sup> etiam sacramentum est corpus Christi proprium, de Virgine sumptum: quia ut corpus Christi ex multis membris purissimis et immaculatis constat, ita societas ecclesiastica ex multis personis a criminali macula liberis consistit. In cuius rei typo facta est arca Domini de lignis sethim<sup>2</sup>, quae sunt imputribilia et albae spinae similia ».

## DISTINCTIO IX

## Cap. 1 (55).

1. De duobus modis manducandi. — Augustinus, De blasphemia Spiritus sancti\*. Et sicut duae sunt res illius sacramenti, ita etiam et « duo<sup>3</sup> modi manducandi: unus sacramentalis scilicet, quo boni et mali edunt; alter spiritualis, quo soli boni manducant ». — Augustinus, De verbis evangelii\*. Unde Augustinus<sup>4</sup>: « Quid est Christum manducare? Non est hoc solum, in sacramento corpus eius accipere: multi enim indigne accipiunt »; sed « in<sup>5</sup> ipso manere, et habere ipsum in se manentem ». « Spiritualiter<sup>6</sup> enim manducatur, qui in unitate Christi et Ecclesiae, quam sacramentum significat, manet ». — Augustinus in libro Sententiarum Prosperi: « Nam<sup>7</sup> qui discordat a Christo, nec carnem Christi manducatur, »

<sup>1</sup> proprium *trp.* post est BCN. <sup>9</sup> et om. AMR, add. interl. T. <sup>10</sup> scilicet om. ABCRT. <sup>13</sup> est hoc *trp.* MORTX.

<sup>1</sup> Uti hic iacet, ex fonte ignoto; remote, ex Beda, *De tabernaculo*, I, c. 4: « Archa... non incongrue ipsam Domini et Salvatoris nostri Incarnationem designat... Quae videlicet archa bene de lignis sethim compingi iubetur. Ligna quippe sethim levis atque imputribilis ferunt esse naturae non multum a qualitate albae spinae distantia. Archa ergo de lignis sethim facta est quia corpus dominicum ex membris constabat omni vitiorum labe carentibus » (PL 91, 401 B; CCL 119 A, 13). <sup>2</sup> Exod. 25, 10; Exod. 37, 1; Deut. 10, 3; Is. 40, 20: lignum... imputribile. <sup>3</sup> *Sermo 71*, c. 11, n. 17 (PL 38, 453). <sup>4</sup> *Sermo Mai 129*, n. 1 (PLS 2, 519). <sup>5</sup> August., *In Ioan.*, tr. 26, n. 18: « Denique iam exponit... quid sit manducare corpus eius et sanguinem bibere: Qui manducatur carnem meam et bibit meum sanguinem, in me manet et ego in illo. Hoc est ergo manducare illam escam et illum bibere potum, in Christo manere et illum manentem in se habere » (PL 35, 1614; CCL 36, 268). <sup>6</sup> *Glossa ordin.* in I Cor. 11, 29 (cod. m, 58c; apud Lyranum VI, 51c). <sup>7</sup> Num. 341 (PL 45, 1890; 51, 481 C).

Num. 4: Iterum ex tractatu primitivo, n. 10.

Dist. IX, c. 1, n. 1: Ex *Glossa* in I Cor. 11, 29 (PL 191, 1647 C-D), ubi Magister dependet a *Glossa* Gilberti in h.l. (cod. Florent., Laurent. Pl. 12. d. 2, f. 73b; cf. etiam A. M. Landgraf, *Commentarius Porretanus in primam epist. ad Cor.*, in *Studi e testi* 117, p. 202, nota 186\*).

nec sanguinem bibit, etsi tantae rei sacramentum ad iudicium quotidie accipiat ».

2. Augustinus in libro De remedio poenitentiae\*. Spiritualem manducationem Augustinus distinguens a sacramentali, ait 1: « Ut quid paras dentem et ventrem? Crede, et manducasti ». « Credere<sup>2</sup> enim in eum, hoc est manducare panem et vinum. Qui credit in eum, manducatur eum ». — Augustinus, De verbis evangelii\*. Item 3: « Quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit 4: Qui manducatur carnem meam et bibit sanguinem meum, in me manet et ego in eo. Si in me manet et ego in eo, tunc [manducatur, tunc] bibit; qui vero non in me manet nec ego in illo, etsi accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum ».

3. Augustinus, De sacramentis fidelium\*. Item 5: « Nulli ambigendum est tunc quemque corporis sanguinisque Domini participem fieri, quando Christi membrum efficitur; nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiam si antequam panem illum edat et calicem bibat, de hoc saeculo in unitate corporis Christi constitutus abscedat: quia illius sacramenti beneficio non privatur, quando ille hoc quod illud sacramentum significat invenitur. In illo enim sacramento corpus et sanguinem suum commendavit nobis; quod et fecit nos ipsos, nam et nos corpus ipsius facti sumus ».

4. Item 6: « Qui discordat a Christo, nec manducatur carnem eius nec sanguinem, etsi tantae rei sacramentum ad iudicium sibi quotidie accipit ».

1 iudicium] sui add. BCLVW, sumitur add. M, sumunt add. sed del. O, suum add. interl. T, suae praesumptionis add. Prosper, Florus, Ivo, Grat. <sup>14</sup> Christi membrum *trp.* RTX, Florus, Glossa. <sup>17</sup> ille] in add. MX, add. interl. B<sup>2</sup>T, corr. in in se N<sup>2</sup>. <sup>21</sup> nec] non ABCLMNVW.

<sup>1</sup> Non obstante rubrica, quae Gratiani est, fons est potius *In Ioan.* tr. 25, n. 12 (PL 35, 1602; CCL 36, 254). <sup>2</sup> *Ibid.*, tr. 26, n. 1 (1607; 260). <sup>3</sup> Continuatio eiusdem *Sermo Mai 129*, n. 2 (PLS 2, 519). <sup>4</sup> *Ioan.* 6, 57. <sup>5</sup> *Sermo 229: De sacramentis fidelium* (PL 38, 1103). <sup>6</sup> Repetitur eadem auctoritas ac supra in fine n. 1.

Num. 2: Prima et secunda auctoritates, ut apparet ex rubrica, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 47 (1331); ultima, ex c. 46. — Num. 3: Ex *Glossa* in I Cor. 10, 17 (PL 191, 1624 C-D); sed unde traxerit Magister, nescimus. Non invenitur apud Florum; bis datur, sub aliis rubricis et in forma aliquid diversa, in *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 36 (1326), et d. 4, c. 131 (1404).



## Cap. 2 (56).

1. **De errore quorundam qui dicunt a bonis tantum corpus Christi sumi.** Haec verba et alia huiusmodi, ubi de spirituali manducatione agitur, quidam obtuso corde legentes, erroris caligine involuti sunt, adeo ut dicere praesumpserint corpus et sanguinem Christi a bonis tantum sumi, et non a malis. — Sed indubitanter tenendum est a bonis sumi non modo sacramentaliter, sed et spiritualiter; a malis vero tantum sacramentaliter, id est sub sacramento: scilicet sub specie visibili carnem Christi de Virgine sumptam, et sanguinem pro nobis fustum sumi, sed non mysticam, quae tantum bonorum est. Quod subditis probatur testimoniis:

2. **Gregorius in libro Dialogorum IIII\*.** Gregorius ait<sup>1</sup>: « Est quidem in peccatoribus et indigne sumentibus vera Christi caro et verus sanguis, sed essentia, non salubri efficientia ». — **Augustinus, De verbis evangelii\*.** Item Augustinus<sup>2</sup>: « Multi indigne accipiunt corpus Domini, de quibus ait Apostolus<sup>3</sup>: *Qui manducat [panem] et bibit calicem Domini indigne, iudicium sibi manducat et bibit* ». — **Augustinus, Super Ioannem\*:** « Per<sup>4</sup> quod docemur quam sit cavendum male accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum. Sicut econtra Apostolo factum est bonum, cum bene accipitur malum, scilicet dum *stimulus Satanae*<sup>5</sup> patienter portatur ». Ergo « et mala<sup>6</sup> prosunt

<sup>8</sup> scilicet... non esse (p. 393, lin. 4; d. 23, c. 4) om. C ob defectum foll.

<sup>1</sup> Immo Lanfrancus, *De corp. et sanguine Domini*, c. 20 (PL 150, 436 D), post verba Gregorii allegata ex *Dialogis*, IV, 59 (PL 77, 428 A). <sup>2</sup> *Sermo Mai 129*, n. 1 (PLS 2, 519).

<sup>3</sup> I Cor. 11, 27 et 29. <sup>4</sup> Tract. 62, n. 1 (PL 35, 1801s; CCL 36, 483). <sup>5</sup> Resp. II Cor. 12, 7. <sup>6</sup> Mixtim ex August. in eodem loco et tr. 6, n. 15 (PL 35, 1432; CCL 36, 61).

Cap. 2-3. Iam in parte in *Glossa Magistri* in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1643 A - 1644 A) seu in tractatu primitivo, q. 6, nn. 13, 17-21); et ante Magistrum, in *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, VI, 50c, 51a; cod. 1 58a): « Post haec videndum est utrum a bonis et malis corpus Christi et sanguis sumatur ». Sed statim in tractatu (nn. 14-16) alteram quaestionem inserit Magister quae examinatur sub sequenti Dist., c. 2: « Verumtamen ante hoc ostendi oportet verum corpus Christi esse in altari... ».

Cap. 2, n. 1: Cui vel quibus hic opponitur, non apparet; unum invenimus, quendam Gerlandum ab Hugone Metello reprehensum (PL 188, 1273 C-D); ubi Hugo suum sequitur magistrum Anselmum Laudunensem (cf. O. Lottin, *Psych. et morale* V 28s.). — Num. 2: Primae auctoritates ex eodem tractatu, nn. 17-18; ultima, ex *Glossa* in I Cor. 11, 26 (PL 191, 1646 B).

bonis, sicut angelus Satanae Paulo, et sancta obsunt malis: bonis sunt ad salutem, malis ad iudicium. Unde *qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit*: non quia res illa mala est, sed quia malus male accipit quod bonum est ».

3. Idem<sup>1</sup>: « Indigne quis sumens corpus Christi, non efficit ut, quia malus est, malum sit quod accipit; vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim et sanguis Domini nihilominus erat in illis quibus ait Apostolus: *Qui manducat indigne* » etc. — His aliisque pluribus aperte ostenditur quod etiam a malis verum corpus Christi et sanguis sumitur, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

## Cap. 3 (57).

1. **De intelligentia quorundam verborum.** Secundum hos duos modos sumendi, intelligentia quorundam verborum ambigue dictorum distinguenda est.

2. Ait enim Augustinus<sup>2</sup>: « Bonus accipit sacramentum et rem sacramento, malus vero sacramentum et non rem ». — Sacramentum hic dicit corpus Christi proprium de Virgine ductum; rem vero, spiritualementem Christi carnem. Bonus ergo utramque Christi carnem accipit, malus vero tantum sacramentum, id est corpus Christi sub sacramento, et non rem spiritualementem.

3. Item<sup>3</sup>: « Non manducans manducat, et manducans non manducat »: quia « non manducans sacramentaliter, aliquando manducat spiritualiter », et e converso. — **Gregorius\*.** Et qui manducant spiritualiter, « veritatem<sup>4</sup> carnis et sanguinis » dicuntur sumere, quia « ipsam efficientiam habent, id est remissionem peccatorum ». — **Gregorius\*.** Pro qua

<sup>1</sup> August., *De bapt. contra Donatistas*, V, c. 8, n. 9 (PL 43, 181; CSEL 51, 270).

<sup>2</sup> Non invenitur ad verbum apud August.; cf. supra, c. 2, n. 2. <sup>3</sup> Iterum non invenitur extra *Glossam* Magistri (uti infra, in aliis notis). <sup>4</sup> Verba sunt Lanfranci, *De corpore et sanguine Domini*, c. 20: « Quamvis non improbabiler quidam exponant hoc in loco [agitur de Ioan. 14, 21: *Qui autem diligit me...*; et Ps. 90, 16: *et ostendam illi salutare meum*] esse carnis et sanguinis veritatem, ipsam eorundem efficientiam, id est peccatorum remissionem » (PL 150, 436 C). De nomine Gregorii cf. supra, c. 2, n. 2.

Num. 3: Textus invenitur apud Florum in I Cor. 11, 29 (383), non autem hic in *Glossa* Magistri. An forsitan inveniat in quadam *Glossa* Magistri adhuc ignota in Ioan. 13, 27 ?

Cap. 3 dependet in parte ab eadem *Glossa* seu tractatu, nn. 19-21.



videtur orari, cum dicitur<sup>1</sup>: « Perficiant in nobis, Domine, quaesumus, tua sacramenta quod continent: ut quae nunc specie gerimus, rerum veritate capiamus ». Rerum veritatem dicit ipsam efficientiam; quasi: per haec sacramenta praesta, ut sicut sacramentaliter carnem Christi sumimus, ita spiritualiter sumamus. — **Gregorius** \*. Vel « petit<sup>2</sup> sacerdos ut Christus, qui nunc sub specie panis et vini sumitur, manifesta visione, sicut in essentia divinitatis est, quandoque capiatur ». — Constat igitur a bonis et a malis sumi corpus Christi, sed a bonis ad salutem, a malis ad perniciem<sup>3</sup>.

## DISTINCTIO X

10

## Cap. 1 (58).

1. **De haeresi aliorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in signo.** Sunt item alii praecedentium insaniam transcendentis, qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritati contradicunt, asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis vel vini in substantiam carnis et sanguinis converti; sed ita Christum dixisse<sup>4</sup>: *Hoc est corpus meum*, sicut Apostolus dixit<sup>5</sup>: *Petra erat Christus*. Dicunt enim ibi esse corpus Christi tantum in sacramento, id est in signo; et tantum in signo manducari a nobis.

15

2. **Augustinus, super Psalmum LIII** \*. Qui errandi occasionem sumunt a verbis Veritatis unde « prima<sup>6</sup> haeresis facta est in discipulis

20

13 item] autem L, igitur item M. 21 Rubrica om. RVW.

<sup>1</sup> Postcommunio in missa Quatuor temp. Sept., in *Sacramentario Greg.* (PL 78, 142 C-D; ed. L.C. Mohlberg, n. 1051, p. 161). Circa influxum huius orationis in controversiis de Eucharistia, cf. J. de Montclos, *Lanfranc et Bérenger*, 574 (index). <sup>2</sup> Rectius, Lanfrancus, *De corp. et sanguine Domini*, c. 20 (PL 150, 436 B; cf. J. de Montclos, 314). <sup>3</sup> Cf. August., *In Ioan.*, tr. 6, n. 14 (PL 35, 1432; CCL 36, 61). <sup>4</sup> Matth. 26, 26. <sup>5</sup> I Cor. 10, 4. <sup>6</sup> Num. 23 (PL 36, 643; CCL 39, 673).

Dist. X. Respicit haeresim Berengarii Turonensis; cf. J. de Montclos, *Lanfranc et Bérenger. La controverse eucharistique du XI<sup>e</sup> siècle* (SSL 37), Leuven 1971, praesertim pp. 1-245. — C. 1, n. 1: Cf. Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 8, cc. 6-7 (PL 176, 465 C - 467 B); et *Summa sent.*, VI, 5 (PL 176, 142 A), unde quaedam verba. — Num. 2: Ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 44 (1330).

Christi. Cum enim diceret<sup>1</sup>: *Nisi quis manducaverit carnem meam et biberit sanguinem meum, non habebit vitam aeternam*, illi non intelligentes dixerunt<sup>2</sup>: *Durus est hic sermo, quis potest eum audire? Et abierunt retro*. « Illis<sup>3</sup> discedentibus, instruxit duodecim qui remanserant<sup>4</sup>: *Spiritus est, inquit, qui vivificat; caro nihil prodest. Verba quae locutus sum vobis spiritus et vita sunt*. « Intellexisti<sup>5</sup> spiritualiter? Spiritus et vita sunt. Intellexisti carnaliter? Etiam sic spiritus et vita sunt, sed tibi non sunt ». « Spiritualiter<sup>6</sup> intelligite quae locutus sum: non hoc corpus, quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos »; *caro autem non prodest quidquam*<sup>7</sup>.

3. Sunt etiam et alia illorum insaniae fomitem ministrantia. — **Augustinus, super Psalmum LIII** \*. Ait enim Augustinus<sup>8</sup>: « Donec saeculum finiat, sursum est Dominus; sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, uno loco esse oportet; veritas autem eius ubique diffusa est ». — **Super Ioannem** \*. Item<sup>9</sup>: « Una persona est Deus et homo, ubique per id quod Deus est, in caelo per id quod homo est ». — Christus etiam dicit<sup>10</sup>: *Pauperes semper vobiscum habebitis, me autem non semper habebitis*. — His aliisque utuntur praefati haeretici in assertionem sui erroris.

4. **Determinatio praemissorum.** Quae ex eadem ratione omnia accipienda sunt. Non enim his negatur verum corpus Christi a fidelibus sumi vel in altari esse, sed his Veritas Apostolos et in eis nos instruxit, quod ipsius corpus non per partes discerptum, ut putaverunt illi discipuli qui

4 remanserant] remanserunt BMWV. 12 et om. LMRW. 15 Dominus] domini O, om. M. || resurrexit] surrexit MNO, quod corr. O, Dominus add. B. 18-19 habebitis] habetis BMX. 20 assertione] assertionem TW.

<sup>1</sup> Ioan. 6, 54-55. <sup>2</sup> Ioan. 6, 61 et 67. <sup>3</sup> August., *Enarr. in Ps. 98*, 5, n. 9 (PL 37, 1265; CCL 39, 1386). <sup>4</sup> Ioan. 6, 64. <sup>5</sup> August., *In Ioan.*, tr. 27, n. 6 (PL 35, 1618; CCL 36, 273). <sup>6</sup> August., *Enarr. in Ps. 98*, n. 9 (PL 37, 1265; CCL 39, 1386). <sup>7</sup> Ioan. 6, 64. <sup>8</sup> Licet inveniat sub hac rubrica in *Decreto Gratiani* (infra), revera *In Ioan.*, tr. 30, n. 1 (PL 35, 1632; CCL 36, 289). <sup>9</sup> Rectius, *Epist. 187 (ad Dardanum)*, c. 3, n. 10 (PL 33, 836; CSEL 57, 89s). <sup>10</sup> Matth. 26, 11; Marc. 14, 7; Ioan. 12, 8. Cf. August. *in Ioan.* 12, 8, tr. 50, nn. 12-13 (PL 35, 1762s; CCL 36, 438s).

Num. 3: Prima auctoritas ex eodem c. 44 § 1; altera, ex *Summa sent.* VI, 9 (PL 176, 146 A). — Num. 4: Auctoritates hic Augustino attributae conficiuntur ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 45 (1330s).



retro ierunt<sup>1</sup>, sed integrum; nec visibiliter in forma humana, sed invisibiliter, sub forma panis et vini, corpus et sanguinem nobis traderet. — Augustinus in epistola ad Irenaeum\*. Quem sensum Augustinus confirmat dicens<sup>2</sup>: «Ipsam quidem et non ipsum corpus quod videbatur manducatur: ipsum invisibiliter, non ipsum visibiliter». Item: «Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, necesse est tamen invisibiliter intelligi».

5. **Quod caro Christi dicitur invisibilis\***. Ita etiam intelligendum est corpus Christi esse 'in uno loco', scilicet visibiliter in forma humana; veritas tamen eius, id est divinitas, ubique est; veritas etiam eius, id est verum corpus, in omni altari est ubicumque celebratur. Sic etiam illud intelligendum est<sup>3</sup>: *Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis*: secundum corporalem praesentiam scilicet qua cum eis conversabatur. — Similiter 'per id quod homo est, in caelo est': visibiliter scilicet; invisibiliter autem est in altari, quia non in forma humana apparet, sed forma panis et vini operitur. Unde et invisibilis caro eius dicitur: quae vere est in altari, sed quia non in sua specie apparet, invisibilis dicitur.

6. **Augustinus in libro Sententiarum Prosperi\***. Ait enim Augustinus<sup>4</sup>: «Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare con-

<sup>1</sup> ierunt] abierunt MRV, ierunt X.      <sup>7</sup> Rubrica om. RVW.      <sup>11</sup> habebitis] habetis ABMR.  
<sup>13-14</sup> visibiliter scilicet trp. LN.      <sup>14</sup> scilicet] sed MX, om. AB.  
<sup>19</sup> modis omnibus trp. post contendimus NVX.

<sup>1</sup> Cf. supra, in num. 2.      <sup>2</sup> Ita Gratianus (infra), cum rubrica. Quatenus autem distinguere oportet, ut videtur, inter quamdam glossam Lanfranci et ipsum textum Augustini, cf. *Enarr. in Ps. 98*, 5, n. 9, ubi pars altera textus: «Spiritualiter intelligite quod locutus sum: non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, et bibituri illum sanguinem, quem fusuri sunt qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi; spiritualiter intellectum vivificabit vos. Etsi necesse est illud visibiliter celebrari, oportet tamen invisibiliter intelligi» (PL 37, 1265; CCL 39, 1386). Dein cf. Lanfrancus, *Liber de corpore et sanguine Domini*, c. 18: «Ipsam quidem, quantum ad essentiam veraeque naturae proprietatem atque virtutem; non ipsum autem, si species [lege: spectes] panis vini que speciem»; cui sese refert infra, circa finem capituli: «...ego in professione fidei breviter posui, videlicet ipsum esse corpus, et non ipsum» (PL 150, 430 C, dein 434 A).      <sup>3</sup> Matth. 26, 11; Marc. 14, 7; Ioan. 12, 8. Cf. J. de Montclos, *Lanfranc et Bèrenger*, 306, et 347-348.      <sup>4</sup> Immo Lanfrancus, *Liber de corpore et sanguine Christi*, c. 10 (PL 150, 421 B-C).

Num. 5: Prima pars, usque ad *conversabatur*, ex *Summa sent.*, VI, 9 (PL 176, 145 D-146 A). — Num. 6-7: Ex *Decreto* Gratiani, de consecr., d. 2, c. 48 (1331); vide etiam supra, Lib. III, d. 6, c. 3, n. 2 (p. 53). Quoad historiam literariam huius textus, cf. N. M. Häring, *A Study in the Sacramentology of Alger of Liège*, in *Med. Studies* 20 (1958) 52s.

tendimus, sacrificium Ecclesiae duobus confici, duobus constare: visibili elementorum specie et invisibili Domini nostri Iesu Christi carne et sanguine; sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi. Sicut Christi persona constat et conficitur ex Deo et homine, cum Christus sit verus Deus et homo; quia omnis res illarum rerum naturam et veritatem in se continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem sacrificium Ecclesiae duobus: sacramento et re sacramenti, id est corpore Christi; est igitur sacramentum et res sacramenti idem corpus Christi». — Ecce invisibilem dixit carnem Christi, quia forma panis operita sumitur et tractatur; idemque corpus dixit esse sacramentum et rem: ex quo confirmatur quod supra diximus<sup>1</sup>.

7. **Idem in eodem\***. Deinde addit<sup>2</sup> quod magis lectorem movet: «Caro, inquit, eius est, quam forma panis operitam in sacramento accipimus; et sanguis eius, quem sub vini specie ac sapore potamus. Caro videlicet carnis, et sanguis sacramentum est sanguinis: carne et sanguine, utroque invisibili, intelligibili, spirituali, significatur corpus Christi visibile et palpabile, plenum gratia et divina maiestate».

8. **Quae sit intelligentia praemissorum.** Attende his diligenter, quia tropo quodam utitur hic Augustinus, quo solent res significantes rerum sortiri vocabula quas significant. Hic enim visibilis species panis vocatur nomine carnis, et visibilis species vini nomine sanguinis. Invisibilis vero et intelligibilis dicitur caro Christi, quia secundum illam speciem non videtur caro, sed intelligitur; ita et sanguis. Caro ergo invisibilis dicitur esse sacramentum carnis visibilis, quia species panis, secundum quam illa non videtur caro, est sacramentum carnis visibilis: quia carne invisibili, id est specie, secundum quam caro Christi non videtur caro, significatur corpus Christi, quod est visibile et palpabile ubi in sua forma apparet. Ita et de sanguine accipi debet.

9. **Ita esse intelligendum aliis verbis Augustini firmat\***. Quem sensum confirmat Augustinus<sup>3</sup>, aperiens qualiter praedicta intelli-

<sup>1</sup> duobus] modis add. ABMO, add. interl. N.      <sup>6</sup> sacrificium] sacramentum MVX.  
<sup>7</sup> duobus] scilicet add. A, modis add. B<sup>2</sup> (interl.) M.      <sup>8</sup> idem] id est MW Ivo, Grat., Lanfranc.

<sup>1</sup> In Dist. 8, c. 7, nn. 1-2.      <sup>2</sup> Parum infra, c. 14 (PL 150, 423 D-424 A).  
<sup>3</sup> Id est Lanfrancus, *Liber de corpore*, c. 14 (PL 150, 425 A). Quodammodo respicitur August., *Ep. 98 (ad Bonifacium)*, n. 9: «Nonne semel immolatus est Christus in seipso, et

Num. 8: Quasi omnia ad litteram ex *Summa sent.*, VI, 7 (PL 176, 144 B-C), ut notat N. M. Häring (ibid. 74). — Num. 9: Iterum ex *Decreto*, c. 48, § 2 (1332).



genda sint (quia obscure dixerat), consequenter dicens « ita panem vocari corpus Christi, cum vere sit sacramentum corporis Christi quod in cruce positum est, sicut ipsa immolatio quae fit manibus sacerdotis vocatur Christi passio: non rei veritate, sed significanti mysterio, et sicut sacramentum fidei dicitur fides ».

10. Satis responsum est haereticis obiectionibus eorum qui negant verum corpus Christi in altari esse, et panem in corpus vel vinum in sanguinem mystica consecratione converti, dicentes<sup>1</sup>: « Quis audeat manducare Dominum suum? » Quis etiam audeat dicere quotidie formari corpus Christi de materia vel substantia quae non fuit caro Virginis?

Cap. 2 (59).

1. **Auctoritatibus probat verum corpus Christi esse in altari et in id panem converti.** Haec et his similia obiciunt illi, in divino mysterio legem naturae sectantes. Quorum perfidiam subdita convincunt testimonia:

2. Ait enim Veritas<sup>2</sup>: *Accipite, hoc est corpus meum.*

3. **Ambrosius in libro De sacramentis** \*. Item **Ambrosius**<sup>3</sup>: « Si tantum valuit sermo Eliae<sup>4</sup> ut ignem de caelo deponeret, non valebit tantum Christi sermo ut substantias mutet? De totius mundi operibus legitur<sup>5</sup>: *Quia ipse dixit, et facta sunt* etc. Sermo igitur qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quae sunt in id mutare quod non erant? Non enim minus est dare quam mutare novas naturas rebus ».

4. **Ambrosius** \*. Item<sup>6</sup>: « Si ordinem quaerimus, viro mixta femina generare consueverat. Liqueat igitur quod praeter naturae ordinem Virgo

<sup>4</sup> significanti] significati AV, significante BLR, quod corr. in significandi LR. <sup>6</sup> haereticis] et add. NVX. <sup>18</sup> Christi sermo trp. LMR. <sup>19</sup> potuit ex nihilo trp. AOW.

tamen in sacramento... omni die populis immolatur...? Si enim sacramenta quamdam similitudinem earum rerum quarum sacramenta sunt non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundum quemdam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita sacramentum fidei fides est » (PL 33, 363s; CSEL 34-II, 530s).

<sup>1</sup> Dictum est Augustini, in *Sermone Mai 129*, n. 1 (PLS 2, 519). <sup>2</sup> Matth. 26, 26. <sup>3</sup> *De mysteriis*, c. 9, n. 52 (PL 16 [1845], 406 D - 407 A; CSEL 73, 112). <sup>4</sup> Resp. IV Reg. 1, 14. <sup>5</sup> Ps. 148, 5. <sup>6</sup> Ambrosius, *ibid.*, n. 53 (407 A; 112).

Num. 10: Cf. *Glossa Magistri* in I Cor. 10, 16 (PL 191, 1623 D).

Cap. 2, n. 3: Ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 69, § 2 (1340); in parte iam in *Glossa* in I Cor. 11, 25, seu in n. 15 tractatus primitivi, ex *Summa sent.* VI, 5 (PL 176, 142 A-B). — Num. 4: Prima auctoritas, ex *Decreto*, *ibid.*, c. 69, § 3 (1340); altera, ad finem eiusdem § 3.

generavit. Et hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid hic quaeris naturae ordinem in Christi corpore, cum praeter naturam sit ipse partus ex Virgine? » — Item<sup>1</sup>: « Ante benedictionem alia species nominatur; post consecrationem corpus significatur. Ante consecrationem aliud dicitur; post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis: *Amen*; hoc est: verum est. Quod sermo sonat, affectus sentiat ».

5. **Augustinus in libro Sententiarum Prosperi** \*. Item **Augustinus**<sup>2</sup>: « In specie panis et vini quam videmus, res invisibiles, id est carnem et sanguinem, honoramus. Nec similiter pendimus has duas species sicut ante consecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse et vinum quod natura formavit, post consecrationem vero carnem Christi et sanguinem quod benedictio consecravit ».

6. **Ambrosius in libro De sacramentis** \*. Item **Ambrosius**<sup>3</sup>: « Panis est in altari usitatus ante verba sacra; ubi accessit consecratio, de pane fit Christi caro. Quomodo autem potest quod panis est esse corpus Christi? Consecratione, quae fit Christi sermone ». — Item<sup>4</sup>: « Si tanta vis est in sermone Domini ut inciperent esse quae non erant, quanto magis operatorius est ut sint quae erant et in aliud commutentur. Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem, quia sermo Christi creaturam mutat. Et sic ex pane fit corpus Christi, et vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis, consecratione verbi caelestis ».

7. **Augustinus in sermone quodam De verbis evangelii** \*. Item **Augustinus**<sup>5</sup>: « Sicut per Spiritum vera caro sine coitu creatur, ita per eundem ex substantia panis et vini idem corpus Christi et sanguis consecratur. Corpus Christi et veritas est et figura: veritas, dum corpus Christi et sanguis virtute Spiritus ex panis vini que substantia efficitur; figura vero est id quod exterius sentitur ».

<sup>1</sup> Quid] ergo add. BLV, quod del. L.

<sup>1</sup> Num. 54 (407 B; 113). <sup>2</sup> Immo Lanfrancus, *De corpore et sanguine Christi*, c. 13 (PL 150, 423 C), interpretans verba Augustini a Berengario sibi obiecta ex *De catech. rudibus*, c. 26, n. 50 (PL 40, 344s). <sup>3</sup> Lib. IV, c. 4, n. 14 (PL 16, 439 B - 440 A; CSEL 73, 51s). <sup>4</sup> *Ibid.*, nn. 15-17 et 19 (440 B - 441 A, 442 B; 52ss). <sup>5</sup> Rubrica non obstante verba sunt Paschasii Radberti, *De corpore et sanguine Domini*, c. 4, n. 1 (PL 120, 1278 D - 1279 B; CCL-CM 16, 28-29, lin. 18-20, 37-39, 43-44).

Num. 5: Iterum ex *Decreto*, c. 41 (1328). — Num. 6: Ambae auctoritates iam cum quadam variatione in eodem, c. 55 (1334, 1335). — Num. 7: Ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 72 (1342).



8. **Eusebius** \*. Item **Eusebius Emisenus**<sup>1</sup>: « Invisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis et sanguinis sui verbo suo secreta potestate commutat ». — Ex his aliisque pluribus constat verum corpus Christi et sanguinem in altari esse, immo integrum Christum sub utraque specie, et substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem converti.

## DISTINCTIO XI

## Cap. 1 (60).

1. **De modo conversionis**. Si autem quaeritur qualis sit illa conversio, an formalis, an substantialis, vel alterius generis, definire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco, quia species rerum quae ante fuerant remanent, et sapor et pondus. — Quibusdam<sup>2</sup> videtur esse substantialis, dicentibus sic substantiam converti in substantiam, ut haec essentialiter fiat illa. Cui sensui praemissae auctoritates consentire videntur.

2. Sed huic sententiae sic opponitur ab aliis: Si substantia panis, vel vini convertitur substantialiter in corpus vel sanguinem Christi, quotidie fit aliqua substantia corpus vel sanguis Christi, quae ante non erat; et hodie est aliquid corpus Christi, quod heri non erat; et quotidie augetur corpus Christi, atque formatur de materia, de qua in conceptione non fuit factum.

## Cap. 2 (61).

1. **Quomodo dicitur corpus Christi confici de substantia panis** \*. Quibus hoc modo responderi potest: quia non ea ratione dicitur corpus Christi confici verbo caelesti, quod ipsum corpus in conceptu Virginis formatum deinceps formetur, sed quia substantia panis vel vini, quae ante non fuerat

<sup>1</sup> Eusebius Gallicanus, *Homilia XVII*, n. 2 (CCL 101, 196). <sup>2</sup> Hugoni de S. Victore, in *De sacram.* II, 8, 9 (PL 176, 468); et auctori *Summae sent.*, VI, 4-5 (PL 176, 141s).

Num. 8: Ex *Summa sent.*, VI, 5 (PL 176, 142 B), potius quam ex *Decreto*, *ibid.*, c. 35 (1325); unde in *Glossa* in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1643 B) seu in n. 16 tractatus primitivi.

Dist. XI. Cf. L. Hödl, *Der Transsubstantionsbegriff in der scholastischen Theologie des 12 Jahrhunderts*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 31 (1964) 230-259; et H. Jorissen, *Die Entfaltung der Transsubstantiationslehre bis zum Beginn der Hochscholastik*, Münster 1965, 25ss. — Cap. 1, n. 1: Ex *Glossa* in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1644 B-C) seu ex tractatu primitivo, nn. 24-26, sub rubrica: *Quae sit illa conversio*.

corpus Christi vel sanguis, verbo caelesti fit corpus et sanguis. Et ideo sacerdotes dicuntur conficere corpus Christi et sanguinem, quia eorum ministerio substantia panis fit caro, et substantia vini fit sanguis Christi. Nec tamen aliquid additur corpori vel sanguini, nec augetur corpus Christi vel sanguis.

2. **Augustinus in libro Sententiarum Prosperii** \*: « Si<sup>1</sup> vero quaeris modum quo id fieri possit, breviter respondeo: Mysterium fidei credi salubriter potest, investigari salubriter non potest ». Quod ergo corpus Christi panis in id mutatione non augmentatur, nec sanguis ex vini conversione, eius voluntati et potentiae adscribatur, qui idem corpus eduxit de Virgine. Fit igitur substantia illa ista, sine huius augmento.

3. Nec tamen concedunt quidam quod substantia panis aliquando sit caro Christi, etsi fiat caro Christi; sicut farina facta est panis, et aqua facta est vinum, nec tamen dicitur: farina est panis, et aqua est vinum. — Alii vero concedunt illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus et sanguinem; nec tamen sequitur: panis est caro Christi, vel vinum est sanguis, quia substantia panis vel vini, postquam facta est Christi caro vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro et sanguis.

4. Ideo distinguendum videtur. Cum dicitur: substantia panis, vel id quod erat panis, modo est corpus Christi (manens enim panis, non est corpus Christi, sed mutata), id est: quod facta est, est corpus Christi. — Nec dicimus substantiam panis vel vini materiam esse corporis vel sanguinis, quia non de ea ut de materia formatur corpus; sed ipsa formatur in illud et efficitur illud. — **Augustinus in libro De Trinitate** \*. Unde **Augustinus**<sup>2</sup>: « Corpus Christi dicimus illud quod ex fructibus terrae acceptum et prece mystica consecratum sumimus in memoriam dominicae passionis. Quod cum per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur ut sit tam dignum sacramentum nisi operante invisibiliter Spiritu Dei ».

7 id] hoc BLM, hid O, in corr. N. 9 in id mutatione trp. BLW. 11 huius om. MOWX. 21 est] id add. ABLTVW, lacuna in X.

<sup>1</sup> Immo Lanfrancus, *De corpore et sanguine Christi*, c. 10 (PL 150, 421 D). <sup>2</sup> Lib. III, c. 4, n. 10 (PL 42, 874; CCL 50, 136).

Cap. 2, n. 2: De auctoritate Augustino attributa, cf. N. M. Häring, *A Study in the Sacramentology of Alger of Liège*, in *Med. Studies* 10 (1958) 53. Dein, quaedam de *Summa sent.*, VI, 4 (PL 176, 141 B). — Num. 4. Auctoritas Augustini, ex *Decreto Gratiani*, de consecrat. d. 2, c. 60 (1337).



5. **Asserunt dictum panem** \*. Quidam vero sic dicunt conversionem illam esse intelligendam, ut sub illis accidentibus, sub quibus erat prius substantia panis et vini, post consecrationem sit substantia corporis et sanguinis, sic tamen ut non eis afficiatur <sup>1</sup>. Et sic asserunt dictum panem transire in corpus Christi, quia ubi erat panis, nunc est corpus Christi. <sup>5</sup> — Quod si est, quid ergo fit de substantia panis et vini? Illi dicunt vel in praeiacentem materiam resolvi, vel in nihilum redigi <sup>2</sup>.

6. Alii vero putaverunt ibi substantiam panis et vini remanere, et ibidem corpus Christi esse et sanguinem; et hac ratione dici illam substantiam fieri istam, quia ubi est haec, est et illa (quod mirum est). Et ipsam <sup>10</sup> substantiam panis vel vini dicunt esse sacramentum. — Sed quod non sit ibi substantia nisi corpus Christi et sanguis, ex praedictis et ex subditis aperte ostenditur.

7. **Ambrosius, in libro De sacramentis** \*. Ait enim Ambrosius <sup>3</sup>: « Panem istum quem sumimus in mysterio, illum utique intelligo qui <sup>15</sup> manu Sancti Spiritus formatus est in Virginis utero et igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim angelorum factus est cibus hominum <sup>4</sup>. Unde ait <sup>5</sup>: *Ego sum panis vivus qui de caelo descendi*; et item <sup>6</sup>: *Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Ex his namque duabus sentiis aperte datur intelligi quia panis ille et iste non duo, sed unus panis et una <sup>20</sup> caro procul dubio unum efficitur corpus: illud vere, illud sane quod sumptum est de Virgine, quod resurrexit et in caelum ascendit ».

8. **Gregorius, in homilia paschali** \*. Item Gregorius <sup>7</sup>: « Quis fi-

<sup>1</sup> panem (rubr.) transire in corpus Christi add. LW. 11 vel] et TX. 12 et ex (om. MVWX) subditis trp. post ostenditur RTX. 16 Sancti Spiritus trp. ATV. 20 ille et iste trp. ALRT, quod corr. R. 22 resurrexit] surrexit LMNV.

<sup>1</sup> Cf. infra, Dist. 12, c. 1. <sup>2</sup> Reicitur haec opinio ab Hugone de S. Victore, *De sacramentis*, II, 8, 9 (PL 176, 468 B); et ab auctore *Summae sent.* VI, c. 5 (PL 176, 142 C). <sup>3</sup> Tantum ex parte et quoad sensum invenitur in libro *De mysteriis*, c. 9, n. 53: « Et hoc quod conficimus corpus, ex Virgine est... Vera utique caro Christi, quae crucifixa est, quae sepulta est, quod resurrexit et in caelum ascendit » (PL 16 [1845], 407 A; CSEL 73, 112). <sup>4</sup> Resp. Ps. 77, 5. <sup>5</sup> Ioan. 6, 51. <sup>6</sup> Ioan. 6, 52. <sup>7</sup> Immo, *Dialogi*, IV, c. 58 (PL 77, 425 D - 428 A). Error est Gratiani (infra), qui sub hac rubrica duas auctoritates diversas Gregorii compingit unacum tribus ex tractatu *De celebratione missae* Remigii Altissiodorensis, qui hanc auctoritatem Gregorii offert ad *Supplices te rogamus* Canonis romani (*Maxima bibliotheca veterum patrum*, XVI, ed. Lugduni 1677, 958 C; vel inter opera Alcuino attributa, *De divinis officiis*, c. 40, PL 101, 1263 A).

Num. 7: Unacum rubrica, ex *Decreto*, de consecrat. d. 2, c. 74 (1344). — Num. 8: ex eodem, c. 73 (1343).

delium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem caelos aperiri, in illo Christi mysterio angelorum choros adesse, summa et ima sociari, unum quid ex invisibilibus atque visibilibus fieri? »

9. Idem <sup>1</sup>: « Eodem momento et in caelum rapitur ministerio angelorum consociandum corpori Christi, et ante oculos sacerdotis in altari videtur ». « Sicut <sup>2</sup> divinitas Verbi totum implet mundum, ita multis locis illud corpus consecratur; nec sunt tamen multa corpora Christi, sed unum corpus et unus sanguis. Ideoque, sive plus sive minus quis inde percipiat, omnes aequaliter corpus Christi integerrime sumunt ».

10. Post consecrationem igitur non est ibi substantia panis vel vini, licet species remaneant: est enim ibi species panis et vini, sicut et sapor; unde « aliud videtur, aliud intelligitur » <sup>3</sup>.

### Cap. 3 (62).

**Quare sub alia specie.** Sub alia autem specie tribus de causis carnem <sup>15</sup> et sanguinem tradidit Christus, et deinceps sumendum instituit: ut fides scilicet haberet meritum, quae est de his quae non videntur <sup>4</sup>: quia « fides <sup>5</sup> non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum ». — Et etiam ideo, ne abhorreret animus quod cerneret oculus: (**Gregorius, in homilia paschali** \*) « quia <sup>6</sup> non habemus in usu carnem crudam et sanguinem comedere ». — **Augustinus** \*. Quia ergo « Christum <sup>7</sup> vorari den-

<sup>3</sup> quid] quidem ABLNVW. || invisibilibus atque visibilibus trp. LNVX. 7 illud corpus trp. BNVX. 19 usu MOT Grat., Alcuinus, usum alii codd.

<sup>1</sup> Iam sub nomine Gregorii: *Idem quoque alibi*, apud Remigium (ibid.). <sup>2</sup> Verba ipsius Remigii, ut videtur, parum supra (ed. Lugd., 957 E-F; PL 101, 1260 D - 1261 A). <sup>3</sup> Augustinus, *Sermo 272: Ad infantes, de sacramento* (PL 38, 1247); apud Remigium (957 F; 1261 B), remote ex Floro Lugd., *De expositione missae* (PL 119, 54 C). <sup>4</sup> Cf. supra, Lib. III, d. 23, c. 2 (p. 141), et c. 7 (146). <sup>5</sup> Greg., *In Evang.*, hom. 26, n. 1 (PL 76, 1197 C). <sup>6</sup> Verba sunt Remigii in eodem tractatu (ed. Lugd., 957 G; PL 101, 1261 B). <sup>7</sup> Rectius, Paschasius Radbertus, *De corp. et sanguine Domini*, c. 4 (PL 120, 1277 C; CCL-CM 16, 27).

Num. 9: forsitan abbreviatur ex eodem c. 73, §§ 2-3 (1343-1344); ubi etiam in § 4, ultima verba huius capituli.

Cap. 3: Eadem quaestio in *Glossa* in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1641 D - 1642 A) seu in tractatu primitivo, n. 4, ubi etiam eadem tres causae offeruntur quae hic fusius illustrantur auctoritatibus sumptis ex *Decreto*, de consecr. d. 2: Gregorii, ex eodem c. 73, § 4 (1344); Augustini, ex c. 72, § 2 (1343); Ambrosii, ex c. 43 (1329).



tibus fas non est, in mysterio carnem et sanguinem » nobis commenda-  
vit. — Et etiam ideo, ne ab incredulis religioni insultaretur. Unde Au-  
gustinus<sup>1</sup>: « Nihil rationabilius quam ut sanguinis similitudinem su-  
mamus: ut ita et veritas non desit, et ridiculum nullum fiat a paganis,  
quod cruorem occisi hominis bibamus ». — Ambrosius\*. Ne igitur hoc  
fieret, et « ne<sup>2</sup> veluti quidam horror esset cruoris, in similitudinem accipis  
sacramentum ». — Ex praemissis iam liquet quare sub alia specie, et quare  
sub ista<sup>3</sup>, hoc sacramentum Dominus celebraverit et celebrari a nobis  
instituerit.

## Cap. 4 (63).

10

1. **Quare sub duplici specie.** Sed quare sub duplici specie sumitur, cum  
sub alterutra totus sit Christus? Ut ostenderetur totam humanam natu-  
ram assumpsisse, ut totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur,  
vinum ad animam; quia vinum operatur sanguinem, in quo sedes animae  
a physicis esse dicitur<sup>4</sup>. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, ut  
animae et carnis susceptio in Christo, et utriusque liberatio in nobis signi-  
ficetur. — Super epistolam ad Corinthios\*. Valet enim, ut ait Ambr-  
sius<sup>5</sup>, « ad tuitionem corporis et animae quod percipimus: quia caro  
Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur, sicut  
praefiguravit Moyses<sup>6</sup>: Caro, inquit, pro corpore nostro offertur, sanguis  
vero pro anima ».

2 religioni] christiane add. BW, add. interl. V2 (glossator). 6 accipis] accipitur  
LX, accipi AM, sed corr. in accipimus M, corr. ex accipi O, corr. in accipi N. 11 spe-  
cie sumitur trp. TV. 20 nostro] vestro OTW.

<sup>1</sup> Idem Radbertus, c. 13 (1315 B-C; 84). <sup>2</sup> De sacramentis, VI, c. 1, n. 3 (PL 16  
[1845], 455 A; CSEL 73, 73). <sup>3</sup> De hoc ultimo supra, Dist. 8, c. 7, nn. 2-4. <sup>4</sup> Non  
invenimus apud physicos; inter theologos notare licet eundem Paschasium, De corp. et sang.,  
c. 11 (1309 B; 75); cui addi potest Manegoldus Lautenbachensis in glosis super apostolum:  
« nihil inventum est in creaturis omnibus per quod vicinius [anima] representaretur quam per  
sanguinem, qui sedes anime dicitur... »; qua verba repetit Anselmus Lauden. in lectione sua  
in I Cor. 10, 16 (olim Anselmo Cantuar. attributa sub titulo Epistola de coena Domini, seu De  
corp. et sang. Domini; PL 159, 255 B). Cf. O. Lottin, Psych. et morale, V, 143-153. <sup>5</sup> Am-  
brosiaster, In I Cor. 11, 26 (PL 17 [1845], 243 B; CSEL 81-II, 128). <sup>6</sup> Resp. Lev. 17,  
11: Anima carnis in sanguine est; et Deut. 12, 23: Hoc solum cave, ne sanguinem comedas; san-  
guis enim eorum pro anima est.

Cap. 4, n. 1: Quaestio iam in Glossa (1642 D), cum auctoritate Ambrosii parum supra  
(1641 B-C), prope ante initium tractatus, ubi questio invenitur sub n. 4.

2. Sed tamen sub utraque specie sumitur quod ad utrumque valet,  
quia sub utraque sumitur totus Christus. Sed si in altera tantum sumere-  
tur, ad alterius tantum, id est corporis vel animae, non utriusque pariter  
tuitionem valere significaretur. Sub utraque tamen specie totus sumitur  
Christus; nec plus sub utraque, nec minus sub altera tantum sumitur.  
— Hilarius\*: « Eadem enim ratio est, ut ait Hilarius<sup>1</sup>, in corpore  
Christi, quae in manna praecessit; de quo dicitur<sup>2</sup>: Qui plus collegerat non  
habuit amplius, nec qui minus paraverat habuit minus ».

3. Et licet sub utraque specie totus Christus sumatur, tamen non  
fit conversio panis nisi in carnem, nec vini nisi in sanguinem. Nec debent  
dici duo sacramenta, sed unum, quia sub utraque specie idem sumitur;  
neque iterari sacramentum, quia benedictio non repetitur super eandem  
speciem. Neque aliae substantiae in sacrificium veritatis offerri debent,  
quia de aliis non potest consecrari corpus Christi vel sanguis.

## Cap. 5 (64).

15

1. **Quare aqua misceatur.** Aqua vero admiscenda est vino, quia aqua  
populum significat, qui per Christi passionem redemptus est. — Iulius  
Papa\*: « Calix<sup>3</sup> ergo dominicus, iuxta canonum praeceptum, aqua et

12 neque] nec BLNVX, debet add. LV. || iterari] debet add. X. 18 ergo] vero MVX.

<sup>1</sup> Hilario papae (461-468) attribuitur a Gratiano, uti infra (cf. PL 58, 31 C-32 C).  
Quandam affinitatem habet ad Eusebium Gallicanum, Hom. XVII (de Pascha VI), n. 4:  
« De quo pane, vetus narrat historia: Nec qui plus... minus, eo quod eucharistiae sacra per-  
ceptio non in quantitate, sed in virtute consistat » (CCL 101, 200, lin. 89-90), qui sermo pluries  
alibi invenitur sub aliis nominibus (cf. Clavis, n. 966, ad serm. 16). Maiorem autem affinita-  
tem monstrat ad Pasch. Radbertum, De corp. et sanguine Domini, XVII, lin. 3-6: « Si enim  
figura istius sacramenti in manna illa caelesti praecessit, vere et huius rei ratio exinde aperte  
monstratur quod dicitur: Qui plus collegerat, non amplius neque qui minus paraverat, invenit  
minus » (PL 120, 1324; CCL-CM 16, 97). Quid sibi hoc velit, nescimus. <sup>2</sup> Exod. 16, 18.  
<sup>3</sup> Magna ex parte conficitur hoc cap. Iulio attributum (PL 8, 970 B-C) de verbis Cypriani in  
Epist. 63, n. 13 (PL 4, 383 B-384 A; CSEL 3-I, 712). Capitulum uti iacet videtur esse Con-  
cilii Bracarenensis III (IV) (an. 675), c. 2 (PL 84, 588 A-B; I. Mansi, XI, 155 E). Repetitur sub  
nomine Iulii anno 1439 in Concilii Florentini Decreto pro Armenis (DS 1320; Concil. Oecum.  
Decreta, Bononiae 1973, 546).

Num. 2: Revertit Magister ad Summam sent., VI, 6 (PL 176, 142 D-143 A); auctori-  
tatem autem sumpsit ex Decreto, de consecr. d. 2, c. 78 (1346), ubi datur sub nomine Hi-  
larii. — Num. 3 dependet ab eadem Glossa (1645) seu a tractatu, n. 31.

Cap. 5, n. 1: Eadem quaestio in Glossa (1642 D) seu in tractatu, n. 12; auctoritas autem,  
ex Decreto, de consecr. d. 2, c. 7 (1316).



vino mixtus debet offerri, quia videmus in aqua populum intelligi<sup>1</sup>, in vino ostendi sanguinem Christi. Cum igitur in calice vino aqua miscetur, Christo populus adunatur et credentium plebs ei in quem credit copulatur. Quae copulatio aquae et vini sic miscetur in calice Christi, ut mixtio illa non possit separari. Nam si vinum tantum quis offerat, sanguis Christi incipit esse sine nobis».

2. Si vero quaeritur an irritum sit quod geritur, si aqua praetermittatur, audi quid sequitur in eodem canone<sup>2</sup> (**Iulius** \*): «Non potest, inquit, calix Domini esse aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur». — **Cyprianus** \*. Item **Cyprianus**<sup>3</sup>: «Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi utrumque misceatur; sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, nisi utrumque fuerit adunatum, et panis unius compage solidatum». — Si quis tamen, non intendens introducere haeresim, oblivione vel ignorantia aquam praetermiserit, non videtur esse irritum sacramentum, sed ille graviter est corripiendus. Nam et Graecorum Ecclesia non apponere aquam dicitur. Quod etiam ex dictis **Cypriani** videtur posse colligi. — **Cyprianus** \*. Ait enim<sup>4</sup>: «Si quis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc servavit, quod nos Dominus facere exemplo et magisterio docuit, potest simplicitati eius indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non potest ignosci, qui nunc a Domino instructi sumus, ut calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus». Ex hoc videtur quod, si quis simpliciter vel ignoranter vinum offerat sine aqua, sacramentum conficiat.

3. Aqua vero nullatenus sine vino potest offerri in sacrificium; nec

<sup>2</sup> vino aqua *trp.* ABLRT. *verit* AL.

<sup>18</sup> hoc servavit] observavit NVX. || servavit] servavit

<sup>1</sup> Forsitan resp. Apoc. 17, 15: *Aquas quas vidisti... populi sunt.* Quodammodo autem traditionem tangit quam exhibent Manegoldus Lautenbach. et Anselmus Laudensis: «Aqua cum vino ideo ponitur in sacramento, ut aqua, que de Christi latere cum sanguine fluxit, representetur. Que aqua significat populum» etc. (Cf. O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 152).

<sup>2</sup> Parum infra in locis supra citatis. <sup>3</sup> *Epist. 63 (ad Caecilium)*, c. 13 (PL 4, 384 B; CSEL 3-I, 712). <sup>4</sup> *Ibid.*, c. 17 (PL 4, 387 B; CSEL 3-I, 715).

Num. 2: Unacum auctore *Summae sent.*, VI, 9 (PL 176, 145 C), eidem quaestioni respondit Magister sine assertione in *Glossa* (1645 C-D) seu tractatu, n. 34, quia non munitus auctoritatibus. Tres nunc offert ex *Decreto* quae quaestionem quodammodo solvunt: illam Iulii, de consecrat. d. 2, c. 7 § 1 in fine (1316); primam Cypriani, ex c. 2 (1314s); alteram, ex c. 3 (1315).

panis nisi de frumento; nec granum frumenti nisi redactum in panem, quia Christus et panem se dicit et grano frumenti se comparat<sup>1</sup>.

4. **Determinatio praemissorum** \*. Quod ergo supra dictum est, 'non posse vinum solum offerri', determinari oportet. Recipit enim exceptionem: 'non potest', nisi simpliciter vel ignoranter fiat; vel 'non potest', id est non debet. Quibusdam tamen videtur hoc generaliter verum.

#### Cap. 6 (65).

1. **Quale corpus dedit Christus discipulis in coena.** Colligitur etiam ex praedictis quod Christus vinum aqua mixtum dedit discipulis. Corpus vero tale dedit quale tunc habuit, id est mortale et passibile. Nunc vero sumitur a nobis immortale et impassibile; nec tamen maiorem habet efficientiam.

2. **Iulius Papa** \*. Eucharistia quoque intincta non debet dari populo «pro<sup>2</sup> supplemento communionis, quia non legitur Christus alicui discipulorum praebuisse panem intinctum nisi Iudae». — **Augustinus, Super Ioannem** \*: «Tunc<sup>3</sup> vero non accepit Iudas corpus Christi», sed tantum panem; corpus vero et sanguinem Christi ante cum aliis discipulis perciperat.

<sup>3</sup> Rubrica *om.* RVW.

<sup>8</sup> Rubrica *ex elencho capp., om. codd.*

<sup>1</sup> Cf. Ioan. 6, 48: *Ego sum panis vitae*; 6, 51: *Ego sum panis vivus*; 12, 24: *Nisi granum frumenti etc.* <sup>2</sup> Spurium (uti supra); ex Concilio Bracar., c. 1: «Audivimus... alios... intinctam eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere... Illud vero quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populo nec hoc prolatum ex Evangelio testimonium recipit... Nam intinctum panem aliis Christum praebuisse non legitur, excepto illo tantum discipulo» (PL 84, 588 A). <sup>3</sup> *Tract. 62, n. 3* (PL 35, 1802; CCL 36, 484).

Cap. 6. Iam quaeritur in *Glossa* in I Cor. 11, 25 (seu in tractatu, n. 32): «Solet etiam quaeri quale dederit apostolis. Dicimus quale tunc erat, id est passibile et mortale» (PL 191, 1645 B). Quod iam tenuit Magister Ivo Carnotensis, *Epist. 287* (PL 162, 285 B - 288 A); minus clare, Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 8, 3 (PL 176, 462 D - 464 C). — Num. 2. Quoad historiam quaestionis, cf. L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 36-37; et propius, Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 8, 4 (PL 176, 464 C-D), necnon et Guill. de Campellis, *De sacramento altaris* (PL 163, 1039 B - 1040 C; aptius, apud O. Lottin, *Psych. et morale*, V, 216s).



## DISTINCTIO XII

## Cap. 1 (66).

1. **Ubi illa accidentia fundentur.** Si autem quaeritur de accidentibus quae remanent, scilicet de speciebus et sapore et pondere, in quo subiecto fundentur, potius mihi videtur fatendum existere sine subiecto, quam esse in subiecto; quia ibi non est substantia nisi corporis et sanguinis dominici, quae non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Christi talem in se habet formam, sed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per se subsistentia, ad mysterii ritum, ad gustus fideique suffragium, quibus corpus Christi, habens formam et naturam suam, tegitur.

## Cap. 2 (67).

1. **De fractione et partibus.** Solet etiam quaeri de fractione et partitione quae ibi videtur fieri, utrum vera sit; et si vera fractio est, cuius rei sit vel in qua re fiat. Cumque non sit ibi alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi esse videtur. — Sed econtra: cum ipsum corpus incorruptibile sit, quia immortale et impassibile, in ipso non posse esse videtur. Nam et Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant Christi carnem sicut aliam in partes dividendam et morsibus lacerandam.

2. **Quorundam opinio\*.** Ideo quibusdam placet quod non sit ibi fractio sicut videtur, sed dicitur frangi quia videtur frangi. — **Ambrosius\*.**

3 autem] vero LT. 5 mihi videtur *trp.* MT. 15 Christi] corpus *add.* AL.  
16 esse videtur *trp.* ALNVX. 21 Rubrica *om.* RVW. 22 Ambrosius (*rubr.*) *om.* BRVWX.

<sup>1</sup> Ioan. 6, 62-64.

Dist. XII. Cap. 1: Cf. Magister in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1644 C) seu in tractatu primitivo, in fine n. 26, unde prior pars huius capituli. Cui hic quaedam adiungit ex *Summa sent.*, VI, 4 (PL 176, 141 C-D). — Cap. 2. Omnia ex eadem *Glossa* (PL 191, 1644 C-1645 B) seu tractatu, nn. 27-30, quae dependet immediate a *Summa sent.*, VI, 8 (PL 176, 144 C-D). — Num. 2: Opinio videtur esse auctoris *Sententiae Hermanni* (seu *Epitome theologiae christianae*), c. 29 (PL 178, 1742 B). De hoc capitulo et sequenti, cf. L. Hödl, *Die Confessio Berengarii von 1059. Eine Arbeit zum frühschol. Eucharistietraktat*, in *Scholastik* 37 (1962), 370-394; ubi agitur (385ss) de capp. 2-3; et tunc in lucem datur *Glossa* in eadem pseudo-Petri Pictaviensis (392ss).

Quibus obicitur quod ait Ambrosius<sup>1</sup>: «Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis, vel sicut fit in magorum praestigiis, ubi delusione quadam falluntur oculi, ut videant esse quod non est». — Ad quod hoc illi dicunt: Non fallit nos visus nec fallitur: quod esset, si crederetur ita frangi ut videtur. Nec illusio est, quia ad utilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit. Sicut et Christus se ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini, nec in eo tamen talis forma erat, sed *oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent*<sup>2</sup>.

3. **Aliorum opinio\*.** Alii vero dicunt quod, sicut ibi species panis est, et non est ibi res cuius vel in qua sit illa species, ita est ibi fractio quae non fit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur. Quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, ut ibi sit fractio, ubi nihil frangitur.

## Cap. 3 (68).

1. **Aliorum opinio\*.** **Confessio Berengarii\*.** Alii tradunt corpus Christi essentialiter frangi et dividi, et tamen integrum et incorruptibile existere. Quod se colligere asserunt ex confessione Berengarii<sup>3</sup>, qui confessus est coram Nicolao Papa et pluribus episcopis «panem et vinum quae in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus et sanguinem Christi esse; et sensualiter, non solum in sacramento sed in veritate manibus sacerdotum tractari et frangi, et fidelium dentibus atteri».

2. **Sententia probabilior.** Sed quia corpus Christi incorruptibile est, sane dici potest fractio illa et partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentali fieri: ut vera fractio et partitio sit ibi, quae fit non in substantia, sed in sacramento, id est in specie. Ne autem mireris vel insultes, si accidentia videantur frangi, cum ibi sint sine subiecto, licet quidam asserant<sup>4</sup> ea fundari in aëre.

3 quod<sup>2</sup> *om.* LNVW. 11 fit] sit B, est NVX. 14 Confessio Berengarii *om.* RVW.

<sup>1</sup> In vanum quaesivimus hoc apocryphum. <sup>2</sup> Resp. Luc. 24, 16. <sup>3</sup> DS 690. Cf. textus ad fidem codicum ed. apud J. de Montclos, *Lanfranc et Bérenger*, 172, lin. 16ss. <sup>4</sup> Ita Petrus Abaelardus, iuxta Guill. de S. Theodorico, *Disputatio adversus Petrum Abaelardum*, c. 9: «Dicit etiam magister Petrus... accidentia prioris substantiae remanere in

Cap. 3, n. 1: Confessio Berengarii, ex *Decreto Gratiani*, de consecr. d. 2, c. 42 (1328). — Num. 2. Talis sententia, hic accepta, proponitur in *Glossa* (1645 A) seu in tractatu, n. 29, ex *Summa sent.*, uti supra notatur.



3. Est ibi vera fractio et partitio, quae fit in pane, id est in forma panis; unde Apostolus ait 1: *Panis quem frangimus*, quia forma panis ibi frangitur et in partes dividitur; Christus vero integer manet et totus est in singulis. — **Augustinus in sermone De verbis Evangelii** \*. Unde Augustinus 2: « Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? Et tamen invitans nos ad manducandum ait 3: *Qui manducat me, vivit propter me*. Nec occiditur Christus ut manducetur, sed mortuos vivificat. Quando manducatur, reficit, non deficit. Vivit manducatus, quia surrexit occisus. Nec quando manducamus, partes de illo facimus, et quidem in sacramento sic fit ». — **Augustinus** \*. Item 4: « Norunt fideles quomodo manducant carnem Christi. Unusquisque accipit partem suam; unde et ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, et manet integer totus. Per partes manducatur in sacramento, et manet integer totus in caelo, manet integer totus in corde tuo ». — « Ideo 5 ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur et aliud intelligitur. Videtur panis et calix, quod et oculi renuntiant; quod autem fides postulat instruenda: panis est corpus Christi, calix sanguis ».

4. Ex his satis datur intelligi quod fractio et partes quae ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est in specie visibili. Ideoque illa **Berengarii** verba 6 ita distinguenda sunt: ut « sensualiter, non modo sacramento, sed in veritate » dicatur corpus Christi « tractari manibus sacer-

9 surrexit] resurrexit BNRTX. 11 carnem] corpus NVX. 17 calix] est  
add. L., add. interl. T. 19 partes] ille add. BNV Guall. 20 illa om. LMO.

aëre » (PL 180, 280 C), et [Guillelmi] *Epist. 326 (ad Gaudfridum et Bernardum)*, n. 3, § 9: « Quod in sacramento altaris in aëre remaneat forma prioris substantiae » (PL 182, 532 B); et Bernardum Claraevall., *Tract. de erroribus P. Abaelardi*, c. 4, n. 10: « Post consecrationem panis et calicis, priora accidentia, quae remanent, pendere in aëre » (PL 182, 1062 B). 1 I Cor. 10, 16. 2 Id est *Sermo Mai 129*, quibusdam transpositis (PLS 2, 518). 3 Ioan. 6, 58. 4 Ibidem, immediate post *sic fit (et interiecto)*. 5 *Sermo 272: Ad infantes, de sacramento* (PL 38, 1247, 2-4; dein, 1246, 4-7). 6 Supra, in n. 1 huius cap.

Num. 3. Primae duae auctoritates, partim hic in *Glossa* (1645 A) et in tractatu, n. 29, integre dantur in *Glossa* in I Cor. 10, 16 (1623 D - 1624 A); nihilominus ex rubrica apparet quod hic sumantur ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 70 (1341); ultima (« Ideo ista... »), ex c. 58, § 2 (1336). — Num. 4: Auctoritates in fine, ex *Decreto*, ibid., cc. 77-78 (1345s), ubi Hieronymo et Hilario attribuuntur. Doctrina huius capituli, dicit Gualterus de S. Victore, Lombardus « alterum se probat Berengarium » quatenus « catholicam fidem nulla prorsus distinctione indigentem solitis sibi argumentationibus distinguit » (*Contra IV Labyrinthos Franciae*, c. XI; ed. P. Glorieux, AHDLMA 19, 1952, 260-261).

dotum »; « frangi vero et atteri dentibus » vere quidem, sed in sacramento tantum. Vera igitur est ibi attritio et partitio, sed in singulis partibus totus Christus est. — Unde Hieronymus 1: « Singuli accipiunt Christum Dominum, et in singulis portionibus totus est; nec per singulas minuitur, sed integrum se praebet in singulis ». — Item Hilarius 2: « Ubi pars est corporis, est et totum ».

#### Cap. 4 (69).

1. **Quid illae partes significant.** Quid autem partes illae significant, Sergius Papa 3 tradit inquit: « Triforme est corpus Christi: pars oblatae in calicem missa corpus Christi quod iam surrexit monstrat; pars comesta, ambulans adhuc super terram; pars in altari usque ad finem missae remanens, corpus iacens in sepulcro, quia usque in finem saeculi corpora sanctorum in sepulcris erunt ».

2. Et sicut partes illae mysticam tenent significationem, ita etiam et fractio passionis Christi et mortis est repraesentatio. Unde ipse ait 4: *Hoc facite in meam commemorationem*, « id est in memoriam passionis et mortis meae ». — **Ambrosius** \*. Nam ut ait Ambrosius 5, « quia in morte Christi liberati sumus, huius in edendo et bibendo carnem et sanguinem memores esse debemus ».

1 vero] quoque B Guall. 2 igitur] quidem T, om. AVWX. 3 Christus est  
trp. BMN. 3-4 Unde... totus est marg. L, om. M. 4 singulas] singulos ANRTV,  
quod corr. V2. 10 surrexit] resurrexit BNRTVX. 15 et] om. TBV.

1 Hieron. (*August. in cod. O*) in sermone quodam (rubr.); sed potius Gregorius, praef. Dom. 5 post Theophaniam, in *Sacramentario Gregoriano* (PL 78, 48 D - 49 A). 2 Uti supra, Dist. XI, c. 4, n. 2. 3 Potius Amalarius Metensis, *De ecclesiasticis officiis*, III, c. 35 (PL 105, 1154 C - 1155 A); nomen *Sergius papa* apparet ad initium c. 33 (1553 B). Huic doctrinae Amalarii sese vehementer opposuit noster Florus Lugdun. in suis opusculis contra Amalarium: *Epist. 1*, n. 4 (PL 119, 74 B-C); et *De causa fidei*, n. 5 (81 A-B). 4 I Cor. 11, 24, unacum *Glossa interlin.*: « passionis et mortis meae » (cod. l 60a; m 58v; apud Lyran. VI, 50v). 5 Ambrosiaster, *In I Cor. 11*, 26 (PL 17, 243 A; CSEL 81-11, 127).

Cap. 4, n. 1: Rubrica et auctoritas iam in *Glossa* in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1645 D), seu in tractatu, n. 36; sed hic citatur potius secundum *Decretum*, de consecr. d. 2, c. 22 (1321). Cf. etiam Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 8, 10 (PL 176, 468 C - 469 A), et *Summa sent.*, VI, 9 (PL 176, 145 B). De historia istius auctoritatis, cf. F. Vernet, *Eucharistie du IX<sup>e</sup> à la fin du XI<sup>e</sup> siècle*, DThC V, 1211; J. de Ghellinck, *Eucharistie au XII<sup>e</sup> siècle en Occident*, ibid., 1274; et A. Gaudel, *Messe dans l'Église latine*, DThC X, 999. — Num. 2: Verba Ambrosiastri iam in *Glossa* in I Cor. 11, 25 (PL 191, 1641 B), parum ante « plenior tractatum » de corpore Domini.



3. **Quis indignus sumat** \*. Sed caveat quisque ne indigne percipiat, quia *iudicium manducat* <sup>1</sup>. — **Ambrosius** \*: « Non <sup>2</sup> est enim panis iste, qui vadit in corpus, sed panis vitae aeternae, qui animae nostrae substantiam fulcit ». « Sic <sup>3</sup> igitur vive, ut quotidie merearis accipere ». — Ne accedas indignus: « Indignus <sup>4</sup> est qui aliter celebrat mysterium quam <sup>5</sup> Christus tradidit », vel qui habens mortale peccatum accedit. — **Augustinus** \*: Ergo « etsi <sup>5</sup> sint peccata quotidiana, vel non sint mortifera. Antequam accedatis, dimittite debitoribus vestris. Si dimittis, dimittitur tibi; et sic securus accede. Panis enim salutaris est, et non venenum ». Si ita accedis, spiritualiter manducas: spiritualiter enim manducat, qui <sup>10</sup> innocentiam ad altare portat.

Cap. 5 (70).

1. **Si illud sit sacrificium et saepius immoletur Christus**. Post haec quaeritur si quod gerit sacerdos proprie dicatur sacrificium vel immolatio, et si Christus quotidie immolatur vel semel tantum immolatus sit. — Ad <sup>15</sup> hoc breviter dici potest illud quod offertur et consecratur a sacerdote vocari sacrificium et oblationem, quia memoria est et repraesentatio sacrificii veri et sanctae immolationis factae in ara crucis. Et semel Christus mortuus est <sup>6</sup>, in cruce scilicet, ibique immolatus est in semetipso; quotidie autem immolatur in sacramento, quia in sacramento recordatio fit <sup>20</sup> illius quod factum est semel.

2. **Augustinus, super Psalmum XX** \*. Unde Augustinus <sup>7</sup>: « Certum habemus quia Christus <sup>8</sup> resurgens ex mortuis, iam non moritur,

<sup>1</sup> I Cor. 11, 29.      <sup>2</sup> De sacram. V, c. 4, n. 24 (PL 16 [1845], 452 A-B; CSEL 73, 68).      <sup>3</sup> Ambrosius, *ibid.*, n. 25 (452 B; 69).      <sup>4</sup> Glossa ordin. in I Cor. 11, 27 (cod. 160c; m 58c; apud Lyran. VI, 51b), ex Ambrosiastro in h.l. (PL 17, 243 C; CSEL 81-II, 128).  
<sup>5</sup> In Ioan., tr. 26, n. 11 (PL 35, 1611; CCL 36, 265); in parte, in Glossa interlin. in I Cor. 11, 28 (l 60v; m 58v; apud Lyran. VI, 51a). Ultima verba capituli fundantur in illa August., *ibid.*: « Videte ergo, fratres: panem caelestem spiritualiter manducate, innocentiam ad altare apportate ».      <sup>6</sup> Cf. I Petri 3, 18; Hebr. 7, 27; Hebr. 9, 28.      <sup>7</sup> Enarr. 11 in Ps. 21, n. 1 (PL 36, 170s; CCL 38, 121).      <sup>8</sup> Resp. Rom. 6, 9.

Num. 3: Auctoritates Ambrosii, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 56 (1335); illa Ambrosiastri, ex Glossa in I Cor. 11, 27 (PL 191, 1646 B-C); ubi et illa Augustini (1646 C-D).

Cap. 5. Historiam huius cap. delineat M. Lepin, *L'idée du sacrifice de la Messe d'après les théologiens depuis l'origine jusqu'à nous jors*, Paris 1926, 4-157; item A. Gaudel, *Le sacrifice de la messe dans l'église latine du IV<sup>e</sup> siècle jusqu'à la veille de la Réforme*, DThC X, 964-1085. Cf. etiam Glossa Magistri in Hebr. 10, 1-6 (PL 192, 478 C - 479 C). — Num. 2. Prima auctoritas Augustini, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 51 (1332s); alia, ex c. 52 (1333).

etc. Tamen, ne obliviscamur quod semel factum est, in memoria nostra omni anno fit, scilicet quoties Pascha celebratur. Numquid toties Christus occiditur? Sed tamen anniversaria recordatio repraesentat quod olim factum est; et sic nos facit moveri, tamquam videamus Dominum in <sup>5</sup> cruce ». — **Augustinus, in Sententiis Prosperi** \*. Item 1: « Semel immolatus est Christus in semetipso, et tamen quotidie immolatur in sacramento. Quod sic intelligendum est: quia in manifestatione corporis et distinctione membrorum semel tantum in cruce pependit, offerens se Patri hostiam redemptionis efficacem eorum quos praedestinavit <sup>2</sup> ».

10 3. **Ambrosius, super Epistolam ad Hebraeos** \*. Item Ambrosius <sup>3</sup>: « In Christo semel oblata est hostia, ad salutem potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? Etsi quotidie offeramus, ad recordationem mortis eius fit; et una est hostia, non multae. Quomodo <sup>15</sup> una, et non multae? Quia semel immolatus est Christus. Hoc autem sacrificium exemplum est illius; idipsum, semper idipsum offertur: proinde hoc est sacrificium. Alioquin, quoniam in multis locis offertur, multi sunt Christi? Non, sed unus ubique est Christus, et hic plenus existens, et illic plenus. Sicut quod ubique offertur unum est corpus, ita et unum est <sup>20</sup> sacrificium. Christus hostiam obtulit; ipsam offerimus et nunc ». — « Sed quod nos agimus, recordatio est sacrificii. Nec causa suae infirmitatis repetitur, quia perficit hominem; sed nostrae, quia quotidie peccamus ».

4. **De virtute sacramenti** \*. Ex his colligitur sacrificium esse et dici, quod agitur in altari; et Christum semel oblatum, et quotidie offerri; sed aliter tunc, aliter nunc. Et etiam quae sit virtus huius sacramenti ostenditur, remissio scilicet venialium peccatorum et perfectio virtutis. <sup>25</sup>

<sup>3</sup> tamen] tantum ABLNORTW, quod corr. W.      <sup>7</sup> distinctione] distensione BVW, quod corr. V, corr. ex distinctione L.      <sup>9</sup> eorum] scilicet add. BW, add. interl. LN. <sup>20</sup> recordatio est trp. MNX.

<sup>1</sup> Verba sunt Lanfranci, *De corpore et sanguine Domini*, c. 15 (PL 150, 425 B), dictum Augustini a Berengario adductum primum referentis, idemque deinde exponentis. Resp. August., *Epist. 98 (ad Bonifacium episc.)*, n. 9: « Nonne semel immolatus est Christus in seipso? et tamen in sacramento... omni die populis immolatur » (PL 33, 363s; CSEL 34-II, 53ss).      <sup>2</sup> Resp. Rom. 8, 30.      <sup>3</sup> Potius, Ioannes Chrysostomus in Hebr. 10, 1, hom. 17, n. 3 (PG 63, 130s); partim aliter in Glossa ordin. in h.l. (l 203c; m 180 b-c; apud Lyran. VI, 152a).

Num. 3: Componitur haec auctoritas, ut videtur, ex *Decreto*, c. 53 (1333), et Glossa Magistri in Hebr. 10, 3 (PL 192, 479 B-C). — Num. 4 suggeritur in eadem Glossa, parum infra (479 C).



## Cap. 6 (71).

1. **De causa institutionis.** Institutum est enim hoc sacramentum duabus de causis: in augmentum virtutis, scilicet caritatis, et in medicinam quotidianae infirmitatis. — **Ambrosius** \*. Unde **Ambrosius** 1: « Si quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, 5 debeo semper accipere; qui semper pecco, debeo semper habere medicinam ». — **Augustinus** \*. Item **Augustinus** 2: « Iteratur quotidie haec oblatio, licet Christus semel passus sit, quia quotidie peccamus peccatis sine quibus mortalis infirmitas vivere non potest. Et quia quotidie labimur, 10 quotidie Christus mystice pro nobis immolatur ». — **Gregorius** \*: « Dedit 3 enim nobis hoc sacramentum salutis, ut quia nos quotidie peccamus, et ille iam mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. Quotidie comeditur ipse et bibitur in veritate, sed integer et vivus manet ». — Item: « Mysterium fidei dicitur, quia credere debes quod 15 ibi salus nostra consistat ».

2. **Augustinus, ad Ianuarium** \*. Si autem quaeritur utrum quotidie communicandum sit, audi quid inde tradit **Augustinus** 4: « Quotidie, inquit, eucharistiam accipere nec laudo, nec vitupero; omnibus tamen dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, gravari magis dico eucharistiae perceptione quam purificari. 20 Et licet quis peccato mordeatur, si peccandi tamen de cetero non habeat voluntatem et satisfaciat lacrymis et orationibus, accedat securus; sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non gravant ». — **Fabianus Papa** \*:

1 *De sacramentis* IV, c. 6, n. 28 (PL 16 [1845], 446 A; CSEL 73, 58). 2 Immo Paschasius Radbertus, *De corp. et sanguine Domini*, c. 9 (PL 120, 1293 C; CCL-CM 16, 52s). 3 Reapse Remigius Altiss., *De celebratione missae* (ed. Lugd. 957 F; PL 101, 1261 A). Ubi et secunda auctoritas, immediate ante auctoritatem praecedentem. 4 **Potius** Gennadius, *Liber sive diffinitio eccl. dogmatum*, c. 23 (PL 42, 1217) seu c. 53 (PL 58, 994 A-B).

Cap. 6, n. 1. Cf. *Glossa* Magistri in Hebr. 10, 3: « Et celebratur duabus de causis, scilicet et pro nostra infirmitate, et ut maior Christi dilectio nostris infigatur mentibus, cum recollimus quanta pro nobis gessit » (PL 192, 479 C). — Auctoritas Ambrosii, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 14 (1319); pseudo-Augustini, *ibid.*, c. 72 § 1 (1342); ultima, pseudo-Gregorii, c. 73, § 4 (1344). — Num. 2. Cf. *Glossa* in I Cor. 11, 29 (PL 191, 1647 B-C), quae hic dependet ab illa Gilberti. Auctoritas pseudo-Augustini, ex *Decreto*, de consecr. d. 2, c. 13 (1318s), ubi fons non indicatur; proinde probabiliter rubricam (*ad Ianuarium*) sumpsit Lombardus ex sua *Glossa* in I Cor. 11, 29 (PL 191, 1638 C). Illa Fabiani, ex *Decreto*, c. 16 (1319); altera, ex c. 10 (1317).

« Si 1 non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, nisi forte quis criminalibus impediatur: in Pascha scilicet et Pentecosten et Natali ». — **Anacletus Papa** \*: « Omnes 2 ergo communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus ».

## DISTINCTIO XIII

## Cap. 1 (72).

1. **Si haeretici vel excommunicati hoc sacramentum conficiant.** Solet etiam quaeri utrum pravi sacerdotes hoc sacramentum conficere queant. — Ad quod dici potest quod aliqui, licet pravi sint, consecrant vere, scilicet qui intus sunt nomine, sacramento, etsi non vita, (**Augustinus** \*) 10 « quia 3 non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris ».

2. **Augustinus in libro De corpore Domini** \*. Unde **Augustinus** 4: « Intra catholicam Ecclesiam in mysterio corporis et sanguinis Domini nihil a bono maius, nihil a malo minus perficitur sacerdote, quia non in 15 merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris et virtute Spiritus Sancti. Credendum est enim quod in verbis Christi sacramenta conficiantur. Sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum Sanctum suam efficit carnem et sanguinem ».

3. **Gregorius** \*. Item **Gregorius** 5: « Putant quidam communio-

2 Pentecosten] pentecoste A, pentecostes LNO, quod corr. in pentecoste N. 3 ergo] igitur TX.

1 Capitulum spurium; apud I. Mansi, *Concil. I*, 786 B, ex *Decreto* Gratiani. 2 *Epist. 7*, c. 2 [spuria]; apud Mansi I, 602 D; ex Gratiano. 3 Textus integer datur in num. 2. 4 Verba sunt Algeri Leodiensis, *De sacramentis corporis et sanguinis Domini*, III, 8 (PL 180, 840 D - 841 A), unde et rubrica Magistri; sed uti hic exstant, paucis mutatis, sunt Paschasii Radb., *De corpore et sang. Domini*, c. 12, n. 1 (PL 120, 1310 B-C; CCL-CM 16, 76s). 5 Unde initium et finis, nescimus. Reliqua (« Mysterium ideo... attenuatur »), ex Isidoro, *Etymol.*, VI, 19, nn. 42, 38, 39, 40, 38, 42 (PL 82, 255 B - 256 D).

Dist. XIII. Cap. 1. Cf. A. M. Landgraf, *Zur Lehre von der Konsekrationsgewalt des von der Kirche getrennten Priesters im 12. Jahrh.*, in *Scholastik* 15 (140) 204-227; in *Dogmengeschichte* III-2, 223-243, ubi agit (226s) de doctrina Lombardi. Caveat autem lector huius studii, quantum *Quaestiones super epistolas Pauli* (PL 175, 431-634) dependent a versione primitiva *Glossae* Magistri (cf. Proleg. ad tom. I, 88, n. 1). Cf. etiam N. M. Häring, *A Study in the Sacramentology of Alger of Liège*, in *Mediaeval Studies* 20 (1958) 50, et 68-69. — Num. 2. Rubrica et auctoritas, ex *Decreto*, C. I, q. 1, c. 77 (385). — Num. 3. Ex eodem, C. I, q. 1, c. 84 (387).



nem corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu, in quam magnum laqueum incidunt, ut divina et occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant, cum unus idemque Spiritus Sanctus in tota Ecclesia invisibiliter ea mysteria et operando sanctificet et sanctificando benedicat. Mysterium ideo dicitur, quod secretam et reconditam habeat dispensationem; sacrificium vero, quasi sacrum factum, quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam dominicae passionis. Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res ita fit ut aliquid significatae rei accipiamus. Sacramenta sunt baptisma, chrisma, corpus; quae ideo sacramenta dicuntur, quia sub tegumento visibilium rerum divina virtus secretius salutem eorundem sacramentorum operatur: unde a secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur. Panis et calicis sacramentum graece *eucharistia* dicitur, latine *bona gratia* interpretatur; et quid melius corpore et sanguine Christi? Sive ergo per bonos, sive per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacramentum tamen est, quia Spiritus Sanctus vivificat; nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. Hoc de corpore Domini, hoc etiam de baptismo et chrismate sciendum est et tenendum: quia virtus divina secretius operatur in eis, et divina solummodo est haec virtus sive potestas, non humanae efficaciae.

4. Illi vero qui excommunicati sunt, vel de haeresi manifeste notati, non videntur hoc sacramentum posse conficere, licet sacerdotes sint: quia nemo dicit in ipsa consecratione *offerro*, sed *offerimus*, quasi ex persona Ecclesiae. Et ideo, cum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. — **Augustinus in sermone De corpore Domini** \*. Quod etiam Augustinus<sup>1</sup> tradere videtur dicens: «Recolite nomen et advertite veritatem. Missa enim dicitur eo quod caelestis missus ad consecrandum vivificum corpus adveniat, iuxta dictum sacerdotis dicentis 2: *Omnipotens Deus, iube haec perferri per manus sancti angeli tui in*

<sup>1</sup> « Un texte d'un pseudo-Augustin inidentifiable » dicit I. de Ghellinck, art. *Pierre Lombard*, in DThC, XII, 2002. De verbo *Missa*, cf. Chr. Mohrmann, *Missa*, in *Vigiliae christianae* 12 (1958) 67-92; Fr. J. Doelger, *Ita missa est*, in *Antike und Christentum* 6 (1940) 81-132; J. A. Jungmann, *Zur Bedeutungsgeschichte des Wortes Missa*, in *Zeitschr. f. kath. Theol.* 64 (1940) 26-27; id., *Von der «Eucharistie» zur «Messe»*, ibid., 89 (1967) 29-40; et eiusdem *Missarum Solemnia* II 561ss. Vide etiam infra, Dist. 24, c. 18 (148), n. 3. <sup>2</sup> In Canone Romano, post consecrationem.

Num. 4. Parum post mortem Magistri, circa 1164-1168, haec auctoritas pseudo-Augustini unacum initio n. 6 («Ex his... praesumit») transcripta est in tractatu anonymo *De scismaticis*, ed. I. Dietrich et H. Boehmer, *Mon. Germ. Hist., Libelli de lite*, III, 112, 31-113, 9.

*sublime altare tuum* etc. Idcirco nisi angelus venerit, missa nequaquam iure vocari potest. Numquid enim, si hoc mysterium haeticus ausus fuerit usurpare, angelum de caelis mittit Deus oblationem eius consecrare? maxime cum eisdem per Prophetam<sup>1</sup> comminatus sit dicens: *Maledicam benedictionibus vestris*. Quod si benedictionibus eorum se asserit maledicturum Veritas, quid erit de hostia? Ergo dicemus illam posse ab illo benedici, quem scimus a Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit et simoniacus benedixerit, quis eorum praevalebit? Numquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verba verissima comminantis Dei?»

5. **Gregorius** 2: « *Maledicam benedictionibus vestris*, id est his quae meis benedictionibus nunc possidetis, vel quidquid a vobis benedicitur; vel quoniam non benedictur sanctis ex vero corde, vel quia qui inique agunt benedictur ab eis, adulanturque peccatoribus dummodo divites sint ». — **Hieronymus** 3: « *Maledicam benedictionibus vestris*, id est quidquid a vobis benedicitur, per me erit maledictum ».

6. Ex his colligitur quod haeticus a Catholica praecisus nequeat hoc sacramentum conficere, quia sancti angeli, qui huius mysterii celebrationi assistunt, tunc non adsunt, quando haeticus vel simoniacus hoc mysterium temerare praesumit. — **Beda in homilia Paschae** \*: « Non enim dubitari licet, ubi corporis dominici et sanguinis mysteria geruntur, supernorum civium adesse conventus ».

7. In huius autem mysterii expletione, sicut formam servari, ita ordinem haberi, scilicet ut sit sacerdos, et intentionem adhiberi oportet, ut illud facere intendat. Sed si non credit de illo mysterio sicut veritas habet, numquid potest intendere illud conficere? Et si non intendit,

2-3 ausus fuerit *trp.* BLMORW. 7 fore *om.* MT. 8 maledixerit *corr.* ex benedixerit OR, benedictionibus heretici (hereticorum W) *add.* AW. 11-15 Notulae *om.* LMNOR, *add. in marg.* TX<sup>2</sup>, in *tertia columna* ABW. 15 benedictur] benedicitur TW. 16 Catholica] catholicis B, ecclesia *add.* MW, *add. interl.* R<sup>2</sup>, fide *add.* LV (vel ecclesia *add.* mg. V<sup>2</sup>), unitate *add.* AT. 19 temerare] temerarie M, *corr. in temerarie* ALV, celebrare R.

<sup>1</sup> Malach. 2, 2. <sup>2</sup> Immo Hieron., *Comm. in Malach.* 2, 2 (PL 25 [1845], 1553 B et 1554 B). <sup>3</sup> *Glossa interl.* in Malach. 2, 3 (apud Lyranum, IV, 425r), ex Hieron., uti in nota praecedenti. <sup>4</sup> In *Evang.*, II, hom. 4 (PL 94, 151 C) seu 10 (CCL 122, 249).

Num. 5. Auctoritas Gregorio ascripta, ex *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 84 (388); de qua cf. iudicium Correctorum Romanorum (387s). Illa Hieron., ibid., c. 76 (385). — Num. 6. Beda, ex *Glossa* in I Cor. 11, 10: *propter angelos* (PL 191, 1635 A-B). — Num. 7. Cf. A. M. Landgraf, *Beiträge der Frühcholastik zur Terminologie der allgemeinen Sakramentenlehre: die Intention des Spenders der Sakramente*, in *Dogmengeschichte* III-1, 119-145.



numquid conficit? — Aliqui dicunt etiam non recte de illo mysterio sentientem posse intendere, non quidem illud conficere: quod iam esset recte credere, sed id agere quod geritur ab aliis dum illud conficitur; et sic adhibetur intentio. Et si intentio dicatur deesse conficiendi illud mysterium, tamen ex quo intendit ea dicere et agere quae ab aliis geruntur, 5 impletur mysterium.

8. Illud etiam sane potest dici, quod a brutis animalibus corpus Christi non sumitur, etsi videatur. Quid ergo sumit mus? quid manducat? Deus novit.

9. De hoc caelesti mysterio aliqua perstrinximus catholicis fideliter 10 tenenda; qui enim his contradicit, haereticus iudicatur.

Cap. 2 (73).

1. **Quid faciat haereticum et quid sit haereticus.** Ne autem ignores quid haereticum faciat vel quid sit haereticus, audi breviter quid inde sancti doctores tradant. — **Hilarius in II libro De Trinitate** \*. **Hilarius** 15 ait 1: « Exstiterunt plures qui caelestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius absolute suscipere, aliter interpretantes quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim haeresis, non de Scriptura est; et sensus, non sermo fit crimen ». Idem in VIII 2: « Intelligentiae sensus in crimine est ». — **Hieronymus, super Osee** 3 \*. **Hieronymus** dicit 20 quod « ex verbis inordinate prolatis incurritur haeresis ».

2. **Augustinus in libro De utilitate credendi** 4 \*. **Augustinus**, definiens quid sit haereticus, ait: « Haereticus est, qui alicuius temporalis

7 potest dici *trp.* BMNV. 8 sumit mus... manducat] sumitur... manducatur AB. 10 perstrinximus] a *add.* ABLRVW, *add. sed del.* N. 11 his contradicit *trp.* AMT. 17 absolute] absolute[m] BLNVW.

1 Num. 3 (PL 10, 51 B et 52 A).

2 Rectius lib. VII, n. 38 (PL 10, 231 B).

3 *Glossa ordin.* in Osee 2, 16 (apud Lyranum, IV, 336a), post alia verba Hieron. relata ex *Comm. in Osee* 2, 16 (PL 25 [1845], 838 D - 839 A).

4 Cap. I, n. 1 (PL 42, 65; CSEL 25, 3).

Num. 8. Cf. id. Landgraf, *Die in der Frühscholastik klassische Frage Quid sumit mus*, in *Dogmengeschichte* III-2, 207-222.

Cap. 2, n. 1. Prima auctoritas Hilarii invenitur in *Glossa* in I Cor. 11, 19 (PL 191, 1637 D - 1638 A); sed ex codicibus versionis primitivae huius *Glossae* apparet quod revera est additio marginalis seu glossa volatilis (cod. z 60r in summo folio: *Aug. in ii° libro de trin.*; cod. Paris., BN lat. 648, 83 marg. dext.; ac BN lat. 673, 129 marg. sin.; deest in cod. x, f. 100v). — Num. 2. Iam in eadem *Glossa* in I Cor. 11, 19 (PL 191, 1638 C).

commodi, et maxime gloriae principatusque sui gratia, falsas ac novas opiniones vel gignit vel sequitur ».

5 3. **Gregorius, super Ezechielem** 1: « Qui in expositione sacri eloquii, ut auditoribus placeat, aliquid fingit, sua verba loquitur, non Dei. Qui autem in verbis dominicis aliter quam is qui protulit senserit, etsi sub alio intellectu, tamen ad aedificationem caritatis tendit, Domini sunt verba quae dicit ».

DISTINCTIO XIV

Cap. 1 (74).

1. **De poenitentia.** Post haec de poenitentia agendum est. Poenitentia 10 longe positus necessaria est, ut appropinquent 2. Est enim, ut ait Hieronymus 3, « secunda tabula post naufragium », quia si quis vestem innocentiae in baptismo perceptam peccando corruperit, poenitentiae re-

3 Notula *om.* LNORTV, *add. marg.* NX2, *add. in tertia col.* ABW. 6 dicit] Quia ad hoc solum nobis Deus per totam sacram scripturam loquitur ut nos ad suum et proximi amorem trahat *add.* (ex Gregor.) N. 10 positus] a deo *add.* ABLW, *add. interl.* N, scil. a deo *add. interl.* V2.

1 L. I, Hom. 10, n. 14 (PL 76, 891 B). 2 Cf. August., *Enarr. in Ps. 94*, 1, n. 2: « Non ergo loco quisque longe est a Deo, sed dissimilitudine... Bonis moribus propinquatur Deo, malis moribus receditur a Deo... Ergo quibusdam longe positus et male viventibus psalmus iste dicit: Venite » (PL 37, 1217s; CCL 39, 1331s). 3 *Epist. 130 (ad Demetriadem)*, n. 9 (PL 22 [1859], 1115; CSEL 56, 189). Iam in Tertulliani *De poenitentia*, n. 4: « Ergo poenitentia vita est, cum praeponebitur morti. Eam tu peccator... ita invade, ita amplexare, ut naufragus alicuius tabulae fidem » (PL 1, 1237; CSEL 76, 148).

Num. 3. In *Glossa* olim Petro Pictaviensi attributa, post *vel sequitur* (in fine n. 2) sic prosequitur textus ut includat hanc notulam Gregorii; nam sine interruptione vel commento auctor glossat: « ut auditoribus placeat, non Deo, aliquid fingit, id est aliquam expositionem non sanam et catholicam... » (n 54b; p 101b).

Dist. XIV-XXII. Cf. P. Anciaux, *La théologie du sacrement de pénitence au XII<sup>e</sup> siècle*, Louvain 1949; B. Poschman, *Die abendländische Kirchenbusse im frühen Mittelalter*, Breslau 1930; id., *Busse und Letzte Ölung*, in *Handbuch der Dogmengeschichte*, IV-3, Freiburg im Br. 1951; P. Schmoll, *Die Busslehre der Frühscholastik*, München 1909; H. Weisweiler, *Maitre Simon et son groupe De sacramentis: textes inédits*, Louvain 1937. — Inter fontes et antecessores Magistri, cf. imprimis Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 14 (PL 176, 549 D - 578 A), *Summa sent.*, VI, 10-14 (PL 176, 146 C - 153 C). — Quod haec Dist. XIV (Halesiana) non fuit divisa in capitula ante compilationem capp. (supra, p. 14), clare apparet ex codicibus nostris. — Cap. 1, n. 1. Verba Hieron. sumuntur ex *Summa sent.*, VI, 10 (PL 176, 146 C), unde et



medio reparare potest. Prima tabula est baptismus, ubi deponitur vetus homo et induitur novus<sup>1</sup>; secunda, poenitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reversa repellitur, et novitas perdita resumitur. Post baptismum prolapsi per poenitentiam renovari valent, sed non per baptismum; licet homini saepius poenitere, sed non baptizari.

2. Baptismus tantum est sacramentum, sed poenitentia dicitur et sacramentum et virtus mentis. Est enim poenitentia interior, et poenitentia exterior. Exterior sacramentum est; interior virtus mentis est; et utraque causa iustificationis et salutis est. — Utrum vero omnis exterior poenitentia sit sacramentum, vel si non omnis, quae hoc nomine censenda sit, consequenter investigabimus<sup>2</sup>.

3. A poenitentia coepit Ioannis praedicatio, dicentis<sup>3</sup>: *Poenitentiam agite: appropinquabit enim regnum caelorum*. Quod autem praeco docuit, idem post Veritas praedicavit, exordium sermonis sumens a poenitentia<sup>4</sup>.

Cap. 2 (75).

1. **Unde dicitur poenitentia** \*. Poenitentia dicitur a puniendo, qua quis punit illicita quae commisit. Poenitentiae virtus timore concipitur. Unde Isaias<sup>5</sup>: *A timore tuo, Domine, concepimus et peperimus spiritum salutis*.

2. **Ambrosius in sermone Quadragesimae** \*: « Est autem poenitentia, ut ait Ambrosius<sup>6</sup>, mala praeterita plangere, et plangenda ite-

<sup>9</sup> Iustificationis... est] salutis est et Iustificationis NVX. <sup>16</sup> Rubrica om. MVW.  
20 in sermone Quadragesimae om. BLMTX.

<sup>1</sup> Resp. Eph. 4, 22-24: *deponere vos... veterem hominem... et induite novum* etc. <sup>2</sup> In Dist. 22, c. 2. <sup>3</sup> Matth. 3, 2. <sup>4</sup> Resp. Matth. 4, 17: *Exinde coepit Iesus praedicare et dicere: Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum*. <sup>5</sup> Isai. 26, 18, iuxta aliam versionem. <sup>6</sup> Sermo 25, n. 1 (PL 17 [1845], 655 A-B); olim genuinus adiudicatus (PLS 1, 593; Clavis, n. 180), nunc cuidam homiliae saec. IX assignatur: cf. P. Mercier, ed., *XIV Homélies du IX<sup>e</sup> siècle* (Sources chrétiennes 161, Paris 1970), Sermo VII, n. 1, p. 186.

reliqua eiusdem phrasid. Ultima phrasid dependet a *Glossa ordin.* in Matth. 3, 2 (apud Lyran., V, 13c). — Num. 2. Iam distinguitur inter poenitentiam interiorem et exteriorem in *Decreto* Gratiani, de poenit. dist. 1, post c. 87, § 5 (1186); cf. etiam Hugo, *De sacram.*, 11, 14, 2 (PL 176, 554 D). — Num. 3: in parte ex *Summa sent.*, VI, 10 (146 C); reliqua ex eadem *Glossa ordin.*: « Hoc praeco nuntiat, quod post per seipsam Veritas ».

Cap. 2, n. 1: Ex eadem *Glossa*. — Num. 2: Verba pseudo-Ambrosii, ex *Decreto*, de poenit., d. 3, c. 1 (1211); illa Gregorii, *ibid.*, c. 6 (1212), paucis mutatis ne videatur repetitio esse Ambrosii.

rum non committere ». — **Gregorius** \*. Item, Gregorius<sup>1</sup>: « Poenitere est anteacta deflere, et flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat ut alia tamen committat, adhuc poenitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata luxuriae quis defleat, et adhuc avaritiae aestibus anhelat? »

3. His verbis quidam vehementius inhaerentes, contendunt vere poenitentem ultra non peccare damnabiliter; et si graviter peccaverit, veram non praecessisse poenitentiam. — Quod etiam aliis muniunt testimoniis.

4. **Isidorus in libro De summo bono** \*. Ait enim Isidorus<sup>2</sup>: « Irrisor est, et non poenitens, qui adhuc agit quod poenitet. Nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. *Canis reversus ad vomitum*<sup>3</sup>, et poenitens ad peccatum. Multi lacrymas indesinenter fundunt, et peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad poenitentiam cerno, et affectum poenitentiae non habere: quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc reviviscente usu, ea quae fleverunt iterando committunt. Isaias de peccatoribus dicit<sup>4</sup>: *Lavamini, mundi estote*. Lavatur et mundus est, qui et praeterita plangit, et flenda iterum non admittit. Lavatur et non est mundus, qui plangit quae gessit, nec deserit, et post lacrymas ea quae fleverat repetit ».

5. **Augustinus in Soliloquio** \*. Item Augustinus<sup>5</sup>: « Inanis est poenitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam a malis poscere, et mala denuo iterare ». — **Gregorius** \*. Item Gregorius<sup>6</sup>: « Qui admissa plangit, nec tamen deserit, poenae graviore se subicit ».

6. **Ambrosius in libro De unica poenitentia** \*. Item Ambrosius<sup>7</sup>: « Reperiuntur qui saepius agendam poenitentiam putant; qui luxuriantur in Christo. Nam si vere in Christo poenitentiam agerent, iterandam postea non putarent, quia sicut unum baptismum, ita est una poenitentia ». His aliisque pluribus utuntur in assertionem suae opinionis.

<sup>1</sup> Gregorius (*in textu*) om. LBR. <sup>5</sup> anhelat] anhelet ABL. <sup>28</sup> sicut] est add. BNX. || est una *trp.* MX.

<sup>1</sup> *In Evang.*, hom. 34, n. 15 (PL 76, 1256 B). <sup>2</sup> *Sententiae* 11, c. 16, nn. 1-4 (PL 83, 619 B-C). <sup>3</sup> Resp. Prov. 26, 11; II Petri 2, 22. <sup>4</sup> Isai. 1, 16. <sup>5</sup> Potius Isidorus, *Synonyma*, I, n. 77 (PL 83, 845 A). <sup>6</sup> *Regula pastor.*, III, c. 30 (PL 77, 110 A-B). <sup>7</sup> Lib. II, c. 10, n. 95 (PL 16 [1845], 520 A; CSEL 73, 200).

Num. 3: Magister hic, ut apparet, sententiam refert Gratiani ante c. 1 (1211); parum infra enim *alia testimonia* adducuntur: illud Isidori (n. 4) in c. 11; dein Augustini et Gregorii (n. 5) in cc. 12 et 14 (1213); ac Ambrosii (n. 6), in c. 2 (1211).



7. **Ambrosius, super Epistolam ad Corinthios \***. Sed **Ambrosius** dicit 1: « Haec vera poenitentia est, cessare a peccato ». — **Idem, Super Octonarium XXII** 2. Et item: « Magni profectus est renuntiasse errori: imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare, virtutis est perfectae et caelestis gratiae ».

Cap. 3 (76).

1. **Quid sit poenitentia \***. Et ideo sane ita definiri potest: Poenitentia est virtus, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus et odimus, et plangenda ulterius committere nolumus. Quia sic poenitentia vera est in animo dolere et odire vitia.

2. **Determinatio praemissorum verborum \***. Unde illa verba praemissa 3, « poenitere est anteacta deflere et flenda non committere », recte sic accipi possunt, ut non ad diversa tempora, sed ad idem referantur: ut scilicet tempore quo flet commissa mala, non committat voluntate vel opere flenda. Quod innuitur in verbis consequentibus: « Nam qui sic alia deplorat » etc. — **Augustinus in Enchiridion \***. Hinc **Augustinus** ait 4: « Cavendum est ne quis existimet infanda illa crimina 5, qualia qui agunt *regnum Dei non possidebunt*, quotidie perpetranda et eleemosynis quotidie redimenda. In melius est enim vita mutanda, et per eleemosynas de peccatis praeteritis propitiandus est Deus; non ad hoc emendus quodam modo, ut ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, etsi miserando deleat commissa peccata, si non satisfactio congrua negligatur ». — **Pius Papa \***. Item **Pius Papa** 6:

2 est *trp. p.* Haec BLT. 8 virtus] gratia LW (vel virtus *interl.* W2), *corr. in gratia R2*, vel gratia *add. N*, *add. interl. T2*, *add. mg. MV2*. 9 sic *om. BLRTVW*, *sed add. interl. L2V2*. 11 Rubrica *om. LRVW*. 18 quotidie *om. MOX*.

1 Ambrosiaster, *In II Cor.* 2, 7 (PL 17, 282 B; CSEL 81-II, 207). 2 Id est *In Ps.* 118, 169, sermo 22, nn. 2-3 (PL 15 [1845], 1512 B-C; CSEL 62, 489). 3 Sub cap. 2, n. 2. 4 Cap. 70 (PL 40, 265; CCL 46, 87). 5 Illa scilicet enumerata in I Cor. 6, 9-10. 6 In *Decret. Ps-Isidori* (PL 130, 112 C); sed non est absque quadam relatione ad *Pastor Hermae* (tempore Pii pp. primi), *Simil. V*, 1 (PG 2, 957-58).

Num. 7: Quae his obiciuntur, ex *Glossis Magistri* trahuntur: primo, ex illa in II Cor. 2, 7 (PL 192, 18 D), dein ex ea in Ps. 118, 169 (PL 191, 1129 C-D).

Cap. 3, n. 1: In hac definitione legit *Manducator gratia pro virtus* (v. lect. variantes); cf. R. Martin, *Pierre le Mangeur « De sacramentis »* (Spic. Sacrum Lovan. 17), 59\*. De eventu definitionis, cf. P. Anciaux, *La théologie*, 257; non semel attribuitur S. Augustino. — Num. 2: Interpretatio verborum Gratiani est, ante seq. auctoritatem Augustini; cf. *Decretum*, de poenit., d. 3, c. 18 (1214); illa Pii papae habetur *ibid.*, c. 21 (1214).

« Nihil prodest homini ieiunare et orare, et alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate revocetur ». — Qui ergo a malis sic mentem revocat ut commissa plangat, et plangenda committere non velit, nec satisfacere negligat, vere poenitet. Nec ideo non est vera poenitentia, quia forte post, non de proposito, sed casu vel infirmitate peccabit.

3. Ille autem « irrisor est, et non poenitens » 1, qui sic commissa plangit, ut plangenda voluntate vel opere committere non desinat. — Ille etiam « qui post lacrymas repetit quae flevit, lavatur ad tempus, sed non est mundus », id est illa munditia non est ei sufficiens ad salutem, quia est momentanea, non perseverans.

4. Item illud 2, « Inanis est poenitentia, quam sequens culpa coinquinat », sic intelligendum est: Inanis est, scilicet carens fructu illius poenitentiae quam sequens culpa non inquinat. Illius enim fructus est vitatio gehennae et adeptio gloriae. Mortificatur enim illa poenitentia, et alia ante acta bona, per sequens peccatum, ut non sortiantur mercedem quam meruerunt cum fierent, et quam haberent si peccatum non succederet. Sed et si de peccato succedenti poenitentia agatur, et poenitentia quae praecessit et alia ante acta bona reviviscunt; sed illa tantum quae ex caritate prodierunt. Illa enim sola viva sunt, quae in caritate fiunt; ideoque, si per sequentia peccata mortificantur, per subsequentem poenitentiam reviviscere possunt. Quae vero sine caritate fiunt, mortua et inania generantur; et ideo per poenitentiam reviviscere non valent 3.

5. Similiter intelligendum est illud 4: « Nihil prosunt lamenta » etc.; et illud: « Nihil valet » etc. Si enim replicentur peccata, nihil valet ad salutem, vel ad veniam in fine, praecedens lamentum, quia nihil relinquitur de vitae munditia. Quia aut peccata dimissa redeunt, ut quibusdam placet, cum replicantur; vel si non redeunt, eis tamen deletis, propter ingratitude ita reus et immundus constituitur, cum adhuc in expiandis implicatur, ut si iam deleta redirent. De hoc tamen, scilicet an peccata redeant, post plenius agemus 5.

9 mundus *trp. post* sed NVX. 13 non *om. M*, *lacuna B*, *del. V*. || [inquinat] coinquinat BLM, *corr. interl. in coinq. V2*. 25 relinquitur] relinquet M, reliquerunt LO, relinquit X. 28 in *om. ANRT*. 29 ut] ac AWX.

1 Dictum Isidori supra, c. 2, n. 4. 2 Item Isidori, sub nomine Augustini, supra, c. 2, n. 5. 3 De hoc argumento, v. infra, Dist. 15, cc. 6-7. 4 Utrumque dictum supra, c. 2, n. 5. 5 Infra, Dist. 22, c. 1.

Num. 4. Prima pars interpretationis dependet a *Summa sent.*, VI, 12 (PL 176, 150 A).



6. Similiter 'nihil valet', ad salutem obtinendam vel ad munditiam vitae habendam, 'veniam de malefactis poscere et mala denuo iterare'. — **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Ita etiam intelligendum est illud quod idem Augustinus alibi ait <sup>1</sup>: «Poenitentia est quaedam dolentis vindicta, puniens in se quod dolet admisisse». Et infra <sup>2</sup>: «Continue dolendum est de peccato. Quod declarat ipsa dictionis virtus: 'poenitere' enim est poenam tenere, ut semper puniat in se ulciscendo, quod commisit peccando. Ille poenam tenet, qui semper vindicat quod admisisse dolet. Poenitentia igitur est vindicta semper puniens in se quod dolet admisisse». «Quid <sup>3</sup> restat nobis nisi dolere in vita? Ubi enim dolor finitur, deficit et poenitentia. Si vero poenitentia finitur, quid relinquitur de venia? Tamdiu gaudeat et speret de gratia, quamdiu sustentatur a poenitentia. Dicit enim Dominus <sup>4</sup>: *Vade, et amplius noli peccare*. Non dixit 'ne pecces', sed 'nec voluntas peccandi in te oriatur'. Quod quomodo servabitur, nisi dolor in poenitentia continue custodiatur? Hic semper doleat et de dolore gaudeat; et non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, et non semper doluisse doleat».

7. **Determinatio intelligentiae dicatorum.** De poenitentia perfectorum vel ad salutem sufficienti intelligendum est quod supra dixit, scilicet: «Poenitentia est vindicta semper puniens quod commisit», et alia huiusmodi. — Illud vero: «Si poenitentia finitur, nihil de venia relinquitur», dupliciter accipi potest. Si enim, iuxta quorundam intelligentiam, peccata dimissa redeunt, facile est intelligere nihil de venia relinqui, quia peccata dimissa iterum replicantur. Sicut enim ille qui ex servitute in libertatem manumittitur, interim vere liber est, et tamen propter offensam in servitutum postea revocatur; sic et poenitenti peccata vere dimittuntur, et tamen propter offensam quae replicatur, iterum redeunt. Si vero non redire dicantur, sane potest dici etiam sic nihil de venia relinqui: non quod

<sup>2</sup> malefactis] malis factis BTWX. <sup>5</sup> admisisse] amississe BNRT, quod corr. N, commisisse X. <sup>6</sup> dictionis] dilectionis BLMNORTW, quod corr. BRTW. <sup>14</sup> nec] ne ALNRW, quod corr. NR. <sup>25</sup> propter] post MO.

<sup>1</sup> Pseudo-Augustinus, *De vera et falsa poenit.*, c. 8, n. 22 (PL 40, 1120). <sup>2</sup> Cap. 19, n. 35 (1128s). <sup>3</sup> Ibid., c. 13, n. 28 (1124). <sup>4</sup> Ioan. 8, 11.

Num. 6: Verba pseudo-August. iam in *Decreto*, de poenit., d. 3, cc. 4-5 (1211-1212), ubi cl. editor quaedam verba ps.-August. Gratiano attribuit (post c. 4). De quo libro *De poenitentia*, cf. C. Fantini, *Il trattato ps.-agostiniano «De vera et falsa poenitentia»*, in *Ricerche di storia religiosa* I (1954-57) 200-209. — N. 7. Pleraque ex dicto Gratiani post c. 22 (1215).

dimissa peccata iterum imputentur, sed quia propter ingratitude ita reus est et immundus constituitur ac si illa redirent.

Cap. 4 (77).

1. **De solemnibus et unica poenitentia.** Illud autem quod Ambrosius ait <sup>1</sup>: «Reperiuntur» etc., et «Sicut unum baptisma, ita et una poenitentia», non secundum generalem, sed secundum specialem morem Ecclesiae de solemnibus poenitentia dictum intelligitur, quae apud quosdam <sup>2</sup> semel celebrata non iteratur. — Item, illud aliud Ambrosii <sup>3</sup>: «Poenitentia semel usurpata nec vere celebrata, et fructum prioris aufert, et usum sequentis amittit», de solemnibus intelligitur.

2. Solemnis vero poenitentia, ut Ambrosius in eodem ait <sup>4</sup>, est, quae fit extra ecclesiam, in manifesto, in cinere et cilicio; quae pro gravioribus horrendisque ac manifestis delictis tantum imponitur. Et illa non est iteranda, pro reverentia sacramenti, et ne vilescat et contemptibilis fiat hominibus. — **Augustinus, ad Macedonium** \*. Unde Augustinus <sup>5</sup>: «Quamvis caute et salubriter provisum sit ut locus illius humillimae poenitentiae semel in Ecclesia concedatur, ne medicina vilis minus utilis esset aegrotis, quae tanto magis salubris est, quanto minus contemptibilis fuerit; quis tamen audeat Deo dicere: Quare huic homini, qui post poeniten-

<sup>2</sup> est om. BRVWX. <sup>6</sup> specialem] spiritualem MNR, quod corr. NR. <sup>10</sup> sequentis] consequentis LMO. <sup>14</sup> pro reverentia] propter reverentiam BNVX. <sup>15</sup> fiat hominibus trp. BRTX.

<sup>1</sup> Supra, c. 2, n. 6. <sup>2</sup> Cf. *Summa divinae paginae* pseudo Petri Pictav., in h.l. Magistri: «In quibusdam vero ecclesiis non iteratur; quae consuetudo est laudabilis ne vilificetur...; in quibusdam vero nunquam iniungitur, ut in Aquitania» (cod. n. 54c-d). Iuxta Rolandum, *Sent.*: «quantum ad Gallicanam ecclesiam [non iteratur] ex illius loci consuetudine» (ed. A. Gietl, 240). <sup>3</sup> *De poenitentia*, II, c. 11, n. 104 (PL 16 [1845], 522 C; CSEL 73, 204). <sup>4</sup> Hoc vix innuit Ambrosius, ibid., n. 99 (521 C; 202). Verba sunt potius *Summae sent.*, VI, 12: «In eodem enim capitulo Ambrosius supponit quod tantum publice agitur. Solemnis poenitentia dicitur, quae fit in manifesto extra ecclesiam, scilicet quae de gravibus peccatis tantum iniungitur... Et olim illa poenitentia non iterabatur, et adhuc in quibusdam ecclesiis hoc servatur pro reverentia sacramenti» (PL 176, 150 B). <sup>5</sup> *Epist.* 153, c. 3, n. 7 (PL 33, 656; CSEL 44, 403).

Cap. 4, nn. 1-2, usque ad verba Augustini, fundatur quasi ad litteram in *Summa sent.*, VI, 12 (PL 176, 150 B). Cf. P. Anciaux, *La théologie*, 148-153, ubi agit etiam de iteratione poenitentiae saeculo XIII. Auctoritas Augustini (in n. 2), ex *Decreto*, de poenit., d. 3, c. 22 (1215).



tiam primam rursus se laqueis iniquitatis obstringit, adhuc iterum par-  
cis?»

3. **Origenes, super Leviticum** \*. Origenes<sup>1</sup> quoque de hac so-  
lemni poenitentia, quae pro gravioribus criminibus iniungitur, ait: « Si  
nos aliqua culpa mortalis invenerit, quae non in crimine mortali vel in  
blasphemia fidei, sed in sermonis vel in morum vitio consistat, haec culpa  
semper reparari potest, nec interdicitur aliquando de huiusmodi poeni-  
tentiam agere. Sed non ita de gravioribus criminibus. In gravioribus enim  
criminibus semel tantum poenitentiae conceditur locus. Communia, quae  
frequenter incurrimus, semper poenitentiam recipiunt et semper redi-  
muntur ». — 'Communia' dicit venialia peccata, et forte mortalia quae-  
dam aliis minus gravia, quae sicut saepe committuntur, ita frequenter  
per poenitentiam redimuntur. Sed de gravioribus criminibus semel tan-  
tum agitur poenitentia, scilicet solemnis; nam et de illis, si iterentur, ite-  
ratur poenitentia, sed non solemnis. Quod tamen in quibusdam ecclesiis  
non servatur.

Cap. 5 (78).

1. **Auctoritatibus probat quod non semel tantum, sed frequenter pec-  
cata dimittantur per poenitentiam.** Quod vero poenitentia non semel tan-  
tum agatur, sed frequenter iteretur, et per eam frequenter iterum venia  
praestetur, pluribus Sanctorum testimoniis probatur.

2. **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Ait enim Augustinus<sup>2</sup>,  
scribens contra quosdam haereticos qui peccantibus post baptismum  
semel tantum dicebant utilem esse poenitentiam, ita: « Adhuc instant per-  
fidi, quoniam sapiunt *plus quam oportet*<sup>3</sup>, non sobrii, sed excedentes men-  
suram. Dicunt: Etsi semel peccantibus post baptismum valeat poenitentia,

<sup>5</sup> mortalis corr. ex moralis LO, corr. in moralis N. || vel] non BRTX, non add. A.  
<sup>6</sup> in<sup>2</sup> om. LNR.      <sup>11</sup> venialia peccata trp. BNRTX.

<sup>1</sup> In cap. 25, 29, id est *Homilia 15*, n. 2 (PG 12, 560 C - 561 A; GCS 29 [1920] 489).  
<sup>2</sup> *De vera et falsa poenit.*, c. 5, n. 11 (PL 40, 1116s).      <sup>3</sup> Resp. Rom. 12, 3.

Num. 3: Illa Origenis trahitur (quibusdam omissis) ex *Glossa ordin.* in Levit. 25, 29  
(apud Lyran., I, 259c); vel ex *Glossa ignota Lombardi* in h.l.

Cap. 5. Quaestio introducit verbis Gratiani ante c. 23 dist. 3 De poenit. (1216), unde  
sumuntur num. 2 (ex dicto et c. 32, 1219), n. 3 (ex c. 33, 1221), n. 4 unacum titulo operis  
Chrysostomi (c. 28, 1218), necnon et n. 5 (ex dicto ante c. 24, 1216; dein auctoritas Ambrosii  
ex c. 26, 1217).

non tamen saepe peccantibus proderit iterata. Alioquin remissio ad pecca-  
tum esset incitatio. Dicunt enim: Quis non semper peccaret, si semper re-  
dire posset? Dicunt enim Dominum incitatore[m] mali, si semper poeniten-  
tibus subvenit; et ei placere peccata, quibus semper praesto est gratia.  
5 Errant autem: constat enim ei multum peccata displicere, qui semper  
praesto est ea destruere; si ea amaret, non ita semper destrueret ».

3. **Augustinus, ad Macedonium** \*. Idem, *Ad Macedonium*<sup>1</sup>: « In tan-  
tum hominum iniquitas aliquando progreditur, ut etiam post actam poe-  
nitentiam, post altaris reconciliationem, vel similia vel graviora commit-  
tant. Et tamen Deus facit etiam super tales *oriri solem suum*<sup>2</sup>, nec minus  
10 tribuit, quam ante tribuerat, largissima munera vitae ac salutis. Et quam-  
vis eis in ecclesia locus ille poenitentiae non concedatur, Deus tamen super  
eos suae patientiae non obliviscitur. Ex quorum numero si quis nobis di-  
cat: Dicite, utrum mihi aliquid prosit ad vitam futuram, si in ista vita  
15 illecebrosissimae voluptatis blandimenta contempsero, si me poenitendo  
vehementius quam prius excruciavero, si uberius flevero, si melius vixero,  
si pauperes largius sustentavero, si caritate ardentius flagravero? Quis  
vestrum ita desipit ut huic homini dicat: Nihil tibi ista in posterum pro-  
derunt; vade, saltem vitae huius suavitate fruire? Avertat Deus tam  
20 immanem sacrilegamque dementiam! »

4. **Ioannes Chrysostomus** \*. Item Ioannes Chrysostomus,  
*De reparatione lapsi*<sup>3</sup>: « Talis, mihi crede, talis est erga homines pietas Dei:  
nunquam spernit poenitentiam, si ei sincere et simpliciter offeratur. Etiam  
si ad summum quis perveniat malorum, et inde tamen velit reverti ad  
25 virtutis viam, suscipit libenter, amplectitur, facit omnia quatenus ad prio-  
rem revocet statum. Quodque est adhuc praestantius et eminentius, etiam  
si non potuerit quis explere omnem satisfaciendi ordinem, quantulam-  
cumque tamen et quamlibet brevi tempore gestam non respuit poeniten-  
tiam; suscipit etiam ipsam, nec patitur quamvis exiguae conversionis per-  
30 dere mercedem ».

3-4 poenitentibus] peccantibus AMORX, quod corr. R.      6 non] ea add. NV. ||  
ita] ea add. BX.      8 actam] peractam ALNOW.      19 vitae huius trp. AMOW.  
21 Rubrica om. BRVWX. || Ioannes (rubr.) om. LMT.

<sup>1</sup> *Epist. 153*, c. 3, n. 7 (PL 33, 655s; CSEL 44, 401ss).      <sup>2</sup> Resp. Matth. 5, 45.  
<sup>3</sup> *Paraenesis ad Theodorum lapsum*, I, n. 6 (PG 47, 284); uti autem hic iacet, textus lati-  
nus invenitur potius in cod. Bibl. Abbatiae Casinensis CLII, et in cod. Leningrad Public.  
Biblioteka lat. F.v.I. n° 4. Cf. *Florilegium Casinense* 3 (1877) 393b3-14; et A. Staerk, *Mit-  
teilungen aus den lat. Handschriften zu St. Petersburg*, in *Studien und Mitteilungen aus dem  
Benediktiner- und dem Cistercienser-Orden* 31 (1910) 12, lin. 6-15; cf. infra, p. 548.



5. Exemplis etiam hoc idem astrui potest. David enim per poenitentiam adulterii simul et homicidii veniam impetravit<sup>1</sup>; et tamen graviter postea deliquit in populi enumeratione: quod populi multitudo prostrata ostendit<sup>2</sup>. — **Ambrosius in Apologia David** \*: « Illud<sup>3</sup> autem mirabile est, quod angelo ferienti plebem se obtulit dicens<sup>4</sup>: *Grex iste quid fecit? Fiat manus tua in me et in domum patris mei*. Quo facto, statim sacrificio dignus iudicatus est, qui absolute aestimabatur indignus. Nec mirum si tali sua oblatione pro populo peccati sui adeptus est veniam, cum Moyses offerendo se pro plebis errore peccata diluerit<sup>5</sup> ».

6. His aliisque pluribus testimoniis evidenter ostenditur per poenitentiam non semel tantum, sed saepius nos a peccatis surgere, et veram poenitentiam saepius agi. *Voluntarie enim peccantibus nobis*, ut ait Apostolus<sup>6</sup>, *non relinquitur hostia pro peccatis*, secunda scilicet, quia semel tantum Christum oportuit pati. Nec relinquitur secundus baptismus. — **Ioannes Chrysostomus** \*. Relinquitur vero secunda poenitentia, et tertia, et deinceps, ut **Ioannes Chrysostomus** super hunc locum ait<sup>7</sup>: « Sciendum, inquit, quod hic quidam exsurgunt, horum verborum occasione poenitentiam auferentes, quasi per poenitentiam non valeat peccator post lapsum resurgere secundo et tertio et deinceps. Verum in hoc etiam poenitentiam non excludit, nec propitiationem quae saepe fit per poenitentiam, sed secundum baptismum et hostiam ».

## DISTINCTIO XV

## Cap. 1 (79).

1. Quod pluribus irretitus peccatis non potest poenitere vere de uno nisi de omnibus poeniteat. Et sicut praedictis auctoritatibus illorum error

<sup>1</sup> Exemplis] exemplo BTV. <sup>4</sup> Rubrica om. RVW. <sup>21</sup> secundum baptismum trp. BRTVX. <sup>25</sup> nisi] et add. BRW (et elenchus capp.).

<sup>1</sup> Resp. II Reg. 12, 13. <sup>2</sup> II Reg. 24, 10-15; I Paral. 21, 1-14. <sup>3</sup> Cap. 7, n. 38 (PL 14 [1845], 865 C; CSEL 32-II, 323). <sup>4</sup> I Paral. 21, 17; II Reg. 24, 17. <sup>5</sup> Resp. Exod. 32, 31-32: *Dimitte eis hanc noxam, aut... dele me de libro tuo*. <sup>6</sup> Hebr. 10, 26. <sup>7</sup> In Hebr., hom. 20, n. 1 (PG 63, 143).

Num. 6, ex *Glossa Magistri* in Hebr. 10, 26-27, ubi et verba Chrysostomi (PL 192, 485 A-B). Dist. XV. Iterum apparet ex codicibus quod Magister materiam in capitula diviserit solum quando elenchum capp. confecit. — Cap. 1, nn. 1-2. Quaestio seu opinio hic venti-

convincitur, qui poenitentiam saepius agendam, et per eam a lapsu peccantes frequenter surgere diffitentur; ita eisdem illorum opinio eliditur, qui pluribus irretitum peccatis asserunt de uno vere poenitere, eiusdemque veniam a Domino consequi posse sine alterius poenitentia.

2. Quod etiam auctoritatibus astruere conantur. **Nahum Propheta** \*. Ait enim Propheta<sup>1</sup>: *Non iudicabit Deus bis in idipsum*, vel ut alii transtulerunt: *Non consurget duplex tribulatio*. Si ergo, inquit illi, aliquis sacerdoti fuerit confessus unum de duobus vel pluribus peccatis, et de illo iniunctam sibi a sacerdote satisfactionem expleverit, ceteris tacitis, non pro illo peccato amplius iudicandus est, de quo satisfacit ad arbitrium sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideoque, si de eo iterum iudicetur, bis in idipsum iudicat Deus et consurgit duplex tribulatio.

3. **Determinatio praecedentium**. Sed de his ergo tantum oportet illud intelligi, qui praesentibus suppliciis commutantur in bonum et sic perseverant; super quos non consurget duplex tribulatio. Qui vero inter flagella duriores et deteriores fiunt, ut Pharaon<sup>2</sup>, praesentibus aeterna connectunt, ut temporale supplicium sit eis aeternae poenae initium. — **Augustinus, super Canticum Deuteronomii** \*. Unde **Augustinus**<sup>3</sup>: « *Ignis succensus est etc.*, id est vindicta hic incipiet, *et ardebit usque ad extremam damnationem* ». — Hoc contra illos notandum est, qui dicunt illud, scilicet *Non iudicabit Deus bis in idipsum*, ad omnia pertinere flagella, quia quidam hic flagellis emendantur, alii hic et in aeternum puniuntur.

<sup>11-12</sup> iudicetur] iudicatur ABRTW. <sup>13</sup> ergo om. BNTVW. <sup>15</sup> consurget] consurgit MT.

<sup>1</sup> Nahum 1, 9, iuxta LXX, dein iuxta Vulgatam; cf. Hieron. in h.l. (PL 25 [1845] 1238 A et C). <sup>2</sup> Resp. Exod. 7-11. <sup>3</sup> Rubrica est Gratiani (infra); verba sunt plus minusve Gregorii, *Moral.* XVIII, 22: « Unde per Moysen Dominus dicit: *Ignis exarsit ab ira mea, et ardebit usque ad inferos deorsum* [Deut. 32, 22]. Quantum ad praesentem etenim percussionem spectat, recte dicitur: *Ignis exarsit ab ira mea*. Quantum vero ad aeternam damnationem, apte mox subditur: *Et ardebit usque ad inferos deorsum*. Licet a quibusdam dici soleat illud quod scriptum est: *Non iudicat Deus bis in idipsum* [Nahum 1, 9]. Qui tamen hoc quod per prophetam de iniquis dicitur, non attendunt: *Et duplici confusione contere eos* [Ier. 17, 18] » (PL 76, 56 C).

lata iam proponitur (et eliditur) a Gratiano, *de poenit.*, d. 3, post c. 39 (1224ss), cuius verba hic repetit Magister. — Num. 3 ad verbum ex *Decreto*, de poenit., d. 3, c. 43, necnon ex dictis ante et post idem capitulum (1226).



## Cap. 2 (80).

**Quot modis contingunt flagella** \*. — **Beda**: « Quinque <sup>1</sup> enim modis flagella contingunt: vel ut iustis merita per patientiam augeantur, ut Iob <sup>2</sup>; vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet, ut Paulo <sup>3</sup>; vel ad corrigenda peccata, ut Mariae lepra <sup>4</sup>; vel ad gloriam Dei, ut de caeco nato <sup>5</sup>; <sup>5</sup> vel ad initium poenae, ut Herodi <sup>6</sup>, quatenus hic videatur quid in inferno sequatur, secundum illud <sup>7</sup>: *Duplici contritione contere eos* ». — Illa ergo auctoritas Nahum non cogit nos sentire omnia quae temporaliter puniuntur, non ulterius a Deo punienda.

## Cap. 3 (81).

10

**1. De Aegyptiis et Israelitis et Sodomitis** \*. Nam etsi super eundem locum Hieronymus dicat Aegyptios et Israelitas a Deo temporaliter punitos ne in aeternum punirentur, non est tamen de omnibus generaliter intelligendum. — **Hieronymus** \*. Ait enim sic <sup>8</sup>: « Quod genus humanum diluvio, Sodomitas igne, Aegyptios mari, Israelitas in eremo <sup>15</sup> perdidit, scitote ideo temporaliter pro peccatis punisse, ne in aeternum puniret: quia *non iudicabit Deus bis in idipsum*. Qui ergo puniti sunt, postea non punientur; alioquin mentitur Scriptura: quod nefas est dicere ».

**2. Quae sit intelligentia praemissorum**. Attende, lector, his verbis, <sup>20</sup> et cave ne de omnibus generaliter intelligas, sed de his tantum qui inter ipsa flagella poenitentiam egerunt, credentes in Deum Hebraeorum: quam, etsi brevem et momentaneam, tamen non respuit Deus.

<sup>6</sup> ut] sicut NRTVX.      <sup>7</sup> eos] domine add. LNVX.

<sup>1</sup> Pseudo-Beda, *In Matth.* 9, 4 (PL 92, 46 A-B; opus saltem dubium adiudicatur: PLS 4, 2221).      <sup>2</sup> Iob. 1, 12-22.      <sup>3</sup> Resp. II Cor. 12, 7.      <sup>4</sup> Num. 12, 10.      <sup>5</sup> Resp. Ioan. 9, 3.      <sup>6</sup> Resp. Act. 12, 23.      <sup>7</sup> Ier. 17, 18.      <sup>8</sup> *In Nahum* 1, 9 (PL 25 [1845], 1238 B-C).

Cap. 2. Auctoritas Bedae attributa, ex *Glossa ordin.* in *Matth.* 9, 4 (apud Lyran., V, 32c). Verba quae sequuntur fundantur super dictum Gratiani post c. 42 d. 3 de poenit. (1225).

Cap. 3, n. 1. Commentum ante auctoritatem Hieron., ex eodem dicto (1225). — Num. 2: ex eodem dicto, § 1 (1226).

**3. Hieronymus** \*. Quod autem qui per temporale flagellum non corriguntur, post aeternaliter puniantur, ibidem ostendit, agens de fideli deprehenso in adulterio qui decollatur; ubi ostendit levia peccata brevi et temporali supplicio purgari, magna vero diuturnis aeternisque suppliciiis reservari, ita inquit <sup>1</sup>: « Quae hic aliquis si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat. Aut enim punietur, et falsum est quod dicitur <sup>2</sup>: *Non iudicabit Deus bis in idipsum*. Aut non punietur, et optandum est adulteris ut hic brevi poena puniantur, ut frustrentur cruciatus aeternos. Ad quod respondemus Deum, ut omnium rerum, ita <sup>10</sup> suppliciorum quoque scire mensuras; et non praeveniri sententiam iudicis, nec illi in peccatorem exercendae dehinc poenae auferri potestatem; et magnum peccatum magnis diuturnisque lui cruciatibus. Si quis vero punitus sit, ut ille qui Israelitae maledixerat <sup>3</sup>, et qui in sabbato ligna collegerat <sup>4</sup>, tales postea non puniri, quia culpa levis praesenti supplicio compensata sit ». Levis enim culpa levi supplicio compensatur. — Hic satis <sup>15</sup> innuit Hieronymus gravia peccata et hic puniri gravi supplicio et in futuro punienda aeternaliter, de quibus poenitentia non agitur inter flagella; levia vero quae hic puniuntur, levi poena compensationem recipere. Quod in bonis fieri non ambigimus; et in malis forte etiam fit ita.

**4.** Satis iam apparet, quod illi de prophetia induxerunt <sup>5</sup> non facere pro eis qui dicunt ei qui crimen sibi reservat, de alio veniam praestari per poenitentiam.

**5.** Alias quoque auctoritates inducunt. — **Gregorius super Ezechielem** \*. Ait enim Gregorius <sup>6</sup>: « *Pluit Dominus super unam civitatem, et super alteram non pluit* <sup>7</sup>; et eandem civitatem ex parte compluit, et ex parte aridam relinquit. Cum ille qui proximum odit ab aliis vitiis se corrigit, una eademque civitas ex parte compluitur, et ex parte arida rema-

<sup>8</sup> frustrentur] in add. ABLNORTWX, sed del. BLOR.      <sup>26</sup> relinquit] reliquit MOX.

<sup>1</sup> Nempe Hieronymus, uti supra (1238 D - 1239 A).      <sup>2</sup> Nahum 1, 9 (LXX).  
<sup>3</sup> Resp. Lev. 24, 14.      <sup>4</sup> Num. 15, 35.      <sup>5</sup> Supra, cap. 1, n. 2.      <sup>6</sup> Lib. I, hom. 10, n. 23 (PL 76, 896 B-C; CCL 142, 155s); uti iacet, textus abbreviatur et aliquantulum mutatur.      <sup>7</sup> Amos 4, 7.

Num. 3. Commentum ante auctoritatem Hieron. trahitur ex dicto Gratiani, § 1, post c. 43 (1226); ipsa auctoritas, ex c. 44 (1226). — Num. 5. Verba Gregorii, ex eadem dist. Gratiani, c. 40 (1224); cf. *Summa sent.*, VI, 13 (PL 176, 151 D), ubi invenitur in parte. Videtis etiam Sermonem 16 ipsius Magistri (PL 171, 498 B). Illud Ambrosii, ex c. 41 (1224); invenitur etiam in *Glossa ordin.* in Ps. 118, 137 (apud Lyran., III, 271c; cod. Laur. Pl. XVII.4, fol. 173c), et in illa Lombardi in h.l. (PL 191, 1112 C-D).



net: quia sunt quidam qui, cum quaedam vitia resecent, in aliis graviter perdurant». — **Ambrosius, super Octonarium XVIII \***. Item **Ambrosius** 1: «Prima consolatio est quia non *obliscitur misereri Deus* 2; secunda per punitionem, ubi etsi fides desit, poena satisfacit et relevat».

6. Ratione quoque utuntur, dicentes: Si is qui unum peccatum confitetur, altero tacito, satisfactionem a sacerdote iniunctam expleverit, numquid, si et peccatum tacitum conversus fuerit confessus, pro utroque ei poenitentia imponetur? Longe hoc videtur a ratione et Ecclesiae consuetudine, quae pro eodem peccato, nisi reiteretur, nulli bis poenitentiam imponit. Fuit ergo illa peccati condigna satisfactio; unde et peccatum deletum videtur.

7. **Quomodo accipienda sint praemissa**. His responderi potest sic. Illud **Gregorii**: «*Pluit Dominus*» etc., non ad criminis veniam, sed ad operis peccati desertionem referendum est: ut ideo pars civitatis dicatur complui, quia ab actu et delectatione peccati, cui ante serviebat, modo cessat; non quod eius veniam habeat. Vocaturque *pluvia* illa talis continentia, qua ab opere peccati revocatur, quia ex fonte gratiae Dei id cordi instillatur, ut vel sic paulatim ad poenitentiam veniat, vel eo minus a Deo puniatur qui diuturniori delectatione et actu peccati maius sibi accumulasset tormentum. — Si vero ad indulgentiam reatus *pluvia* referatur, evangelicae sententiae contraire videbitur 3. Si enim propter immisericordiam qua quis proximo non miseretur, etiam quae dimissa sunt replicantur ad poenam, multo magis quae nondum sunt dimissa propter odium fraternum ad poenam reservari probantur. Et si ille «qui arbiter suae voluntatis constitutus est, non potest inchoare novam vitam, ut ait **Augustinus** 4, nisi poeniteat eum veteris vitae», quomodo ad novitatem indulgentiae perveniet, qui odii vetustatem non deposuit?

8. Illud etiam quod **Ambrosius** 5 ait: «Etsi fides desit, poena

6 expleverit] compleverit T, impleverit VX. 7 conversus om. M, trp. post confessus B. || conversus... confessus trp. NV. 8 videtur om. MOW. 20 accumulasset tormentum trp. BNRTVX. 28 etiam] autem BNRVW.

1 In Ps. 118, serm. 18, nn. 2-3 (PL 15 [1845], 1452 D - 1453 A; CSEL 62, 396s), super Ps. 118, 137. 2 Resp. Ps. 76, 10. 3 Nempe Matth. 18, 32-35: *Serve nequam, omne debitum dimisi tibi... Nonne ergo oportuit et te miserere conservi tui... Et iratus dominus eius tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet universum debitum.* 4 Sermo 351: *De utilitate agenda poenitentiae*, c. 2, n. 2 (PL 39, 1537); cf. supra p. 253. 5 Supra, in fine n. 5.

Num. 6 fundatur supra dictum Gratiani post c. 41 (1225). — Num. 7-8: ex dicto Gratiani post c. 44 (1226-1227).

satisfacit» etc., non de fide intelligitur qua creditur in Deum, sed de conscientia delicti. Deest enim fides cum peccati conscientia non subest. Nam, cum delicta omnia nemo intelligat 1, est aliquando in homine peccatum, cuius non habet conscientiam. Unde **Apostolus** 2: *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum*. Cum igitur flagellatur quis pro peccato cuius non est conscius, si patienter fert poenam et humiliter amplectitur, cogitans peccatum se forte habere quod non intelligit, et pro eo puniri a Deo, poena illa satisfacit et relevat gravatum.

9. Ad hoc autem quod obicitur de satisfactione illa: «Si satisfactio non fuit, iterum imponenda est; si vero iterum imponenda non est, satisfactio fuit; et si satisfactio fuit, veniam impetravit», responderi potest satisfactionem non fuisse, quia ille *dignos fructus poenitentiae* 3 non fecit. — **Augustinus in libro De Poenitentia \***. Est enim «satisfactio poenitentiae, ut ait **Augustinus** 4, peccatorum causas excidere, nec suggestionibus earum aditum indulgere». — **Idem in Enchiridion \***. **Idem** 5: «Sane qui scelerate vivunt nec curant talem vitam moresque corrigere, et inter ipsa facinora sua eleemosynas frequentare non cessant, frustra ideo sibi blandiuntur quia Dominus ait 6: *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis*. Hoc enim quam late pateat, non intelligunt».

20 Cap. 4 (82).

1. **De generibus eleemosynarum \***. — **Augustinus** 7: «Multa enim sunt genera eleemosynarum, quae cum facimus, adiuvamur. Non solum enim qui dat esurienti cibum, sitiienti potum, et huiusmodi, sed etiam qui dat veniam petenti, eleemosynam dat. Et qui emendat verbere in quem potestas datur, vel coercet aliqua disciplina, vel orat ut ei dimittatur peccatum, eleemosynam dat, quia misericordiam praestat. Multa enim bona praestantur invitis, quando eorum consulitur utilitati et non volun-

21 Rubrica om. BVW. 24 petenti] penitenti ALT, quod corr. L. 25-26 dimittatur peccatum trp. LOW.

1 Ps. 18, 13: *Delicta quis intelligit?* 2 1 Cor. 4, 4. 3 Resp. Matth. 3, 8. 4 Potius Gennadius, *Liber seu diffinitio eccl. dogmatum*, c. 24 vel 54 (PL 42, 1218; PL 58, 994 C). 5 Cap. 75 (PL 40, 267; CCL 46, 89s). 6 Luc. 11, 41. 7 *Enchiridion*, cc. 72-73, multis transpositis (PL 40, 266; CCL 46, 88-89).

Num. 9: Prima pars, ex eodem dicto; auctoritas autem *Enchiridion* sumitur ex originali, uti etiam in capitulis sequentibus.



tati. Sed ea maior est, qua ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccavit. Minus enim magnum est erga eum esse benevolum, qui nihil mali tibi fecit; illud multo grandius, ut tuum etiam inimicum diligas, et ei qui tibi malum vult, et si potest facit, semper bonum velis faciasque quod possis ».

2. Quod ergo Dominus ait <sup>1</sup>: *Date eleemosynam, et omnia munda sunt vobis*, « itane <sup>2</sup> intellecturi sumus, ut non credentibus in Christum munda sint omnia, si eleemosynas istas dederint? »

Cap. 5 (83).

1. **Quid sit eleemosyna.** — **Augustinus in Enchiridion** \* <sup>3</sup>: « Qui vult ordinate eleemosynam dare, a se debet primum incipere, et eam primum sibi dare. Est enim eleemosyna opus misericordiae, verissimeque dictum est <sup>4</sup>: *Miserere animae tuae, placens Deo* ». « Non <sup>5</sup> ergo se fallant, qui per eleemosynas largissimas fructuum suorum vel pecuniae impunitatem se emere aestimant, in peccatis permanentes, quae ita diligunt, ut in eis optent versari. *Qui vero diligit iniquitatem, odit animam suam* <sup>6</sup>; et qui odit animam suam, non est ei misericors, sed crudelis. Diligendo quippe eam secundum saeculum, odit eam secundum Deum. Si ergo vult ei dare eleemosynam per quam sit munda, odiat eam secundum saeculum, et diligat eam secundum Deum ».

2. Hac « eleemosyna <sup>7</sup>, quam sibi homo primitus debet, mundantur interiora. Ad quod hortans Christus ait <sup>8</sup>: *Mundate quae intus sunt* ». « Immundis <sup>9</sup> enim nihil est mundum, sed polluta sunt eorum mens et conscientia, ut ait Apostolus <sup>10</sup>. Immundi vero sunt omnes quos non mundat fides qua creditur in Christum, de qua scriptum est <sup>11</sup>: *Mundans fide corda eorum* ». « Sed <sup>12</sup> ne istas eleemosynas, quae fiunt de fructibus terrae, respuere Christus videretur: *Haec, inquit* <sup>13</sup>, *oportuit facere*, scilicet iudicium et caritatem Dei; *et illa non omittit*, id est eleemosynas fructuum terrenorum ».

<sup>3</sup> mali tibi *trp.* BNR. || grandius] gratius X, gravius ALM, quod corr. L. || eleemosynam dare *trp.* NRTVX. || 11-12 primum sibi *trp.* BNTVX.

<sup>1</sup> Luc. 11, 41, supra in fine cap. 3. || <sup>2</sup> *Enchiridion*, c. 75 (PL 40, 267; CCL 46, 90). || <sup>3</sup> Cap. 76 (268; 90). || <sup>4</sup> Eccl. 30, 24. || <sup>5</sup> Cap. 77 (268s; 91). || <sup>6</sup> Ps. 10, 6. || <sup>7</sup> Cap. 76 (268; 90s). || <sup>8</sup> Matth. 23, 26. || <sup>9</sup> Cap. 75 (267; 90). || <sup>10</sup> Tit. 1, 15. || <sup>11</sup> Act. 15, 9. || <sup>12</sup> Cap. 76 (268; 91). || <sup>13</sup> Luc. 11, 42.

Cap. 6 (84).

1. **Utrum in mortali peccato permanentes et largas eleemosynas facientes debeant dici satisfacere.** Ex his datur intelligi quod in peccato mortali permanentes, etsi eleemosynas largas faciant, non tamen per eas satisfaciunt, quia inordinate agunt, dum a se non incipiunt. Nec proprie dicitur eleemosyna tale opus, dum sibi ipsis crudeles existunt, non placentes Deo. Non igitur dicenda est illa satisfactio peccati, quam quis agit pro uno peccato, dum perdurat in altero: quia (**Pius Papa** \*<sup>1</sup>) « nihil prodest ieiunare et orare et alia bona agere, nisi mens revocetur a peccato »; et si aliquando conversus tacitum peccatum sacerdoti fuerit confessus, de utroque imponenda est ei satisfactio, quia de primo condigne non satisfecit <sup>2</sup>.

2. **Secundum quosdam fuit satisfactio.** Quibusdam <sup>3</sup> tamen videtur fuisse satisfactio, sed infructuosa dum in peccato altero persistit; percipitur autem eius fructus incipietque proficere cum peccati alterius poenituerit. Tunc enim utrumque dimittitur peccatum, et satisfactio praecedens vivificatur, quae fuerat mortua: sicut baptismus illi qui fecte accedit tunc primitus valet, cum fictio a mente recedit per poenitentiam.

3. **Auctoritates inducunt** \*. Et in huius opinionis munimentum auctoritates inducunt. — **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Ait enim Augustinus <sup>4</sup>: « Pium est credere, et nostra fides hoc postulat, ut cum gratia Christi in homine destruxerit mala, priora etiam remuneret bona; et cum destruit quod suum non invenit, diligit bonum quod in peccante plantavit ». — **Hieronymus, super Aggaeum** \*. Item Hieronymus <sup>5</sup>: « Si quando videris inter multa peccata quemquam facere aliqua iusta

2-3 Rubrica ex *elencho capp.*, om. codd. || 7 satisfactio peccati *trp.* ABNRTVX. || 11 ei om. L, interl. T, *trp.* post satisfactio X. || 15 autem] tamen BMNO. || eius fructus *trp.* ABNTVX. || 19 Rubrica om. RVW. || inducunt] inducit BMX. || 24 Item] Unde NVX.

<sup>1</sup> Cf. supra, Dist. 14, c. 3, n. 2. || <sup>2</sup> Cf. supra, cap. 3, nn. 6 et 9. || <sup>3</sup> Gratiano scilicet, in *Decreto*, de poenit. d. 3, in dicto post c. 44, in fine § 2 (1227). || <sup>4</sup> *De vera et falsa poenit.*, c. 14, n. 29 (inter opp. August., PL 40, 1125). || <sup>5</sup> In Cap. 1, 6 (PL 25 [1845], 1394 B).

Cap. 6, n. 3. Auctoritas pseudo-Augustini sumitur (cum rubrica) ex *Decreto*, de poenit., d. 3, c. 45 (1227), ubi sequitur, in c. 46, illa Hieronymi. Ultima verba, ut videtur, ex *Glossa ordin.* in Aggaeum 1, 6 (apud Lyranum, IV, 402c).



opera, non est tam iniustus Deus, ut propter multa mala obliviscatur paucorum honorum »; sed faciet eum metere et in horrea congregare quae in bona terra seminavit <sup>1</sup>.

4. **Solutio** \*. Sed haec dicta intelligimus de illo qui in caritate quodam tempore bona facit et bonus est, alio vero tempore malus est et multa <sup>5</sup> peccata facit. Non ergo intelligendum est eum 'inter multa peccata iusta opera' fecisse, quasi simul eodemque tempore peccata fecerit et iusta opera, sed diversis temporibus utraque egisse. Nisi enim bonus foret quando bona fecit, non seminasse in terra diceretur bona. Destructis ergo malis post opera bona commissis, priora bona, in caritate scilicet <sup>10</sup> facta, quae sequentia mala mortificaverant, poenitentia de illis malis habita, vivificantur et remunerantur.

5. **In epistola ad Hebraeos** \*. Unde Apostolus <sup>2</sup>: *Iacentes fundamentum poenitentiae ab operibus mortuis*: opera mortua nominans, priora bona significat, quae per sequens peccatum erant mortua, quia hi peccando <sup>15</sup> priora bona irrita fecerunt. Haec sicut peccando fiunt irrita, ita per poenitentiam reviviscunt, et ad meritum aeternitatis prodesse incipiunt.

6. Similiter et 'illud bonum amat Deus, quod plantavit in peccante', in illo scilicet qui post illud bonum peccavit, non simul peccans et bene operans exstitit, quia talis hominis opus non diligeret Deus ad remunerationem. <sup>20</sup>

Cap. 7 (85).

1. **Utrum bona quae fiunt ab aliquibus malis valeant ad meritum vitae cum fuerint conversi ad bonum.** — **Augustinus in libro De patientia** \*. Potest etiam accipi de operibus bonis quae ab aliquo fiunt dum malus <sup>25</sup> est et in peccato mortali persistit, vel ad tempus, vel usque in finem: quae dicuntur remunerari a Deo et non dari oblivioni, non quia proficiant

8 egisse] fecisse NVX. 17 prodesse] proficere NVX. 23-24 Utrum... bonum ex elencho capp. 24 patientia] penitencia ABRTX. 26 peccato mortali trp. NVX. 27 remunerari a Deo trp. LNVX.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 13, 8; Marc. 4, 8; Luc. 8, 8. <sup>2</sup> Hebr. 6, 1. Cf. *Glossa Magistri* in h.l. (PL 192, 440 B-C), ubi quaedam verba inveniuntur in fine (440 C). Notare oportet quod plures codd. hic rubricam portant marginalem *Gregorius*, sed revera haec verba sunt Gratiani.

Num. 5 trahitur quasi ad verbum ex *Decreto*, de poenit. d. 4, c. 19, et subsequenti dicto Gratiani (1236).

Cap. 7, n. 1. Dependet tam quoad dictum ante auctoritates quam quoad ipsas a Gratiano, De poenit. d. 4, c. 49 (1228).

ad vitam aeternam obtinendam, sed ad tolerabilius extremi iudicii supplicium sentiendum; sicut de fide et ceteris quae sine caritate habentur **Augustinus** ait <sup>1</sup>: « Si quis non habens caritatem, quae pertinet ad *unitatem spiritus et vinculum pacis* <sup>2</sup> quo Ecclesia connectitur, in aliquo <sup>5</sup> schismate constitutus, ne Christum neget patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammam, vel bestias, vel ipsam crucem timore gehennae, nullo modo ista culpanda sunt; immo et hic laudanda est patientia. Non enim dicere poterimus melius ei fuisse ut Christum negando, nihil eorum pateretur quae passus est confitendo. Sed aestimandum est fortasse <sup>10</sup> tolerabilius ei futurum iudicium, quam si Christum negando nihil eorum pateretur; ut illud quod ait Apostolus <sup>3</sup>: *Si tradidero corpus meum ita ut ardeam, caritatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, nihil prodesse intelligatur ad regnum obtinendum, non ad extremi iudicii tolerabilius supplicium subeundum ». — Et infra <sup>4</sup>: « Haec propter caritatem dicta <sup>15</sup> sunt, sine qua in nobis non potest esse vera poenitentia; quoniam in bonis caritas Dei est quae tolerat omnia <sup>5</sup> ».

2. **Perstringit dictorum summam, ut alia addat.** Ex his ostenditur bona quae sine caritate fiunt, prodesse quidem ad tolerabiliorem poenam sentiendam, sed non ad vitam obtinendam. — Illa etiam quae in caritate <sup>20</sup> quis facit, si postea prolapsus fuerit nec exsurrexerit, non esse in memoria Dei Ezechiel dicit <sup>6</sup>: *Si averterit se iustus a iustitia et fecerit iniquitatem, numquid vivet? Omnes iustitiae eius quas fecerat non recordabuntur. In <sup>7</sup> peccato suo morietur, et non erunt in memoria iustitiae quas fecit.* — **Gregorius** \*. In cuius loci expositione **Gregorius** ait <sup>8</sup>: « Hoc nobis maxime considerandum est, quia cum mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona revocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum praeteritorum ». — Intelligendum est hic ad vitam percipiendam bona praeterita non dare fiduciam, etsi ad

7 patientia] penitencia OR, quod corr. O<sup>2</sup>. 20 exsurrexerit] surrexerit BL, resurrexerit M. 27 bonorum praeteritorum trp. LTV.

<sup>1</sup> *De patientia*, c. 26, n. 23 (PL 40, 623s; CSEL 41, 687s). <sup>2</sup> Resp. Eph. 4, 3. <sup>3</sup> I Cor. 13, 3. <sup>4</sup> Immo supra, c. 23, n. 20 (PL 40, 622; CSEL 41, 685s). <sup>5</sup> Resp. I Cor. 13, 7: *Omnia suffert... omnia sustinet.* <sup>6</sup> Ezech. 18, 24. <sup>7</sup> Ezech. 3, 20. <sup>8</sup> *In Ezech.* I, hom. 11, n. 21 (PL 76, 914 B).

Num. 2. Primum dictum conclusio exstat praecedentium. Quod sequitur, textus scilicet Ezechielis et expositio Gregorii, parum infra in *Decreto*, de poenit. d. 4, cc. 15-16 (1236). Conclusio est Magistri.



mitiorem poenam; alioquin praemissae auctoritati Augustini obviam ret. Et bona igitur sine caritate facta et bona in caritate facta, quae comitatur mortalis culpa, quam non delet sequens poenitentia, ad sensum mitioris poenae proficiunt, non ad vitae fructum.

3. **Alias inducit auctoritates contra eos qui dicunt de uno peccato poenitentiam agi, altero tacito.** Satis arbitror illis esse responsum, qui asserunt de uno crimine poenitentiam agi et veniam praestari, alio in delectatione retento, vel per confessionem non exposito. Qui non modo praemissis auctoritatibus confutantur, sed et subditis:

4. **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Ait enim Augustinus: «Sunt plures quos poenitet peccasse, sed non omnino, reservantes sibi quaedam in quibus delectentur: non animadvertentes Dominum simul mutum et surdum a daemonio liberasse<sup>2</sup>. Per hoc docet nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reservari, habentem septem daemonia<sup>3</sup> perficere potuit sex expulsis; expulit autem septem, ut omnia crimina simul eicienda doceret. Legionem vero daemonum ab alio eiciens<sup>4</sup>, nullum reliquit de omnibus qui liberatum possideret, ostendens quod, si etiam peccata sint mille, oportet de omnibus poenitere. Nunquam aliquem sanavit Dominus, quem non omnino liberaverit. Totum enim hominem sanavit in sabbato<sup>5</sup>, quia et corpus ab omni infirmitate, et animam ab omni contagione: indicans poenitentem oportere simul dolere de omni crimine. Scio enim Dominum inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui crimen reservat, de alio reciperet veniam? Sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo unquam invenit gratiam? Hostis enim Dei est, dum offendit perseveranter. Quaedam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus et iustitia est dimidiam sperare veniam. Iam enim sine vera poenitentia inveniret gratiam. Poenitentia enim vera ad baptismi puritatem conatur ducere. Recte enim poenitens quidquid sordis post purificationem contraxit, oportet ut abluit saltem lacrymis mentis. Sed satis durus est, cuius mentis dolorem oculi non declarant. Sed sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis vel mortem amici, et

<sup>1</sup> Augustini] hoc add. ALRW.  
alii codd. || reservantes] servantes MOW.  
om. BMO.

<sup>11</sup> non M, Grat., ps.-Aug., tamen non N, tamen  
<sup>19</sup> liberaverit] liberavit NVW. <sup>25</sup> enim<sup>2</sup>

<sup>1</sup> De vera et falsa poenit., cc. 9-10 (inter opera August., PL 40, 1121s). <sup>2</sup> Resp. Marc. 7, 32-37. <sup>3</sup> Resp. Luc. 8, 2. <sup>4</sup> Resp. Luc. 8, 30; Marc. 5, 9. <sup>5</sup> Ioan. 7, 23.

Num. 3-4: ex eodem dicto et c. 42 d. 3 de poenit. (1225).

dolorem peccati non ostendit in lacrymis. Quem ergo poenitet, omnino poeniteat ».

5. **Augustinus** \*. Idem 1: «Poenitentes, poenitentes, si vere estis poenitentes, et non estis iridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Poenitentiam agis, genua figis, et rides, subsannans patientiam Dei! Si poenitentiam agis, poenitet; si non poenitet, non poenitens es. Si ergo poenitet, cur facis quae male fecisti? Si fecisse poenitet, noli facere; si adhuc facis, certe non es poenitens ».

6. **Innocentius Secundus** \*. Item Innocentius II 2: «Admonemus fratres nostros, ne falsis poenitentiis laicorum animas decipi et in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem poenitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de uno solo poenitentia agitur; vel cum sic agitur de uno, ut non discedatur ab alio ».

7. **Repetit de vera poenitentia ut addat.** Ex praemissis perspicua fit notitia verae poenitentiae et satisfactionis. Illa enim vera est poenitentia, quae peccatum abolet. Quod illa sola facit, quae scelus corrigit. Illa vero scelus corrigit, quae odium commissi criminis et committendi cum desiderio satisfaciendi affert.

8. **Hieronymus, super Matthaeum** \*. Iudas enim poenituisse legitur sine assecutione veniae, quia tali poenitentia non correxit crimen. Unde Hieronymus 3: «Nihil Iudae profuit egisse poenitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Si quando frater sic peccat in fratrem, ut emendare valeat quod peccavit, potest ei dimitti; sin autem permanent opera, frustra voce assumitur poenitentia. Hoc est quod de eo dicitur 4: *Et oratio eius fiat in peccatum*, ut non solum emendare nequiverit proditionis nefas, sed proprii homicidii scelus addiderit ».

<sup>3</sup> poenitentes<sup>2</sup> om. ABLNVX, del. W. <sup>9</sup> secundus (11) quintus T (tam in rubrica quam in textu), corr. ex tertius R. <sup>23</sup> emendare] non add. sed del. X, add. Interl. LTV<sup>2</sup>, quod del. L.

<sup>1</sup> Sermo 393 (inter dubios, PL 39, 1713); iam notus fuit S. Caesario Arelatensi (c. 470-542), qui quaedam inde excerptis in suo Sermone 63: De poenitentia ex dictis s. Augustini (CCL 103, 272-274), non tamen haec verba. Cf. animadversiones Dom. G. Morin, ibid., 272, et CCL 104, 979. <sup>2</sup> In Concilio Lateranensi II (1139), c. 22 (DS, n. 717; Concil. oecum. decreta, Bononiae 1973, 202). <sup>3</sup> In Matth. 27, 5 (PL 26 [1845], 204 C). <sup>4</sup> Ps. 108, 7.

Num. 5: ex Decreto, de poenit., d. 3, c. 10 (1213). — Num. 6: ex eodem, de poenit., d. 5, c. 8 (1242). — Num. 8. Verba Hieron. probabilis sumuntur ex Decreto, de poenit., d. 3, c. 38 (1224) quam ex Glossa ordin. in Matth. 27, 5 (apud Lyranum, V, 83c).



9. Cave qualiter intelligas illud: « Ut emendare valeat quod peccavit » etc. Non enim emendatio hic intelligenda est rei demptae recompensatio, sed delicti exprobratio et abominatio, cum satisfactionis desiderio. Demit enim iniuste quis alicui quod restituere non valet, ut oculum vel vitam et huiusmodi; et tamen si poenituerit peccati, cum amore condignae satisfactionis, veniam habet. Nec ideo quisquam putet, qui rem alienam iniuste abstulit quam reddere potest, de illo peccato poenitere ac veniam consequi, nisi restituat ablatum. Quamdiu enim « res 1, propter quam peccatum est, non redditur, si reddi potest, non agitur poenitentia, sed fingitur ».

## DISTINCTIO XVI

## Cap. 1 (86).

1. De tribus quae in poenitentia consideranda sunt. In perfectione autem poenitentiae tria observanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. — **Ioannes Os aureum** \*. Unde **Ioannes Os aureum** 2: « Perfecta poenitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre. In corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas: haec est fructifera poenitentia ». Ut sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore, manu, ita tribus modis satisfaciamus.

2. **Augustinus, De sermone habito in monte** \*: « Sunt enim tres peccati differentiae, ut ait **Augustinus** 3: et in corde, et in facto, et in consuetudine » vel verbo; « tamquam tres mortes: una quasi in domo, scilicet cum in corde consentitur libidini; altera quasi prolata iam extra

1 emendare] non add. ABMRTW, add. interl. LV<sup>2</sup>, add. sed del. OX. 5 et] vel MX.

1 August., *Epist.* 153 (ad Macedonium), c. 6, n. 20 (PL 33, 662; CSEL 44, 419).

2 In homilla *Provida mente*, in Ioan. Chrysostomi *Opera omnia*, V, Paris. 1570, 767 B-C, et in editione Venetiis 1583, V, 96c; sed cuius sit, non apparet. Non invenitur inter Ioan. Medlocri seu Chrysostomi Latini sermones (PLS IV, 649-850). 3 *Sermo I*, c. 12, n. 35 (PL 34, 1247; CCL 35, 38); cf. etiam *Sermo 98*, cc. 4-5 (PL 38, 593s).

Num. 9. Ultima auctoritas (sine nomine) in fine huius capituli, ex *Decreto*, C. 14, q. 6, c. 1 (742).

Dist. XVI, c. 1, n. 1: Tria observanda iam proponuntur in *Summa sent.*, VI, 10 (PL 176, 146 D). Auctoritas pseudo-Chrysostomi, in de poenit. d. 1 c. 40 (1168). — Num. 2: ex eodem de poenit. d. 2, c. 21 (1197).

portam, cum in factum procedit assensio; tertia, cum malae consuetudinis tamquam mole premitur animus, vel noxiae defensionis clypeo armatur, quasi in sepulcro iam putens. Haec sunt tria genera mortuorum quae Dominus legitur<sup>1</sup> suscitasse ». Huic igitur triplici morti triplici remedio occurritur: contritione, confessione, satisfactione.

3. Compunctio nobis commendatur ibi<sup>2</sup>: *Scindite corda vestra, et non vestimenta vestra*. — Confessio ibi<sup>3</sup>: *Iustus in principio sermonis accusator est sui*; vere enim confitetur qui se accusat, qui execrando malum sibi imputat. Et ibi<sup>4</sup>: *Effundite coram illo corda vestra*; et item<sup>5</sup>: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. — Satisfactio a Ioanne praecipitur, ubi ait<sup>6</sup>: *Facite fructus dignos poenitentiae*, scilicet ut secundum qualitatem et quantitatem culpae sit qualitas et quantitas poenae. — **Beda** \*: « Non enim par debet esse fructus boni operis, eius qui nihil vel minus peccavit, et eius qui gravius cecidit ».

## Cap. 2 (87).

1. **Quae attendenda sint** \*. — **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Ideo discretio poenitenti valde necessaria est, ut illa gerat quae **Augustinus** tradit dicens<sup>8</sup>: « Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseverantia, in varietate personae, et quali hoc fecerit tentatione, et in ipsius vitii multiplici executione. Oportet enim poenitere fornicantem secundum excellentiam sui status vel officii, vel secundum modum meretricis, et in modum operis sui, et qualiter turpitudinem egit; si in loco sacro, si in tempore orationi constituto, ut sunt festivitates et

22 modum<sup>2</sup>] modo BNRTV, quod corr. N<sup>2</sup>.

1 De puella suscitata in domo: Matth. 9, 23-25; de filio viduae suscitato prope portam Naim: Luc. 7, 12-15; de Lazaro suscitato iam foetenti in sepulcro: Ioan. 11, 39-44. 2 Ioel 2, 13. 3 Prov. 18, 17, iuxta LXX. 4 Ps. 61, 9. 5 Iac. 5, 16. 6 Scil. Ioan. Baptista: Matth. 3, 8; Luc. 3, 8. 7 Glossa ordin. in Matth. 3, 8, vel (potius) in Luc. 3, 8 (apud Lyranum, V, 14a, 134a); ex Beda in h.l. (PL 92, 353 B-C; CCL 120, 77), ex Gregorio, *In Evang.*, hom. 20, n. 8 (PL 76, 1163 D - 1164 A). 8 *De vera et falsa poenit.*, c. 14, n. 29 (inter opp. Aug., PL 40, 1124).

Num. 3: Auctoritas Bedae videtur esse ex quadam glossa (Magistri?) in Luc. 3, 8, non ex *Decreto*, de poenit. d. 1, in dicto post c. 87, § 13 (1187).

Cap. 2. Oportet notare quem titulum portabit hoc cap. in elencho adhuc conficiendo (supra, p. 14): *Quae sit vera satisfactio*. — Num. 1: Auctoritas pseudo-Augustini, ex *Decreto*, de poenit., d. 5, c. 1, §§ 1-2 (1238).



tempora ieiunii. Consideret quantum perseveraverit, et defleat quod perseveranter peccavit; et quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed ultro se peccato offerunt; nec exspectant tentationem, sed praeveniunt voluptatem. Et pertractet secum quam multiplex actione vitii delectabiliter peccavit. Omnis ista varietas confitenda est et deflenda, ut cum cognoverit quod peccatum est, cito inveniat Deum propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inveniat cuius aetatis fuerit, cuius sapientiae et ordinis. Immoretur in singulis istis, et sentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitatem vitii. Defleat virtutem qua interim caruit: dolendum est enim non solum quod peccavit, sed quia se virtute privavit ».

2. **Quomodo omnium reus** \*. « Defleat<sup>1</sup> etiam quoniam offendens *in uno, factus est omnium reus*<sup>2</sup>. Ingratus enim exstitit, qui plenus virtutibus, Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccavit, quia omni bono abundavit. Alio etiam modo offendens *in uno, factus est omnium reus*: quia omnis virtus patitur detrimentum ab uno vitio ».

3. « Ponat<sup>3</sup> se omnino in iudicio et potestate sacerdotis, nihil sui reservans sibi, ut omnia, eo iubente, paratus sit facere pro recipienda vita animae, quae faceret pro evitanda corporis morte. Et hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam: cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quae faceret pro differenda morte moriturus ».

4. « Semper<sup>4</sup> deprecetur Deum. Offerat Deo mentem et cordis contritionem; deinde et quod potest de possessione. Tunc quod offerat, securus offerat. *Respexit Dominus ad Abel et ad munera eius*<sup>5</sup>; prius dicit *ad Abel* quam *ad munera eius*. In iudicio igitur cordis conferenda est eleemosyna tribuentis. Nec considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Qui igitur sua peccata redimere vult temporalium oblatione, prius offerat mentem ».

<sup>1</sup> perseveraverit] perseveravit ALNOVWX. <sup>10</sup> est enim *trp.* NRTVX. <sup>11</sup> peccavit] Peccans mortaliter virtute caret (*rubr.*) *add.* BX. <sup>12</sup> Rubrica BNVX, *om. alii codd., et del. V.* <sup>24</sup> offerat] offert B, offeret W, *corr. in* offert R. <sup>25</sup> Respexit] enim *add.* BRTX. <sup>26</sup> eius *om.* ARTW. || igitur] enim BNV, *om. O.*

<sup>1</sup> Ibid. (1124s). <sup>2</sup> Resp. Iac. 2, 10. <sup>3</sup> Ibid., c. 15, n. 30 (1125). <sup>4</sup> Ibid. <sup>5</sup> Gen. 4, 4.

Num. 2: *ibid.*, §§ 2-4. — Num. 3-4: *ibid.*, § 6 (1239); n. 5: *ibid.*, § 7 (1239s); n. 6: §§ 8-9 (1240); n. 7: § 8, dein § 9; ubique textus ps.-Augustini abbreviatur et aliquantum adaptatur.

5. **Quod non est dividenda confessio per diversos sacerdotes** \*. « Caveat<sup>1</sup> ne, ductus verecundia, dividat apud se confessionem, ut diversa diversis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim uni celant, quae alii manifestanda conservant: quod est se laudare et ad hypocrisim tendere, et semper venia carere, ad quam per frustra putat pervenire. Caveat etiam ne prius ad dominicum corpus accedat, quam confortet bona conscientia; et doleat quod nondum audeat sumere quem multum desiderat cibum salutarem. Cohibeat etiam se a ludis, a spectaculis saeculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam ».

6. « Isti<sup>2</sup> sunt digni fructus poenitentiae, animam captivam elaqueantes et in libertate servantes ». — Et infra: « Quaerat anima fructus dignos, etsi non 'dignos poenitentiae'. Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt poenitentibus. Poenitentia enim graviores postulat, ut dolore et gemitibus mortuus impetret vitam ».

7. Ex his ostenditur qui sint digni fructus poenitentiae quibus vera satisfactio expletur, et quod non omnes digni fructus sunt digni fructus poenitentiae. Quod de illa poenitentia intelligitur quae maiorum est criminum. Non enim sufficiunt graviter delinquentibus, quae sufficiunt minus vel parum peccantibus.

Cap. 3 (88).

1. **Quae sit falsa satisfactio**. Et sicut sunt digni fructus poenitentiae ac vera satisfactio, ita et indigni fructus et falsa satisfactio, id est falsa poenitentia. — **Gregorius** \*. Unde **Gregorius**<sup>3</sup>: « Falsas poenitentias dicimus, quae non secundum auctoritates Sanctorum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque miles vel negotiator, vel alicui officio deditus quod sine peccato exerceri non possit, si culpis gravioribus irretitus ad poenitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuste detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoscat se veram poenitentiam non posse peragere, nisi negotium relinquat vel officium deserat, et odium ex corde dimittat,

<sup>1</sup> Rubrica *om.* AVW. <sup>2</sup> ductus verecundia *trp.* BNRTVX. <sup>3</sup> velit sacerdotibus *trp.* BLNVX. || enim] quedam *add.* AT, *om.* M. || alii] alteri BNVX. <sup>5</sup> Caveat] Paveat ABORTX, *quod corr.* R. <sup>11</sup> libertate] libertatem BLM.

<sup>1</sup> Ibid., n. 31 (1125s). <sup>2</sup> Ibid. (1126). <sup>3</sup> Gregorius VII in Concilio Romano V, n. 5 (Mansi XX, 510 A-B; PL 148, 801 B-C).

Cap. 3. Auctoritas, ex *Decreto*, de poenit., d. 5, c. 6 (1241).



et bona quae iniuste abstulit restituat. Ne tamen desperet: interim quidquid boni facere potest, hortamur ut faciat, ut Deus cor illius illustret ad poenitentiam ».

2. Cum sit poenitentia interior et exterior, de utraque per praemissa satis apparet quae sit vera, et quae sit falsa.

Cap. 4 (89).

1. **De tribus actionibus poenitentiae.** Predictis vero adiciendum est quod tribus modis agitur poenitentia: ante baptismum scilicet de prioribus peccatis; post baptismum, de gravioribus quae post committuntur; est etiam poenitentia venialium quotidiana, quae etiam humilium est et perfectorum.

2. **Augustinus, ad Felicianum** \*. Unde Augustinus<sup>1</sup>: « Tres sunt actiones poenitentiae, quas mecum vestra eruditio recognoscit. Una est quae novum hominem parturit, donec per baptismum omnium praeteritorum fiat ablutio peccatorum; quia nullus suae voluntatis arbiter, nisi poeniteat eum veteris vitae, novam inchoare potest. A qua parvuli sunt immunes cum baptizantur, quia nondum possunt uti libero arbitrio; quibus tamen ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides a quibus offeruntur ». — « Altera<sup>2</sup> est actio poenitentiae post baptismum, quae fit pro illis peccatis quae Legis decalogus continet ». « Agunt<sup>3</sup> ergo homines poenitentiam ante baptismum de peccatis prioribus, ita tamen ut etiam baptizentur, sicut Petrus ait<sup>4</sup>: *Agite poenitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum in nomine Domini* etc. Agunt etiam poenitentiam si post baptismum ita peccaverint ut excommunicari et post reconciliari mereantur ». — « Est<sup>5</sup> etiam poenitentia bonorum et humilium fidelium ».

1 Ne] Nec ALTX, Non V. 9 gravioribus] gravibus ORTVW. 15 ablutio] abolitio ABRTV, corr. in abolitio X. 21 peccatis prioribus trp. BNR<sup>2</sup>(marg.)VX. 22 sicut] unde B, ut NRVX. || et] ut NO. 24 post reconciliari] reconciliari postea BNVX.

<sup>1</sup> Id est *Sermo 351: De utilitate agenda poenitentiae*, c. 2, n. 2 (PL 39, 1537), de cuius authenticitate valde ambigitur (*Clavis*, n. 284, p. 75). <sup>2</sup> Ibid., c. 4, n. 7 (1542). <sup>3</sup> Augustinus, *Epist. 265 (ad Seleucianam)*, n. 7 (PL 33, 1088; CSEL 57, 645). <sup>4</sup> Petrus in *actibus apostolorum* (rubr. marg.) 2, 38. <sup>5</sup> August., *Epist. 265*, n. 8 (1089; 646).

Cap. 4, n. 2. Prima auctoritas Augustini, cum rubrica, ex *Decreto*, de poenit., d. 1, c. 81 (1182). Dein (ab *Agunt ergo*), etiamsi sub eadem rubrica, ex *Glossa Magistri* in II Cor. 12, 21 (PL 192, 89 D - 90 A).

pene quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes 1: *Dimitte nobis debita nostra* etc. Neque enim nobis ea dimitti volumus, quae dimissa in baptismo non dubitamus, sed illa quae humanae fragilitati, quamvis parva, tamen crebra subrepunt ».

Cap. 5 (90).

1. **Quod multitudo venialium ita aggravat ut unum grande peccatum** \*. « Quae<sup>2</sup> si collecta contra nos fuerint, ita nos gravabunt et oppriment sicut unum aliquod grande peccatum. Quid enim interest ad naufragium, an uno grandi fluctu navis operiatur et obruatur, an paulatim subrepens aqua in sentinam per negligentium culpam impleat navem et submergat? Ideo ieiunium et eleemosynae et orationes invigilent: in quibus, cum dicimus: *Dimitte nobis debita nostra* etc., manifestamus nos habere quod nobis dimittatur; et in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere poenitentiam non cessamus ».

Cap. 6 (91).

1. **De satisfactione venialium.** — Augustinus in *Enchiridion* \*. Quae autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens, Augustinus insinuat, ita inquit in *Enchiridion*<sup>3</sup>: « De quotidianis et brevibus levibusque peccatis, sine quibus haec vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere<sup>4</sup>: *Pater noster, qui es in caelis*. Delet omnino haec oratio minima et quotidiana peccata. Delet et illa a quibus vita fidelium (etiam scelerate gesta, sed poenitendo in melius commutata) discedit, si ut veraciter dicitur<sup>5</sup>: *Dimitte nobis debita nostra*, ita veraciter ».

2 enim AMN *Florus, Glossa, sed del. N, om. alii codd.* || nobis trp. post dimitti BLVX. || nobis ea trp. ANORTW. 6 Rubrica om. RVW. || ita aggravat om. L. || aggravat] gravat N. 12 debita nostra om. BLNVX. 13 dimittatur] dimittantur MNOT, sed corr. MOT. 18 ita inquit] dicens ita LA. 21 et<sup>1</sup> om. ALORT. 23 nostra] quoniam non desunt que dimittantur add. A (et Aug.).

<sup>1</sup> Resp. Matth. 6, 12. <sup>2</sup> August., in eadem *Epist.*, n. 8 (ibid.). <sup>3</sup> Cap. 71 (PL 40, 265s; CCL 46, 88). <sup>4</sup> Matth. 6, 9. <sup>5</sup> Matth. 6, 12.

Cap. 5: Finis eiusdem auctoritatis (90 A), cui inseruntur quaedam verba (« in quibus... in his verbis ») ex versione in *Decreto*.

Cap. 6. Cf. A. M. Landgraf, *Die Nachlassung der lässlichen Sünde*, in *Dogmengeschichte* IV-2, 108-143. — Num. 1: Auctoritas Augustini, ex originali.



dicatur: *sicut et nos dimittimus debitoribus nostris*, id est si fiat quod dicitur; quia et ipsa eleemosyna est veniam petentibus omnino ignoscere ».

2. Ex his aliisque praemissis iam facile est intelligere quae pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim dominica oratio, cum ieiunio aliquo et eleemosynis: sic tamen ut praecedat contritio aliquantula, et addatur confessio si adsit facultas. De qua confessione post tractabitur 1.

3. **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Pro gravioribus vero peccatis haec etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multo vehementius atque districtius, quia ut ait Augustinus 2, ad agendam poenitentiam « non sufficit mores in melius commutare et a malis factis recedere, nisi et de his quae facta sunt satisfaciat Domino per poenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis ».

## DISTINCTIO XVII

### Cap. 1 (92).

1. **Tria praeponuntur quaerenda: primum an sine confessione dimittatur peccatum.** Hic oritur quaestio multiplex. Primo enim quaeritur utrum absque satisfactione et oris confessione, per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur. Secundo, an aliquando sufficiat confiteri Deo, sine sacerdote. Tertio, an laico fideli facta, valeat confessio.

2. In his enim etiam docti diversa sentire inveniuntur, quia super his varia ac pene adversa tradidisse videntur doctores. Dicunt enim quidam sine confessione oris et satisfactione operis neminem a peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit; alii vero, ante oris confessionem et

11 satisfaciat] satisfiat TW. 15-16 dimittatur peccatum] dimittantur peccata NR.

<sup>1</sup> Infra, Dist. 21, c. 7. <sup>2</sup> In eodem *Sermone* 351, c. 5, n. 12 (PL 39, 1549).

Num. 3. Verba Augustini trahuntur potius ex *Glossa* in II Cor. 12, 21 (PL 192, 89 C) quam ex *Decreto* Gratiani, de poenit. d. 1, c. 63 (1177).

Dist. XVII. Circa quaestionem multiplicem quae hic oritur, cf. P. Anciaux, *La théologie du sacrement de pénitence au XII<sup>e</sup> siècle*, p. 3, c. 2: Le problème de la nécessité de la confession, pp. 164-274; quaedam etiam apud A. M. Landgraf, *Das Sacramentum in voto*, in *Dogmengesch.* III-1, 210s. — Num. 2. Quod *quidam* tenent verbis Gratiani exprimitur, in de poenit. d. 1, ante c. 38 (1167); quod *alii*, onus videtur Gratiani in dist. 1, ante c. 1 (1159) et post c. 87, ad finem § 3 (1185).

satisfactionem, in cordis contritione peccatum dimitti a Deo, si tamen votum confitendi habeat.

3. **Testimoniis probat in sola contritione peccatum dimitti** \*. Unde Propheta 1: *Dixi, confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti* etc. — **Cassiodorus** \*. Quod exponens Cassiodorus ait 2: « *Dixi*, id est deliberavi apud me, quod *confitebor*, et *tu remisisti*. Magna pietas Dei, quod ad solam promissionem peccatum dimiserit. Votum enim pro operatione iudicatur ». — **Augustinus, super eundem locum** \*. Item Augustinus 3: « Nondum pronuntiat, promittit se pronuntiatum, et Deus dimittit, quia hoc ipsum dicere, quoddam pronuntiare est corde. Nondum est vox in ore, ut homo audiat confessionem, et Deus audit ».

4. Item 4: *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* etc. Alibi etiam legitur 5: *Quacumque hora peccator conversus fuerit et ingemuerit, vita vivet et non morietur*; non dicitur *ore confessus fuerit*, sed *conversus ingemuerit*. Unde datur intelligi quod etiam ore tacente, veniam interdum consequimur. Hinc etiam leprosi illi 6, quibus Dominus praecepit ut ostenderent se sacerdotibus, in itinere, antequam ad sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo insinuat quod antequam sacerdotibus ora nostra aperiamus, id est peccata confiteamur, a lepra peccati mundamur. Lazarus etiam 7 non prius de monumento est adductus, et post a Domino suscitatus, sed intus suscitatus, prodiit foras vivus: ut ostenderetur suscitatio animae praecedere confessionem. Nemo enim potest confiteri nisi suscitatus, quia *a mortuo, velut qui non est, perit confessio* 8. Nullus ergo confitetur nisi resuscitatus; nemo vero resuscitatur nisi qui a peccato solvitur, quia peccatum mors est animae: quae ut est vita corporis, ita eius vita

2 confitendi habeat *trp.* BNVX. 4-5 et tu remisisti *om.* BN. 5 remisisti] impietatem *add.* M. || etc.] impietatem peccati mei LOX. 6 deliberavi apud me *trp.* BLNVX. 14 confessus] conversus LNR, *quod corr.* R. 20 adductus] eductus BLRV. 23 velut] ab illo *add.* mg. L, *add. del.* N, *add. interl.* O<sup>2</sup>, ab eo *add. interl.* V<sup>2</sup>, ille *add.* W. 25 est animae *trp.* ANRTVWX.

<sup>1</sup> Ps. 31, 5. <sup>2</sup> *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, III, 128c; cod. Laur. Plut. XVII, 4, f. 37b); partim ex Cassiodoro in h.l. (PL 70, 220 D - 221 A; CCL 97, 278). <sup>3</sup> In parte in eadem *Glossa ordin.*; ex August., *Enarrat. II in Ps. 31*, n. 15 (PL 36, 267s; CCL 38, 236). <sup>4</sup> Ps. 50, 19. <sup>5</sup> Ezech. 33, 12 et 15. <sup>6</sup> Resp. Luc. 17, 14-15. <sup>7</sup> Resp. Ioan. 11, 44. <sup>8</sup> Salomon (rubr.), id est Eccli. 17, 26.

Num. 3: Argumentum ex Psalmista proponitur in *Summa sent.*, VI, 11 (PL 176, 147 B); auctoritates Cassiodori et August., ex *Glossa Magistri* in Ps. 31, 5 (PL 191, 320 C - 321 A). — Num. 4. Praeter textus sacros, quasi omnia ex *Decreto*, de poenit. d. 1, in dictis post cc. 34-35 (1166).



Deus est 1. — His aliisque pluribus auctoritatibus probatur, ante confessionem vel satisfactionem, sola compunctione peccatum dimitti.

5. **Item auctoritatibus econtra probat sine confessione non dimitti peccatum.** Quod qui negant, eas determinare laborant, necnon in huius sententiae depressionem et suae opinionis assertionem auctorum testimonia inducunt.

6. Ait enim Dominus per Isaiam 2: *Dic tu iniquitates tuas, ut iustificeris.* — **Ambrosius in libro De paradiso** \*. Item **Ambrosius** 3: « Non potest quisquam iustificari a peccato, nisi fuerit peccatum ante confessus ». — **Idem in sermone Quadragesimae** \*. Idem 4: « Confessio a morte animam liberat, confessio aperit paradysum, confessio spem salutis tribuit: quia non meretur iustificari, qui in vita sua peccatum non vult confiteri. Illa confessio nos liberat, quae fit cum poenitentia. Poenitentia vera est dolor cordis et amaritudo animae pro malis quae quisque commisit ».

7. **Ioannes Os aureum** \*. Item **Ioannes** 5: « Non potest quisquam gratiam Dei accipere, nisi purgatus fuerit ab omni peccato per poenitentiae confessionem, per baptismum ».

8. **Augustinus, De poenitentia** \*. Item **Augustinus** 6: « Agite poenitentiam qualis agitur in Ecclesia. Nemo dicat sibi: occulte ago, apud Deum ago; novit Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde ago. Ergo sine causa dictum est 7: *Quae solveritis in terra, soluta erunt et in caelo?* Ergo sine causa claves datae sunt? Frustramus verbum Christi? Iob dicit 8: *Si erubui in conspectu populi peccata mea confiteri* ». — **Ambrosius** \*. Item

3 Rubrica abbrev. A, om. VW. 21 quia] que L, corr. in que O. 22 caelo] celis BRV.

1 Cf. August., *Enarr. in Ps. 70, 17*, sermo 2, n. 3 (PL 36, 893; CCL 39, 961s). 2 Isai. 43, 26, iuxta LXX. 3 Cap. 14, n. 71 (PL 14 [1845], 310 D; CSEL 32-II, 321). 4 *Sermo 25*, n. 1 (inter opp. Ambrosii, PL 17 [1845], 655 A); rectius, *Homil. VII. Sermo in Quadragesima*, n. 1 (*Sources chrét.* 161, 186, lin. 7-14), saec. IX; cf. supra, Dist. 14, c. 2, n. 2. 5 Revera fragmentum est Chromatii Aquileiensis episc., iuxta A. Hoste (CCL 9, 377) et Edd. PLS 1, 1752s. 6 *Sermo 392*, c. 3, n. 3 (inter dubios, PL 39, 1711); apud Gratianum, de poenit., d. 1, c. 44 (1168). 7 Resp. Matth. 18, 18. 8 Iob 31, 33-34, iuxta Bibliam Augustini.

Num. 5-11, ut in alia serie notatur, a Gratiano cumulantur ad secundam opinionem illustrandum, a suo dicto ante c. 38 de poenit. d. 1 (1167) et deinceps usque ad dictum post c. 87 (1184); illa in n. 7 repetitur cum quadam variatione sub rubrica *Iohannes Crisostomus*, in *De consecr. d. 4, c. 4* (1362).

**Ambrosius** 1: « Venialis est culpa, quam sequitur confessio delictorum ».

9. **Augustinus** \*. Item **Augustinus** 2 super illum locum 3: *Non absorbeat me profundum, neque urgeat super me puteus os suum*: « Puteus est profunditas iniquitatis, in quam si cecideris, non claudet super te os suum, si tu non claudis os tuum. Confitere ergo, et dic 4: *De profundis clamavi ad te, Domine*, etc., et evades. Claudit super illum qui in profundo contemnit 5, a quo mortuo velut qui non sit perit confessio 6 ». — Idem 7: « Nullus debite graviore poenae accipit veniam, nisi qualemcumque, etsi longe minorem quam debeat, solverit poenam. Ita enim impertitur a Deo largitas misericordiae, ut non relinquatur iustitia disciplinae ».

10. **Hieronymus, super Malachiam** \*. Item **Hieronymus** 8: « Qui peccator est, plangat delicta propria vel populi; et ingrediatur Ecclesiam, de qua propter peccata fuerat egressus; et dormiat in sacco, ut praeteritas delicias per quas Deum offenderat, vitae austeritate compenset ». — His aliisque auctoritatibus nituntur asserere, sine confessione vocis et aliqua solutione poenae, neminem a peccato mundari.

11. **Cui sententiae potius consentiendum sit.** Quid ergo super his sentiendum? Quid tenendum? Sane quod sine confessione oris et solutione poenae exterioris peccata delentur, per contritionem et humilitatem cordis. Ex quo enim proponit, mente compuncta, se confessurum, Deus dimittit; quia ibi est confessio cordis, etsi non oris, per quam anima interius mundatur a macula et contagio peccati commisi, et debitum aeternae mortis relaxatur.

12. Illa ergo quae superius dicta sunt de confessione et poenitentia, vel ad confessionem cordis et ad interiorem poenam referenda sunt, sicut

1 confessio] confessio LT, corr. in confessio N. 7 clamavi om. L. || ad te Domine om. BLTX. || Domine om. R. 14 peccata] peccatum ALMOW. 16 aliisque] pluribus add. ABMT.

1 *De paradiso*, c. 14, n. 71 (PL 14 [1845], 310 B; CSEL 32-I, 328); ex Gratiano, *ibid.*, c. 47 (1169). 2 *Enarr. in Ps. 68*, sermo 1, n. 19 (PL 36, 853; CCL 39, 916), ex *Decreto*, dictum post c. 60, § 3 (1176). 3 Ps. 68, 16. 4 Ps. 129, 1. 5 Resp. Prov. 18, 3: *Cum in profundum venerit peccatorum, contemnit*. 6 Eccli. 17, 26, iuxta LXX. 7 *De continentia*, c. 6, n. 15 (PL 40, 358; CSEL 41, 158); ex Gratiano, *ibid.*, c. 42 (1168). 8 Rubrica non obstante (ex Gratiano, c. 66, 1177), Hieron. est *In Ioelem* 1, 13 (PL 25 [1845], 958 C-D).

Num. 11-13 dependent a dicto Gratiani post c. 87, praesertim §§ 4-6 (1184-1186). Quoad *votum confitendi*, ad finem n. 13, cf. A. M. Landgraf, *Das sacramentum in voto*, in *Dogmengeschichte* III-1, 210-253.



illud Augustini<sup>1</sup>, quod nullus dicitur veniam consequi « nisi prius quantulumcumque peccati solverit poenam »; vel de exteriori poena accipienda sunt, et ad contemnentes vel negligentes referenda, sicut illud 2: « Nemo dicat: occulte ago » etc. Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt vel erubescunt, et ideo non merentur iustificari.

13. Sicut enim praecepta est nobis interior poenitentia, ita et oris confessio et exterior satisfactio, si adsit facultas; unde nec vere poenitens est, qui confessionis votum non habet. Et sicut peccati remissio munus Dei est, ita poenitentia et confessio per quam peccatum deletur, non potest esse nisi a Deo, ut Augustinus ait 3: « Iam, inquit, donum Spiritus Sancti habet, qui confitetur et poenitet, quia non potest esse confessio peccati et punitio in homine ex se ipso. Cum enim irascitur sibi quisque et displicet, sine dono Spiritus Sancti non est ». Oportet ergo poenitentem confiteri si tempus habeat; et tamen, antequam sit confessio in ore, si votum sit in corde, praestatur ei remissio.

Cap. 2 (93).

1. **Si sufficit soli Deo confiteri.** Iam secundum quaestionis articulum inspiciamus, scilicet utrum sufficiat peccata confiteri soli Deo, an oporteat confiteri sacerdoti.

2. **Auctoritatibus probat quod sufficiat \***. Quibusdam visum est sufficere si soli Deo fiat confessio, sine iudicio sacerdotali et confessione Ecclesiae, quia David dicit 4: *Dixi, confitebor Domino, et tu remisisti etc.*; non ait *sacerdoti*, et tamen remissum sibi dicit peccatum.

3. **Ambrosius, super Lucam \***. Item Ambrosius 5: « Ideo flevit

10 Augustinus ait *trp.* ABNO.

11 Sancti *om.* RVX.

17 soli Deo *trp.* LOTW.

<sup>1</sup> Supra, in n. 9.    <sup>2</sup> In n. 8.    <sup>3</sup> *Super Psalmum L* (rubrica), id est *Enarr. in Ps. 50*, 13, n. 16 (PL 36, 596; CCL 38, 611s), mediante *Glossa interlin.* in *et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*: « iam habet qui confitetur et poenitet » (apud Lyranum III, 158r; cod. Laur. XVII.4, f. 65v); repetitur in *Glossa Magistri* in h.l. (PL 191, 490 B).    <sup>4</sup> Ps. 31, 5.    <sup>5</sup> In *Luc. 22*, 62, X, n. 88 (PL 15 [1845], 1825; CSEL 32-III, 489; CCL 14, 371).

Cap. 2, n. 1-2. Hanc opinionem refert ipse Gratianus, de poenit. d. 1, in dicto ante c. 1 (1159), ubi et sequentes auctoritates. Iam agitur etiam apud Anselmum Laudunensem et eius scholam: cf. O. Lottin, *Psych. et morale* V, 56-57, 272, 280ss; et F. Carpino, *Una difficoltà contro la confessione nella scolastica primitiva: Anselmo di Laon e la sua scuola*, in *Divus Thomas* (PI) 42 (1939) 94-103; et plura apud P. Anciaux, *La théologie du sacr. de pénitence*, 164-223. — Num. 3. Auctoritas non sumitur ex *Decreto*, sed potius ex quadam (sua ?) glossa in *Lucam*.

Petrus<sup>1</sup>, quia culpa obrepsit ei. Non invenio quid dixerit, invenio quod fleverit. Lacrymas eius lego, satisfactionem non lego. Sed quod defendi non potest, ablui potest. Lavant lacrymae delictum quod voce pudor est confiteri, et veniae fletus consulunt et verecundiae ». Hoc idem etiam

5 **Maximus**<sup>2</sup> dicit episcopus.

4. **Ioannes Chrysostomus, super Epistolam ad Hebraeos \***. Item **Ioannes Chrysostomus**<sup>3</sup>: « Non tibi dico ut te prodas in publicum, neque apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetae dicenti 4: *Revela viam tuam ante Deum*. Ergo tua confiteri peccata apud verum iudicem; cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiae tuae memoria; et tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata tua in mente continue, nunquam malum adversus proximum in corde tenebis ».

5. **Idem \***. Idem 5: « Peccata tua dicito, ut deleas illa. Sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in anima tua. Non dico ut confitearis ea conservo tuo, ut tibi exprobet; dicito Deo, qui curat ea. Nec enim, si non dixeris, ignorat ea. Cum faciebas ea, praesto erat; cum admitteres ea, cognoverat. Numquid ea vult a te cognoscere? Peccare enim non erubisti, et confiteri erubescis? Dicito in hac vita, ut in alia requiem habeas; 20 dicito ingemiscens et lacrymans. In codice scripta sunt peccata tua: spongia peccatorum tuorum lacrymae tuae sint ».

6. **Prosper \***. Item **Prosper**<sup>6</sup>: « Illi quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum et habituri 25 sunt ultorem. Quod si sui ipsi iudices fiant, et veluti suae iniquitatis ultores hic in se voluntariam poenam severissimae animadversionis exer-

8 alios] te *add.* LW, *add. mg.* N, *add. interl.* O<sup>2</sup>.

quod *corr.* V.    14 Sed] Et B, *om.* MR, *add. sed del.* N.

25 ultorem (*Grat.*) punitorem ABMNOW.

11 tunc] dum M, tum AOTV, 18 enim *om.* LRTVX.

<sup>1</sup> Resp. *Luc. 22*, 62; *Matth. 26*, 75; *Marc. 14*, 72.    <sup>2</sup> Taurin. scil. episcopus, *Homiliae*, hom. 53 (PL 57, 351 A-B).    <sup>3</sup> Hom. 31, n. 3 (PG 63, 216s).    <sup>4</sup> Ps. 36, 5: *Revela Domino viam tuam*.    <sup>5</sup> In *Ps. 50*, hom. 2, n. 5 (inter opp. Chrysost., PG 55, 581).    <sup>6</sup> Rectius Iulianus Pomerius, *De vita contemplativa*, c. 7, n. 2 (PL 59, 451 C).

Quasi eadem verba Maximo attribuuntur in *Summa sent.*, VI, 10 (PL 176, 147 A), forsitan sub influxu P. Abaelardi, *Sic et non*, c. 151 (PL 178, 1600 A). — Num. 4: ex *Decreto*, in dicto, § 1, post c. 87 de poenit. d. 1 (1184). — Num. 6-7: ex *Decreto*, de poenit. d. 1, c. 31-32 (1165), ubi etiam sub nomine Prosperi.



ceant, temporalibus poenis mutabunt aeterna supplicia, et lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus restringunt aeterni ignis incendia ».

7. **Idem** \*. Et infra 1: « Facilius sibi Deum placabunt illi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis ipsi in se voluntariae excommunicationis sententiam ferunt, et ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam quasi mortuam plangunt, certi quod reconciliati sibi efficacis poenitentiae fructibus a Deo non solum amissa recipiant, sed etiam supernae civitatis gaudia recipiant ».

8. His auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt Deo confiteri peccata, sine sacerdote. Dicunt enim quod, si quis timens detegi culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur vel alii suo exemplo ad peccandum accingantur, et ideo taceat homini et revelet Deo, consequitur veniam.

Cap. 3 (94).

1. **Quod non sufficit soli Deo confiteri si tempus adsit.** Sed quod sacerdotibus confiteri oporteat, non solum illa auctoritate Iacobi 2: *Confitemini alterutrum peccata vestra* etc., sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur.

2. **Augustinus in homilia De poenitentia** \*. Ait enim Augustinus 3: « Iudicet se ipsum homo voluntate dum potest, et mores convertat in melius, ne cum iam non poterit, praeter voluntatem a Domino iudicetur. Et cum in se protulerit severissimae medicinae, sed tamen utilissimae, sententiam, veniat ad antistites, per quos illi claves in Ecclesia ministrantur. Tamquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, a praepositis sacramentorum accipiat satisfactionis suae modum: in offerendo sacrificio contribulati cordis devotus et supplex, id tamen agat quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam ceteris ad exemplum. Ut si peccatum eius non modo in gravi eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expediri utilitati Ecclesiae

2 restringunt] restringent AB, corr. in restringent N, constringunt M. 15 si] sed et homini si possit et M. || tempus adsit] tamen homini possit (possis A) ABNW. || adsit] ut possit homini confiteri add. X. 22 utilissimae] utilissime BLNVX, corr. in utilissime O2.

1 Ibid., n. 3 (452 A-B). 2 Iac. 5, 16.

3 *Sermo 351*, c. 4, n. 9 (PL 39, 1545), de cuius authenticitate parum supra agitur.

Cap. 3, n. 2: ex *Decreto*, de poenit. d. 1, c. 85; dein, *Idem*, circa finem c. 84 (1183).

videtur antistiti, in notitiam multorum vel totius plebis agere poenitentiam non recuset, ne letali plagae per pudorem addat tumorem ». — **Idem** \*: « Cum 1 tanta est plaga peccati et impetus morbi, ut medicamenta corporis et sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis debet se quis remove ab altari ad agendam poenitentiam, et eadem reconciliari ».

3. **Leo Papa Theodoro Forolinensi episcopo** \*. Item Leo 2: « Multiplex misericordia Dei ita lapsibus humanis subvenit, ut non modo per baptismum, sed etiam per poenitentiam spes vitae reparetur: sic divinae voluntatis praesidiis ordinatis, ut indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere. Christus enim hanc praepositis Ecclesiae tradidit potestatem, ut confitentibus poenitentiae satisfactionem darent, et eosdem, salubri satisfactione purgatos, ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent ».

4. **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Item Augustinus 3: « Quem poenitet, omnino poeniteat, et dolorem lacrymis ostendat. Repraesentet vitam suam Deo per sacerdotem, praeviat iudicium Dei per confessionem. Praecepit enim Dominus mundandis, ut ostenderent ora sacerdotibus 4, docens corporali praesentia confitenda peccata, non per scriptum manifestanda. Dixit enim: *Ora monstrate*; et omnes, non unus pro omnibus. Non alium statuatis nuntium qui pro vobis offerat munus a Moyse statutum 5, sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc praepit Dominus, ut nemo poeniteret in occulto: in hoc enim quod per se ipsum dicit sacerdoti et erubescencia vincit timore offensi, fit venia criminis ».

5. **Quod criminale fit veniale** \*. « Fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione; et si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit,

2 tumorem] timorem BNV, quod corr. V. || Idem] Item RW2 (marg.), om. AT. 4 differenda] deferenda MNT. 5 quis om. M, del. N, add. interl. O. 6 Forolinensi] forolicensi L, foroliensi M, foroliunsi OT. 14 Rubrica, om. RVW. 16 Deo trp. post Repraesentet BLX, om. A. 18 confitenda peccata trp. NVX. 26 Rubrica om. NVW.

1 August., *Epist. 54 (ad Ianuarium)*, c. 3, n. 4 (PL 33, 201; CSEL 34-II, 162). 2 *Epist. 108 (ad Theodorum Foroiul. [Fréjus] episc.)*, c. 2 (PL 54, 1011 B - 1012 A; DS n. 308, p. 110s). 3 *De vera et falsa poenit.*, c. 10, n. 25 (inter opp. Aug., PL 40, 1122). 4 *Resp. Luc. 17, 14: Ostendite vos sacerdotibus.* 5 *Resp. Lev. 14, 2-4.*

Num. 3, multis omissis, ex c. 49 (1170). — Num. 4-6: ex prima parte c. 88 (1187s).



qui erubescit dominans, nihil eorum quae commisit nuntio Dei negavit. Deus enim, qui misericors et iustus est<sup>1</sup>, sicut servat misericordiam in iustitia, ita et iustitiam in misericordia. Opus enim misericordiae est peccanti peccata dimittere, sed oportet ut iustus misereatur iuste. Considerat enim si dignus est, non dico iustitia, sed et misericordia. Iustitia enim sola damnat; sed dignus est misericordia, qui spirituali labore quaerit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubescitiam; et quoniam verecundia magna est poena, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia ».

6. **Quanto pluribus quis confitetur, tanto ei facilius ignoscitur** \*. « Unde patet quia quanto pluribus confitebitur in spe veniae turpitudinem criminis, tanto facilius consequitur gratiam remissionis. Ipsi enim sacerdotes plus iam possunt proficere, plus confitentibus parcere ».

7. **Leo Papa** \*. Item **Leo Papa** 2: « Quamvis plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quae propter Dei timorem apud homines erubescere non veretur, tamen quia non omnium huiusmodi sunt peccata, ut ea qui poenitentiam poscunt non timeant publicare, removeatur improbabilis consuetudo: ne multi a poenitentiae remediis arceantur, dum aut erubescunt, aut timent inimicis sua facta reserare, quibus possint legum percelli constitutione. Sufficit enim confessio quae primum Deo offertur, tunc etiam sacerdoti, qui pro delictis poenitentium precator accedit. Tunc enim plures ad poenitentiam poterunt provocari, si populi auribus non publicetur conscientia confitentis ».

8. Ex his aliisque pluribus indubitanter ostenditur oportere Deo primum, et deinde sacerdoti offerre confessionem; nec aliter posse perveniri ad ingressum paradisi, si adsit facultas.

5 et om. MVX, add. interl. L, add. sed del. N. 7 quaerit gratiam trp. BNVX.  
10 Rubrica om. AVW. 17 qui] que VX, corr. in que O<sup>2</sup>, corr. ex que N (?) T. 19 possint] possunt M, corr. ex possunt R.

<sup>1</sup> Cf. Ps. 111, 4; 114, 5. <sup>2</sup> Leo I, Epist. 168 (ad universos episcopos per Campaniam etc.), c. 2 (PL 54, 1211 A-B; DS, n. 323, p. 115).

Num. 7: ex c. 89 (1189).

Cap. 4 (95).

1. **De tertio articulo: an sufficiat confiteri laico.** Nunc, priusquam praemissis auctoritatibus<sup>1</sup> quae his contradicere videntur respondeamus, tertiam quaestionem intueamur. — Quod enim secunda quaestio continebat, scilicet an sine confessione et iudicio sacerdotis soli Deo confiteri sufficeret, expeditum est, et certificatum praemissis testimoniis<sup>2</sup> quod non sufficit confiteri Deo sine sacerdote; nec est vere humilis et poenitens, si non desiderat et requirit sacerdotis iudicium. Sed numquid aequae valet alicui confiteri socio vel proximo suo, saltem cum deest sacerdos?

2. **Solutio** \*. Sane ad hoc dici potest quod sacerdotis examen requirendum est studiose, quia sacerdotibus concessit Deus potestatem ligandi et solvendi<sup>3</sup>; et ideo quibus ipsi dimittunt, et Deus dimittit. Si tamen defuerit sacerdos, proximo vel socio confessio facienda est.

3. **Qualem quaerere debeas sacerdotem.** Sed curet quisque sacerdotem quaerere qui sciat ligare et solvere: talem enim esse oportet, qui aliorum crimina iudicat. — **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Unde **Augustinus** 4: « Qui vult confiteri peccata ut inveniat gratiam, quaerat sacerdotem qui sciat ligare et solvere, ne cum negligens circa se exstiterit, negligatur ab illo qui eum misericorditer monet et petit, ne *ambo in foveam cadant*<sup>5</sup>, quam stultus evitare noluit. Tantaque vis confessionis est, ut si deest sacerdos, confiteatur proximo. Saepe enim contingit quod poenitens non potest verecundari coram sacerdote, quem desideranti nec tempus nec locus offert. Etsi ille cui confitebitur potestatem solvendi non habeat, fit tamen dignus venia ex sacerdotis desiderio qui crimen confitetur socio. Mundati enim sunt leprosi<sup>6</sup> dum ibant ostendere ora (vel: se) sacerdotibus, antequam ad eos pervenirent. Unde patet Deum

2 articulo] scilicet add. ABRW. 6 certificatum] vel add. MOT, quod exp. T.  
7 est om. MO. 10 Solutio om. RVW. 12 et] atque ABNR. 13 confessio trp.  
post est BOVX. || fac. est trp. LRTVW. 14 debeas] debes T, debeat BX. 20 Tantaque] Tanta N, Tanta itaque ALTV (ps.-Aug., Grat.), quod corr. T. 26 ora vel om. V. ||  
ora vel se] vel se vel ora A, se vel ora BX. || vel se om. R.

<sup>1</sup> Supra, cap. 2; quibus resp. infra, cap. 5. <sup>2</sup> Supra, c. 3. <sup>3</sup> Matth. 18, 18; Ioan. 20, 23. <sup>4</sup> De vera et falsa poenit., c. 10, n. 25 (inter opp. August., PL 40, 1122s).  
<sup>5</sup> Resp. Matth. 15, 14. <sup>6</sup> Luc. 17, 14.

Cap. 4. Cf. A. Teetaert, *La confession aux laïques dans l'Église latine depuis le VIII<sup>e</sup> jusqu'au XIV<sup>e</sup> siècle*, Bruges 1926. Num. 3-4: ex Decreto, de poenit. d. 1. c. 88, §§ 1-3 (1188-1189).



ad cor respicere, dum ex necessitate prohibentur ad sacerdotes pervenire. Saepe quidem eos quaerunt sani et laeti, sed dum quaerunt, antequam perveniant moriuntur. Sed misericordia Dei ubique est, qui et iustis parcere novit, etsi non tam cito sicut si solverentur a sacerdote. Qui ergo omnino confitetur, sacerdoti meliori quam potest confiteatur ».

4. « Et <sup>1</sup> si peccatum occultum est, sufficiat referre in notitiam sacerdotis. Nam in resurrectione puellae <sup>2</sup> pauci interfuerunt qui viderent. Nondum enim erat sepulta, nondum extra portam delata, nondum extra domum in notitiam portata. Intus resuscitavit, quam intus invenit, relictis solis Petro et Iacobo et Ioanne, et patre et matre puellae, in quibus <sup>10</sup> figuraliter continentur sacerdotes Ecclesiae. — Quos autem extra invenit, advertendum est quomodo suscitavit. Flebat enim turba post filium viduae <sup>3</sup>; flevit Martha et Maria supplicantes pro fratre; flebat et turba Mariam secuta <sup>4</sup>. In quo docemur publice peccantibus non proprium, sed Ecclesiae sufficere meritum ».

5. « Laboret <sup>5</sup> igitur poenitens in Ecclesia esse et ad Ecclesiae unitatem tendere. Nisi enim unitas Ecclesiae succurrat, nisi quod deest peccatori sua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum est enim quod omnes eleemosynae Ecclesiae, et orationes, et opera iustitiae et misericordiae succurrant recognoscenti mortem <sup>20</sup> suam ad conversionem. Ideoque nemo digne potest poenitere, quem non sustineat unitas Ecclesiae. Ideoque non petat sacerdotes per aliquam culpam ab unitate Ecclesiae divisos ».

6. Ex his satis aperitur et absolvitur praemissae quaestionis articulus. Quaerendus est enim sacerdos sapiens et discretus, qui cum potestate <sup>25</sup> simul habeat iudicium; qui si forte defuerit, confiteri debet socio.

7. Beda \*. Beda <sup>6</sup> vero inter confessionem venialium et morta-

4 sicut] quam BL. || si om. ARTW (Grat.), add. interl. NO. 7 resurrectione] resuscitatione O. || puellae] filie archisinagogi add. L, add. sed trp. N. || viderent] viderunt BT, sed corr. T, corr. ex viderant R. 19 est om. AORT. 26 confiteri debet trp. BNVX. || socio trp. post defuerit NVX.

<sup>1</sup> Ibid., c. 11, n. 26 (1123). <sup>2</sup> Resp. Matth. 9, 24-25; Marc. 5, 37-42; Luc. 8, 51-54. <sup>3</sup> Resp. Luc. 7, 12-15. <sup>4</sup> Ioan. 11, 33. <sup>5</sup> Ps.-August., ibid. c. 12, n. 27 (1123). <sup>6</sup> Glossa interlin. in Iac. 5, 16: *Confitemini*; et ordin. in Iac. 5, 15: *Et si in peccatis* (apud Lyran., VI, 216v); ex Beda in h.l. (PL 93, 39 D - 40 A).

Num. 5: ex eodem, d. 6, c. 1, § 1 (1242-1243). — Num. 7: De hoc textu Bedae, quod non invenitur in *Decreto*, nec sub hac forma in *De sacramentis* Hugonis II, 14, 1 (PL 176, 552 C - 553 A), cf. É. Amann, art. *Pénitence: la réforme carolingienne*, in *Dict. théol. cath.* XII, 868-869.

lium distinguit, super illum locum: *Confitemini alterutrum peccata vestra*. Ait enim: « Coequalibus quotidiana et levia, graviora vero sacerdoti pandamus; et quanto iusserit tempore purgare curemus », « quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti ». — Sed et graviora coequalibus <sup>5</sup> pandenda sunt cum deest sacerdos et urget periculum. Venialia vero, etiam sacerdotis oblata copia, licet confiteri coequali; et sufficit, ut quibusdam placet, si tamen ex contemptu non praetermittatur sacerdos. Tutius est tamen et perfectius utriusque generis peccata sacerdotibus <sup>10</sup> pandere et consilium medicinae ab eis quaerere, quibus concessa est potestas ligandi et solvendi.

8. Hic aperit qualiter suprapositae auctoritates intelligendae sint. Cum igitur ex his aliisque pluribus testimoniis perspicuum fiat et indubitabiliter constet peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda, et si ipse defuerit, etiam socio, illud I o a n n i s C h r y s o s t o m i superioris positum <sup>1</sup> non ita est intelligendum, ut liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri; sed quia sufficit, ubi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere et semel, nec oportet publicari coram multis quod occultum est. Quod notavit dicens: « Non tibi dico ut te prodas in publicum ». Sicut enim « publica <sup>2</sup> noxa publico eget remedio », ita occulta secreta confessione et occulta satisfactione purgatur. — Nec necesse est ut <sup>20</sup> quod sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur; sed lingua cordis, non carnis, apud verum Iudicem id iugiter confiteri debemus.

9. Hanc expositionem confirmat per verba Ioannis \*. — Ioannes Chrysostomus \*. Unde idem I o a n n e s <sup>3</sup> ait: « Nunc autem si recorderis peccatorum tuorum, et frequenter ea in conspectu Dei pronunties et pro eis deprecaris, citius illa delebis. Si vero obliviscaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur et in conspectu proferentur omnium amicorum et inimicorum sanctorumque angelorum ».

10. Ita etiam illud A m b r o s i i <sup>4</sup>: « Lacrymae lavant delictum quod

<sup>1</sup> vestra] etc. add. BLV. 8 est tamen trp. MNVX. 13 constet] constat MO. 23 Rubrica om. RVW. 24 recorderis] recordaveris MT.

<sup>1</sup> Supra, cap. 2, n. 4. <sup>2</sup> Glossa ordin. in Marc. 5, 41; ex Beda in h.l. (PL 92, 184 B; CCL 120, 501). <sup>3</sup> In Hebr., hom. 31, n. 4 (PG 63, 217). <sup>4</sup> Supra, c. 2, n. 3.

Num. 8: fundatur, etiam ad verba, in dictum Gratiani post c. 87 d. 1 de poenit. (1184ss), ita quod intellectus Chrysostomi et quod sequitur (« Non tibi dico »), in § 4 (1185); verba Bedae (« publica noxa... »), in § 7 (1186); et quod sequitur (« ita occulta... ») usque ad finem num. 9, in § 1 (1184-1185). — Num. 10, ibid., ad initium § 1 (1184), sub nomine Chrysostomi.



voce pudor est confiteri», ad publicam poenitentiam referendum est. Ibi enim virtutem lacrymarum et confessionis ostendens, significare voluit quod lacrymae occultae et confessio secreta, sicut quae fit soli sacerdoti, lavant delictum quod pudet aliquem publice confiteri. — Quod vero dicit, 'se lacrymas Petri legisse, non confessionem vel satisfactionem', per hoc 5 non excludit illa: multa enim facta sunt, quae scripta non sunt<sup>1</sup>. Vel forte nondum facta erat institutio confessionis quae modo est.

11. Similiter et illud *Prosperi*<sup>2</sup>: « Si sui iudices fiant, mutabunt aeterna supplicia »; et illud: « Facilius Deum placabunt sibi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis in se sententiam excommunicationis ferunt », ad publicam confessionem et satisfactionem referri oportet. Non enim solis sacerdotibus ius ligandi et solvendi datum est, si cuique suo arbitrio se poena vel excommunicationis sententia ligare, et absque sacerdotali iudicio se ipsum Deo vel altari reconciliare licet: quod ecclesiasticae institutioni et consuetudini penitus repugnat. 15

12. Potius igitur: si publice peccasti, publice confitere te reum, et emenda; si vero occulte deliquisti, etiam sic non taceas, nec tamen dico ut publices. — *Esychius, super Leviticum* \*. Taciturnitas enim peccati ex superbia nascitur cordis. Ideo enim peccatum suum quis celat, ne reputetur foris qualem se iam divino conspectui exhibuit: quod ex fonte 20 superbiae nascitur. Species enim superbiae est, se velle iustum videri, qui peccator est; atque hypocrita convincitur, qui ad instar primorum parentum<sup>3</sup> vel tergiversatione verborum peccata sua levigare contendit, vel sicut Cain<sup>4</sup> peccatum suum reticendo suppressere quaerit. Ubi vero superbia regnat vel hypocrisis, humilitas locum non habet; sine humilitate vero 25 alicui veniam sperare non licet. Ubi ergo est taciturnitas confessionis, non est speranda venia criminis.

13. Iam certissime liquet quam sit detestabile peccati silentium, et e converso quam sit necessaria confessio. — *Ioannes Chrysostomus* \*:

<sup>4</sup> lavant] lavat MO, lavit A, laverat T. || pudet] pudor est BVX. || aliquem om. VX. || publice om. MOVX. <sup>5</sup> legisse *trp.* post se BRT. <sup>9</sup> sibi *trp.* post Facilius BNRTVX. 26 ergo] vero AMOV.

<sup>1</sup> Resp. Ioan. 21, 25.  
<sup>4</sup> Gen. 4, 9.

<sup>2</sup> Supra, c. 2, nn. 6-7.

<sup>3</sup> Resp. Gen. 3, 9-13.

Num. 11: Cf. idem dictum, § 4 (1185). — Num. 12: Conclusio Lombardi ex dictis Gratiani; deinde, sub nomine Esychii (non alia ratione, ut videtur, nisi quod paulum ante citatur), iudicium Gratiani in § 15 (1187). — Num. 13: Ex negligentia rubricae verba Chrysostomi Magistro plerumque attribuuntur.

« Est<sup>1</sup> enim confessio testimonium conscientiae Deum timentis. Qui enim timet iudicium Dei, peccatum non erubescit confiteri. Perfectus timor solvit omnem pudorem. Confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescencia est gravis poena; ideoque iubemur confiteri peccata, ut erubescenciam patiamur pro poena: nam hoc ipsum pars est divini iudicii ».

Cap. 5 (96).

**Ad quid valeat confessio.** Si ergo quaeritur ad quid confessio sit necessaria, cum in contritione iam deletum sit peccatum, dicimus: quia quaedam punitio peccati est, sicut satisfactio operis. Per confessionem 10 etiam intelligit sacerdos qualiter debeat iudicare de crimine. Per eam quoque peccator fit humilior et cautior.

DISTINCTIO XVIII

Cap. 1 (97).

**De remissione sacerdotis.** Hic quaeri solet, si peccatum omnino dimissum est a Deo per cordis contritionem, ex quo poenitens votum habuit 15 confitendi, quid postea dimittatur ei a sacerdote. Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet temporalis poenae; sed non a quo eum absolvat, et ideo quaero. Ante poenitudinem quippe cordis anima rei maculam habet et foetorem peccati, atque aeternae ultionis vinculo ligata existit. Si 20 vero ante confessionem, per cordis contritionem Deus per se ipsum, sine ministerio sacerdotis, et debitum omnino relaxat, et animam interius purgat a contagio et foetore peccati, quid ergo mundat, quid dimittit sacerdos? Ubi sunt claves illae quas Dominus tradidit Petro et successo-

<sup>1</sup> Ps.-Ioan. Chrysost., *In Matth. opus imperf.*, hom. 3 (PG 56, 650); hic, ex *Glossa ordin.* in Matth. 3, 6: *Confitentes peccata sua* (apud Lyran., V, 13c), vel ex glossa adhuc ignota ipsius Magistri in Matthaem.

Cap. 5 hic incipit, et non ante (ut in aliis nostris editionibus), iuxta elenchum capitulorum, Dist. XVIII-XIX. De potestate clavium, praeter opus P. Anclaux iam citatum, cf. L. Hödl, *Die Geschichte der scholastischen Literatur und der Theologie der Schlüsselgewalt*, in BGPTMA XXXVIII-4, Münster 1960. — Cap. 1. Quaestio proponitur quasi eodem modo ac in *Summa sent.*, VI, 11 (PL 176, 147 B-C).



ribus eius dicens <sup>1</sup>: *Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis?* — Ut autem praemissa quaestio plenius explicari valeat, quasi altius ducto rete <sup>2</sup> de his clavibus et usu earum disseramus.

## Cap. 2 (98).

5

1. **De clavibus.** Claves istae sunt non corporales, sed spirituales, scilicet « discernendi <sup>3</sup> scientia et potentia » iudicandi, id est ligandi et solvendi, « qua dignos recipere, indignos debet excludere a regno » ecclesiasticus iudex.

2. **Ambrosius in libro De paradiso \***. Qui sicut habet ius ligandi, ita <sup>10</sup> et solvendi. Unde Ambrosius <sup>4</sup>: « Dominus par ius et solvendi esse voluit et ligandi, qui utrumque pari conditione permisit; ergo qui solvendi ius non habet, nec ligandi habet ». Et infra <sup>5</sup>: « Certum est quod Ecclesiae utrumque licet; haeresis utrumque non habet. Ius enim hoc solis permisum est sacerdotibus. Recte igitur Ecclesia hoc vendicat, quae veros habet <sup>15</sup> sacerdotes; haeresis vindicare non potest, quae veros sacerdotes non habet ».

## Cap. 3 (99).

**De usu clavium.** Usus vero harum clavium multiplex est, discernere scilicet ligandos vel solvandos, ac deinde ligare vel solvere. — **Gregorius \***: <sup>20</sup>

2-3 erit... caelis] etc. LM.      4 rete] reti ANVW, corr. in reti R.      12 permisit] promisit X, corr. in promisit L.      19 vero] ergo BT, etiam NX.      20 Gregorius om. BRVWX.

<sup>1</sup> Matth. 16, 19.      <sup>2</sup> Resp. Luc. 5, 4: *Duc in altum, et laxate retia.*      <sup>3</sup> Glossa ordin. in Matth. 16, 19: « Claves sunt discernendi scientia et potentia, qua dignos recipere, indignos excludere debet a regno » (apud Lyranum, V, 52c); ex ps-Beda in h.l. (PL 92, 79 A) vel Beda, *In Evang.*, II, hom. 16 (PL 92, 222 D) seu I, hom. 20 (CCL 122, 145). Rationem 'iudicii' vel 'iudicis' innuit *Glossa interlin.* hic: *Tibi dabo claves: « Praesentis iudicii potestatem »* (apud Lyran., V, 52v).      <sup>4</sup> Rubrica non obstante, rectius *De poenitentia*, I, c. 2, n. 7 (PL 16 [1845], 468 A; CSEL 73, 122).      <sup>5</sup> Ibid. (468 B; 122).

Cap. 2, n. 2: Ambae auctoritates ex *Decreto* Gratiani, de poenit. d. 1, c. 51, § 1 et 2 (1171); rubrica ex c. 47 (1169) ob defectum rubricae ante c. 51.

Cap. 3: in parte ex *Summa sent.*, VI, 14 (PL 176, 152 A); auctoritas, ex *Decreto*, C. 11, q. 3, c. 60 (660).

« Qui <sup>1</sup> enim indignos ligat vel solvit, propria potestate se privat », id est dignum privatione se facit.

## Cap. 4 (100).

1. **Si sacerdos potest dimittere vel retinere peccatum.** Sed quaeritur <sup>5</sup> utrum a peccato solvere valeat sacerdos, id est a culpa, ut culpa maculam abstergat; vel debitum aeternae mortis solvere valeat.

2. **Opinio quorundam \***. Quidam arbitrati sunt, cum peccator dupliciter ligatus teneatur, ut praedictum est <sup>2</sup>, scilicet mentis contagione ac caecitate, et debito futurae poenae, alterum curari per Deum, alterum <sup>10</sup> solvi per sacerdotem. Patitur enim per peccatum quasdam tenebras interiores et maculas, a quibus nisi liberetur, proicietur *in tenebras exteriores* <sup>3</sup>; cum autem liberatur ab his, suscitatur a morte peccati. — Unde Apostolus <sup>4</sup>: *Surge qui dormis, et illuminabit tibi Christus.* Solus enim Christus, non sacerdos, animam resuscitat; ac pulsus tenebris interioribus et maculis, <sup>15</sup> eam illuminat et mundat, qui animae faciem lavat. Debitum vero aeternae poenae solvere concessit sacerdotibus. — Quod in resurrectione Lazari <sup>5</sup> signatum asserunt, quem Christus prius per se interius vivificavit; deinde foras exire iussit, eumque adhuc ligatum solvere Apostolis praecepit. Quia, ut aiunt, ipse interius animam a caligine maculae peccati emundat, <sup>20</sup> sacerdotibus vero dedit vinculum aeternae mortis solvere.

3. **Aliorum sententia verior \***. Alii vero dicunt solum Deum, non sacerdotem, debitum aeternae mortis dimittere, sicut et animam interius per se vivificat. Nec tamen diffitentur sacerdotibus traditam potestatem peccata remittendi et retinendi, quibus dictum est <sup>6</sup>: *Quorum remiseritis* <sup>25</sup> *peccata* etc. Sicut enim tenuit sibi potestatem baptismi <sup>7</sup>, ita et poeni-

4 peccatum] peccata BLNRVX.      7 Rubrica *trp.* A, om. RVW.      13 tibi] te ABMX.

<sup>1</sup> *In Evang.*, hom. 26, n. 5: « Unde fit ut ipsa hac ligandi et solvendi potestate se privet, qui hanc pro suis voluntatibus, et non pro subiectorum moribus exercet » (PL 76, 1200 B).  
<sup>2</sup> *Supra*, in cap. 1 huius Dist.      <sup>3</sup> Matth. 22, 13.      <sup>4</sup> Eph. 5, 14.      <sup>5</sup> Resp. Ioan. 11, 14.      <sup>6</sup> Ioan. 20, 23.      <sup>7</sup> Cf. *supra*, Dist. 5, c. 3.

Cap. 4. Cf. J. Schupp, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus*, Freiburg im Br. 1932, 189-191. — Num. 2. Cuius vel quorum sit haec sententia, nescimus. Vide nihilominus interpretationem L. Hödl, in *Die Geschichte* etc., 190-193; necnon et eius dissertationem, *Die theologische Auseinandersetzung zwischen Petrus Lombardus und Odo von Ourscamp* etc., in *Scholastik* 33 (1958) 62-80.



tentiae; et ideo, sicut interius gratia sua animam illuminat, ita et simul debitum aeternae mortis relaxat. Ipse enim per se ipsum peccata poenitentium tegit; et tunc tegit, quando ad poenam non reservat; tunc ergo tegit, quando debitum poenae solvit.

4. **Augustinus** \*. Quod autem ipse tegat, aperte dicit Augustinus, exponens illum locum Psalmi 1: *Quorum tecta sunt peccata*: « Id est cooperta et abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit advertere; si noluit advertere, noluit animadvertere, id est punire, sed ignoscere. Ita ergo dicit a Deo tecta, ut Deus non videat, id est aeternaliter puniat. Videre enim Dei peccata » est ad poenam imputare; avertere autem faciem a peccatis 2, hoc est ea ad poenam non reservare. — **Hieronymus** \*. Item Hieronymus 3: « Quibus Deus dimittit peccata, tegit, ne in iudicio revelentur ». — **Cassiodorus** \*. Item Cassiodorus 4: « Qui gravia habent peccata, aliis Deus imputat, aliis per misericordiam non imputat ».

5. Ex his aperte ostenditur quod Deus ipse poenitentem solvit a debito poenae; et tunc solvit, quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionem. — Cui sententiae ratio suffragatur et auctoritates attestantur.

6. **Ratione utitur ad probandum quod dicit** \*. Nemo enim de peccato vere compungitur, habens *cor contritum et humiliatum* 5, nisi in caritate. Qui autem caritatem habet, dignus est vita. Nemo autem simul dignus est vita et morte; non est igitur tunc ligatus debito aeternae mortis. Filius enim irae 6 esse desiit, ex quo diligere et poenitere coepit; ex tunc igitur solutus est ab ira, quae non manet super illum qui credit in Christum, sed super illum qui non credit 7. Non igitur postmodum, per sacerdotem cui confitetur, ab ira aeterna liberatur; a qua iam liberatus est per Dominum ex quo dixit 8: *Confitebor*. Solus igitur Deus hominem interius

3 ergo] igitur ANRVX. 5 aperte dicit Augustinus] Augustinus insinuat NVX.  
6 illum] hunc LMO. || illum locum] illud VX. 7-8 si... animadvertere om. M, add. mg. L.  
26 liberatus] liberabitur AMO, quod corr. A.

1 Enarr. in Ps. 31, 1 (PL 36, 264; CCL 38, 232); partim in Glossa Magistri in h.l. (PL 191, 318 A).

2 Resp. Ps. 50, 11: *Averte faciem tuam a peccatis meis*. 3 Glossa ordin. in Ps. 31, 2 (apud Lyranum, III, 128c; cod. Laur. Pl. XVII.4, f. 37b); ex Ps-Hieron., *Breviarium in Ps. 31*, 1 (PL 26 [1845], 912 A).

4 Glossa ordin. in Ps. 31, 2 (apud Lyran. III, 128c; cod. cit. f. 37b); ex Cassiodoro in h.l. (PL 70, 219 A; CCL 97, 276). 5 Resp. Ps. 50, 19.

6 Resp. Eph. 2, 3. 7 Ioan. 3, 36: *Qui credit in Filium, habet vitam aeternam; qui autem incredulus est Filio, non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum*. 8 Ps. 31, 5; vide supra, Dist. 17, c. 1, nn. 3-4, et nn. 11-13.

Num. 4: Auctoritates sumuntur ex Glossa Magistri in Ps. 31, 1-2 (PL 191, 318 A, 318 C).

mundat a macula peccati, et a debito aeternae poenae solvit; qui per Prophetam ait 1: *Ego solus deleo iniquitates et peccata populi*.

7. **Auctoritatibus probat idem** \*. — **Ambrosius** \*. Item Ambrosius 2: « Verbum Dei dimittit peccata, sacerdos et iudex ». « Sacerdos 3 quidem officium suum exhibet, sed nullius potestatis iura exercet ». — Idem 4: « Ille solus dimittit peccata, qui solus *pro peccatis nostris mortuus est* 5 ». — **Augustinus, Contra Iulianum** \*. Item Augustinus 6: « Nemo tollit peccata nisi solus Christus, qui est agnus tollens peccata mundi 7; tollit autem et dimittendo quae facta sunt, et adiuvando ne fiant, et perducendo ad vitam ubi omnino fieri non possint ». — His aliisque pluribus testimoniis docetur Deum solum per se peccata dimittere; et sicut dimittit quibusdam, ita et aliorum quorundam peccata retinet.

#### Cap. 5 (101).

1. **Quod sacerdotes etiam dimittunt peccata et tenent peccata suo modo**. Nec ideo tamen negamus sacerdotibus concessam potestatem dimittendi et retinendi peccata, cum hoc Veritas in Evangelio aperte doceat 8. — **Augustinus, super Ioannem** \*. Hinc Augustinus ait 9: « Ecclesiae caritas, quae per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus 10, eorum qui participes sui sunt peccata dimittit, eorum qui non sunt tenet ».

1 aeternae poenae *trp.* AMRT. 3 Rubrica *om.* ARVW. 4 et] est LX (Grat.), *om.* V. 10 possint] possunt ABMVW, quod corr. B. 14 peccata<sup>1</sup> *om.* ABLR. || peccata<sup>2</sup> *om.* MW.

1 Isai. 43, 25. 2 *De Cain et Abel*, II, c. 4, n. 15: « Remittuntur peccata per Dei Verbum, cuius Levites interpres et quidam executor est; remittuntur per officium sacerdotis sacrumque ministerium » (PL 14 [1845], 348 A-B; CSEL 32-1, 391). 3 Ambrosius, *De Spiritu sancto*, III, 18, n. 137: « Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non ius alicuius potestatis exercent » (PL 16 [1845], 809 A; CSEL 79, 208). 4 Non invenimus apud Ambrosium. Cf. *In Luc.* 5, 23 et 6, 22 (PL 15 [1845], 1639 B et 1698 C; CSEL 32-III, 184 et 281; CCL 14, 139 et 214); et praesertim *Epist. 26 (ad Irenaeum)*, n. 16: « Non potest hoc cuiquam hominum cum Christo esse commune, ut peccata condonet. Solius hoc munus est Christi, qui tulit peccatum mundi » (PL 16 [1845], 1045 C-D). 5 I Petri 3, 18. 6 *Contra Iulianum opus imperf.*, II, c. 84 (PL 45, 1176). 7 Resp. Ioan. 1, 29. 8 Matth. 18, 18; Ioan. 20, 23. 9 *In Ioan.*, tr. 121, n. 4 (PL 35, 1958; CCL 36, 667). 10 Resp. Rom. 5, 5.

Num. 7: Primae duae auctoritates Ambrosii ex *Decreto*, de poenit. d. 1, c. 51, sine titulis operum (1170s). Tertia, ex *Summa sent.*, VI, 11 (PL 176, 147 C). Illa Augustini, ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 141 (1407).

Cap. 5, n. 1. Auctoritas Augustini, ex *Decreto*, de consecr. d. 4, c. 140 (1407).



2. **Augustinus in libro De poenitentia** \*. Idem 1: « Sacerdotes possunt confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Deus. Lazarum enim de monumento suscitatum obtulit discipulis solvendum<sup>2</sup>, per hoc ostendens potestatem solvendi concessam sacerdotibus. Dixit enim 3: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum et in caelis*, hoc est: ego 5 Deus, et omnes caelestis militiae ordines, et omnes sancti in gloria mea laudant vobiscum et confirmant quos ligatis et solvitis. Non dixit: quos putatis ligare et solvere, sed in quos exercetis opus iustitiae vel misericordiae. Alia autem opera vestra in peccatores non cognosco ».

3. **Idem, in libro De baptismo** \*. Idem 4: « Cum veraciter ad Deum 10 converso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur quibus ipse veraci conversione coniungitur. Spiritus Sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi caritate cohaerentibus, sive se noverint corporaliter sive non. Similiter, cum alicuius tenentur peccata, ab eis tenentur a quibus ille cordis pravitate disiungitur, sive notis corporaliter sive ignotis. Omnes 15 mali spiritualiter a bonis seiuncti sunt ». Ecce hic dicit peccata dimitti vel teneri a viris sanctis, et tamen Spiritum Sanctum ea dimittere dicit.

4. **Idem, in eodem libro** \*. Et quod maiori consideratione dignum est, idem etiam dicit quod Deus per se vel per sanctos suos tantum peccata dimittit. Ait enim sic 5: « Sacramentum gratiae dat Deus etiam per malos, 20 ipsam vero gratiam non nisi per se ipsum vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per se ipsum facit, vel per ipsius columbae membra, quibus ait 6: *Si cui dimiseritis, dimittentur* ».

5. Ecce quam varia a doctoribus super his traduntur! Et in hac tanta varietate quid tenendum? — Hoc sane dicere ac sentire possumus, 25 quod solus Deus peccata dimittit et retinet, et tamen Ecclesiae contulit potestatem ligandi et solvendi. Sed aliter ipse solvit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum ita dimittit peccatum, quia et animam mundat ab interiori macula et a debito aeternae mortis solvit.

5 solveritis] solveris LMV. 9 Alia autem BX (ps.-Aug., Grat.), Aliter autem (enim R, om. L) LRV, Aliter autem vel alia (= duplex lectio) alii codd. 10 Rubrica om. RVW, parvulorum add. BLX. 11-12 conversione] conversatione A, confessione MNOV. 18 Rubrica om. RVW. 26 peccata dimittit trp. AMOW. 27 ligat] et add. NX. 28 quia] quod MNT.

<sup>1</sup> De vera et falsa poenit., c. 10, n. 25 (inter opp. Aug., PL 40, 1122). <sup>2</sup> Resp. Ioan. 11, 44. <sup>3</sup> Matth. 18, 18. <sup>4</sup> August., De bapt. contra Donatistas, VI, cc. 4-5, nn. 6-7 (PL 43, 200; CSEL 51, 302). <sup>5</sup> Lib. V, c. 21, n. 29 (191; 287). <sup>6</sup> Ioan. 20, 23.

Num. 2: apud Gratianum, de poenit. d. 8, c. 88 (1188). — Num. 3: apud Gratianum, de consecr. d. 4, c. 41 §§ 3-4 (1378). — Num. 4: ex eodem, § 1 (1377).

## Cap. 6 (102).

1. **Quomodo sacerdotes solvunt vel ligant a peccatis**. Non autem hoc sacerdotibus concessit. Quibus tamen tribuit potestatem ligandi et solvendi, id est ostendendi homines ligatos vel solutos. Unde et Dominus 5 leprosum prius sanitati per se restituit; deinde ad sacerdotes misit 1, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam vivificatum obtulit discipulis solvendum 2. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiae solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis.

2. In solvendis igitur culpis vel retinendis ita operatur sacerdos evangelicus et iudicat, sicut olim legalis in illis qui contaminati erant lepra, quae peccatum figurat. — **Hieronymus, super Matthaeum** \*. Unde Hieronymus super Matthaeum 3, ubi Dominus ait Petro: *Tibi dabo claves regni caelorum, et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in caelis*: « Hunc, 15 inquit, locum quidam non intelligentes, aliquid sumunt de supercilio Pharisaeorum, ut damnare innoxios vel solvere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quaeratur. In Levitico 4 ostendere se sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt. Ita 20 et hic ».

3. Aperte hic ostenditur quod non sequitur Deus Ecclesiae iudicium; quae per subreptionem et ignorantiam interdum iudicat; Deus autem semper iudicat secundum veritatem. Et in remittendis vel in retinendis Culpis id iuris et officii habent evangelici sacerdotes, quod olim sub Lege 25 habebant legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa a Deo vel retenta iudicant et ostendunt. Ponunt enim sacerdotes nomen Dei super filios Israel, sed ipse benedicit, ut legitur in

2 solvunt vel ligant trp. NTVX. 8 iudicium sacerdotis trp. NT. 11 figurat] significat MO. 23 vel] et LMV<sup>2</sup>X. || in<sup>2</sup> om. ABRTX.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 8, 4; Luc. 5, 14. <sup>2</sup> Resp. Ioan. 11, 44. <sup>3</sup> In Matth. 16, 19 (PL 26 [1845], 118 A-B). <sup>4</sup> Resp. Lev. 14, 2.

Cap. 6, nn. 1-2. Hic dependet Magister a *Summa sent.*, VI, 11 (PL 176, 147 C-D), ubi et auctoritas Hieronymi, quae invenitur etiam in *Glossa ordin.* in Matth. 16, 19 (apud Lyranum, V, 52 C).



Numeris 1. Hunc modum ligandi et solvendi Hieronymus supra notavit.

4. **Alius modus ligandi et solvendi.** Ligant quoque sacerdotes dum satisfactionem poenitentiae confitentibus imponunt; solvunt, cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem 5 admittunt. Quem modum superius 2 Leo notavit. — Secundum hunc modum etiam dicuntur sacerdotes dimittere peccata vel retinere. Unde superius 3 Augustinus dixit: « Quibus remittunt, remittit Deus » etc. Opus enim iustitiae exercent in peccatores, cum eos iusta poena li- 10 gant; opus misericordiae, dum de ea aliquid relaxant, vel sacramentorum communioni conciliant. Alia opera in peccatores exercere nequeunt.

5. Et notandum quia, quos satisfactione poenitentiae ligant, eo ipso a peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio poenitentialis, nisi quem sacerdos vere poenitentem arbitratur; alii non imponit, et eo ipso peccatum a Deo retineri indicat. — **Augustinus, in libro De poenitentia** \*. Quod autem hoc ad claves pertineat, Augustinus 15 ostendit dicens 4: « Frustrat claves Ecclesiae, qui sine arbitrio sacerdotis poenitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentia impetratur ».

6. Est et alius modus ligandi et solvendi, qui per excommunicationem geritur: dum aliquis secundum canonicam disciplinam tertio vocatus 5 ad 20 emendationem manifesti delicti, et satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiae a loco orationis et sacramentorum communionem et fidelium consortio praeciditur, ut erubescat, et pudore sceleris conversus poeniteat, ut sic *spiritus eius salvus sit* 6. Quod si poenitentiam profitens resipuerit, negatae communioni adimittitur et Ecclesiae reconciliatur. — Haec 25 autem Ecclesiae anathematizatio hanc poenam illis qui digne percelluntur infligit: quia gratia Dei et protectio illis amplius subtrahitur, ac sibi ipsis relinquuntur, ut sit eis liberum ruere in interitum peccati. In quos etiam diabolo maior saeviendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiae et benedictionum ac meritorum suffragia eis nequaquam suffragari putantur. 30

6 Quem modum] Quem ad modum M, corr. in quemadm. R2W2. || Leo] papa add. BLNW, add. interl. R. 10 dum] cum BNX. || relaxant] laxant NRTVX, quod corr. T2. 29 datur potestas trp. LNT.

1 Num. 6, 27: *Invocabuntque nomen meum super filios Israel, et ego benedicam eis.*  
2 In Dist. 17, c. 3, n. 3. 3 Hic supra, c. 5, n. 2. 4 Verba sunt Gratiani, *Decret.*, de poenit. d. 1, in dicto post c. 87 § 10 (1186); et resp. dictum Augustini in *Sermone* 392, c. 3, n. 3 (inter dubios, PL 39, 1711), hic supra, Dist. 17, c. 1, n. 8. 5 Cf. Matth. 18, 15-17.  
6 Resp. I Cor. 5, 5: *Tradere huiusmodi Satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit*; cf. Magister in h.l. (PL 191, 1571 D - 1572 D), et Proleg. ad tom. I, 27\*-28\*.

Cap. 7 (103).

1. **Quomodo secundum hos modos intelligendum sit illud: Quodcumque solveris etc.** Secundum hos ligandi et solvendi modos, quomodo verum est quod dicitur 1: *Quodcumque solveritis super terram, erit solutum 5 et in caelis; et quodcumque ligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis?* Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos, qui non sunt apud Deum; et poena satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt; et indignos sacramentis admittunt, et dignos admitti arcent.

2. Sed intelligendum est hoc in illis quorum merita solvi vel ligari 10 postulant. Tunc enim sententia sacerdotis iudicio Dei et totius caelestis curiae approbatur et confirmatur, cum ita ex discretione prodit, ut reorum merita non contradicant. Quoscumque ergo solvunt vel ligant adhibentes clavem discretionis reorum meritis, solvuntur vel ligantur *in caelis*, id est apud Deum, quia divino iudicio sententia sacerdotis sic progressa 15 approbatur et confirmatur.

3. **Origenes, super Leviticum** \*. Quos ergo secundum merita sententia Ecclesiae percellit, laedit, et illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiae non laeditur, nisi contemnat. Unde Origenes 2: « Exiit quis a veritate, a fide, a caritate: per hoc exit de castris 20 Ecclesiae, etiam si episcopi voce non abiciatur. Sicut econtra aliquis non recto iudicio foras mittitur, sed si non egit ut mereretur exire, nihil laeditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est; et qui foris est, intus videtur retineri ».

4. Ecce qualis et quantus est usus apostolicarum clavium. Iam ostensum est ex parte qualiter sacerdotes dimittunt peccata vel tenent, et tamen retinuit sibi Deus quandam singularem potestatem dimittendi vel retinendi, quia ipse solus per se debitum aeternae mortis solvit et animam interius purgat.

3 solveris] solveritis MRWX. 4-5 erit... caelis] etc. BL. 22 foris] foras ABMORTX, quod corr. O.

1 Matth. 18, 18. 2 In *Levit.*, hom. 14, n. 3 (PG 12, 556 A; GSC 29 [1920], 483).

Cap. 7 dependet a *Summa sent.*, VI, 14 (PL 176, 152-153). — Num. 3: Auctoritas sumi videtur potius a *Glossa ordin.* in *Levit.* 24, 10 (apud Lyranum, I, 257d) quam a Gratiano, C. 24, q. 3, c. 7 (992). Non excludimus etiam quandam Glossam Magistri in *Leviticum*.



## Cap. 8 (104).

1. **Quae sint interiores tenebrae et interior macula.** Hic quaeritur quae sit illa macula et quae sint illae tenebrae interiores, a quibus Deus interius animam purgat cum veram poenitentiam immittit.

2. **Responsio** \*. De tenebris et interiori caligine satis facile est intel- 5 ligere et respondere. Cum enim quis mortaliter delinquit, et gratia virtutis privatur, si qua praecessit, et naturalium bonorum elisionem patitur; unde intellectus obtunditur et totus homo interior obtenebratur; et ita quasi caligine quadam mens obvolvitur. Quae caligo peccati poena est. Hanc vero Deus pellit, cum poenitentiam immittit, per quam bona per- 10 dita restituit et vitiata reparat. Unde Propheta 1: *Nebulam sicut cinerem spargit.*

3. **Quaestio** \*. Sed quae est macula peccati a qua animam lavat? Ecce enim quis voluit facere homicidium et patravit; quo patrato, desinit tam velle quam facere; nondum tamen vere et humiliter poenitet, nec 15 confiteri proponit. Quae igitur remansit in anima illius macula? Mala voluntas quidem macula fuit illius animae, sed illa transiit. Macula est etiam si poenitere contemnit, sed hoc est peccatum aliud a praecedenti. Quae igitur macula remansit, a qua in poenitentia purgatur?

4. **Responsio** \*. Polluta quidem est anima quousque poenitet, sicut 20 erat dum in ea prava erat voluntas. Sicut enim qui tangit morticinum 2 vel aliud immundum, ita pollutus est post actum, quousque lavatur, sicut fuit dum tangeret; ita post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita longe est a Deo per dissimilitudinem, qui est vita et munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo 25 dissimilitudo quae inest animae ex peccato, et est a Deo elongatio, animae macula intelligitur a qua purgatur in poenitentia.

5 Responsio om. RVW. 13 Quaestio ex cod. T, om. alii. 16 igitur] ergo LNVX. 17 transit] transit AMNOW, quod corr. N. 20 Responsio om. RVW. 22 actum] tactum BLNVWX. 23 dum] cum MX. 25 ergo] vero AB, etiam VX.

1 Ps. 147, 5; *Glossa ordin.*: « cinis ad poenitentiam pertinet » (cod. Laurent. Pl. XVII, 4, f. 197v); *interlin.*: *nebula*: « pro caligine peccati » (ibid.); dein *ordin.*: « et erit salubris nebula quam ut cinerem spargit deus » (f. 198r in marg. sup.); omnia apud Lyran., III, 304r; in parte, ex August. in h.l., n. 24 (PL 37, 1933; CCL 40, 2159s). 2 Resp. Lev. 11, 31, et Num. 19, 22.

Cap. 8, num. 1-2. Cf. Hugo, *De sacram.*, II, 14, 8 (PL 176, 565 B-C); et hic supra, lib. II, d. 35, cc. 4-5 (tom. I, 535s); d. 42, c. 2 (568).

5. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitatur animam et illuminat; quod sacerdotes nequeunt, qui tamen sunt medici animarum. Unde Propheta 1: *Numquid medici suscitabunt et confitebuntur tibi?* Quod exponens Augustinus 2 ait: « Boni doctores recte medici dicuntur; 5 qui viventes curare ministerio possunt, sed non mortuos suscitare. Sola enim gratia Dei reviviscunt ».

## DISTINCTIO XIX

## Cap. 1 (105).

1. **Quando hae claves dantur et quibus.** Postquam ostensum est quae 10 sint claves apostolicae et quis earum usus, superest investigare quando istae claves dentur et quibus.

2. Dantur hae claves per ministerium episcopi alicui in promotione sacerdotii. Cum enim recipit ordinem sacerdotalem, simul et has claves recipit.

3. **Quod non omnis sacerdos alteram clavem habet, scilicet scientiam discernendi** \*. Sed non videtur quod omnes vel soli sacerdotes has claves habeant, quia plerique ante sacram ordinationem scientiam discernendi habent, plures post consecrationem ea carent. — Sane dici potest quod alteram harum clavium, id est scientiam discernendi, non omnes habent 20 sacerdotes: unde dolendum est atque lugendum. Multi enim, licet indiscreti atque scientiae qua eminere debet sacerdos exsortes, sacerdotii gradum recipere praesumunt, vita et scientia eo indigni, qui nec ante sacerdotium nec post scientiam habent discernendi qui ligandi sint vel solvendi. Ideoque illam clavem in consecratione non recipiunt, quia sem- 25 per scientia carent. — Qui vero ante sacerdotium scientia discernendi praediti sunt, licet habeant discretionem, non tamen in eis clavis est, quia non valent ea claudere vel aperire. Ideoque cum promovetur in sacer-

15 Rubrica om. LVW.

1 Ps. 87, 11. 2 *Enarr. in Ps. 87*, n. 10 (PL 37, 1116; CCL 39, 1215s); iam in *Glossa ordin.* in h.l. (cod. Laurent. Pl. XVII.4, f. 117c; apud Lyran. III, 217a).

Num. 5: Ex *Glossa Magistri in Ps. 87*, 11 (PL 191, 814 C).

Dist. XIX, c. 1: Cf. *Summa sent.*, VI, 14 (PL 176, 152 A-C), unde plura hic inseruntur.



dotem, clavem discretionis recte dicitur accipere, quia et ante habita discretio augetur et fit in eo clavis, ut ea iam valeat uti ad claudendum vel aperiendum.

4. **Si alteram clavem omnes habent, scilicet potestatem ligandi et solvendi** \*. Cumque iam constet non omnes sacerdotes illas duas habere, quia scientia discernendi plerique carent, de altera, id est potentia ligandi et solvendi, quaeritur utrum omnes sacerdotes eam habeant.

5. **Quorundam opinio** \*. Quidam enim putant<sup>1</sup> hanc potestatem illis solis esse concessam, qui doctrinam simul ac vitam Apostolorum servant. Illas enim claves promisit Dominus Petro<sup>2</sup> et imitatoribus eius tantum, ut aiunt. Qui etiam auctoritatibus utuntur in munimentum suae opinionis.

6. **Augustinus in libro De baptismo** \*. Hoc enim dicunt Augustinus<sup>3</sup> in summo sensisse superius<sup>4</sup>, ubi ait: « Remissionem peccatorum vel per se ipsum facit Deus, vel per columbae membra ». Dicit etiam idem<sup>4</sup> peccata dimitti vel teneri a sanctis. — **Augustinus** \*. Idem, super Exodum<sup>5</sup>, ubi de lamina aurea legitur: *Erat autem lamina aurea semper in fronte sacerdotis*: « Haec, inquit, significat fiduciam bonae vitae, quam qui vere perfecteque, non significatione, sed veritate, sacerdos habet, solus potest peccata auferre ».

7. **Gregorius in tractatu evangeliorum** \*. Item Gregorius<sup>6</sup>: « Illi soli habent, in hac carne positi, ligandi et solvendi potestatem sicut sancti Apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent ». — Item ex dictis Origenis<sup>7</sup>: « Haec potestas soli Petro concessa est, et imita-

<sup>8</sup> Rubrica om. LRVW, trp. ABX. <sup>9</sup> ac] et LMNVX. <sup>12</sup> Rubrica om. LMRVW. <sup>14</sup> Idem] ibidem BLRTWX, quod corr. T.

<sup>1</sup> Ita P. Abaelardus, *Ethica*, c. 26 (PL 178, 673 C - 678 A). Quam sententiam sic retractat in sua *Confessione fidei 'Universis'* (1139-40): « Potestatem ligandi atque solvendi successoribus apostolorum omnibus, ut ipsis aequae apostolis concessam esse profiteor, et tam indignis quam dignis episcopis quandiu eos Ecclesia susceperit » (PL 178, 107). Exaggerata tantum forma huius opinionis, ut in *Ethica*, c. 26 (674 D), damnata est in concilio Senonensi (1140): « Quod potestas ligandi atque solvendi Apostolis tantum data sit, et non successoribus eorum » (DS n. 732). Cf. L. Hödl, *Die Geschichte der scholastischen Literatur und der Theologie der Schlüsselgewalt*, 82-86.

<sup>2</sup> Resp. Matth. 16, 19: *Et tibi dabo claves etc.* <sup>3</sup> *De bapt. contra Donatistas*, V, c. 21, n. 29 (PL 43, 191; CSEL 51, 287); supra, Dist. 18, c. 5, n. 4. <sup>4</sup> Supra, loc. cit. <sup>5</sup> *Glossa interlin.* in Exod. 28, 38 (apud Lyran., I, 191v);

ex August., *Quaest. in Heptat.* II, q. 120 (PL 34, 638; CSEL 28-II, 170; CCL 33, 127).

<sup>6</sup> Rubrica ex *Summa sent.* (infra), sed revera resp. *Dialogi*, II, c. 23: « Numquidnam, Petre, in hac adhuc carne non erat, qui audiebat: *Quodcumque ligaveris...* Cuius nunc vicem in ligando et solvendo obtinent qui locum sancti regiminis fide et moribus tenent » (PL 66, 180 B); cf. *In Evang.*, hom. 26, nn. 4-5 (PL 76, 1199 C - 1200 B). <sup>7</sup> *In Matth.* 16, 19, XII, n. 14 (PG 13, 1014 B - 1015 A).

toribus Petri; nam quicumque vestigia Petri imitantur, habent recte ligandi et solvendi potestatem ». — His aliisque testimoniis innituntur, qui asserunt potestatem ligandi ac solvendi illis solis concessam sacerdotibus, qui vita et doctrina pollent sicut Apostoli.

8. **Aliorum sententia verior**. Alii autem videtur, quod et mihi placere fateor, cunctis sacerdotibus hanc clavem dari, scilicet ligandi et solvendi; sed non eam recte ac digne habent, nisi qui vitam et doctrinam apostolicam servant. Nec praemissae auctoritates malos sacerdotes hanc potestatem habere negant, sed illos solos digne ac recte hac potestate uti significant, qui praediti sunt vita et doctrina apostolica: quia soli Apostolorum imitatores digne recteque possunt ligare et solvere, et per Deum tantum vel per sanctos, in quibus habitat Spiritus Sanctus, digne et recte fit remissio vel retentio peccatorum. Fit tamen et per illos qui sancti non sunt, sed non digne vel recte: dat enim Deus benedictionem digne poscenti, etiam per indignum ministrum.

9. **Quod omnes sacerdotes habeant potestatem ligandi et solvendi confirmat**. — **Hieronymus** \*. Quod vero hanc potestatem habeant omnes sacerdotes, Hieronymus<sup>1</sup> testatur super illum locum Evangelii, ubi Dominus dixit Petro<sup>2</sup>: *Tibi dabo claves regni caelorum etc.*: « Habent, inquit, eandem iudiciariam potestatem alii Apostoli, habet et omnis Ecclesia in episcopis et presbyteris; sed ideo Petrus eam specialiter accepit, ut omnes intelligant quod quicumque ab unitate fidei et societate Ecclesiae se separaverit, nec peccatis solvi, nec caelum potest ingredi ».

## Cap. 2 (106).

1. **Quod etiam per indignos transfunditur gratia dignis** \*. — **Augustinus in libro Quaestionum Veteris et Novi Testamenti** \*. Item, quod sacerdos, etiam si malus sit, gratiam tamen transfundat pro suae dignitatis officio, Augustinus<sup>3</sup> ostendit dicens: « Dictum est a Domino in

<sup>3</sup> ac] et BNRWX, atque L. <sup>18</sup> locum Evangelii trp. TVX. <sup>23</sup> separaverit] separant X, separaverint BMORW, quod corr. ORW. || potest] possunt BM.

<sup>1</sup> Sub nomine Hieron. in *Glossa ordin.* in Matth. 16, 19: *Quodcumque ligaveris etc.* (apud Lyran., V, 52c); sed est Bedae, *In Evang.* II, hom. 16 (PL 94, 223 A-B) seu I, hom. 20 (CCL 122, 146). <sup>2</sup> Matth. 16, 19. <sup>3</sup> Revera est Ambrosiaster, q. 11 (PL 35, 2223s; CSEL 50, 36).

Cap. 2, n. 1: Ex *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 96 (392), ubi datur sub titulo *Augustinus in lib. questionum veteris test.*



Numeris 1, ad Moysen et Aaron sacerdotes: *Vos ponite nomen meum super filios Israel, ego Dominus benedicam eos*, ut gratiam traditio per ministerium ordinati transfundat hominibus, nec voluntas sacerdotis obesse vel prodesse possit, sed meritum benedictionem poscentis. Quanta autem dignitas sit sacerdotalis officii et ordinis, hinc advertamus. Dictum est de nequissimo Caipha, inter cetera 2: *Hoc autem a semetipso non dixit, sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit*; per quod ostenditur Spiritum gratiarum non personam sequi digni vel indigni, sed ordinem traditionis: ut quamvis aliquis boni meriti sit, non tamen possit benedicere nisi fuerit ordinatus ut officii ministerium exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis ». Hinc evidenter ostenditur ordo non privari potestate tribuendi gratiam ob ministri indignitatem.

2. **Hesychius dissentire videtur ab Augustino \***. — **Hesychius, super Leviticum \***. Huic tamen Augustini sententiae videtur obviare quod ait Hesychius 3: « Sacerdotes, inquit, non propria virtute benediciunt, sed quia figuram Christi gerunt, et propter eum qui in ipsis est, benedictionis plenitudinem tribuunt. Nec solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicumque Christum in seipso habet et eius figuram gerit per conversationem bonam, sicut Moyses, idoneus est ut benedictionem praestet ». Ecce hic habes quod non solum sacerdos, sed omnis in quo Christus habitat, benedictionem praestat.

3. **Solvit \***. Sed alia est benedictio quae solis congruit sacerdotibus, alia quae ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi sacerdotes in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicuntur non quia soli illi transfundant gratiam, sed quia illi soli licite et digne id agunt. Nec subditos mala vita sacerdotis laedit, si bona faciunt quae ille dicit. — **Gregorius Papa \***. Unde Gregorius 4: « Multi, dum plus vitam sacerdotum quam suam discutiunt, in erroris foveam dilabuntur; minus considerantes quod non eos vita sacerdotum laederet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent ».

13 Rubricae om. RVW. 18 seipso] semetipso BN. 19 conversationem] conversionem ALMNORTV, quod tamen corr. LNOT. 22 Solvit] Solutio AN, om. RVW. 25 soli illi trp. BLM. 26 vita sacerdotis trp. RTVX.

1 Num. 6, 27. 2 Ioan. 11, 51. 3 Hesychius, In Levit. 9, 23: *Ingressi autem Moyses et Aaron* (PG 93, 894 B-C). 4 Non inveniuntur haec verba apud Gregorium; error est Gratiani (infra), sicut supra, Dist. 13, c. 1, n. 5.

Num. 2: Ex *Glossa ordin.* in Lev. 9, 23 (apud Lyranum, I, 230d). — Num. 3. Auctoritas Gregorio attributa, ex *Decreto* Gratiani, C. 1, q. 1, c. 84 (387), ad initium. Alia pars eiusdem cap. citatur supra, Dist. 13, c. 1, n. 5.

## Cap. 3 (107).

1. **De eo quod scriptum est in Malachia: Maledicam benedictionibus vestris**. Praemissae vero sententiae, qua dicitur etiam per mali sacerdotis ministerium transfundi gratiam benedictionis, videtur obviare quod Dominus per Prophetam malis sacerdotibus comminatur 1: *Maledicam benedictionibus vestris*; et alibi 2: *Vae his qui vivificant animas quae non vivunt, et mortificant animas quae non moriuntur*. Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, et si animae quas vivificant, non vivunt, quomodo per eos gratia benedictionis transfunditur?

2. Sed illud capitulum, *Maledicam* etc., quidam 3 referunt ad haereticos qui ab Ecclesia praecisi sunt et ad excommunicatos, quorum benedictiones fiunt maledictiones his qui eorum sequuntur errores. — Illud alterum vero, scilicet: *Vivificant* etc., super omnes illos sacerdotes exponunt 4, qui absque clave scientiae et forma bonae vitae praesumunt ligare vel solvere. Sed nullus officio sacerdotis uti debet, nisi immunis sit ab illis quae in aliis iudicat; alioquin se ipsum condemnat.

## Cap. 4 (108).

1. **Qualis debeat esse iudex ecclesiasticus. — Augustinus in libro De poenitentia \***. Qualem autem oporteat esse qui aliorum iudex constituitur, Augustinus 5 describit ita dicens: « Sacerdos, cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quae in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium qui est iudicandus, condemnat se ipsum 6. Cognoscat igitur se, et purget in se quod alios videt sibi offerre. Caveat ut a se proiecerit quidquid in alio damnosum reperit. Animadvertat quod *qui sine peccato est, primus in*

12 errores] errorem RTX. 18 debeat] debet ABRTX, corr. in debet O. 19 oporteat esse trp. LRTVX.

1 Malach. 2, 2; cf. *Summa sent.*, VI, 14 (PL 176, 153 AB). 2 Ezech. 13, 19. 3 Ita Gratianus, C. 1, q. 1, c. 76, et dictum seq.: « Hoc igitur intelligendum est de haeretico » (385). 4 Cf. *Summa sent.*, uti supra. 5 *De vera et falsa poenitentia*, c. 20 (inter opp. August., PL 40, 1129). 6 Resp. Rom. 2, 1: *In quo enim iudicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quae iudicas.*

Cap. 4, nn. 1-2: Ex *Decreto*, de poenit. d. 6, c. 1, §§ 2-3 (1243).



*illam lapidem mittat*<sup>1</sup>. Ideo enim liberavit peccatricem, quia non erat qui iuste proiceret lapidem. Quomodo lapidaret, qui se lapidandum cognosceret? (**Cave hic!** \*) Nullus enim erat sine peccato: in quo intelligitur omnes fuisse reos, nam venialia semper remittebantur per caerimonias; si quod ergo in eis peccatum erat, criminale erat. In hoc igitur 5 patentissimum est crimen sacerdotum et detestabile, qui non prius se iudicant et alios alligant ».

2. **Idem** \*. « Caveat<sup>2</sup> spiritualis iudex, sicut non commisit crimen nequitiae, ita non careat munere scientiae. Oportet ut sciat cognoscere quidquid debet iudicare: iudiciaria enim potestas hoc postulat, ut quod 10 debet iudicare discernat. Diligens igitur investigator sapienter interroget a peccatore quod forsitan ignoret, vel verecundia velit occultare. Cognito vero crimine, varietates eius non dubitet investigare, et locum, et tempus, et cetera quae supra diximus<sup>3</sup>. — Quibus cognitis, adsit benevolus, paratus erigere et secum onus portare. Habeat dulcedinem in affectione, 15 discretionem in varietate; doceat perseverantiam. Caveat ne corruat, ne iuste perdat iudiciariam potestatem. Etsi enim poenitentia ei possit acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Etsi Petrus post lapsum restitutus fuerit, et saepe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non tamen est necesse ut omnibus concedatur quasi ex 20 auctoritate. Invenitur auctoritas quae concedit et quasi imperat; invenitur alia quae non concedit, sed vetat. Quae Scripturae non repugnant, sed concordant. Cum enim tot sunt qui labuntur, ut pristinam dignitatem ex auctoritate defendant et quasi usum peccandi sibi faciant, recidenda est spes ista. Si vero locus est ubi ista non concurrant, restitui possunt qui 25 peccant ».

3. Ex his satis perpenditur qualis debeat esse sacerdos qui alios ligat et solvit, discretus scilicet et iustus; alioquin *mortificat saepe animas quae non moriuntur*, et *vivificat quae non vivunt*<sup>4</sup>, et ita incidit in maledictionis iudicium.

3 Cave hic *om.* BNRVWX. 4-5 caerimonias] Nota: nam (*om.* L) venialia hic dicit et criminalia secundum legem, ubi venialia putabant que per ceremonialia (ceremonias W) dimittebantur sine morte vel mutilatione, criminalia que mortem vel mutilationem inferebant *nota in tertia col. add.* LW. 10 debet] debeat BLNVX. 17 ei possit *trp.* NTV. 24 recidenda] rescindenda TVW.

<sup>1</sup> Ioan. 8, 7. <sup>2</sup> Ps.-August., *ibid.* (PL 40, 1129s). <sup>3</sup> Quae verba ignoti auctoris *De poenitentia* inveniuntur supra, Dist. 16, c. 2, n. 1. <sup>4</sup> Ezech. 13, 19; cf. supra, c. 3, nn. 1-2.

4. Illud autem Malachiae<sup>1</sup>, scilicet *Maledicam benedictionibus vestris*, sive super haereticos tantum et excommunicatos, sive super omnes sacerdotes qui vita et scientia carentes benedicere praesumunt, dictum accipiatur, sic intelligi potest<sup>2</sup>: (**Gregorius** \*) « *Maledicam benedictionibus vestris*, id est his quae meis benedictionibus possidetis », quia faciam ea vobis cedere in maledictionem, non in benedictionem; quia etsi « benedicunt sanctis », non hoc faciunt « ex vero corde », et ideo eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Vel « *maledicam*<sup>3</sup> *benedictionibus vestris*, id est quod a vobis benedicatur, a me erit maledictum », quia (**Gregorius** \*) 10 « benedicunt<sup>4</sup> inique agentibus, adulanturque peccantibus, dummodo divites sint ».

## DISTINCTIO XX

## Cap. 1 (109).

1. **De his qui in fine poenitent.** Sciendum est etiam quod tempus 15 poenitentiae est usque in extremum articulum vitae. — **Leo Papa** \*. Unde **Leo Papa**<sup>5</sup>: « Nemo est desperandus, dum in hoc corpore constitutus est, quia nonnunquam quod diffidentia aetatis differtur, consilio maturiore perficitur ».

2. **Augustinus** \*. **Augustinus** tamen de poenitentiam differentibus ita scribit<sup>6</sup>: « Si quis positus in ultima necessitate voluerit accipere poenitentiam et accipit, et mox reconciliabitur et hinc vadit: fateor vobis, non illi negamus quod petit, sed non praesumimus quia bene hinc exit.

5 meis] in eis ALOW. 8 benedictionibus] benedicentibus LM. || vestris] vos M, vobis L (*quod corr. mg.* L<sup>2</sup>). 21 reconciliabitur] reconciliatur BNV, reconcilietur X. 22 bene hinc *trp.* ABL.

<sup>1</sup> Malach. 2, 2; de quo, in c. 3, n. 2. <sup>2</sup> Revera paraphrasim hic praebet Magister ditorum Hieronymi super Malach. 2, 2 (PL 25 [1845], 1553 B et 1554 B). <sup>3</sup> Cf. supra, Dist. 13, c. 1, n. 5. <sup>4</sup> Verba sunt Hieronymi, sub nomine Gregorii, supra, in eodem n. 5. <sup>5</sup> *Epist. 167 (ad Rusticum episc. Narbon.)*, inq. 7 (PL 54, 1205 B; Mansi VI, 403 B). <sup>6</sup> *Sermo 393 (inter dubios, PL 39, 1714s).*

Num. 4: Verba Gregorio attributa, ex *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 84 (387); vide etiam supra, D. 13, c. 1, n. 5.

Dist. XX, c. 1. Fere totum capitulum trahitur ex Gratiano, de poenit. d. 7 (1244-1247); n. 1, ex c. 1; n. 2, ex c. 2 et inde ex c. 4 in fine; n. 3, in parte ex dicto ante c. 5, dein, ex *Glossa Magistri* in Ps. 140, 2 (PL 191, 1235 C), et ex c. 6, § 1 (1246).



Si securus hinc exierit, ego nescio. Poenitentiam dare possumus, securitatem vero non. Numquid dico 'damnabitur'? Sed nec dico 'liberabitur'. Vis ergo a dubio liberari? Age poenitentiam dum sanus es. Si sic agis, dico tibi quia securus es, quia poenitentiam egisti eo tempore quo peccare potuisti. Si vis agere poenitentiam quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa. — Item <sup>1</sup>: « Duae res sunt: aut ignoscitur tibi, aut non ignoscitur. Quid horum tibi sit futurum, nescio. Ergo tene certum, dimitte incertum ».

3. Sed quare hoc dixit Augustinus, cum poenitentia quae in fine agitur in Psalmo <sup>2</sup> appelletur *sacrificium vespertinum*, « quod erat acceptabilius in Lege »; et cum *in quacumque die* invocetur, Deus adsit, et *quacumque hora ingemuerit et conversus fuerit peccator, vita vivat*?

4. Sed illa dixit Augustinus propter illos qui poenitentiam usque in finem vitae protrahunt; et tunc non ex Dei amore videntur poenitere, sed timore mortis, quasi ex necessitate. — Augustinus in libro *De poenitentia* \*. Unde idem, quasi aperiens quare superiora dixerit, ait <sup>3</sup>: « Nullus exspectet quando peccare non potest. Arbitrii enim quaerit libertatem ut delere possit commissa, non necessitatem; caritatem, non tantum timorem, quia non in solo timore vivit homo. Quem ergo sero poenitet, oportet non solum timere iudicem, sed diligere, quia sine caritate nemo potest salvus esse <sup>4</sup>: non ergo tantum timeat poenam qui poenitet, sed anxietur pro gloria. Quae conversio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de eius remissione. Sed quoniam vix vel raro est tam iusta conversio, timendum est de poenitente sero, maxime cum filii quos illicite dilexit sint praesentes, uxor et mundus ad se vocet. Multos solet serotina poenitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper, etiam in morte, iuvare valet quibus placet. Cum igitur opus sit non hominis, sed Dei, fructifera poenitentia, inspirare eam potest quandocumque vult sua misericordia, et remunerare ex misericordia quos damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt quae impediunt et

<sup>7</sup> sit futurum *trp.* MTVX. *add. interl.* T.

<sup>17</sup> quaerit *om.* M, *add. interl.* O<sup>2</sup>, Deus *add.* mg. L.

<sup>1</sup> Ibid., parum infra (1715). <sup>2</sup> Ps. 140, 2: *Elevatio manuum mearum sacrificium vespertinum*, cum *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, III, 296a; cod. Laurent. Pl. XVII, 14, f. 190c); sequitur Ezech. 33, 12 et 15; cf. Dist. 17, c. 1, n. 4. <sup>3</sup> *De vera et falsa poenit.*, c. 17, multis omissis et nonnullis mutatis (inter opera August., PL 40, 1127s). <sup>4</sup> Cf. I Cor. 13, 2.

Num. 4-5, ex eodem c. 6, in forma abbreviata.

languentem retrahunt, periculosissimum est et interitui vicinum, ad mortem protrahere poenitentiae remedium. Sed magnum est cui Deus tunc inspirat, si quis est, veram poenitentiam ».

5. « Sed <sup>1</sup> si etiam sic conversus *vita vivat et non moriatur* <sup>2</sup>, non pro-mittimus quod evadat omnem poenam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud saeculum distulit fructum conversionis. Hic autem ignis, etsi aeternus non sit, miro modo est gravis: excellit enim omnem poenam quam unquam passus est aliquis in hac vita <sup>3</sup>. Nunquam in carne tanta inventa est poena, licet mirabilia martyres passi sint tormenta, et multi nequiter quanta saepe sustinuerunt supplicia ».

6. Ex his satis ostenditur quam periculosum sit differre poenitentiam usque in finem vitae. Si tamen etiam tunc vera habeatur poenitentia, hominem liberat et vitam mortuo impetrat <sup>4</sup>; non sic tamen ut nullam sentiat poenam, nisi forte tanta sit vehementia gemitus et contritionis, quae sufficiat ad delicti punitionem. Licet ergo « difficile <sup>5</sup> sit ut tunc sit vera poenitentia, quando tam sera venit, quando cruciatus membra ligat et dolor sensum opprimit, ut vix homo aliquid cogitare valeat, melior est tamen sera quam nulla ». « Poenitentia <sup>6</sup> enim, si in extremo vitae hiatus advenit, sanat et liberat ». « Multum <sup>7</sup> sera fuit latronis poenitentia, sed non fuit sera indulgentia ». Sed « licet <sup>8</sup> latro veniam meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi et perseverandi auctoritatem ».

#### Cap. 2 (110).

1. **De his qui poenitentiam non complent.** Si vero quaeritur de illis qui in hac vita poenitentiam non complent, utrum transituri sint per

<sup>1</sup> periculossimum] periculosum ABL. <sup>9</sup> sint] sunt BRTVX, *quod corr.* R. <sup>10</sup> saepe sustinuerunt *trp.* ABLW. <sup>24</sup> qui] hic *add.* AORW. || complent] hic *add.* T.

<sup>1</sup> Ps.-August., *ibid.*, c. 18 (1128). <sup>2</sup> Ezech. 33, 15. <sup>3</sup> De hac poena secundum verba authentica August., cf. *infra*, Dist. 21, c. 2. <sup>4</sup> Ps.-August., *De vera et falsa poenitentia*, c. 17: « Oportet enim peccatorem ut in poenitentia fructificet, ut mortuo vitam impetret » (PL 40, 1127). <sup>5</sup> Hugo, *De sacram.*, II, 14, 5 (PL 176, 560 B). <sup>6</sup> Ps.-August., *ibid.*, c. 17 (1127). <sup>7</sup> Hugo, *ibid.* (560 C). De latronis poenitentia: Luc. 23, 41-43. <sup>8</sup> Ps.-August., *ibid.* (1127).

Num. 6 conficitur ex dictis pseudo-Augustini et Hugonis, uti supra notatur. Cap. 2, n. 1. Titulus et quaestio sunt Hugonis, in *De sacram.* II, 14, 3 (PL 176, 555 C); qui aliter tamen non est fons huius cap., sicut nec *Glossa Magistri* in Hebr. 10, 31 (PL 192,



ignem, ut ibi quasi compleant quod hic minus fecerunt, idem dicimus et de istis esse sentiendum, et de his qui in extremis poenitent. — Si enim tanta fuerit cordis contritio et delicti exprobratio, ut sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab aliis poenis transeunt ad vitam, etsi inexplata fuerit poenitentia, quia perfecte poenituerunt et ingemuerunt corde. — 5 Qui vero non adeo conteruntur corde et ingemiscunt pro peccato, si ante expletionem poenitentiae decesserint, ignem purgatorium sentiunt, et gravius puniuntur quam si hic impressent poenitentiam. *Horrendum est enim incidere in manus Dei viventis* <sup>1</sup>.

2. Deus enim, cum sit misericors et iustus <sup>2</sup>, ex misericordia poenitenti ignoscit, non reservans peccatum ad poenam aeternam; ex iustitia vero impunitum non dimittit delictum. Aut enim homo punit, aut Deus <sup>3</sup>. Homo autem punit poenitendo. Et est poenitentia interior et exterior <sup>4</sup>. Si ergo interior poenitudo tanta fuerit, ut sit sufficiens ultio peccati, Deus qui hoc novit, ab illo qui taliter poenitet ulterius poenam non exigit. 15 Si vero interior poenitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior poenitentia impletur, Deus, qui modos et mensuras peccatorum et poenarum novit, addit poenam sufficientem.

3. « Studeat <sup>5</sup> ergo quisque sic delicta corrigere, ut post mortem non oporteat poenam tolerare. Quaedam enim peccata mortalia in poenitentia fiunt venialia, non mox tamen sanantur. Saepe infirmus moretur, si non medicaretur; nec tamen statim medicatus sanatur: languet victurus, qui prius erat moriturus. Qui autem impoenitens moritur, omnino moritur et aeternaliter cruciatur. Si enim semper viveret, semper peccaret ».

<sup>2</sup> sentiendum] sciendum BLMN, quod corr. N.      <sup>7</sup> decesserint] discesserint ANO.  
<sup>14</sup> poenitudo] penitencia LRT.

<sup>1</sup> Hebr. 10, 31.      <sup>2</sup> Ps. 111, 4; 114, 5.      <sup>3</sup> August., *Enarr. in Ps. 44*, 8, n. 18; et praesertim in *Ps. 58*, 6, n. 13 (PL 36, 505, 701; CCL 38, 506s; et 39, 739s); Gregorius, *Moralia*, IX, c. 34, n. 54 (PL 75, 889 C).      <sup>4</sup> Cf. supra, Dist. 14, c. 1, n. 2.      <sup>5</sup> Ps.-August., *De vera et falsa poenitentia*, c. 18 (PL 40, 1128).

486 A-B). Fundatur forsitan in *Summam sent.*, VI, 11, ubi leguntur verba hic in n. 2: « Nullum enim peccatum impunitum; aut enim homo punit aut Deus » (PL 176, 148 C-D). — Num. 3: Ex *Decreto*, de poenit., d. 7, c. 6, §§ 2-3 (1247).

## Cap. 3 (111).

1. **De illo cui sacerdos indiscretus iniungit parvam poenam.** Si vero de illo quaeritur qui satisfactionem iniunctam impleverit, quae ignorantia vel negligentia sacerdotis peccato condigna non fuit, utrum de vita migrans ab omni poena liber sit, idem respondeo quod supra <sup>1</sup>, de illo qui poenitentiam non complevit, dixi: quod si tantum est lamentum interioris doloris, ut sufficiat in vindictam peccati, omnino liberatus est; si vero non sufficit dolor interior simul cum poena iniuncta, addet Deus poenam. Quod autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam peccati, certum documentum habemus in illo latrone, qui sola mentis contritione et confessione, statim cum conversus fuit, paradisum ingredi meruit <sup>2</sup>.

2. **Quod mensura doloris magis quam temporis consideranda est in poenitentia** \*. Sed quia dispensatores Ecclesiae contritionis quantitatem non perpendunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium, omnibus 15 leges poenitentiae constituunt, tam magis quam minus de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc praecipue tendere debet, ut cordis dolorem quantum fas est cognoscant, et secundum ipsius modum satisfactionem iniungant.

3. **Augustinus in Enchiridion** \*. Unde Augustinus <sup>3</sup>: « In actione poenitentiae, ubi tale commissum est ut is qui commisit a Christi etiam corpore separetur, non tam consideranda est mensura temporis quam doloris: *Cor enim contritum et humiliatum Deus non despicit* <sup>4</sup>. Verum, quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam nisi per verba vel alia quaecumque signa procedit, cum sit coram illo cui dicitur <sup>5</sup>: *Gemitus meus a te non est absconditus*, recte 25 constituuntur ab his qui Ecclesiis praesunt tempora poenitentiae, ut satisfaciatur etiam Ecclesiae, in qua peccata ipsa remittuntur. Extra eam

<sup>2</sup> poenam] penitenciam ALNVX.      <sup>3</sup> impleverit] implevit LRTVW.      <sup>6-7</sup> interioris doloris *trp.* ABRTX.      <sup>11</sup> cum] ut ARTVX, om. B      <sup>26</sup> qui] in *add.* AMNOVW.  
<sup>27</sup> satisfaciatur] satisfiat RT (*Aug.*) || remittuntur *trp.* post qua RTVX.

<sup>1</sup> In c. 2, n. 1.      <sup>2</sup> Resp. Luc. 23, 43.      <sup>3</sup> Cap. 65 (PL 40, 262s; CCL 46, 84); ex originali.      <sup>4</sup> Ps. 50, 19.      <sup>5</sup> Ps. 37, 10.

Cap. 3, n. 3: Verba Augustini (praeter ultimam phrasim) inveniuntur apud *Decretum Gratiani*, De poenit. d. 1, c. 84 (1183), sub rubrica: *Idem in omelia de poenitentia*. Unde deducimus quod hic, ut etiam alibi, Magister recurrit ad originale Augustini.



quippe non remittuntur. Ipsa enim Spiritum Sanctum pignus accepit<sup>1</sup>, sine quo non remittuntur ulla peccata ».

4. **Hieronymus\***. Item **Hieronymus**<sup>2</sup>: « Mensuram temporis in agenda poenitentia ideo non satis aperte praefigunt canones pro unoquoque crimine, ut de singulis dicant qualiter unumquodque emendandum sit, sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuunt, quia apud Deum non tam valet mensura temporis quam doloris, nec abstinentia tantum ciborum quantum mortificatio vitiorum. Ideoque tempora poenitentiae pro fide et conversatione poenitentium abbrevianda praecipiant, et pro negligentia protelanda; pro quibusdam tamen culpis modi poenitentiae sunt impositi ».

Cap. 4 (112).

1. **Quod morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.** Solet etiam quaeri utrum satisfactionis lex morituris sit imponenda. — **Theodorus\***. De quo **Theodorus**, Cantuariensis episcopus, in *Poenitentiali*<sup>3</sup> suo sic ait: « Ab infirmis in periculo mortis positus pura est inquirenda confessio peccatorum, non tamen est illis imponenda quantitas poenitentiae, sed innotescenda; et cum amicorum orationibus et elemosynarum largitionibus pondus poenitentiae sublevandum, si forte migraverint. Si vero convaluerint, poenitentiae modum a sacerdote impositum diligenter observent ».

2. **Leo Papa\***. Aliis vero pro qualitate peccati praesidentium arbitrio poenitentia decernenda est. Unde **Leo Papa**<sup>4</sup>: « Tempora poenitudinis,

<sup>13</sup> non sit *trp.* BLMOX, quod corr. B.

<sup>1</sup> Resp. Eph. 1, 13-14; II Cor. 5, 5. <sup>2</sup> Hisce ipsissimis verbis citatur sub rubrica: *Ex dictis beati Hieronymi presbyteri*, iam ab Halitgaro episcopo Cameracensi (817-831), in suo *Libro poenitentiali ex scrinio romanae ecclesiae assumpto* (PL 105, 707 B). Ante eum hanc auctoritatem non invenimus. <sup>3</sup> Revera, ut notat J. Longère in sua editione *Libri poenitentialis Alani ab Insulis*, AHDLM 32 (1965) 220, ubi excerptur Cap. 4 Magistri, Concilii est Moguntini (847), c. 26 (Mansi XIV, 910 C-D; MGH, Capitularia II, 182). <sup>4</sup> *Epist. 159 (ad Nicetum Aquileiensem episc.)*, c. 6 (PL 54, 1138 B; P. F. Kehr, *Italia Pontificia*, VII-1, 20, n. 7).

Num. 4: Ex eodem Decreto parum infra, c. 86, ubi invenitur sub nomine Hieronymi, sicut iam in aliis collectionibus ante Gratianum. Non videtur quod originem habuerit in *Libro de divinis officiis* olim Alcuino attributo (c. 13; PL 101, 1199 A), ut quandoque asseritur.

Cap. 4, n. 1: Tam rubrica quam auctoritas, ex *Decreto*, C. 26, q. 7, c. 1 (1041). — Num. 2: ex dicto Gratiani et c. 2 (1041).

habita moderatione, constituenda sunt tuo iudicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos. Pariter etiam habere debes aetatis senilis intuitum, et respicere periculis quorumcumque vel aegritudinum necessitates ».

Cap. 5 (113).

1. **In necessitate non est neganda poenitentia vel reconciliatio.** Sciendum est etiam quod tempore necessitatis non est neganda poenitentia vel reconciliatio poenitentibus. — **Leo Papa\***. Unde **Leo**<sup>1</sup>: « His qui tempore necessitatis et periculi urgentis instantia praesidium poenitentiae et mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiae Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire ». « Quod<sup>2</sup> si ita aliqua aegritudine aggravati sunt, ut quod paulo ante posebant, sub praesenti significare non valeant, testimonia eis fidelium circumstantium prodesse debebunt, simulque poenitentiae et reconciliationis consequantur beneficium ».

2. **Iulius Papa\***. Item **Iulius Papa**<sup>3</sup>: « Si presbyter poenitentiam abnegaverit morientibus, reus erit animarum, quia Dominus ait<sup>4</sup>: *Cum conversus fuerit, tunc salvus erit.* Vera enim confessio ultimo tempore potest esse, quia non modo temporis, sed etiam cordis Deus inspector est<sup>5</sup>, sicut latro » probat.

Cap. 6 (114).

1. **Quod presbyter non reconciliet inconsulto episcopo, nisi in necessitate.** Non debet tamen presbyter poenitentem reconciliare inconsulto episcopo, nisi ultima necessitas cogat. — **In concilio Carthagenensi\***.

<sup>2-3</sup> senilis] similem B, simul NX, corr. ex semel A<sup>2</sup>, semel corr. marg. in simul O<sup>2</sup>. <sup>8</sup> Leo<sup>2</sup>] papa add. TVWX, add. interl. R<sup>2</sup>. <sup>18</sup> fuerit om. AN, add. mg. O<sup>2</sup>, fuerit peccator add. mg. T<sup>2</sup>, quis add. X. <sup>19</sup> esse] prodesse BM.

<sup>1</sup> *Epist. 108 (ad Theodorum Foroiuliensem episc.)*, c. 4 (PL 54, 1012 B - 1013 A; DS n. 309). <sup>2</sup> In eadem *Epist.*, c. 5 (1013 C - 1014 A; DS n. 310). <sup>3</sup> Decretum spurium (PLS I, 191-192). <sup>4</sup> Isai. 30, 15, iuxta LXX: *Cum reversus ingemueris, tunc salvus eris.* Cf. etiam Ezech. 33, 12. <sup>5</sup> I Reg. 16, 7: *Dominus autem intuetur cor.* De latrone: Luc. 23, 42-43.

Cap. 5, n. 1: Omnia, etiam quaedam verba introductoria, ex *Decreto*, C. 26, q. 6, c. 10 (1038s); num. 2: ex eodem (ut videtur), c. 12 (1039s), sed cum quadam variatione.

Cap. 6, n. 1: Ad initium, dictum Gratiani ante cap. sequens, C. 26, q. 6, c. 14 (1041s). Dein, c. 5 eiusdem quaestionis (1037).



Unde in Carthaginensi Concilio 1: « Presbyter inconsulto episcopo non reconciliet poenitentem, nisi absente episcopo ultima necessitas cogat. Cuiuscumque poenitentis publicum crimen est, quod universam commoverit urbem, ante absidam », scilicet introitum ecclesiae, « manus ei imponatur ». — Aurelius episcopus \*. Item 2: « Aurelius episcopus dixit: Si quis in periculo fuerit constitutus, et se reconciliari divinis altaribus petierit, si episcopus absens fuerit, debet presbyter consulere episcopum, et sic periclitantem eius praecepto reconciliare ».

2. Inconsulto vero episcopo, non potest excommunicatos vel publice poenitentes presbyter reconciliare. — In Carthaginensi concilio \*. Unde in Carthaginensi Concilio II 3 statutum est ut chrisma vel reconciliatio poenitentium « et puellarum consecratio a presbyteris non fiat ». Item: « Reconciliare quemquam in publica missa presbytero non liceat ».

3. Puellarum tamen consecratio, consulto episcopo, per presbyterum fieri valet. Unde in Carthaginensi Concilio II 4: « Presbyter inconsulto episcopo virgines non consecret, chrisma vero nunquam conficiat ». Sicut praecepto episcopi potest presbyter consecrare virgines, sic et reconciliare poenitentes.

Cap. 7 (115).

An oblatio eius sit recipienda, qui currens ad poenitentiam, praevenitur morte. Si autem quaeritur de illo qui ad poenitentiam festinans sacerdotem invenire non potuit et ita decessit, utrum oblatio eius sit reci-

2 episcopo] si add. NVW, add. interl. O. 4 scilicet introitum ecclesiae] id est introitum ecclesiae marg. L, interl. T<sup>2</sup>. 15 valet] valeat MNOW, quod corr. N. 22 decessit] discessit BMR.

1 Breviarium Hipponense seu Brevis statutorum, n. 30 b-c (CCL, 149, 41-42); item Registri ecclesiae Carthaginensis excerpta, n. 43 b-c (CCL 149, 185). 2 Ita Geneclius (non autem Aurelius), in Concilio Carthag. II (390), n. 4 (CCL 149, 14). 3 Concil. Carth. an. 390, c. 3 (CCL 149, 13, 41-42); et infra: « Ab universis episcopis dictum est: Chrismatis confectio et puellarum consecratio a presbyteris non fiat, vel reconciliare quemquam publica missa presbytero non licet, hoc omnibus placet » (lin. 51ss). 4 Uti hic iacet, ex eodem Breviario, n. 34 (CCL 149, 13, lin. 42).

Num. 2: conficitur ex dicto Gratiani ad initium eiusdem q. 6 (1036) et ex initio et fine c. 1 (1036). — Num. 3: Ex sequenti c. 2, ubi tamen Concilio III attribuitur (1036).

Cap. 7: Ex rubrica et c. 11 eiusdem q. 6 (1039), ubi tamen in editione legitur « qui iam [pro non] sit confessus ».

pienda, dicimus quia est. Unde in Concilio Apanensi 1: « Si aliquis fuerit mortuus qui non sit confessus, et testimonium habet bonum, et non poterat venire ad sacerdotem, sed praeoccupavit eum mors in domo vel in via, faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, et dent redemptionem pro captivis ».

DISTINCTIO XXI

Cap. 1 (116).

De peccatis quae post hanc vitam dimittuntur. Solet etiam quaeri utrum post hanc vitam aliqua peccata remittantur. — Quod aliqua post hanc vitam remittantur, Dominus ostendit in Evangelio, ubi ait 2: Qui peccaverit in Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc saeculo, neque in futuro. Ex quo datur intelligi, sicut sancti doctores tradunt 3, quod quaedam peccata in futuro dimittentur. — Gregorius \*: « Quaedam enim culpa in hoc saeculo relaxantur, quaedam vero parvae etiam in futuro: quae quidem post mortem gravant, sed dimittuntur, si digni sunt, si bonis actibus in hac vita meruerunt ut dimittatur eis ».

11 in hoc saeculo] hic MR. 13 Gregorius om. MRVWX. 16 dimittatur] dimittantur BMRV.

1 Non enumeratur inter canones Conc. Epaonensis seu Eponensis anno 517 (CCL 148 A, 22-37), cui attribuitur a Gratiano (infra); reapse invenitur in Poenitentiali Halitgaris ep. Cameracensis, Lib. VI (PL 105, 702 C-D), ex quodam veteri Poenitentiali Romano, uti supra notatur. 2 Matth. 12, 32; Luc. 12, 10. 3 Gregorius scilicet, ut immediate apparet.

4 Dialogi, IV, c. 39 (PL 77, 396 B-D).

Dist. XXI. Cf. Iulianus Toletanus, Prognosticon futuri saeculi II, 19 (PL 96, 483 A-484 B; CCL 115, 55-56); Glossa Magistri in I Cor. 3, 10-15 (PL 191, 1556 B-1561 B); et inter modernos, A. M. Landgraf, I Cor. III, 10-17, bei den lateinischen Vätern und in der Frühscholastik, in Biblica 5 (1924) 140-172; id. Die Nachlassung der lässliche Sünde in sua Dogmengeschichte der Frühscholastik IV-2, 100-202, praesertim 155-174: Die Tilgung der lässlichen Sünde im anderen Leben. — Cap. 1. De peccato in Spiritum Sanctum, vide Lib. II, dist. 43, cap. unic. (tom. I, 572-577). — Auctoritas Gregorii invenitur in parte in Decreto, Dist. 25, c. 4 (94); sed fons potius videtur esse Glossa ordin. in Matth. 12, 32 (apud Lyranum, V, 42c).



## Cap. 2 (117).

De his qui aedificant lignum, foenum, stipulam \*. De illis etiam qui aedificant lignum, foenum, stipulam<sup>1</sup>, dicit Augustinus quod ignem tribulationis transitoriae invenient, cremabilia aedificia quae secum portaverunt cremantem. — Augustinus in libro De civitate Dei \*. Ait enim sic<sup>2</sup>: «Post istius sane corporis mortem, donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis et remunerationis, si hoc temporis intervallo spiritus defunctorum qui aedificarunt lignum, foenum, stipulam, huiusmodi ignem dicantur perpeti, quem alii non sentiunt, qui huiusmodi aedificia non portaverunt, ut inveniant ignem transitoriae tribulationis venialia concremantem, non redarguo, quia forsitan verum est». — Augustinus, super Psalmum CXXII \*: «Sed<sup>3</sup> quia dicitur<sup>4</sup>: *Salvus erit quasi per ignem*, contemnitur ille ignis; gravior tamen erit ignis ille quam quidquid potest homo pati in hac vita». — Hic aperte insinuat quod illi qui aedificant lignum, foenum, stipulam, quaedam cremabilia aedificia, id est venialia peccata, secum portant, quae in igne emendatorio cremantur; unde constat quaedam peccata venialia post hanc vitam deleri.

## Cap. 3 (118).

Quod alii citius, alii tardius purgantur in igne. In illo autem igne purgatorio alii tardius, alii citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis vel minus amaverunt. — Augustinus in Enchiridion \*. Unde Augustinus<sup>5</sup>: «Post hanc vitam incredibile non est nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque salvari».

<sup>2</sup> Rubrica om. NVW, add. mg. L<sup>2</sup>T<sup>2</sup>. || lignum] ligna ABX (ita etiam infra). 6 de igne purgatorio om. A, in marg. LTW, rep. marg. ut rubrica N; deest in Augustino. 8 aedificarunt] edificant ABMN, edificaverunt LV, edificaverint R. 19 in<sup>1</sup> om. LNO.

<sup>1</sup> Resp. I Cor. 3, 12-13: *Si quis autem supraedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam, ... uniuscuiusque opus quale sit, ignis probabit.* <sup>2</sup> Lib. XXI, c. 26, n. 4 (PL 41, 745; CSEL 40-11, 571; CCL 48, 798s). <sup>3</sup> Potius Enarr. in Ps. 37, 2, n. 3 (PL 36, 397; CCL 38, 384). <sup>4</sup> I Cor. 3, 15. <sup>5</sup> Cap. 69 (PL 40, 265; CCL 46, 87).

Cap. 2. Prima auctoritas Augustini, ex Glossa Magistri in I Cor. 3, 15 (PL 191, 1558 C), ex Floro Lugdun. in h.l. (291). — Illa super Psalmum, ex Magistro in eundem (1558 C-D), item ex Floro (292).

## Cap. 4 (119).

1. Quid sit aedificare lignum, foenum, stipulam \*. Unde non frustra illa tria distinxit Apostolus: lignum, foenum, stipulam; quae illi «aedificant<sup>1</sup>, qui etsi aliena non rapiunt, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhaerent. Qui secundum suos amandi haec modos, diutius ut lignum, vel minus ut foenum, vel minimum ut stipula, ignem sustinebunt». — Augustinus, super Psalmum CXXII \*: «Qui<sup>2</sup> vero supraedificant aurum, argentum, lapides pretiosos, de utroque igne securi sunt: non solum de illo aeterno qui cruciaturus est impios in aeternum, sed etiam de illo emendatorio quo purgabuntur quidam salvandi».

2. Oppositio \*. Hic obici potest: Si per lignum, foenum, stipulam venialia intelliguntur peccata, et nullus adeo perfectus est qui venialiter non peccet, ergo qui aedificant aurum, argentum, lapides pretiosos, aedificant etiam lignum, foenum, stipulam; ergo per ignem transibunt. — Solvit \*. Ad quod dicimus quia non omnis qui venialiter peccat, lignum, foenum, stipulam aedificat; sicut e converso non omnis qui contemplatur Deum et diligit proximum et opera bona facit, aedificat aurum, argentum, lapides pretiosos. Et tamen in auro intelligitur contemplatio Dei, in argento dilectio proximi, in lapidibus pretiosis bona opera<sup>3</sup>. Sed et illi qui aedificant lignum, foenum, stipulam Deum contemplantur, et proximum diligunt, et opera bona faciunt; nec tamen aedificant aurum, argentum, lapides pretiosos.

6 stipula] stipulam BNRT, sti. LW. 11 Oppositio om. RW. 15 Solvit om. NRW. 19 lapidibus pretiosis ALR, lapide pretioso BMVX, l. p. ONTW. || et om. LN, add. interl. R.

<sup>1</sup> August., Enarr. in Ps. 80, 16, n. 21 (PL 37, 1045; CCL 39, 1133s). Cf. etiam De fide et operibus, c. 16, n. 27 (PL 40, 216; CSEL 41, 71s). <sup>2</sup> Potius Enarr. in Ps. 37, 2, n. 3 (PL 36, 397; CCL 38, 384). <sup>3</sup> Glossa ordin. in I Cor. 3, 12: «Aurum in contemplatione Dei, argentum in dilectione proximi, lapides pretiosos in operibus bonis» (apud Lyran. VI, 37c; l. 42b; m. 42b); inde in Glossa Magistri (PL 191, 1557 C).

Cap. 4, n. 1: Prima auctoritas, anonyma in codd., ex Glossa ordin. in I Cor. 3, 12 (apud Lyran. VI, 37c, ubi etiam anonyma; cod. l. 42b, cod. m. 42b-c); inde anon. in Glossa Magistri in h.l. (PL 191, 1557 C). Illa August. super Psalmum, ex Magistro in I Cor. 3, 13 (1558 B), ex Floro in I Cor. 3, 15 (292).



## Cap. 5 (120).

1. **Quid sit aedificare aurum, argentum, lapides pretiosos.** Haec enim aedificat, qui sic illa tria facit « ut <sup>1</sup> cogitet quae Dei sunt, et quomodo placeat Deo ». — **Augustinus in Enchiridion** \*: « *Lignum* <sup>2</sup> vero et *foenum* et *stipula* accipi possunt saecularium rerum, quamvis licite concessarum, 5 tales cupiditates, ut amitti sine animi dolore non possint ». — **Augustini, De fide et operibus** \*. Haec ergo aedificat is qui cogitat quae mundi sunt, quomodo placeat mundo, « qui <sup>3</sup> circa divitias suas quodam carnali tenetur affectu, et tamen ex eis multas eleemosynas facit, nec pro eis aliquid fraudis vel rapinae molitur ».

2. Ex his igitur patet quod non idem homo simul haec et illa aedificat. Illa enim aedificatio perfectorum tantum est, qui non cogitant placere mundo, sed tantum Deo; qui etsi venialiter aliquando peccant, fervore caritatis ita absumitur in eis peccatum sicut gutta aquae in camino ignis, et ideo nunquam secum portant cremabilia. Haec autem inferior 15 aedificatio minorum est, qui non tantum Deo, sed et mundo placere cogitant, Deum tamen praeponunt. Si vero mundum praeponerent, non supraaedificarent, sed destruerent fundamentum <sup>4</sup>.

3. **Augustinus** <sup>5</sup> \*. Affectiones igitur carnales quibus « dediti sunt domibus, coniugibus, possessionibus, ita ut nil praeponatur Christo », illis 20 tribus signantur. Quae in mentes perfectorum non cadunt, etsi alia venialia admittant. In cordibus vero minorum interdum durant usque in finem, qui cum talibus aedificiis transeunt, sed dissolventur in igne; ipsi vero « merito <sup>6</sup> fundamenti salvi erunt », gravissimam tamen poenam sentient. Ex quo apparet quantam hic misericordiam exhibet Deus, et 25

3-4 quomodo placeat] quae placeant BMNO. 4 Augustinus in Enchiridion om. ARVWX. 6-7 Rubrica om. MRVW. 19 Augustinus om. MRV. 24-25 poenam sentient trp. RTVX.

<sup>1</sup> Ex *Enchiridion*, c. 68 (PL 40, 264; CCL 46, 86). <sup>2</sup> Ex eodem cap. 68. <sup>3</sup> Cap. 16, n. 20 (PL 40, 216; CSEL 41, 71s). <sup>4</sup> Cf. August., *De civitate Dei*, XXI, c. 26, n. 2 (PL 41, 743; CSEL 40-11, 57; CCL 48, 796). <sup>5</sup> *Enarratio II in Ps. 29*, 2, n. 9 (PL 36, 222; CCL 38, 181). <sup>6</sup> August., *Enchiridion*, c. 68: « De his enim dictum est quod per ignem salvi erunt, quoniam fundamenti merito non peribunt » (PL 40, 264; CCL 46, 86).

Cap. 5, n. 1. Partim in *Glossa ordin.* in I Cor. 3, 12 (apud Lyran., VI, 37c; I 42c; m 42b); amplius in *Glossa Lomb.* in h.l., unacum auctoritatibus Augustini (PL 191, 1557 A, B; ex Floro, 287s, et 286). — Num. 3. Cf. *Glossa Magistri* in I Cor. 3, 12-13 (1557 B), ex Floro (287).

quantam ibi exerceat severitatem, cum pro eodem peccato multo gravius ibi puniat quam hic.

4. **Opinio quorundam cum obiectione.** Sed forte dices illud esse accipiendum de poena peccati, non de ipso peccato, quod **Gregorius** 5 dicit <sup>1</sup>: « quaedam levia in futuro dimittenda ». Si enim veram poenitentiam habuerit quis, omnia dimissa sunt ei, sed poena forte remansit; ideoque, si vere poenitens obiit, sine peccato transit; si autem vere poenitens non est in obitu, maculam portat, quae nunquam delebitur. Qui 10 vero aedificat *lignum*, *foenum*, *stipulam*, vere poenitet, quia bonus est et caritatem habet, et in caritate de hac vita transit: ergo sine peccato transit.

## Cap. 6 (121).

1. **Solutio: quod aliquis vere poenitet, etsi non de omni veniali** \*. Non sequitur. Verum quidem est quia bonus est, et caritatem habet, et vere 15 poenitet; et tamen cum veniali peccato transit, quod non delevit poenitentia. Poenitentia enim non delet nisi peccatum illud quod deserit homo. Tale autem peccatum saepe in hac vita non relinquitur ab homine, et tamen vere poenitens est, etsi non de omnibus venialibus poeniteat. Potest enim quis de omni mortali et de omni veniali poenitere, excepto uno vel 20 pluribus, venialibus quidem: sicut habet quis caritatem, et unum vel plura venialia; quod de criminalibus nullatenus esse potest.

2. **Exemplo utitur ad probandum quod ait** \*. Est enim aliquis bonus, caritatem habens, sed adhuc quodam cupiditatis affectu amans haec saecularia. Talis existens, subita morte opprimitur. In illo terreno affectu 25 mortuus est, et tamen salvabitur. A quo non se hic absolvit: ergo post hanc vitam ab illo purgabitur. — Constat ergo quaedam peccata, sed levia, post hanc vitam dimitti. Si vero de poena peccati illud intelligi voluissent auctores, cur magis commemorassent levia quam gravia, cum etiam gravium poena hic inexpleta, post hanc vitam restet?

6 habuerit] habuit ALRW. 7 obiit] obit RTX, abiit BVW. 13 quod... venialia LMN (ex *elencho capp.*), om. alii codd. 22 Rubrica om. RVW.

<sup>1</sup> *Dialogi*, IV, c. 39: « In qua sententia datur intelligi quasdam culpas in hoc saeculo, quasdam vero in futuro posse laxari... *ligna*, *foenum*, *stipulam*, id est peccata minima atque levissima, quae ignis facile consumat » (PL 77, 396).

Num. 4: Vide quaestionem Magistri in *Glossa* in I Cor. 3, 15 (1559 C). Auctoritas Gregorii sumitur autem ex *Decreto*, Dist. 25 c. 4 (94).



## Cap. 7 (122).

1. **De generali confessione, quid prosit.** Post haec considerandum est utrum prosit confessio illa, ubi singula peccata quae quisque fecit non exprimuntur. — Sane dici potest quod omnia criminalia semel saltem oportet in confessione exprimi, nisi a mente aliqua exciderint. Sed quia delicta 5 nemo intelligit omnia<sup>1</sup>, generaliter saltem ea confiteri quorum memoriam non habes; et sic nihil celasti de sceleribus tuis. — Venialia vero, quia innumerabilia sunt, sufficit generaliter confiteri, nisi aliqua sint frequenter iterata; perfectius est tamen etiam illa exprimere si vales<sup>2</sup>. Ideoque quotidie generaliter fit confessio in ecclesia: pro venialibus scilicet peccatis 10 quae quotidie admittimus, et pro illis mortiferis quorum notitiam non habemus.

2. **Augustinus in quinta Responsione contra Pelagianos** \*. Unde Augustinus<sup>3</sup>: « Veritatem dicit Deo poenitens, quando nihil illi de commissis sceleribus celat: non quod etsi voluntate celaverit Deus ignoret, 15 sed veritatem sibi ab eo dici vult, ut veniam consequatur. Si vero mente aliqua exciderint, confitetur veritatem Deo cum generaliter dixerit: Deus, qui nosti occulta cordis, et opera mea et delicta a te non sunt abscondita<sup>4</sup>: quibus veniam largiaris. Et haec est veritas confitentis quam diligit Deus ». Unde<sup>5</sup>: *Ecce enim veritatem dilexisti*. — Hic insinuatur quod generalis 20 confessio etiam mortalia delet quorum intelligentia non habetur.

## Cap. 8 (123).

**Nemo confiteatur peccatum quod non fecit.** Sicut autem poenitens celare non debet peccatum, quia superbia est<sup>6</sup>; ita nec humilitatis causa

3 quisque] quis RTVWX. 14 dicit Deo *trp.* BLT. 16 vero] a *add.* L, *add.* interl. R<sup>2</sup>T<sup>2</sup>. 18 et<sup>1</sup> *add.* interl. V<sup>2</sup>, *om.* RTWX. 23 peccatum quod] peccata que NRTW *elench. capp.*

<sup>1</sup> Resp. Ps. 18, 13: *Delicta quis intelligit?* et *Glossa ordin.* in h.l.: « *Delicta*: omnia; quaedam enim nota sunt » (apud Lyranum, III, 111a; cod. Laurent. Pl. XVII. 4, f. 22a); ex Casiodoro in h.l. (PL 70, 142 D; CCL 97, 175); in *Glossa Magistri* in h.l. (PL 191, 213 A).  
<sup>2</sup> Cf. supra, Dist. 16, c. 6, n. 2. <sup>3</sup> Scil. in *Hypognosticon*, V, c. 1, n. 1 (inter opp. Augustini, PL 45, 1649). <sup>4</sup> Resp. Ps. 68, 6. <sup>5</sup> Ps. 50, 8. <sup>6</sup> Vide supra, Dist. 17, c. 4, n. 12.

Cap. 7. Cf. A. M. Landgraf, *Die Nachlassung der lässlichen Sünde*, in *Dogmengeschichte* IV-2, 111-113. — Unde trahatur auctoritas pseudo-Aug. (in n. 2), nescimus.

Cap. 8. Auctoritas Augustini, ex *Decreto* Gratiani, C. 22, q. 2, c. 9 (870).

fateri se reum illius quod se non commisisse noscit, quia incauta est talis humilitas et peccatorem constituit. — **Augustinus, De verbis Apostoli** \*. Unde Augustinus<sup>1</sup>: « Cum humilitatis causa mentiris, si non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras. Veritas 5 in te non est, nisi ita te dixeris peccatorem ut etiam esse cognoscas. Veritas autem ipsa est, ut quod es dicas. Nam quomodo est veritas, ubi regnat falsitas? »

## Cap. 9 (124).

1. **De poenis sacerdotis qui peccatum publicat confitentis.** Caveat 10 autem sacerdos ne peccata poenitentium aliis prodat; alioquin deponatur. — Unde Gregorius<sup>2</sup>: « Sacerdos ante omnia caveat ne de his qui ei confitentur peccata sua alicui recitet, non propinquis, non extraneis, nec, quod absit, pro aliquo scandalo. Nam si hoc fecerit, deponatur et omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinando pergat ».

2. Quod vero dictum est<sup>3</sup>, ut poenitens eligat sacerdotem scientem ligare et solvere, videtur contrarium ei quod in Canonibus reperitur<sup>4</sup>, ut nemo scilicet alterius parochianum iudicare praesumat. — Sed aliud est favore vel odio proprium sacerdotem contemnere, quod Canones prohibent; aliud caecum vitare, quod Urbanus facere monet, ne si 20 *caecus caecum ducat, ambo in foveam cadant*<sup>5</sup>. — **Urbanus II** \*. Ait enim Urbanus II<sup>6</sup>: « Placuit ut nulli sacerdotum deinceps liceat quemlibet

9 poenis] pena NRT<sup>2</sup>VW *elench. capp.* 19 allud] est *add.* ANO, *sed del.* N. 21 Urbanus II *om.* RTVX.

<sup>1</sup> *Sermo 181*, c. 4, n. 5 (PL 38, 981); sermo 29 seriei *De verbis Apostoli*. <sup>2</sup> Probabiliter hic subintelligitur Gregorius II vel potius Gregorius III, cui attribuuntur quidam canones poenitentiales (cf. G. Le Bras, art. *Pénitentiels*, DThC XII, 1174); in parte auctoritas nostra consonat cap. 105 *Poenitentiarum summorum pontificum*: « Si quis sacerdos palam fecerit et secretum poenitentiae usurpaverit..., deponatur et diebus vitae suae peregrinando finiat » (ed. H. J. Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche*, Mainz 1883, 428); de quo, cf. G. Le Bras, uti supra; et P. Browe, *Das Beichtgeheimnis im Altertum und Mittelalter*, in *Scholastik* 9 (1934) 15. Uti hic iacet primitus invenitur in *Collectione Anselmi Lucensis*, L. XI, c. 23. <sup>3</sup> In Dist. 17, c. 4, n. 2. <sup>4</sup> Apud Gratianum, C. 9 q. 2 c. 1 (602). <sup>5</sup> Matth. 15, 14. <sup>6</sup> In Synodo seu Concilio Placentino an. 1095 (Mansi XX, 803; PL 151, 142 D).

Cap. 9, n. 1. Praeter rubricam seu titulum, omnia ex *Decreto*, de poenit. d. 6, scil. ex dicto ante c. 2 et ipso capitulo (1244). — Num. 2: item de eodem loco, in dicto ante c. 3, et ipso canone seu cap., ubi verba Pontificis.



commissum alteri sacerdoti ad poenitentiam suscipere, sine eius consensu cui se prius commisit, nisi pro ignorantia illius cui prius confessus est. Qui vero contra hoc facere tentaverit, gradus sui periculo subiacebit».

## DISTINCTIO XXII

## Cap. 1 (125).

5

1. **Si peccata dimissa redeant.** Cumque multis auctoritatibus supra 1 sit assertum in vera cordis contritione peccata dimitti, ante confessionem vel satisfactionem, ei etiam qui aliquando in crimen relapsurus est, quaeritur, si post cordis contritionem confiteri contempserit vel in peccatum idem vel simile reciderit, an peccata dimissa redeant. — Cuius quaestionis solutio obscura est et perplexa, aliis asserentibus, aliis econtra negantibus peccata semel dimissa ulterius replicari ad poenam.

2. **Auctoritatibus instruit peccata redire.** Qui vero dicunt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. — **Ambrosius, super Epistolam ad Ephesios** \*. **Ambrosius** ait 2: « Donate invicem si alter in alterum peccet: alioquin Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio revocabit sententiam per quam misericordiam dederat, sicut in Evangelio 3 de servo nequam legitur, qui in conservum suum impius deprehensus est ».

3. **Rabanus** \*. Item **Rabanus** 4: « Nequam servum tradidit Deus 20

13 instruit] instituit L, astruit NX.

1 In Dist. 14, c. 4; et D. 17, c. 1. 2 Ambrosiaster, *In Eph. 4, 32* (PL 17, 393 C-D; CSEL 81-III, 109). 3 Resp. Matth. 18, 32-34. 4 Auctoritas Rabano a Gratiano attribuitur (infra); sed non invenimus inter opera eius.

Dist. XXII, c. 1. Cf. P. Anciaux, *La théologie du sacrement*, 19, n. 1, ubi et bibliographia; J. Schupp, *Die Gnadenlehre des Petrus Lombardus*, Freiburg im Br. 1932, 191-194; et praesertim A. M. Landgraf, *Die Streitfrage vom Wiederaufleben der Sünden*, in *Dogmengeschichte* IV-1, 193-228. — Inter praedecessores et coetaneos Magistri, cf. Hugo, *De sacram.*, II, 14, 9 (PL 176, 570 B - 578 A); *Summa sent.*, VI, 13 (PL 176, 150 C - 151 D); *Sententiae Mag. Rolandi* (ed. A. M. Gietl), 249-251; P. Abaelardus, *In Rom.*, II (PL 178, 864 C-D; ed. E. M. Buytaert, CCL, CM 11, 161s); *Sententiae divinitatis* (ed. B. Geyer, 148\*-150\*). — Num. 1: Concinnatur ex dicto Gratiani ad initium d. 4 de poenit. (1228s). — Num. 2: Ambrosiaster, ex *Glossa Magistri in Eph. 4, 32* (PL 192, 208 C). — Num. 3: ex *Decreto*, de poenit. d. 4 c. 1 § 1 (1229), quibusdam adiectis.

*tortoribus quoadusque redderet universum debitum* 1: quia non solum peccata quae post baptismum homo egit reputabuntur ei ad poenam, sed etiam peccata originalia quae ei in baptismo sunt dimissa ».

4. **Gregorius** \*. Item **Gregorius** 2: « Ex dictis evangelicis constat quia, si non ex corde dimittimus quod in nos delinquitur, et hoc rursum exigitur, quod iam nobis per poenitentiam dimissum fuisse gaudebamus ».

5. **Augustinus in homilia quadam** \*. Item **Augustinus** 3: « Dicit Deus 4: *Dimitte, et dimittetur tibi*. Sed ego prius dimisi: dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, revocabo te, et quidquid dimiseram, replicabo tibi ». — Item 5: « Qui divini beneficii oblitus, suas vult vindicare iniurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur, sed etiam praeterita, quae iam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur ».

6. **Beda, super Lucam** \*. Item **Beda** 6: « *Revertar in domum meam* etc.: Timendus est iste versiculus, non exponendus, ne culpa quam in nobis exstinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat ». — Item 7: « Quemcumque enim post baptisma sive pravitas haeretica, seu mundana cupiditas arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum ».

7. **Augustinus in libro De baptismo** \*. Item **Augustinus** 8: « Redire dimissa peccata ubi fraterna caritas non est, apertissime Dominus in Evangelio docet 9, in illo servo a quo dominus dimissum debitum petiit, eo quod ille conservo suo debitum nollet dimittere ». — His auctoritatibus innituntur, qui dicunt peccata dimissa redire si replicantur.

8. **Oppositio contra eos** \*. Quibus opponitur: Si quis pro peccato, de quo poenituit et indulgentiam accepit, iterum punitur, non videtur iustum. Si punitur pro eo quod peccavit et non emendavit, iustitia est aperta; si vero requiritur quod fuerat condonatum, vel iniustitia est, vel iustitia

3 ei interl. L, trp. post baptismo RT, post sunt VX. 17 Quemcumque] Quemcumque RTVW. 24 Rubrica om. RVW. 27 fuerat] fuerit LOW, fuit M.

1 Resp. Matth. 18, 34. 2 *Dialogi*, IV, c. 60 (PL 77, 438 D - 429 A). 3 *Sermo* 83, c. 6, n. 7 (PL 38, 518). 4 Luc. 6, 37. 5 Haymo Altissiod., *Homiliae de tempore*, hom. 137 (sub nomine Haymonis Halberstatensis, PL 118, 732 A); cf. H. Barré, art. *Haymon d'Auxerre*, *DSpirit.* VII, 94: « l'édition est fortement interpolée »; hic sermo tamen videtur esse authenticus. 6 *In Luc.* 11, 24 (PL 92, 478 C; CCL 120, 235). 7 *In Luc.*, 11, 26: *Et assumit septem alios* (478 D; 235). 8 Scil. *De bapt. contra Donatistas*, I, c. 12, n. 20 (PL 43, 120; CSEL 51, 164). 9 Resp. Matth. 18, 32-34.

Num. 4-6 trahuntur ex eadem dist. cc. 2-6 (1129); n. 7 autem, ex *Decreto*, de consecr. d. 4 c. 41 § 6 (1379).



occulta. — Videtur etiam Deus bis in idipsum iudicare et duplex tribulatio consurgere: quod Scriptura negat<sup>1</sup>.

9. **Solvit** \*. Sed ad hoc potest dici quod neque *duplex tribulatio consurgit*, neque *iudicat Deus bis in idipsum*. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem et sufficientem poenam iterum puniret; sed non satisfecit digne et sufficienter, qui non perseveravit. Debit enim iugem peccati habere memoriam, non ad faciendum, sed ad cavendum. — **Augustinus, super psalterium** \*. Debit non *oblivisci omnes retributiones Dei*<sup>2</sup>, « quae tot sunt, quot sunt peccatorum remissiones »; tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua, ac pro illis usque in finem gratias agere. Sed quia ingratus *ad vomitum sicut canis rediit*<sup>3</sup>, ante acta bona mortificavit et peccatum dimissum revocavit: ut cui humiliato Deus ante peccatum dimiserat, eidem post elato et ingrato imputet.

10. **Aliorum sententia**. Sed quia absonum videtur ut peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis iterum a Deo puniri; sed ideo dicuntur dimissa redire et imputari, quia propter ingratitudinem ita reus et peccator constituitur ut ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat dicitur exigi, quia remissionis perceptae ingratus ita reus fit ut ante fuerat.

11. Utrique parti quaestionis probati favent doctores; ideoque alicui parti non praeiudicans, studioso lectori iudicium relinquo, addens mihi tutum fore ac saluti propinquum sub mensa dominorum micas edere<sup>4</sup>.

<sup>3</sup> Solvit om. RVW.    <sup>9</sup> sunt<sup>2</sup> om. BLT.    <sup>10</sup> dona] bona LRVWX.    <sup>21</sup> mihi om. RVWX.

<sup>1</sup> Nahum 1, 9; cf. supra, Dist. 15, c. 1, n. 2.    <sup>2</sup> Ps. 102, 2; dein August., *Enarr. in Ps. 102*, n. 4: « Cogita ergo, anima, omnes retributiones Dei, cogitando omnia mala facta tua: quam multa enim mala facta tua, tam multae bonae retributiones eius » (PL 37, 1318; CCL 40, 1453).    <sup>3</sup> Resp. Prov. 26, 11; II Petri, 2, 22.    <sup>4</sup> Resp. Matth. 15, 27: *Nam et catelli edunt de micis, quae cadunt de mensa dominorum suorum.*

Num. 9. Cf. *Summa sent.*, VI, 13 (PL 176, 150 D - 151 A). — Num. 10 quodammodo dependet de *Summa sent.*, VI, 13, ubi legitur: « Alii, quibus magis videtur assentiendum, dicunt quod pro illis peccatis pro quibus Deo per poenitentiam satisfecit non sit amplius puniendus, etiam si postea vel similia vel graviora committat. Non enim iudicat Dominus bis in idipsum, sed pro ingratitudine, scilicet quia gratiae qua ipsa condonata fuerant priora ingratus fuerat, eum vere fatendum est gravius esse puniendum » 151 A-B). — Cf. etiam dictum Gratiani post c. 22 de poenit. d. 3, circa finem: « sic et peccata vere remittuntur poenitenti, quamvis ob ingratitudinem eisdem postea sit implicandus » (1215). — Num. 11. Quod « Magister in disputationibus dicebat peccata redire quantum ad reatum », apparet ex testimoniis. Cf. I. Brady, *Peter Manducator and the oral Teachings of Peter Lombard*, in *Antonianum* 41 (1966) 479; et A. M. Landgraf, *Die Streitfrage vom Wiederaufleben der Sünden*, in *Dogmengesch.* IV-1, 226s.

Cap. 2 (126).

1. **Quid sit hic sacramentum et res**. Post praedicta restat investigare quid in actione poenitentiae sit sacramentum et res. Sacramentum enim signum est sacrae rei<sup>1</sup>: quid igitur hic signum est, et quae est res sacra huius signi?

2. **Sententia quorundam** \*. Quidam dicunt sacramentum hic esse quod exterius tantum geritur, scilicet exterior poenitentia, quae est signum interioris poenitentiae, scilicet contritionis cordis et humiliationis.

3. Quod si est, non omne sacramentum evangelicum id efficit quod figurat<sup>2</sup>: exterior enim poenitentia non efficit interiori, potius interior causa est exterioris. — Sed ad hoc inquirunt illi, hoc esse intelligendum de illis sacramentis quae in novo Testamento instituta sunt, ut est sacramentum baptismi, confirmationis et corporis Christi. Sacramentum vero poenitentiae, sicut et coniugii, ante tempus gratiae, etiam a primordio humani generis fuit. Utrumque enim institutum fuit in primis parentibus<sup>3</sup>.

4. Item, si exterior poenitentia sacramentum est et interior res sacramenti, saepius praecedat res sacramentum quam sacramentum rem. — Sed nec hoc inconveniens est, nam et in aliis sacramentis, quae efficiunt quod figurant, hoc saepe contingit<sup>4</sup>.

5. **Aliorum sententia** \*. Quidam autem dicunt exteriori poenitentiam et interiori esse sacramentum: nec duo sacramenta, sed unum, ut species panis et vini non duo sunt sacramenta, sed unum<sup>5</sup>. Et sicut in sacramento corporis<sup>6</sup>, ita etiam in hoc sacramento dicunt aliud esse tantum sacramentum, scilicet exteriori poenitentiam; aliud sacramentum et rem, scilicet interiori poenitentiam; aliud rem et non sacramen-

<sup>2</sup> hic] hoc N, om. MR *elench. capp.*, *add. interl.* A<sup>2</sup>.    <sup>6</sup> Rubrica om. RVW, *trp. ad l.* 11 BX. || hic] hoc ALM.    <sup>13</sup> baptismi] *et add.* BMR. || *et om.* ARTX, *add. interl.* NO. 21 Rubrica om. RVW.    <sup>24</sup> etiam] *et* RVW.

<sup>1</sup> Vide supra, Dist. 1, c. 2.    <sup>2</sup> Cf. Dist. 1, c. 4, n. 2; *et c.* 6.    <sup>3</sup> Poenitentia, in Gen. 2, 17; coniugium, in Gen. 2, 24; cf. supra, Dist. 2, c. 1, n. 3.    <sup>4</sup> Cf. Dist. 4, c. 7, nn. 1-2.    <sup>5</sup> Vide Dist. 11, c. 2, n. 3.    <sup>6</sup> De quo supra, Dist. 8, c. 7, n. 2.

Cap. 2. De sententiis hic relatis, cf. P. Anciaux, *La théologie du sacrement de pénitence*, 145-148; D. Van den Eynde, *Les définitions des sacrements*, 70, 123; et P. Palmer, *The Theology of Res et Sacramentum with particular Emphasis on its Application to Penance*, in *Proceedings of the Catholic Theol. Assoc. of America* 14 (1959) 120-141.



tum, scilicet remissionem peccatorum. Interior enim poenitentia et res est sacramenti, id est exterioris poenitentiae, et sacramentum remissionis peccati, quam et signat et facit. Exterior quoque poenitentia et interioris signum est et remissionis peccatorum.

## DISTINCTIO XXIII

5

## Cap. 1 (127).

**De sacramento unctionis extremae.** Praeter praemissa est etiam aliud sacramentum, scilicet unctio infirmorum, quae fit in extremis oleo per episcopum consecrato.

## Cap. 2 (128).

10

**De tribus generibus unctionum** \*. Et sunt tria genera unctionis. Est enim unctio quae fit chrismate, quae dicitur principalis unctio, quia in ea principaliter Paraclitus datur. Unde et propter abundantiam gratiae, duos liquores mixtos habet, oleum scilicet et balsamum: oleum conscientiae, balsamum famae. Chrisma vero graece, unctio dicitur latine. Nec tamen omne oleum ad unctionem sanctificatum chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo. Quo capita regum et pontificum unguuntur, quo etiam baptizatos sacerdos ungit in vertice, et pontifex per impositionem manus confirmandos ungit in fronte. — Est et alia unctio, qua catechumeni et neophyti unguuntur in pectore et inter scapulas in perceptione baptismi. — Tertia vero unctio est quae dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur.

4 peccatorum] peccati BLMRV, p. O. unctiois MRT.

11 Rubrica om. OVW. || unctionum]

Dist. XXIII. Cf. P. Browe, *Die Letzte Ölung in der abendländischen Kirche des Mittelalters*, in *Zeitschr. für kathol. Theol.* 55 (1931) 515-561; H. Weisweiler, *Das Sakrament der Letzten Ölung in den systematischen Werken der ersten Frühscholastik*, in *Scholastik* 7 (1932) 321-353, 524-560; N. M. Häring, *The Augustinian Axiom: Nulli Sacramento Iniuria Facienda est*, in *Mediaeval Studies* 16 (1954), praesertim 104-117. — Cap. 1 verbatim ex *Summa sent.*, VI, 15 (PL 176, 153 B). — Cap. 2: Omnia (quibusdam transpositis, aliis omissis), ex Hugone, *De sacram.*, II, 15, 1 (PL 176, 577 B-C).

## Cap. 3 (129).

1. **A quibus fuit institutum hoc sacramentum.** — **Iacobus in Epistola canonica** \*. Hoc sacramentum unctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus 1: *Infirmatur aliquis in vobis? Inducat presbyteros Ecclesiae, et orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini. Et alleviabit eum Dominus, et si in peccatis sit, dimittentur ei.*

2. In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, et ad corporalis infirmitatis alleviationem. Unde constat eum qui hanc unctionem fideliter devoteque percipit, et in corpore et in anima alleviari; si tamen expedit ut in utroque allevietur. Quod si forte corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quae est animae sanitatem in hoc sacramento acquirit.

3. Et sicut in aliis sacramentis, ita et in isto aliud est sacramentum, aliud res sacramenti. Sacramentum est ipsa unctio exterior; res sacramenti, unctio interior, quae peccatorum remissione et virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu vel negligentia hoc sacramentum praetermittitur, periculosum est et damnabile.

## Cap. 4 (130).

1. **De iteratione huius sacramenti.** Quaerunt aliqui si hoc sacramentum iterari possit, cum baptismus et alia quaedam sacramenta, semel suscepta, non iterentur.

2. **Augustinus in libro Contra Parmenianum** \*. Augustinus dicit 2 sacramentum non iterandum, et sacramento faciendam non esse iniuriam; sed hoc dicit ubi agit de sacramento baptismi et ordinationis.

1 Iac. 5, 14-15. 2 *Contra epist. Parmeniani*, II, c. 13, n. 28: « Ideoque non eis in populo manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria »; n. 30: « Si enim utrumque (Bapt. et Ordo) sacramentum est, quod nemo dubitat, cur illud non amittitur, et illud amittitur? Neutri sacramento iniuria facienda est » (PL 43, 71 et 72; CSEL 51, 79 et 81).

Cap. 3, n. 1: ex eodem, c. 2 (577 D - 578 B). — Num. 2: ex *Summa sent.*, VI, 15 (PL 176, 153 B - 154 A), praeter distinctionem inter unctionem interiorem et exteriorem, quae Magistro propria videtur. — Cap. 4. Eadem quaestio ex parte Hugonis, *De sacram.*, II, 15, 3 (578 B - 580 B), et auctoris *Summae sent.*, VI, 15 (154 A-C). Circa hanc quaestionem et responsum Magistri, cf. H. Weisweiler, *Das Sakrament der Letzten Ölung...: Die Wiederholbarkeit des Sacramentes*, 524-531. — Num. 1: ex Hugone (578 B). — Num. 2: Argumentum ex Augustino, iam in eadem *Summa sent.* (154 A); expositio autem propria Magistri est.



Unde non videtur illud generaliter accipiendum, sed de sacramento baptismi, confirmationis et ordinationis, quae nullatenus repetenda sunt: quia semel tantum, et non saepius datur baptismus, confirmatio et ordinationis. Sacramentum vero altaris et poenitentiae et coniugii saepe iterari videtur: quia saepe sacramentum corporis percipitur, frequenter poenitentia agitur, coniugium saepe contrahitur.

3. Quare ergo unctio similiter non potest iterari? Si morbus non revertitur, medicina non iteretur; si vero morbus non potest cohiberi, quare debet medicina prohiberi? Sicut oratio iterari potest, ita et unctio iterari posse videtur. Utraque enim illic commemorat Iacobus, et utrumque alteri cooperatur ad conferendam alleviationem corporis et animae. Cur ergo negetur unctionem super infirmum posse iterari ad impetrandam saepius sanitatem mentis et corporis, cum propter idem saepe iteranda sit oratio?

4. **Aliorum opinio** \*. Quidam<sup>1</sup> autem de omni sacramento intelligi volunt quod non sit iterandum, scilicet secundum totum illud quod pertinet ad sacramentum; dicentes quaedam sacramenta saepius posse suscipi, quaedam vero non, nec tamen quae saepius sumuntur, totaliter iterantur: ut sacramentum altaris et unctionis, quae licet saepius sumantur, tamen quia non iterum benedicuntur eadem hostia vel idem oleum, non iteratur sacramentum cum iniuria.

5. Sed dicet quis<sup>2</sup>: Sic et baptismus non iteratur, etsi aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. — Sed aliud est, inquit illi, de benedictione aquae qua fit baptismus, aliud de benedictione panis et olei. Potest enim baptismus celebrari in aqua etiam non benedicta, quia illa benedictio pro reverentia tantum fit et decore, non virtute sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici nisi de pane consecrato; nec unctio illa fieri potest nisi de oleo ab episcopo sanctificato; ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur. In

<sup>15</sup> Rubrica om. RVW.      <sup>22</sup> dicet] dicit AMO.

<sup>1</sup> Imprimis, auctor *Summae sent.*, VI, 15: « Dicunt quidam illud dictum esse de sacramento baptismi et de sacramento ordinationis... Sed melius est ut de omnibus generaliter dicatur » (PL 176, 154 B). Idem sentiunt Omnebene, Rolandus et Magister Simon, ut notat H. Weisweiler, *Das Sakrament der Letzten Ölung*, 527-531.      <sup>2</sup> Obiectionem innuunt *Summa sent.* (154 B-C) et Rolandus, *Sententiae*, 264; cf. H. Weisweiler (528s).

Num. 3: ex Hugone, *De sacramentis*, II, 15, 3, partim contracte (PL 176, 578 D et 579 A - 580 A).

coniugio quoque semel tantum benedicuntur quisque, non saepius: benedicuntur enim, ut ait Ambrosius<sup>1</sup>, cum prima, et non cum secunda uxore.

6. Si igitur, cum dicitur sacramentum non esse iterandum nec iniuria ei facienda, rationem dicti referas ad sanctificationem rei qua sacramentum expletur, de omni sacramento generaliter id verum est; si vero ad susceptionem sacramenti, de quibusdam verum est quod non iterantur crebra susceptione; de aliis vero quibusdam non, quia frequenter sumuntur: ut hoc unctionis sacramentum, quod in omni pene Ecclesia saepe repetitur.

## DISTINCTIO XXIV

### Cap. 1 (131).

1. **De ordinibus ecclesiasticis**. Nunc ad considerationem sacrae ordinationis accedamus.

2. **Quot sint** \*. Septem sunt spiritualium officiorum gradus sive ordines, sicut ex sanctorum Patrum dictis aperte traditur, et capituli nostri,

<sup>15</sup> Quot sint om. ARVW.

<sup>1</sup> Ambrosiaster, *In I Cor.* 7, 40: « Primae nuptiae sub benedictione Dei celebrantur... Secundae autem etiam in praesenti carent gloria » (PL 17, 225 D; CSEL 81-11, 90); et in *I Tim.* 5, 3: « *Viduas honora...* quae... secundas nuptias respuerunt scientes semel benedici coniugium » (PL 17, 476 B; CSEL 81-111, 278).

Dist. XXIV. Cf. J. de Ghellinck, *Le traité de Pierre Lombard sur les sept ordres ecclésiastiques: ses sources, ses copistes*, in *Rev. d'hist. eccl.* 10 (1909) 290-302, 720-728; 11 (1910) 29-46; qui adhuc magni pretii est. Dein, plura apud H. Weisweiler, *Maître Simon et son groupe: De sacramentis*, Louvain 1937, CCII-CCXI. Inter fontes remotiores partes principales habent *Sermo 2: De excellentia sacrorum ordinum* Magistri Ivonis Carnotensis (PL 162, 513-519); Hugonis *De sacramentis*, II, 3, 1-14 (PL 176, 421 B - 430 D), unde ut in pluribus divisio nostrae materiae; et *Decretum Gratiani*, unde auctoritates quamplurimae. — Cap. 1, n. 2, et c. 2 fundantur super verba Hugonis: « Septem ergo spiritualium officiorum gradus proinde in sancta Ecclesia secundum septiformem gratiam distributi sunt, quos Dominus Iesus Christus, eiusdem Spiritus plenitudinem habens, omnia in semetipso exhibuit; et corpori suo, id est Ecclesiae, imitanda reliquit, cui ipsius Spiritus participationem concessit » (PL 176, 423 D). De hac traditione, quod Christus « omnium officia in semetipso exhibuit », cf. A. Wilmart, *Les ordres du Christ*, in *Revue des sciences religieuses* 3 (1923) 305-327; unde textus in PLS 4, 943-948; J. Crehan, *The Seven Orders of Christ*, in *Theological Studies* 19 (1958), 81-93.



scilicet Iesu Christi, exemplo monstratur, qui omnium officia in semetipso exhibuit, et corpori suo, quod est Ecclesia, eosdem ordines observandos reliquit.

Cap. 2 (132).

**Quare septem sunt \***. Septem autem sunt propter septiformem gratiam Spiritus Sancti: cuius qui non sunt participes, ad gradus ecclesiasticos indigne accedunt; illi vero in quorum mentibus diffusa est septiformis gratia Spiritus Sancti, cum ad ecclesiasticos ordines accedunt, in ipsa spiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

Cap. 3 (133).

1. **Quales assumendi sunt ad clerum.** — **Clemens Papa \***: « Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui digne possint dominica sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdoti paucos habere ministros qui possint digne opus Dei exercere, quam multos inutilis qui ordinatori onus grave inducant ». Tales enim decet esse ministros Christi, qui septiformi gratia Spiritus Sancti sint decori, et quorum doctrina et conversationis forma eadem gratia in aliis transfundatur<sup>2</sup>; ne caelestes margaritas spiritualium verborum officiorumque divinorum sordidae vitae pedibus conculcent<sup>3</sup>.

2. In sacramento igitur septiformis Spiritus septem sunt gradus ecclesiastici, scilicet ostiarii, lectoris, exorcistae, acolythi, subdiaconi, diaconi, sacerdotis. Omnes tamen clerici vocantur, id est sortiti.

17 transfundatur] Qui add. MO, qui add. R. 21 lectoris] lectores AMNTVX, corr. ex lectores O, corr. in lectores B. 22 sacerdotis] sacerdotes AMTVX, presbyteri N, corr. in sacerdotes B.

<sup>1</sup> Epist. II [supposita] ad Iacobum [fratrem Domini] (PG 1, 486 D - 487 A; Mansi I, 127); ex Decretalibus pseudo-Isidori (PL 130, 40 B-C). <sup>2</sup> Vide supra, Dist. 19, c. 2. <sup>3</sup> Resp. Matth. 7, 6: Neque mittatis margaritas vestras ante porcos, ne forte conculcent eas pedibus suis.

Cap. 3, n. 1: Auctoritas ex Decreto Gratiani, D. 23, c. 4 (81). Reliqua ex fonte ignoto (ita J. de Ghellinck, 726, n. 7). — Num. 2. Cf. Ivo, Sermo (513 B).

Cap. 4 (134).

1. **De corona et tonsura.** Corona enim signaculum est quo signantur in partem sortis<sup>1</sup> ministerii divini. Corona regale decus significat, et servire Deo regnare est<sup>2</sup>. Unde ministri Ecclesiae reges esse debent, ut se et alios regant; quibus Petrus ait<sup>3</sup>: Vos estis genus electum, regale sacerdotium etc. Summitas capitis desuper nudatur, ut eorum mens ad Deum libera monstretur, quae revelata facie gloriam Dei contempletur<sup>4</sup>. Summitas enim capitis est eminentia mentis; denudatio capitis est revelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli usque ad revelatione sensuum, scilicet oculorum et aurium, ut vitia in corde et opere pullulantia doceantur praecedenda, ne ad audiendum et intelligendum verbum Dei praepediant, pro quo servato reddetur in excelsis corona.

2. Tonsurae autem ecclesiasticae usus a Nazaraeis exortus videtur, qui prius crine servato, denique ob vitae continentiam caput radebant, et capillos in igne sacrificii ponebant<sup>5</sup>. Hinc usus inolevit ut qui divinis cultibus manciantur, quasi Nazaraei, id est sancti<sup>6</sup>, crine posito inveniuntur, sicut ad Ezechiel dicitur<sup>7</sup>: Fili hominis, sume gladium acutum, et duc super caput tuum et barbam. In Actibus etiam Apostolorum<sup>8</sup> Priscillam et Aquilam hoc fecisse legimus. Paulus quoque et alii quidam discipuli Christi hoc fecerunt<sup>9</sup>.

3. **Isidorus in libro VII Etymologiarum \***. Recte ergo in quibuslibet gradibus constituti 'clerici' vocantur. Quorum nomina et rationes nomi-

3 significat] signat BLMNT. 9 etiam] et LMNO. 12 praepediant] prepediatur ABCLNW, cui mens add. BCLW, add. interl. NV<sup>2</sup>. 17 posito] deposito BC, i.e. deposito add. interl. V<sup>2</sup>. 18 Ezechiel] Ezechielem NX Hugo.

<sup>1</sup> Col. 1, 12: Qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum. <sup>2</sup> Post-communio inter orationes pro pace: « Deus auctor pacis... cui servire regnare est... », in Sacramentario Gelasiano vetere (PL 74, 1217 D - 1218 A). <sup>3</sup> I Petri 2, 9. <sup>4</sup> Resp. II Cor. 3, 18. <sup>5</sup> Num. 6, 5 et 18: Omni tempore separationis suae novacula non transibit per caput eius... Tunc radetur nazaraeus... caesarie consecrationis suae: tolletque capillos eius, et ponet super ignem, qui est suppositus sacrificio pacificorum. <sup>6</sup> Hieron., Liber interpr. hebraic. nominum (PL 23 [1845], 848; CCL 72, 147). <sup>7</sup> Ezech. 5, 1. <sup>8</sup> Act. 18, 18. <sup>9</sup> Resp. Act. 21, 23-24.

Cap. 4, nn. 1-2: ex Hugonis De sacramentis, II, 3, cc. 1-3 (PL 176, 421 C - 422 C). — Num. 3: Ex Decreto, D. 21, c. 1 (67).



num Isidorus exponens ait<sup>1</sup>: « Cleros et clericos hinc appellatos esse credimus, quia Mathias electus est sorte, quem primum per Apostolos legimus ordinatum<sup>2</sup>. Cleros enim graece, latine sors vel haereditas dicitur. Ideo ergo dicti sunt 'clerici', quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum partem habent. Generaliter vero clerici nuncupati sunt omnes qui in Ec-  
clesia Christi deserviunt. Quorum gradus et nomina sunt haec: ostiarius, lector » etc.

## Cap. 5 (135).

1. De ostiariis. — Isidorus \*: « Ostiarii<sup>3</sup>, idem et ianitores, sunt qui in veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi<sup>4</sup>, ut non ingrederetur in illud immundus; dicti autem ostiarii, eo quod praesint ostiis templi. Ipsi enim, tenentes clavem, omnia intus extraque custodiunt; atque inter bonos et malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respiciunt ».

2. Unde et eis, cum ordinantur, claves ecclesiae dantur ab episcopo, et dicitur eis: « Sic agite, tamquam rationem Deo reddituri pro rebus quae clavibus istis recluduntur ».

3. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes et ementes de templo eiecit<sup>6</sup>. Ipse enim, se ostiarium significans, dicit<sup>7</sup>: *Ego sum ostium: per me si quis introierit.*

<sup>4</sup> Deum] domini CNOTV, dominum X. <sup>11</sup> eo quod ABCLTV, quod R, quia NOX, ut M. || praesint] presunt NV. <sup>20</sup> introierit] salvabitur add. BCM, etc. add. AM (post salv.) X, Ingr. et egr. et pascua inv. add. LTW, add. marg. N.

<sup>1</sup> Cap. 12, nn. 1-3 (PL 82, 290); partim ex August., *Enarr. in Ps. 67*, n. 19 (PL 36, 824; CCL 39, 882). <sup>2</sup> Act. 1, 26. <sup>3</sup> *Etymologiae*, VII, c. 12, n. 32 (PL 82, 293).

<sup>4</sup> Resp. I Paralip. 23, 5. <sup>5</sup> De forma antiquissima traditionis instrumentorum etc. in singulis ordinationibus, ordine quidem reverso, cf. *Recapitulatio ordinationis officialium ecclesiae*, inter *Statuta ecclesiae antiqua* (c. 475), in *Concilia Galliae A. 314 - A. 506* (CCL 148, 181-184). Ita hic, n. 97: « Ostiarius cum ordinatur... tradat ei episcopus claves ecclesiae de altari dicens: Sic age, quasi redditurus Deo rationem pro his rebus quae istis clavibus recluduntur » (183). <sup>6</sup> Cf. Ioan. 2, 15. <sup>7</sup> Ioan. 10, 9.

Cap. 5, n. 1: Ex *Decreto*, D. 21, c. 1, § 19 (69); n. 2, ad litteram ex *Ivonis Sermone 2* (514 B); n. 3, quasi ad litt., ibid. (514 B-C).

## Cap. 6 (136).

1. De lectoribus. Secundus est gradus lectorum. — Isidorus \*: « Lectores<sup>1</sup> a legendo, sicut psalmistae a Psalmis canendis vocati sunt. Illi enim praedicant populis quid sequantur; isti canunt ut excitent ad compunctionem animos audientium; licet quidam lectores ita miseranter pronuntient, ut quosdam ad luctum lamentationemque compellant. Idem etiam pronuntiatores vocantur: quod porro annuntiant, quia tam erit clara eorum vox, ut etiam longe positorum aures adimpleat ».

2. Isidorus Hispaliensis episcopus \*: « Ad<sup>2</sup> lectorem autem pertinet lectiones pronuntiare, et ea quae Prophetiae vaticinaverunt populis praedicare », ut iam ex officio legat in ecclesia prophetias et lectiones. — Unde et ei, vidente populo, traditur ab episcopo codex divinarum lectionum, et dicitur ei: « Accipe, et esto verbi Dei relator, habiturus, si fideliter impleveris officium, partem cum his qui bene verbum Dei ministraverunt<sup>3</sup> ».

3. Qui ad hunc gradum provehitur, litterarum scientia debet esse instructus, ut sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distincte legat, ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicative, quid interrogative sit legendum; ubi sit in oratione facienda distinctio. Haec enim male servata intellectum turbant et alios ad risum provocant. Auribus et cordi consulere debet vox lectoris.

4. Hoc officium Christus implevit, cum in medio seniorum librum Isaiae aperiens, distincte ad intelligendum legit<sup>4</sup>: *Spiritus Domini super me* etc. Ex quo lectoribus intelligi datur quia gratia spirituali clarere debent, qui aliis verbum Dei annuntiant. — Hic ordo formam et initium a Prophetis accepisse videtur, quibus dicitur<sup>5</sup>: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.*

<sup>4</sup> canunt] cantant AN. <sup>8</sup> adimpleat] adimpleant CLM Grat. <sup>9</sup> Rubrica om. RVW. || Hispaliensis] hispaniensis MNO, quod corr. O<sup>2</sup>. || Hispaliensis episcopus om. ABX. <sup>11</sup> legat] legant LM. <sup>14</sup> ministraverunt] ministraverint NO.

<sup>1</sup> *Etymol.*, VII, c. 12, nn. 24-25 (PL 82, 292 C). <sup>2</sup> Ps. Isidorus, *Epist. ad Leodefredum*, n. 6 (PL 83, 895 B). <sup>3</sup> Cf. *Statuta eccl. antiq.*, n. 96, ubi et haec verba (183).

<sup>4</sup> Isai. 61, 1; Luc. 4, 18. <sup>5</sup> Isai. 58, 1.

Cap. 6, n. 1: ex *Decreto*, D. 21 c. 1, § 15 (69). — Num. 2: Auctoritas cum rubrica, ex eodem, D. 25 c. 1, § 5 (90); quod sequitur, etiam in num. 3, adaptatur ex *Sermone Ivonis* (PL 162, 514 C-D), forsitan auxilio Hugonis, c. 7 (PL 176, 424 B-C), qui manifeste dependet ab eodem Sermone vel ab Isidoro. De vi accentuum (n. 3), cf. Hugo, *De grammatica*, ed. J. Leclercq, AHDLM 14 (1945), 305-306. — Num. 4 verbis potius Hugonis conficitur, ex eodem cap. 7 (PL 176, 424 D; dein 424 B).



## Cap. 7 (137).

1. **De exorcistis.** Tertius est ordo exorcistarum. — **Isidorus** \*: « Exorcistae <sup>1</sup> autem ex graeco in latinum 'adiurantes' vel 'incredantes' vocantur. Invocant enim super catechumenos, et super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini, adiurantes per eum ut egrediatur ab eis ». 5

2. **Isidorus** \*: « Ad exorcistam <sup>2</sup> pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos et catechumenos in exorcizando imponere ». — Debet autem spiritum mundum habere qui spiritibus imperat immundis, et malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno, ne medicina quam alii facit, sibi non prosit, et dicatur ei <sup>3</sup>: *Medice, cura te ipsum*. — Hi cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi librum exorcismorum, et dicitur eis: « Accipite, et habetote potestatem imponendi manus super energumenos vel catechumenos <sup>4</sup> ».

3. Hoc officio usus est Dominus, quando saliva sua tetigit aures et linguam surdi et muti dicens<sup>5</sup>: *Ephpheta, quod est adaperire*, per hoc docens 15 nos spiritualiter debere aperire aures praecordiorum hominum ad intelligendum et ora ad confitendum, ut pulso daemone, Spiritus Sanctus vas suum recipiat. Hoc etiam officio usus est Christus, cum daemones multos sanavit <sup>6</sup>. — Hic ordo a Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi invenit, quo daemones adiurati ex obsessis corporibus 20 pellebantur. Huic officio mancipati exorcistae vocati sunt. De quibus Christus in Evangelio <sup>7</sup>: *Si ego in Beelzebub eicio daemonia, filii vestri, scilicet exorcistae, in quo eiciunt?*

<sup>3</sup> ex] a M, de NX. <sup>6</sup> Isidorus ALMO, om. alii. <sup>8-9</sup> Imperat immundis trp. ALVX. <sup>10</sup> alii] aliis BCL. <sup>12</sup> habetote] habete BCRTWX.

<sup>1</sup> *Etymol.*, VII, c. 12, n. 31 (PL 82, 293 A-B). <sup>2</sup> Ps.-Isidorus, *Epist. ad Leudefredum*, n. 4 (PL 83, 895 A). <sup>3</sup> Luc. 4, 23. <sup>4</sup> Cf. *Statuta eccl. antiq.*, n. 95: « Exorcista cum ordinatur, accipiat de manu episcopi libellum in quo scripti sunt exorcismi, dicente sibi episcopo: Accipe et commenda, et habeto potestatem imponendi manus super energumenum sive baptizatum sive catechumenum » (CCL 148, 182s). <sup>5</sup> Marc. 7, 34. <sup>6</sup> Cf. Matth. 8, 16; Marc. 16, 9; Luc. 8, 33. <sup>7</sup> Matth. 12, 27.

Cap. 7, n. 1: Ex *Decreto*, D. 21, c. 1, § 18 (69). — Num. 2: Auctoritas Isidoro attributa, ex eodem, D. 25, c. 1, § 2 (90). Reliqua ex *Sermone Ivonis* (PL 162, 515 A-B). — Num. 3: prima pars potius ex Hug. *De sacramentis*, c. 8 (425 B-C), quam ex *Sermone Ivonis* (515 B); pars altera, ex dictis Gratiani, § 1, ad initium D. 21 (67).

## Cap. 8 (138).

1. **De acolythis.** Quarto loco succedunt acolythi. — **Isidorus** \*: « Acolythis <sup>1</sup> vero graece, latine ceroferarii dicuntur, a deportandis cereis quando legendum est Evangelium vel sacrificium offerendum. Tunc enim 5 accenduntur luminaria et deportantur ab eis: non ad effugandas aëris tenebras, cum sol eo tempore rutilet, sed ad signum laetitiae demonstrandum: ut sub typo luminis corporalis illa lux ostendatur, de qua legitur <sup>2</sup>: *Erat lux vera, quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum* ».

2. **Isidorus** \*: « Ad <sup>3</sup> acolythum pertinet preparatio luminarium in sacrario; ipse cereum portat, ipse urceolum cum vino et aqua suggesta pro eucharistia subdiaconis praeparat ». — Hi <sup>4</sup> cum ordinantur, cum edocti fuerint ab episcopo qualiter in officio suo agere debeant, ab archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo et urceolum vacuum. — Hoc officium 15 Dominus se habere testatur dicens <sup>5</sup>: *Ego sum lux mundi: qui sequitur me, non ambulat in tenebris*.

3. Huius officii formam illi gerebant in veteri Testamento, qui lucernas candelabri componebant et accendebant igne caelesti ad illuminandas tenebras aquilonares <sup>6</sup>.

<sup>10</sup> Isidorus NO, om alii.

<sup>1</sup> *Etymol.*, VII, c. 12, nn. 29-30 (PL 82, 293 A); et *De eccl. officiis*, II, 14 (PL 83, 793 C-794 A). <sup>2</sup> Ioan. 1, 9. <sup>3</sup> Ps.-Isidorus, *Epist. ad Leudefredum*, n. 3 (PL 83, 895 A). <sup>4</sup> *Statuta eccl. antiqua*, n. 94: « Acolitus cum ordinatur, ab episcopo quidem doceatur qualiter se in officio suo agere debeat, sed ab archidiacono accipiat ceroferarium cum cereo... accipiat et urceolum vacuum... » (CCL 148, 182). <sup>5</sup> Ioan. 8, 12. <sup>6</sup> Cf. *Glossa ordin.* in Exod. 25, 37-38: *Facies et lucernas septem... super candelabrum... Emunctoria quoque...: « incensa igne verbi caelestis »; et in Exod. 26, 20: In latere quoque... quod vergit ad aquilonem: « Gentes significat quae usque ad tempus incarnationis tenebris et frigore infidelitatis torpebant » (apud Lyran., I, 179d, 183c); ex Beda, *De tabernaculo*, I, c. 9 et II, c. 6 (PL 91, 420 C, 440 B; CCL 119 A, 37 et 64). Fontem proximiorum non invenimus.*

Cap. 8, n. 1: ex *Decreto*, D. 21, c. 1, § 17 (69). — Num. 2. Verba Isidori, ex eodem, D. 25, c. 1, § 3 (90); reliqua potius ex Hugonis *De sacram.* II, 3, 9 (PL 176, 425 C-D) quam ex *Sermone Ivonis* (PL 162, 515 D et C). — Num. 3: ex fonte ignoto, quem frustra iam quaesivit J. de Ghellinck, *Le traité de Pierre Lombard*, in RHE 11 (1910) 33, n. 4.



## Cap. 9 (139).

1. **De subdiaconis.** Quintus est ordo subdiaconorum. — **Isidorus** \*: « Graece<sup>1</sup> hypodiacones vocantur, quos nos subdiaconos dicimus. Qui ideo sic appellantur, quia subiacent praeceptis et officiis levitarum. Oblationes enim in templo a fidelibus suscipiunt, et levitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebraeos Nathinaei<sup>2</sup> vocantur », « id est in humilitate Domino servientes ».

2. « Ad<sup>3</sup> subdiaconum pertinet calicem, patenam ad altare Christi deferre et levitis tradere eisque ministrare; urceolum quoque et aquamanile et manutergium tenere, episcopo et presbyteris et levitis pro lavandis ante altare manibus aquam praebere ».

3. His lex continentiae imponitur, quia altari propinquantes, vasa corporis et sanguinis Christi portant; unde illud implere debent<sup>4</sup>: *Mundamini qui fertis vasa Domini*. Ad hos etiam pertinet tantum de oblationibus ponere in altari, quantum sufficere possit populo, necnon corporales et pallas et substratoria lavare.

4. Hi<sup>5</sup> cum ordinantur, accipiunt de manu episcopi patenam et calicem vacuum, ab archidiacono vero urceolum cum aquamanili et manutergium. — Hoc officio usus est Dominus, quando linteo se praecinxit, et mittens aquam in pelvim, pedes discipulorum lavit et linteo tersit<sup>6</sup>.

6 Nathinaei] nathanei ABCLMNORT, quod corr. NO. 6-7 id... servientes marg. LT. 8 calicem] et add. BCTW, add. interl. N<sup>2</sup>. 9-10 aquamanili] aquam, manile BLM. 18 aquamanili] aqua, manile (mantile X) BLMX.

<sup>1</sup> Etymol., VII, c. 12, n. 23 (PL 82, 292 B-C). <sup>2</sup> De quibus I Esdr. 2, 43; 8, 17 et 20; II Esdr. 3, 26. <sup>3</sup> Ps.-Isidorus, Epist. ad Leudefredum, n. 7 (PL 83, 895 B). <sup>4</sup> Isai. 52, 11. <sup>5</sup> Statuta eccl. antiqua, n. 93 (CCL 148, 182; DS 329). <sup>6</sup> Ioan. 13, 4-5.

Cap. 9, n. 1: Cf. Hugo, De sacram. II, 3, 10: « Quinto loco est ordo subdiaconorum » (PL 176, 425 D). — Auctoritas Isidori, ex Decreto, D. 21, c. 1, § 14 (69), cui ad finem adiungit Magister verba Hugonis (« id est... servientes »), De sacram. II, 3, 10 (426 A). — Num. 2: ex Decreto, D. 25, c. 1, § 6 (90). Num. 3-4: ex Sermonem Ivonis (515 D - 516 B); vel quoad n. 4, ex verbis Hugonis (426 B).

## Cap. 10 (140).

1. **De diaconis.** Diaconorum ordo sextum tenet locum, propter senarii perfectionem<sup>1</sup>. Hic ordo in veteri Testamento a tribu Levi nomen traxit: dicuntur enim et levitae. Praecepit quippe Dominus Moysi<sup>2</sup> ut post ordinationem Aaron et filiorum eius, prorsus tribus Levi ad divini cultus ministeria ordinaretur et consecraretur Domino; et servirent pro Israel coram Aaron et filiis eius in tabernaculo; ipsique gestarent arcam et tabernaculum et omnia vasa eius; et in circuitu tabernaculi excubarent, et in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursumque componerent. A viginti vero annis<sup>3</sup> et supra iussi sunt servire in tabernaculo: quam regulam in novo Testamento sancti Patres constituerunt, quia haec aetas ad ferenda onera est robusta. — **Isidorus** \*: « Levitae<sup>4</sup> ergo ex nomine auctoris vocati sunt: de Levi enim Levitae exorti sunt, a quibus in templo mystici sacramenti mysteria explebantur. Hi graece diacones, latine ministri dicuntur, quia sicut in sacerdote consecratio, ita in diacono ministerii dispensatio habetur ».

2. **Isidorus** \*: « Ad<sup>5</sup> diaconum pertinet assistere sacerdotibus et ministrare in omnibus quae aguntur in sacramentis Christi, scilicet in bapti-

10 vero corr. in v (quinque) TV (?), quinque add. W, add. mg. C<sup>2</sup>L<sup>2</sup>. 12 Isidorus om. RVW. 14 mysteria] ministeria NV Grat., Isid. 17 Isidorus LOT, om. alii. 18 aguntur] agentur MNO.

<sup>1</sup> De qua August., De Genesi ad litt., IV, c. 2 (PL 34, 296-299; CSEL 28-I, 94-98). <sup>2</sup> Resp. Num. 3, 5-10; 4, 5-16. <sup>3</sup> Resp. Num. 8, 24: A viginti quinque annis et supra etc. Ita et Isidorus, dum Hugo et Ivo legunt: « A viginti autem annis »; sic et omnes codd. nostri: « A viginti vero annis ». <sup>4</sup> Etymol., VII, 12, n. 22 (PL 82, 292 B). <sup>5</sup> Ps.-Isidorus, Epist. ad Leudefredum, n. 8 (PL 83, 895 B-C); cf. etiam lectiones variantes.

Cap. 10. Circa hoc cap. et sequens, cf. J. de Ghellinck, art. cit., RHE 11 (1910), 34-43. — Num. 1: Usque ad auctoritatem Isidori, ex Sermonem Ivonis (PL 162, 516 C-D), vel ex Hugonis De sacram. II, 3, 11 (426 C-D). Dein Isidorus, mediante Decreto, D. 21, c. 1, § 13 (68s). De usu vocis mysteria loco ministerium hic et alibi, cf. F. Blatt, Ministerium — mysterium, in Archivum latinitatis medii aevi 4 (1928) 80-81. Cf. etiam Glossa Magistri in I Cor. 4, 1 (PL 191, 1564 D), ubi tamen rubrica Aug. ad Audacem pertinet ad col. 1565, 2-10. — Num. 2: Ex Decreto, D. 25, c. 1, § 7 (90). Valet notare ad verbum oblationes quod in aliquibus nostris codicibus notatur in margine: « hostiam, panem et vinum » (ita LMNOT); item infra, ad recitatio nominum, « cathecumenorum » (LNOT; in aliis codd. inseritur in ipsum textum). Ad officium precum notat Glossa pseudo-Petri Pictaviensis: « officium precum que fiunt pro pace post evangelium pro regibus, pro peregrinantibus etc. quod [N: que] potissimum observatur in remensi ecclesia; recitatio nominum eorum qui decesserunt quod ubique in gallicana ecclesia observatur in dominicalibus diebus » (cod. n. 60c; p. 108d).



smo, in chrismate, in patena et calice; oblationes quoque inferre et disponere in altari; componere etiam mensam Domini et vestire; crucem ferre et praedicare Evangelium et Apostolum. Nam sicut lectoribus vetus Testamentum, ita diaconibus novum praedicare praeceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum et recitatio nominum. Ipse praemonet aures habere ad Deum, ipse donat pacem et ipse annuntiat ».

3. Quod autem huic ordini a Moyse statutum est, hoc etiam in novo Testamento repraesentatur, cum diacono super laevum humerum stola ponitur, et casula in diebus ieiunii complicatur: quia quidquid laboris et sustinentiae in hac vita toleratur, quas in laeva portatur, donec in dextera, id est in aeternitate, requies habeatur. — Hic ordo ab Apostolis est celebratus quando, ut legitur in Actibus apostolicis <sup>1</sup>, septem viros plenos Spiritu Sancto ad hoc officium elegerunt, et oratione praemissa manus eis imposuerunt. Unde et consuetudo inolevit ut in omni matrice Ecclesia septem diacones circa Christi aram quasi septem columnae assistant. Hi sunt septem angeli tuba canentes in Apocalypsi <sup>2</sup>. Qui quales esse debeant, Apostolus docet Timotheo scribens <sup>3</sup>.

4. Hi <sup>4</sup> cum ordinantur, solus episcopus eis manum imponit, quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, id est stolam, super laevum humerum, ut per hoc intelligant se accepisse iugum Domini suave <sup>5</sup>, quo ad sinistram pertinentia divino timori subiciant. Accipiunt et textum Evangelii, ut intelligant se esse praecones Evangelii Christi. Hi autem, antequam ordinentur, probentur, ut docet Apostolus <sup>6</sup>, et sic ministrent, nullum crimen habentes.

5. Hoc officio usus est Christus, quando post coenam sacramentum

<sup>1</sup> oblationes] hostiam, panem et vinum *nota marg. Lomb. add. LMNOT.* <sup>3</sup> et Apostolum] ad populum MNRX (*quae verba adduntur in quibusdam codd. Grat.*). <sup>5</sup> no-  
minum] catechumenorum *nota seu glossa Magistri add. marg. L (ubi signatur in textu, sed deest in mg.) NOT; in aliis codd. incorporatur in ipso textu; exp. in ipso textu O; add. etiam in textu N; excommunicatorum add. in quibusdam codd. Grat.* <sup>18</sup> manum] ma-  
nus LNRV.

<sup>1</sup> Act. 6, 3 et 6. <sup>2</sup> Apoc. 8, 2. <sup>3</sup> Resp. I Tim. 3, 8-12. <sup>4</sup> Cf. *Statuta eccl. antiqua*, n. 92: « Diaconus cum ordinatur, solus episcopus, qui eum benedicit, manum super caput illius ponat, quia non ad sacerdotium sed ad ministerium consecratur » (CCL 148, 181; DS 328 et nota). <sup>5</sup> Resp. Matth. 11, 30. <sup>6</sup> I Tim. 3, 10.

Num. 3-4 verbis conficiuntur Ivonis in eodem sermone (PL 162, 516 D - 518 A) vel potius Hugonis, *De sacram.* II, 3, 11 (PL 176, 426 D - 427 D). — Num. 5: Ex conclusione eiusdem cap. Hugonis (428 A); textus enim Ivonis a textu nostro aliquantulum discrepat.

carnis et sanguinis discipulis dispensavit <sup>1</sup>, et quando Apostolos dormitantes ad orationem incitavit dicens <sup>2</sup>: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.*

Cap. 11 (141).

5 1. **De presbyteris.** Septimus est ordo presbyterorum. — **Isidorus** \*: « Presbyter <sup>3</sup> graece, senior interpretatur latine. Non modo pro aetate vel decrepita senectute, sed propter honorem et dignitatem quam acceperunt, presbyteri nominantur »; qui morum prudentia et maturitate conversationis praecellere debent in populo, sicut scriptum est <sup>4</sup>: *Senectus venerabilis est non diuturna, nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, et aetas senectutis vita immaculata.*

2. « Ideo <sup>5</sup> autem et presbyteri sacerdotes vocantur, quia sacram dant. Qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent, sicut episcopi, quia nec chrismate frontem signant, nec Paraclitum dant: quod solis deberi episcopis, lectio Actuum Apostolorum <sup>6</sup> demonstrat ». « Unde et apud veteres idem episcopi et presbyteri fuerunt, quia illud nomen est dignitatis, non aetatis ». — « Sacerdos nomen habet compositum ex graeco et latino: qui est sacram dans » sive sacer dux <sup>7</sup>. « Sicut enim 'rex' a regendo, ita 'sacerdos' a sanctificando dictus est: consecrat enim et sanctificat ». « Antistes sacerdos dictus est ab eo quod 'ante stat': primus est enim in ordine Ecclesiae ».

3. **Isidorus** \*: « Ad <sup>8</sup> presbyterum autem pertinet sacramentum corporis et sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere et dona

10 nec] neque MTVX. 19 dictus] vocatus RTVX.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 26, 26-28; Marc. 14, 22-24; Luc. 22, 19-20; I Cor. 11, 23-25. <sup>2</sup> Matth. 26, 41. <sup>3</sup> *Etymol.*, VII, c. 12, n. 20 (PL 82, 292). <sup>4</sup> Sap. 4, 8-9. <sup>5</sup> Isidorus, *Etymol.*, VII, c. 12, n. 21: « Ideo autem et presbyteri » etc.; n. 20: « Unde et apud veteres » etc.; n. 17: « Sacerdos autem nomen habet » etc.; n. 16: « Antistes sacerdos » etc. (PL 82, 291 C - 292 A). <sup>6</sup> Act. 8, 14-17. <sup>7</sup> Haec etymologia habetur etiam in *Glossa ordin.* super II Paral. 4, 9: *Fecit etiam atrium sacerdotum*: « Sacerdos enim dicitur, quia sacram ducatum praebet minoribus » (apud Lyran., II, 217c); sed vix dubium est Lombardum a Gratiano haec accepisse, D. 21, c. 1, § 10: « sive latine sacerdos [*lege sacer(?)*]dux » (68). Cf. J. de Ghellinck, *Le traité de Pierre Lombard*, etc., 37, nota 1. <sup>8</sup> Ps.-Isidorus, *Epist. ad Leudefredum*, n. 9 (PL 83 895 C).

Cap. 11, n. 1. Auctoritas Isidori, ex *Decreto*, D. 21, c. 1, § 12 (68); reliqua ex Hugonis *De sacram.* II, 3, 12 (PL 176, 428 B); paulo aliter Ivo, *Sermo 2* (PL 162, 518 B-C). — Num. 2 conficitur ex *Decreto*, D. 21, c. 1, §§ 12, 11 et 10 (68). — Num. 3: Verba Isidori, ex *Decreto*, D. 25, c. 1, § 8 (90); reliqua compendiose ex Hugonis *De sacram.* II, 3, 12 (429 B-C). Alii iam



Dei benedicere». — Qui<sup>1</sup> cum ordinatur, inunguntur ei manus, ut intelligat se accepisse gratiam consecrandi, et caritatis opera debere ad omnes extendere. Accipit et stolam, quae tenet utrumque latus, quia debet esse munitus armis iustitiae contra adversa et prospera<sup>2</sup>. Accipit etiam calicem cum vino et patenam cum hostiis, ut per hoc sciat se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi<sup>3</sup>.

4. Hic ordo a filiis Aaron sumpsit initium. Summos enim pontifices et minores sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex praecepto Dei Aaron in summum pontificem, filios vero eius unxit in minores sacerdotes. — Christus quoque *duodecim elegit discipulos* prius, *quos et apostolos vocavit*<sup>5</sup>: quorum vicem gerunt in Ecclesia maiores pontifices; deinde *alios septuaginta et duos discipulos designavit*<sup>6</sup>: quorum vicem in Ecclesia tenent presbyteri. Unus autem inter Apostolos princeps exstitit, Petrus, cuius vicarius et successor est Pontifex Summus<sup>7</sup>: unde dicitur Apostolicus; qui etiam Papa vocatur, scilicet Pater Patrum.

5. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit<sup>8</sup>, ubi nomine episcopi presbyterum significat. Hoc autem officio usus est Christus cum se ipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos et hostia<sup>9</sup>; et quando post coenam panem et vinum in corpus suum et san-

7 Initium] exordium NVW. 9 pontificem] sacerdotem TVX. 10 elegit *trp.*  
post discipulos BCNV. 12 et *om.* ATV. 15 etiam] et R, et ipse NO. || Papa *in-*  
*terl.* O. || Papa vocatur *trp.* N. 19 et<sup>2</sup> NTVX, vel *alii*.

<sup>1</sup> Hic non sequitur Magister *Statuta eccl. antiqua*, n. 91: « Presbyter cum ordinatur, episcopo eum benedicente et manum super caput eius tenente, etiam omnes presbyteri, qui praesentes sunt, manus suas iuxta manum episcopi super caput illius teneant » (CCL 148, 181; DS 327). <sup>2</sup> Resp. II Cor. 6, 7: *Per arma iustitiae a dextris et a sinistris*. <sup>3</sup> Resp. Num. 5, 8. <sup>4</sup> Exod. cc. 28-29. <sup>5</sup> Luc. 6, 13. <sup>6</sup> Luc. 10, 1. <sup>7</sup> Cf. M. Maccarone, 'Vicarius Christi' e 'Vicarius Petri' nel periodo patristico in *Riv. di Storia della Chiesa in Italia* 2 (1948) 1-32. <sup>8</sup> I Tim. 3, 1-7; Tit. 1, 5-9. <sup>9</sup> Resp. Eph. 5, 2; Hebr. 9, 11-14. Cf. Fulgentius, *De fide ad Petrum*, c. 2, n. 22 (PL 65, 682 C; CCL 91A, 726).

notaverunt Magistrum a suis fontibus discrepare, eo quod impositionem manuum necnon et invocationem Spiritus Sancti omittit. Cf. J. de Ghellinck, *Le traité de Pierre Lombard...*, in RHE 11 (1910) 38-44, et eius art. *Pierre Lombard in Dict. de théol. cath.*, ubi scribit de his capitulis: « Dist. XXIV... l'élaboration symétrique d'une longue dissertation... dont la régularité systématique ne connaît qu'une exception... celle qui lui fait abandonner Gratien quand il s'agit de l'imposition des mains dans l'ordination sacerdotale: omission voulue ou fortuite, qui aura des grosses conséquences pour la théologie du sacrement de l'ordre » (XII, 2001). — Num. 4 verbis introducitur Hugonis (428 B). Quod sequitur fundatur in dictis Gratiani, D. 21, ante c. 1 (67). — Num. 5 conficitur ex verbis Hugonis (429 A-B, et D), praeter conclusionem, quae dependet a proposito Gratiani, D. 25, c. 1, ante § 1 (90).

guinem commutavit<sup>1</sup>. — Ecce de septem Ecclesiae gradibus breviter elocuti, quid ad quemque pertineat insinuavimus.

#### Cap. 12 (142).

1. **Duo tantum sacri dicuntur\***. Cumque omnes spirituales sint et sacri, excellenter tamen canones<sup>2</sup> duos tantum sacros ordines appellari censeant, diaconatus scilicet et presbyteratus, quia hos solos primitiva Ecclesia legitur habuisse, et de his solis praeceptum Apostoli<sup>3</sup> habemus.

2. Apostoli<sup>4</sup> enim in singulis civitatibus episcopos et presbyteros ordinarunt. Levitas etiam ab Apostolis ordinatos legimus<sup>5</sup>, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos vero et acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.

#### Cap. 13 (143).

1. **Quid sit quod hic dicitur ordo**. Si autem quaeritur quid sit quod hic vocatur ordo, sane dici potest signaculum quoddam esse, id est sacram quiddam, quo spiritualis potestas traditur ordinato et officium. Character igitur spiritualis, ubi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur.

2. Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est gratia, confertur, quam figurant ea quae ibi geruntur.

#### Cap. 14 (144).

20 **De nominibus dignitatis vel officii**. Sunt et alia quaedam, non ordinum, sed dignitatum vel officiorum nomina.

<sup>1</sup> Ecclesiae gradibus *trp.* BCLW. <sup>2</sup> pertineat] pertinet AMNO, quod *corr.* N. 9 ordinarunt] ordinarunt BCLMTX. 15 spiritualis] spiritalis OR. 20 vel] et BCNWX.

<sup>1</sup> Matth. 26, 26-28. <sup>2</sup> Can. 1 Concilii Beneventani (1091): « Sacros autem ordines dicimus diaconatum ac presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur ecclesia habuisse; super his solum praeceptum habemus Apostoli » (Mansi, *Concilia*, 20, 738 E; DS 703). <sup>3</sup> De presbyteris: I Tim. 3, 1-7; Tit. 1, 5-9; de diaconis: I Tim. 3, 8-13. <sup>4</sup> Cf. Tit. 1 5: *Reliqui te Cretae ut... constituas per civitates presbyteros*. <sup>5</sup> Act. 6, 5.

Cap. 12, n. 1: Ex Hugone, *De sacram.* II, 3, 13 (PL 176, 430 A); cf. etiam *Decretum*, D. 60, c. 4 (227). — Num. 2: ex § 3 dicti Gratiani praemissi D. 21, c. 1 (67).

Cap. 13. De momento huius definitionis, cf. N. M. Häring, *Character, Signum und Signaculum. Der Weg von Petrus Damiani bis zur eigentlichen Aufnahme in die Sakramentenlehre im 12. Jahrhundert*, in *Scholastik* 31 (1965) 57.



## Cap. 15 (145).

**De episcopo** \*. Dignitatis simul et officii nomen est episcopus. — **Isidorus** \*: « Episcopatus <sup>1</sup> autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui episcopus efficitur superintendat, curam scilicet subditorum gerens. Scopin enim graece, latine intendere dicitur. Episcopi autem graece, latine speculatores interpretantur: nam speculator est praepositus in Ecclesia dictus, eo quod speculetur atque prospiciat populorum infra se positorum mores et vitam ».

## Cap. 16 (146).

**De pontifice** \*. « Pontifex <sup>2</sup> princeps sacerdotum est, quasi via sequentium. Ipse et summus sacerdos nuncupatur: ipse enim sacerdotes et levitas efficit, ipse omnes ecclesiasticos ordines disponit ».

## Cap. 17 (147).

1. **De quadripartito episcoporum ordine**. — **Isidorus** \*: « Ordo <sup>3</sup> autem episcoporum quadripartitus est, scilicet in patriarchis, archiepiscopis, metropolitibus et episcopis. — Patriarcha, graece, summus patrum interpretatur, quia primum, id est apostolicum tenet locum: ut Romanus, Antiochenus, Alexandrinus; sed omnium summus est Romanus. — Archiepiscopus, princeps episcoporum: archos enim princeps dicitur. — Metropolitae autem a mensura civitatum dicuntur. Singulis enim provinciis praeminent; quorum auctoritati et doctrinae ceteri sacerdotes subiecti sunt. Sollicitudo enim totius provinciae ipsis commissa est. Omnes autem superius designati ordines episcopi nuncupantur ».

2 De episcopo om. MRVW. 2-3 Isidorus om. MRVW. 10 Rubrica om. AMRVW. 12 ecclesiasticos ordines trp. RTX. 14 Isidorus om. MNRVW. 19 enim] grece (latine hic add. W) add. LWX. || dicitur] latine add. L (interl.) X.

<sup>1</sup> Etymol., VII, c. 12, nn. 11-12 (PL 82, 291 B-C). <sup>2</sup> Isidorus, ibid., n. 13 (291 C). <sup>3</sup> Etymol., VII, c. 12, nn. 4-10 (290 D - 291 B).

Cap. 15-17. Cf. A. M. Landgraf, *Die Lehre vom Episkopat als Ordo*, in *Dogmengeschichte*, III-2, 277-302; necnon et R. P. Stenger, *The Episcopacy as an Ordo according to the mediaeval Canonists*, in *Mediaeval Studies* 28 (1967) 67-112. — Cap. 15: Auctoritas Isidori, ex *Decreto*, D. 21, c. 1, § 7 (68). — Cap. 16: ex eodem, § 8. — Cap. 17, n. 1 conficitur ex D. 21, c. 1, §§ 1, 2, 6, 4, 5 (67-68).

2. Nota quod archiepiscoporum nomine primates superius significasse videtur, et metropolitaram, quos nunc archiepiscopos dicimus.

3. Horum autem discretio a gentilibus introducta videtur, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. — **Isidorus** \*: « Sacerdotes <sup>1</sup> enim gentilium flamines dicebantur: qui habebant in capite pileum, in quo erat brevis virga desuper habens lanae aliquid; quod cum per aestum ferre non possent, filum tantum in capite ligare coeperunt. Nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Unde et a filo quo utebantur, flamines dicti sunt: quasi filamines. Sed festis diebus, filo deposito, pileum imponebant, pro sacerdotii eminentia ».

## Cap. 18 (148).

**De vate**. — **Isidorus** \*: « Vates <sup>2</sup> a vi mentis appellatur; cuius significatio multiplex est: modo enim sacerdotem, modo prophetam, modo poetam significat ».

## Cap. 19 (149).

1. **De cantore** \*. « Cantor <sup>3</sup> vero vocatur, qui vocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera: praecentorum et succentorum. Praecentor, qui vocem praemittit in cantu; succentor, qui subsequenter canendo respondet. Concenter autem dicitur quia consonat; qui autem non consonat nec concinit, concenter non erit ».

2. His breviter tractatis, admonendi sunt Christi ministri, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, ita praecellant vitae sanctitate: ut plebs eis commissa eorumque disciplinis edocta gratanter eis obediat, et eorum imitatione de die in diem proficiat, a quibus divina sacramenta percipiunt et Missarum solemnia audiunt.

4 alios!... protoflamines marg. V<sup>2</sup>. || alios protoflamines om. R, add. mg. T. 5 Isidorus] Idem A, om. MRVW. 13 De vate om. MRVW. || Isidorus AT, om. alii. || appellatur] appellantur T, appellati MO, appellati sunt LW. 17 Rubrica om. RVW. 18 praecentorum] scilicet add. A Grat. || praecentorum et succentorum] precentor et succentor LRT Isid., Grat. || Praecentor] est add. ABCL, vero est add. V.

<sup>1</sup> Etymol., VII, c. 12, nn. 18-19 (PL 82, 292 A). <sup>2</sup> Ibid., n. 15 (291 C). <sup>3</sup> Ibid., nn. 26-28 (292 C - 293 A).

Num. 3: Prima pars, ex § 3 dicti Gratiani ante c. 1 (67). Auctoritas Isidori, in eodem c. 1, § 11 (68).

Cap. 18: ex eodem c. 1, § 9 (68). — Cap. 19, n. 1: ibid., § 16 (69); num. 2, usque ad « proficiat », ex Hugonis *De sacram.*, III, 3, 12 (PL 176, 430 A).



3. Missa<sup>1</sup> autem dicitur vel quia missa est hostia, cuius commemoratio fit in illo officio; unde dicitur: *Ite missa est*, id est sequimini hostiam quae missa est ad caelestia, tendentes post eam; vel quia missus caelestis venit ad consecrandum dominicum corpus, per quem ad altare caeleste defertur hostia; unde et dicitur: *Missa est*.

5

## DISTINCTIO XXV

## Cap. 1 (150).

1. De ordinatis ab haereticis. Solet quaeri si haeretici ab Ecclesia praecisi et damnati possint tradere sacros ordines, et si ab eis ordinati, redeuntes ad Ecclesiae unitatem, debeant reordinari. — Hanc quaestionem perplexam ac pene insolubilem faciunt doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur.

10

2. Videntur enim quidam tradere haereticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinati videntur gratiam recipere. — **Capitulum VII** \*. Dicit enim Innocentius<sup>2</sup> « Arianorum clericos non videri suscipiendos cum sacerdotii vel ministerii alicuius dignitate »; quibus « solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti percipitur ». Dicit etiam<sup>3</sup> eos non posse dare Spiritum Sanctum, quem amiserunt; et « ordinatos<sup>4</sup> ab haereticis caput habere vulne-

15

<sup>5</sup> et om. OTX. <sup>8</sup> Solet] etiam add. BCMN. <sup>11</sup> insolubile] dissolubilem M, indissolubilem LNW, quod corr. L. <sup>14</sup> ordinati] ordinari CMRVX, quod corr. V2, 14-15 Rubrica om. BMRVWX.

<sup>1</sup> De eodem supra, Dist. 13, c. 1, n. 4; utriusque loci fontes nos fugiunt. « Missa est hostia » invenitur in Hugonis *De sacram.*, II, 8, 14 (PL 176, 472 A-C). <sup>2</sup> Innocentius Papa I, *Epist.* 24 (ad Alexandrum Antiochenum episc.), c. 3 (PL 20, 549 A - 550 A). De doctrina Innocentii pp., cf. O. Vighetti, *I Sacramenti della penitenza e dell'ordine nella dottrina giuridica di S. Innocenzo I (401-417)*, par. III: « Le ordinazioni degli eretici », in *Miscellanea Francescana* 52 (1952) 104-111. <sup>3</sup> Ibid. (550 A). <sup>4</sup> Innoc. I, *Epist.* 17 (ad Rufum aliosque epp. Macedoniae) c. 3 (PL 20, 530 B-C).

Dist. XXV, c. 1. Cf. L. Saltet, *Les réordinations*, Paris 1907; et E. Amann, art. *Réordinations*, in *DThC* XIII, 2385-2431, praesertim 2425-28. — Num. 1: Quaestio ponitur quasi verbis Hugonis, *De sacram.* II, 10, 3 (PL 176, 477 D - 478 A). — Num. 2: Ut rubrica innuitur, prima auctoritas sumitur ex *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 73 (384); dein c. 17 et c. 18 (363); illa Gregorii, ex eodem, c. 72 (383), et ex dicto post c. 74 (384).

ratum », et « eum qui honorem amisit, honorem dare non posse; nec illum aliquid accepisse, quoniam in dante nihil erat quod ille posset accipere ». Tradit etiam<sup>1</sup> « venientibus ab haereticis per manus impositionem laicam tantum tribuendam communionem, nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum subrogare ». — **Gregorius in III libro Dialogorum** \*. Gregorius etiam dicit<sup>2</sup> sacrilegam esse Arianorum consecrationem, cum ex eorum manu communio percipitur.

3. **Cyprianus martyr in Epistola contra haereticos** \*. Cyprianus etiam dicit<sup>3</sup> « omnia, quaecumque faciunt haeretici, carnalia, inania » et sacrilega esse, et eorum « altaria falsa et illicita sacerdotia et sacrificia sacrilega »; qui « more simiarum, quae cum homines non sint, formam imitantur humanam, vultum Ecclesiae catholicae et auctoritatem sibi vendicant, cum ipsi in Ecclesia non sint »; et cum sint sacrilegi, « sacerdotium administrant et altare ponunt, cum nec sacrificari oblatio illic possit ubi Spiritus Sanctus non sit; nec cuiquam Dominus per eius preces et orationes prosit, qui Deum ipse violavit ».

4. **Hieronymus, super Aggaeum** \*. Hieronymus quoque asserit<sup>4</sup> omnia quae offeruntur ab haereticis « contaminata esse in conspectu Domini: quia licet sancta videantur specie sui, tamen quia contacta sunt ab illo qui pollutus est, polluuntur omnia ». — **Idem, super Amos** \*. Idem<sup>5</sup>: « Odit Deus sacrificia haereticorum et a se proicit, et quoties in nomine eius congregati fuerint, detestatur foetorum eorum et claudit nares suas ». — **Idem, super Osee** \*. Idem<sup>6</sup>: « Illi offerunt panem sacrilegum » etc.

<sup>8</sup> Rubrica om. MRVW. <sup>14</sup> ponunt] componunt NV, proponunt AT, quod corr. T. 23 Rubrica om. MRVW.

<sup>1</sup> Ibid., c. 4 (531 A-B). <sup>2</sup> Potius in Lib. III, c. 31 (PL 77, 292 A). <sup>3</sup> Caput collectum (notant Correctores Gratiani; infra) ex variis locis epistolarum B. Cypriani. Nempé, ex *Epist.* 70 (ad Ianuarium), n. 3: « ut cum omnia apud illos inania et falsa sint, nihil eorum quae illi gesserint probari a nobis debeat » (PL 3, 1043 B; CSEL 3-1, 769s); ex *Epist.* 69 (ad Magnum), n. 1: « falsa altaria et illicita sacerdotia et sacrificia sacrilega » (PL 3, 1139 A; CSEL 3-1, 750); ex *Epist.* 73 (ad Iubaianum et episc. Numidiae), n. 2: « Novatianus simiarum more, quae cum homines... in ecclesia non sit... altare collocare... nititur » (PL 3, 1111 A-B; CSEL 3-1, 779s); et ex *Epist.* 64 (ad Epictetum), n. 4: « quando nec oblatio sanctificari illic possit, ubi Spiritus Sanctus non sit, nec cuiquam... qui Dominum ipse violavit » (PL 4, 392 A; *Epist.* 65, in CSEL 3-1, 725). <sup>4</sup> In *Aggaeum* 2, 15 (PL 25 [1845], 1409 D). <sup>5</sup> In *Amos* 5, 22 (PL 25, 1053 D). <sup>6</sup> In *Osee* 6, 7 (PL 25, 870 A).

Num. 3 excerpitur ex c. 70, § 1 (382-383). — Num. 4: Prima auctoritas conficitur ex eodem dicto (384) ac ex c. 61 (381); altera, ex c. 62; tertia praebet initium c. 63.



5. **Leo ad Anatholium Constantinopolitanum Episcopum** \*. Leo etiam testatur<sup>1</sup> « extra Ecclesiam nec rata esse sacerdotia, nec vera esse sacrificia ». — **Idem Leoni Augusto** \*. Idem etiam dicit<sup>2</sup> « per crudelissimam vesaniam in Alexandrina sede omnium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificii oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, et parricidalibus manibus impiorum omnia se subtraxere mysteria ».

6. His aliisque testimoniis adstrui videtur sacramenta ecclesiastica, praecipue corporis et sanguinis, ordinationis et confirmationis, per haereticos non posse ministrari.

7. **Auctoritates ponit quae videntur praemissis obviare**. Econtra autem alii sentire videntur quod ab haereticis etiam praecisis sacri ordines, sicut et baptismus, tradi valeant; nec ab haereticis redeuntes, qui illic ordinati sunt et baptizati, iterum ordinandi sunt, sicut nec baptizandi.

8. **Augustinus in libro II Contra epistolam Parmeniani** \*. Unde Augustinus<sup>3</sup> de haereticis etiam damnatis: « Quod quidam dicunt, 'Baptisma quod accepit non amittit qui recedit ab Ecclesia, ius dandi quod accepit amittit', multis modis apparet inaniter dici. Primo, quia nulla ostenditur causa, cur ille qui illud baptismum amittere non potest, ius dandi possit amittere. Utrumque enim sacramentum est, et quadam consecratione utrumque homini datur: illud cum baptizatur, et illud cum ordinatur. Ideo non licet in Catholica utrumque iterari. Nam si quando ex ipsa parte venientes, etiam praepositi, pro bono pacis, correcto schismatis errore, suscepti sunt; et si visum est opus esse ut eadem officia gererent quae agebant, non sunt rursus ordinandi, sed sicut baptismus in eis, ita ordinatio mansit integra. Quia in praecisione fuerat vitium: quod unitate pacis est correctum; non in sacramentis, quae, ubicumque sunt, ipsa sunt. Et cum ipsi expedire videtur Ecclesiae ut praepositi eorum, venientes ad catholicam societatem, honores suos ibi non administrent, non

<sup>1</sup> Rubrica om. RVW. || Anatholium] anastasium NO, athanasium T. <sup>10</sup> Econtra] Contra LNR. <sup>14</sup> Rubrica om. MRVW. <sup>21</sup> Catholica] sancta V, ecclesia add. LMTVX. <sup>24</sup> ordinandi] ordinati NOR, quod corr. N.

<sup>1</sup> Epist. 80, c. 2 (PL 54, 914 B). <sup>2</sup> Epist. 156, c. 5 (PL 54, 1131 A). <sup>3</sup> Cap. 13, n. 28 (PL 43, 70s; CSEL 51, 79s).

Num. 5: prima Leonis, ex c. 68 (382); alia, ex sequenti c. 69. — Num. 6 trahitur ex conclusione Gratiani in eodem dicto: « patet quod sacramenta ecclesiastica praeter baptismum ab haereticis ministrari non possunt » (384). — Num. 7: Videas dictum ante c. 97 (392), et verba Hugonis, *De sacram.*, II, 10, 3 (PL 176, 478 C - 479 B). — Num. 8: ex iam dicto c. 97, §§ 1-3 (393); rubrica ut in editione Romana.

eis tamen ipsa ordinationis sacramenta detrahuntur, sed super eos manent. Ideoque non eis manus imponitur, ne non homini, sed ipsi sacramento fiat iniuria. Sicut autem in baptismo est quod per eos dari possit, sic in ordinatione ius dandi est: utrumque quidem ad perniciem suam. Sed aliud est non habere, aliud perniciose habere, aliud salubriter habere ».

9. Idem<sup>1</sup>: « De his qui ab Ecclesiae unitate separati sunt, nulla iam quaestio est quin habeant et dare possint; sed perniciose habent pernicioseque dant, quia extra vinculum pacis sunt<sup>2</sup>. Neutri sacramento facienda est iniuria. Sicut non recte habet qui ab unitate recedit, sed tamen habet, et ideo redeunti non redditur; sic etiam non recte dat qui ab unitate recedit, sed tamen dat; et ideo qui ab eo accipit, venienti ad unitatem non iteratur ».

10. **Idem in libro II De unico baptismo** \*. Idem<sup>3</sup>: « Aliud est non habere aliquid, aliud est non iure habere vel illicite usurpare. Non igitur ideo non sunt sacramenta Christi et Ecclesiae, quia eis illicite utantur, non modo haeretici, sed etiam omnes impii; sed illi corrigendi sunt et puniendi, illa autem agnoscenda et veneranda ».

11. **Gregorius Ioanni Ravennati episcopo** \*. Item Gregorius<sup>4</sup>: « Quod dicitis, ut qui ordinati sunt iterum ordinentur, valde ridiculosum est. Ut enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet; ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari ».

12. His aliisque auctoritatibus videtur asseri in omnibus impiis, etiam in haereticis praecisis et damnatis, Christi sacramenta permanere cum iure dandi. Possunt enim dare, sed perniciose; et quibus dederint, non sunt iterum ordinandi. Quae praemissis ex opposito obviare videntur.

13. **Determinatio praemissae contradictionis auctoritatum**. Haec autem quidam ita determinant. Dicunt enim haereticos accepta sacerdotali vel

<sup>6</sup> Ecclesiae unitate *trp.* ACLMTVX. <sup>11</sup> qui] illi qui A, quia MOW, quod Aug., Grat. <sup>13</sup> Rubrica om. MRVW. <sup>17</sup> agnoscenda] cognoscenda ABCNV. <sup>18</sup> Rubrica om. MRVW. <sup>19</sup> ordinati sunt... ordinentur] ordinatus est... ordinetur LNRWX.

<sup>1</sup> Cap. 13, n. 30 (72; 81s). <sup>2</sup> Resp. Eph. 4, : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.* <sup>3</sup> *De bapt. contra Donatistas*, III, c. 10, n. 13 (PL 43, 144; CSEL 51, 205). <sup>4</sup> *Registrum Epist.*, II, epist. 46 [MGH II, 45] (PL 77, 585 A).

Num. 9: ex eodem, §§ 6-8 (394). — Num. 10-11: Hae duae auctoritates, quae non adducuntur a Gratiano, inveniuntur in *Panormia* Ivonis, III, 78 et 76 (PL 161, 1147); sed ob formam diversam probabiliter hic sumuntur ex fonte ignoto. — Num. 12 fundatur in parte in verba Gratiani post c. 97 (395). — Num. 13 quodammodo eodem dicto Gratiani innotitur, §§ 2-4; ita et n. 14, usque ad quaedam verba in § 5 (395).



episcopali unctione ab Ecclesia recedentes, baptismi quidem dandi ius retinere, sed non habere facultatem tribuendi sacros ordines, vel consecrandi dominicum corpus, postquam praecisi sunt et damnati ab Ecclesia; sicut degradatus episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines, facultatem tamen baptizandi non amisit. — Quod vero Augustinus ait, intelligunt dictum de haereticis qui non sententia Ecclesiae, sed pravitate sensus sui a fidei veritate ac doctrinae unitate divisi sunt: qui licet tales sint, ius tamen ordinandi et consecrandi habent. Et qui ab eis ordinantur ante manifestam praecisionem, etiam si cum eis aperte exierint et sententia Ecclesiae damnati fuerint, tamen si redierint, iterum ordinandi non sunt. Et ubicumque legitur de ordinatis ab haereticis quod servatis eis ordinibus ministrare valeant, vel iterum ordinandi non sint, de huiusmodi accipiendum dicunt. Nam postquam praecisi fuerint et damnati iudicio Ecclesiae, ius ordinandi et consecrandi eis detractum asserunt, ut degradatis vel excommunicatis.

14. **Aliter** \*. Alii vero dicunt sacramenta ab haereticis etiam praecisis secundum formam Ecclesiae celebrata vera esse et rata, quia recedentes ab Ecclesia ius dandi et consecrandi non perdiderunt; et qui sic ab haereticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quae vero ab haereticis aliter quam in Ecclesia fiunt, falsa sunt et inania; et qui a talibus ordinari videntur, non munus, sed vulnus excipiunt. Et secundum hanc differentiam varie de his loquuntur doctores.

15. **Item aliter** \*. Quidam<sup>1</sup> vero dicunt eadem sacramenta ab haereticis praecisis posse celebrari, quae a catholicis, si ab illis forma Ecclesiae servetur; et ab eis celebrata, vera esse et rata quantum ad se, quantum vero ad effectum falsa esse et inania, et in his qui male tractant, et in his qui male suscipiunt. Ideo irrita et falsa, quia quod promittunt et conferre creduntur, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur, quia illicite dantibus vel accipientibus sunt *in iudicium*<sup>2</sup>. Polluta etiam dicuntur, non quantum ad se, sed propter indignam haereticorum tractationem. Ideo Grego-

6 dictum] esse *add.* LT. 8 sint *om.* AMR, *add. interl.* N<sup>2</sup>, *add. mg.* O<sup>2</sup>. || ordinandi et consecrandi *trp.* ALT. 16 Rubrica *om.* MRVW. || etiam] et ABCNTX. 21 ordinari] ordinati B, *corr. ex* ordinati O. || excipiunt] accipiunt LTVW. 22 doctores] auctores LO. 23 Item aliter] aliter BCNX, *om.* MRVW. 26 esse *om.* OTV.

<sup>1</sup> Algerus Leod., *De misericordia et iustitia*, III, 50 et 54 (PL 180, 954 C-D, et 956 B-D); et *De sacramento*, III, c. 12 (PL 180, 846 B - 847 C). <sup>2</sup> Resp. I Cor. 11, 29 et 34.

Num. 15 probabilius mentem Gratiani praesentat, cuius verba in § 5 et § 7 ad litteram hic repetuntur.

rius<sup>1</sup> communionem Aarii vocat execrationem, et Innocentius<sup>2</sup> Bonosii ordinationem damnationem: non quod ita in se sint, sed quia maledantes vel accipientes tales facit; sicut etiam Hieronymus<sup>3</sup> sacrificia eorum « panem luctus » vocat, non quantum ad se, sed quantum ad effectum.

16. **Aliter** \*. Nonnulli vero tradunt illos haereticos qui in Ecclesia ordinati sunt, ius ordinandi et consecrandi, etiam cum separati fuerint, habere; qui vero in schismate vel haeresi positi ab eis ordinati et inuncti fuerint, illo iure carent; ideoque, cum ordinare volunt, vulnus potius infigunt quam gratiam conferant.

### Cap. 2 (151).

**De simonia — Unde dicitur simonia et quid sit** \*. De simoniacis vero non est ambigendum quin sint haeretici, qui tamen ante sententiam degradationis et ordinant et consecrant. Et licet simoniaci proprie dicantur qui, instar Simonis Magi<sup>4</sup>, impretiabilem gratiam pretio conducere volunt; et qui pro ministerio sacro pretium recipiunt in modum Giezi<sup>5</sup>, giezitae vocandi sunt; omnes tamen, et dantes et accipientes, simoniaci dicuntur, et utrique eadem sententia percelluntur.

### Cap. 3 (152).

**De his qui scienter a simoniacis ordinantur vel non.** Differt tamen inter eos qui ordinantur a simoniacis scienter, et eos qui ignoranter. — **Urba-**

6 Rubrica *om.* MRVW. 12 Unde... sit *om.* VWX. 17 et<sup>1</sup> *om.* MNRV, *exp.* X. 20 vel non *om.* ALMN. 21-1 (p. 414) Urbanus papa *om.* ARVW.

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. 1, in fine n. 2. <sup>2</sup> Innocentius I, *Epist.* 17, c. 3, n. 7: « Certe quia quod non habuit dare non potuit, damnationem utique, quam habuit, per pravam manus impositionem dedit; et qui comparticeps factus est damnationis, quomodo debeat honorem accipere, invenire non possum » (PL 20, 531 A). <sup>3</sup> *Super Osee* (rubr.) 9, 4: « Panem luctus possumus dicere verba mortifera... qui panis non ingreditur in domum Dei. Haereticorum enim conciliabula, non domus Dei appellantur, sed speluncae latronum » (PL 25 [1845], 892 B). <sup>4</sup> Resp. Act, 8, 18-24. <sup>5</sup> Resp. IV Reg. 5, 20-27.

Num. 16: iterum fundatur in dicta Gratiani in §§ 3-4 (395).

Cap. 2: Titulus iam in *De sacram.* Hugonis, II, 10, 1: *Unde dicitur, et quid sit simonia* (PL 176, 477 C); unde et ex cap. 2 quaedam verba hic.

Cap. 3: Titulus seu quaestio ab Hugone suggeritur, II, 10, 3 (478 C); auctoritas conficitur ex *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 108 (400s).



nus **Papa** \*: « Qui <sup>1</sup> enim scienter a simoniacis se permiserint consecrari, immo exsecrari, eorum consecratio omnino irrita est. Qui vero ordinantur a simoniacis quos, cum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui et tunc pro catholicis habentur, eorum ordinatio misericorditer sustinetur ».

## Cap. 4 (153).

5

**De his qui dicunt se emere corporalia, non spiritualia.** — **Paschasius Papa** \*: « Si <sup>2</sup> vero aliqui obiecerint se non consecrationes emere, sed res ipsas quae ex consecratione proveniunt, penitus desipere probantur. Nam quisquis horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit ».

10

## Cap. 5 (154).

**Distinctio simoniacorum.** Simoniacae autem haeresis tripartita est distinctio. Alii enim simoniace a simoniacis ordinantur, alii simoniace a non simoniacis, alii non simoniace a simoniacis. — **Nicolaus Papa** \*. Unde **Nicolaus Papa** <sup>3</sup>: « Statuimus decretum de simoniaca tripartita haeresi, id est de simoniacis simoniace ordinatoribus vel ordinatis, et de simoniacis simoniace a non simoniacis, et simoniacis non simoniace a simoniacis. Simoniaci simoniace ordinati vel ordinatores, secundum canones a proprio gradu decident. Simoniaci etiam simoniace a non simoniacis ordinati, similiter ab officio removeantur. Simoniacos vero non simoniace a simoniacis ordinatos misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio permittimus permanere ». — Quod intelligendum est de his qui ordinantur a simoniacis, ignorantes eos esse simoniacos. Hos facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci.

15

20

6-7 Paschasius papa om. RVWX. 10 derelinquit] relinquit N, delinquit A, corr. in delinquit M. 14 Rubrica om. MRVW.

<sup>1</sup> Urbanus Papa II in Concilio Placentino (1095), can. IV et III, hic scil. ordine inverso (I. Mansi, XX, 805). <sup>2</sup> Revera Paschalis I, *Epist. 5 (ad Archiepiscopum Mediolanensem)* (PL 102, 1092 A-B); cf. tamen P. F. Kehr, *Italia Pontificia* VI-1, 38, n. 51, ubi authenticitas negatur; scripta est a quodam Guidone monaco. <sup>3</sup> Nicolaus II, *Decretum contra simoniacos* in Concilio (minore) Lateranensi (apr. 1060), n. 5 (L. Weiland, *Constitutiones et Acta publica*, MGH Legum IV, t. 1, 550s; I. Mansi, *Concilia*, 19, 899; DS n. 694).

Cap. 4: Iterum quaestio (in titulo) Hugonis est; auctoritas seu responsio adaptatur ex *Decreto*, C. 1, q. 3, c. 7 (413).

Cap. 5: Triplex species simoniae, in dictis Gratiani ante verba Nicolai in C. 1, q. 1, c. 107 (400). Conclusio etiam Gratiani est, post c. 107.

## Cap. 6 (155).

**De his qui violenter a simoniacis vel ab haereticis ordinantur.** — **Alexander Papa** \*. Similiter cum decernit **Alexander** <sup>1</sup> simoniacos « omnino damnandos ac deponendos »: subintelligendum est: Nisi violenter quis attractus fuerit. De his enim, et a quibuslibet haereticis violenter ordinatis, dicit **Innocentius** <sup>2</sup> quod « possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discedunt ab eis et pessimo eorum conciliabulo renuntiant ».

## Cap. 7 (156).

**De aetate ordinandorum ita decernit Nicolaus Papa** <sup>3</sup>: « Sacri, inquit, canones sanxerunt ut subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante viginti quinque, nec presbyter ante triginta. Deinde, si dignus fuerit, ad episcopatum eligi potest. Quod nos etiam pari modo servare iubemus ». — **Fabianus** \*. Item **Fabianus** <sup>4</sup>: « Si quis tri-

<sup>2</sup> ab LMNO, om. alii, aliis add. ALR. <sup>3</sup> Alexander Papa om. RVW. <sup>4</sup> ac deponendos om. AR. 10 decernit] decrevit BMVWX. 14 Rubrica om. LMORTVW.

<sup>1</sup> In Concilio Laterano (1063), ubi in primo cap. Alexander Pp. II repetit verba sui praedecessoris (I. Mansi, *Concilia*, XIX, 1023 E - 1024 D; DS n. 691). <sup>2</sup> Innocentius I, *Epist. 17 (ad Rufum aliosque episc. Macedoniae)*, c. 5, n. 12 (PL 20, 534). <sup>3</sup> Non invenitur inter decreta vel alia scripta Nicolai I (858-867). <sup>4</sup> Cap. spurium. Ante Gratianum, qui hoc cap. Bonifacio papae ascribit, D. 77, c. 1 (275), ceteri collectores (ut notat Ae. Friedberg) citant ex decretis Fabiani. Unde ergo Magister sumpsit hoc cap. 7, nescimus.

Cap. 6: Decretum Alexandri, in *Decreto*, C. 1, q. 1, c. 110 (401); quod sequitur trahitur ex dicto Gratiani post c. 110, et ex decreto Innocentii in c. 111.

Cap. 7: Haec duo decreta desunt in *Decreto* Gratiani. Quamvis inveniantur in *Panormia* Ivonis, III, cc. 32 et 29 (PL 161, 1135 D, 1136 D - 1137 A), non sequitur quod tale corpus iuris in manibus habuerit Magister. Alter enim sub nomine Fabiani habetur in collectione S. Genovefae (cod. Paris., S. Genov. 166, f. 80v); et quasi ad verbum in *Collect. in V libris*, I, can. C, ubi Concilio Neocaesariensi attribuitur (CCL, CM VI, 75-76); proinde probabiliter ambo invenirentur in quadam collectione adhuc ignota. — Ad rei historiam vero notare licet duo canones Concilii Agathensis anno 506, scilicet n. 16: « Episcopus vero benedictionem diaconatus minoribus a viginti et quinque annorum, penitus non committat... »; et n. 17: « Presbyterum vero vel episcopum ante triginta annos... nullus metropolitanorum ordinare praesumat... » (CCL 148, 201). Ex Concilio vero Arelatensi (524), sub S. Caesario, deduci potest quod talis legislatio fundatur in « antiquorum patrum statuta » de ordinandis clericis (CCL 148 A, 43). Cf. etiam S. Caesarii *Sermo I*, n. 14, circa hanc « saluberrimam consuetudinem » (CCL 103, 10-11). Reapse quaedam exempla inveniuntur inter capitula africana;



ginta aetatis non impleverit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus; quia et ipse Dominus triginta annorum baptizatus est<sup>1</sup>, et sic coepit docere ».

## DISTINCTIO XXVI

## Cap. 1 (157).

5

1. **De sacramento coniugii: cuius institutio et causa ostenditur.** Cum alia sacramenta post peccatum et propter peccatum exordium sumpserint, matrimonii sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum a Domino, non tamen ad remedium, sed ad officium.

2. Refert enim Scriptura Genesis<sup>2</sup>, in Adam misso sopore atque una de costis eius sumpta et exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem ad quem usum mulier facta esset, post ecstasim propheticè dixisse: *Hoc nunc os ex ossibus meis et caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.*

<sup>1</sup> Resp. Luc. 3, 21-23.<sup>2</sup> Gen. 2, 23-24.

ex. gr. in *Breviario Hipponensi* (A.D. 397-401): « Ut ante XXV aetatis annos nec clerici ordinentur nec virgines consecrentur » (CCL 149, 33); quod sub clericis inprimis diaconi intelliguntur apparet ex canone 16d in causa Apiarii (c. 419-424): « Et ut ante viginti [sic!] annos aetatis nec diaconi ordinentur » (ibid. 139).

Dist. XXVI-XLII. Cf. tractatus primitivus Magistri *De coniugio* in *Glossa in I Cor.* 7, 1 (PL 191, 1585 D - 1587 B; et supra, in Prolegomenis huius tomii); qui tractatus in parte fundatur in illo *De sacramento coniugii* Gualteri de Mauritania, qui *Summa sententiarum* mox annexus fuit ut Liber VII (PL 176, 153 C - 174 A). Cf. H. Weisweiler, *La « Summa Sententiarum » source de Pierre Lombard*, in *Rech. de théol. anc. et méd.* 6 (1934) 177-183; et L. Ott, *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus in ihren Verhältnissen zueinander*, in *Mélanges Jos. de Ghellinck*, II, 652-697. Unde infra citatur tanquam pars *Summae sent.* Cf. Prolegomena ad tom. I, pp. 82\*, 85\*.

Dist. XXVI, c. 1, n. 1: Verba sunt Hugonis de S. Victore, *De sacram.*, II, 11, 1 (PL 176, 479 D - 480 D). — Num. 2 conficitur ex libro Genesis (de quo cf. Lib. II, d. 18, cap. 1-3; tom. I, 416), dein ex verbis Hugonis, cap. 2 (481 A), et *Summae sent.*, VII, c. 1 (153 D), unde « post ecstasim propheticè ».

## Cap. 2 (158).

1. **De duplici institutione coniugii.** Coniugii autem institutio duplex est. Una ante peccatum ad officium facta est in paradiso, ubi esset *thorus immaculatus* et nuptiae honorabiles<sup>1</sup>, ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent; altera post peccatum ad remedium facta extra paradysum, propter illicitum motum devitandum. Prima ut natura multiplicaretur, secunda ut natura exciperetur et vitium cohiberetur. Nam et ante peccatum dixit Deus<sup>2</sup>: *Crescite et multiplicamini*, et post peccatum<sup>3</sup>, omnibus pene hominibus per diluvium consumptis.

2. **Augustinus, Super Genesim\***. Quod vero ante peccatum institutum fuerit coniugium ad officium, post peccatum vero ad remedium concessum, Augustinus testatur dicens<sup>4</sup>: « Quod sanis esset officium, aegrotis est ad remedium ». — **In libro De nuptiis et concupiscentiis:** « Infirmas<sup>5</sup> enim incontinentiae », quae est in carne per peccatum mortua<sup>6</sup>, « ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum ».

3. Si non peccassent primi homines, sine carnis incentivo ac fervore libidinis ipsi ac successores eorum convenirent; et sicut remunerabile est aliquod bonum opus, sic coitus eorum bonus esset et remunerabilis. Quia vero propter peccatum letalis concupiscentiae lex membris nostris inhaesit<sup>7</sup>, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est et malus coitus, nisi excusetur per bona coniugii.

<sup>3</sup> est<sup>2</sup> om. BCLR.      <sup>10</sup> Rubrica om. RVW.      <sup>12</sup> esset] ad add. ABCLNVX, quod exp. X.      <sup>13</sup> Rubrica om. RVW.      <sup>20</sup> commixtio] coniunctio ALT.

<sup>1</sup> Resp. Hebr. 13, 4: *Honorabile connubium in omnibus, et thorus immaculatus*. Cf. Augustinus, *De Gen. ad litt.*, IX, c. 3, n. 6: « ut essent eis etiam in paradiso honorabiles nuptiae et thorus immaculatus... ut sine ullo inquieto ardore libidinis, sine ullo labore ac dolore pariendi » etc.; et c. 10, n. 18: « Neque cum ardore seminaretur, neque cum dolore pareretur » (PL 34, 395 et 399; CSEL 28, 271s et 280).      <sup>2</sup> Gen. 1, 28.      <sup>3</sup> Resp. Gen. 9, 1.

<sup>4</sup> *De Genesi ad litt.*, IX, c. 7, n. 12: « Utriusque sexus infirmitas propendens in ruinam turpitudinis, recte excipitur honestate nuptiarum, ut quod sanis esse posset officium, sit aegrotis remedium » (PL 34, 397; CSEL 28-I, 275).      <sup>5</sup> Lib. I, c. 16, n. 18: « ac sic infirmitas incontinentiae, ne cadat in ruinam flagitiorum, excipitur honestate nuptiarum » (PL 44, 424; CSEL 42, 231).      <sup>6</sup> Resp. Rom. 8, 10: *Corpus quidem mortuum est propter peccatum*.

<sup>7</sup> Resp. Rom. 7, 23: *Video autem aliam legem in membris meis*. Cf. supra, Lib. II, d. 20, c. 1, n. 3 (I, 427s).

Cap. 2, n. 1: Mixtim ex verbis Hugonis, c. 3 (481 B-C), et Gratiani, *Decret.*, C. 32 q. 2, dictum post c. 2 (1120). Cf. Lib. II, d. 20, c. 1 (I, 427s). — Num. 2: Omnia ex Hugonis *De sacramentis*, II, 11, 3 (PL 176, 481 B et D); vide etiam ibid., I, 7, 12 (314 C). — Num. 3: Ex *Summa sent.*, VII, c. 2 (PL 176, 155 D).



## Cap. 3 (159).

**Quando secundum praeceptum, quando secundum indulgentiam contractum sit coniugium.** Prima institutio habuit praeceptum, secunda indulgentiam. Didicimus enim ab Apostolo <sup>1</sup> humano generi *propter* vitandam *fornicationem* indultum esse coniugium. Indulgentia vero, quia meliora <sup>5</sup> non eligit, remedium habet, non praemium; a qua si quis declinaverit, meretur exitiale iudicium. Quod secundum indulgentiam conceditur, voluntarium est, non necessarium: alioquin transgressor esset, qui illud non faceret. — Et potest sane intelligi illud sub praecepto dictum hominibus primis ante peccatum <sup>2</sup>: *Crescite et multiplicamini*. Quo etiam post peccatum tenebantur, usquequo facta est multiplicatio; post quam secundum indulgentiam matrimonium contractum fuit. Ita etiam post dilu- <sup>10</sup> vium, quo universum pene genus humanum deletum est, secundum praeceptum dictum est filiis Noe <sup>3</sup>: *Crescite et multiplicamini*; multiplicato vero homine, *secundum indulgentiam* contractum est, *non secundum imperium* <sup>4</sup>. <sup>15</sup>

## Cap. 4 (160).

**Quibus modis accipitur indulgentia \***. Indulgentia autem diversis modis accipitur, scilicet pro concessione, pro remissione, pro permissione. Et est permissio in novo Testamento de minoribus bonis, et de minoribus malis. De minoribus bonis est coniugium, quod non meretur palmam, <sup>20</sup> sed est in remedium. De minoribus malis, id est de venialibus, est coitus

<sup>12</sup> matrimonium] matrimonii ALMNORW, quod corr. O. || contractum] contractio M, contractus NRW.

<sup>1</sup> I Cor. 7, 1 et 6: *Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat... Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium.* <sup>2</sup> Gen. 1, 28. <sup>3</sup> Gen. 9, 1. <sup>4</sup> Resp. I Cor. 7, 6.

Cap. 3. Cf. *Glossa* Magistri in I Cor. 7, 1: « Et agit [Apostolus] tripliciter de ipso [coniugio], secundum consilium, secundum indulgentiam, secundum praeceptum, quorum singula suis locis diligens lector distinguat » (PL 191, 1585 D). — Dein, eadem *Glossa* in cap. 7, 2 (1587 B-C); ac, ut videtur, Magister Hugo de S. Victore, *De sacram.*, II, 11, 3 (PL 176, 481 B).

Cap. 4. Cf. *Glossa* in I Cor. 7, 6: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*, ubi ponitur *Quaestio* (rubr. margin. in cod. z, fol. 52a): « Sed forte aliquis dicet [diceret z]: Si hoc secundum veniam concessit apostolus, ergo peccatum sunt nuptiae. Cui enim venia nisi peccato conceditur? » (PL 191, 1589 A; sequuntur quatuor verba extravagantia quae infra recte

qui fit causa incontinentiae. Illud, id est coniugium, indulgetur: id est conceditur; illud vero, id est coitus talis, permittitur: id est toleratur, ita quod non prohibetur.

## Cap. 5 (161).

- <sup>5</sup> 1. **Quod nuptiae bonae sint.** Fuerunt autem nonnulli haeretici nuptias detestantes, qui Tatiani appellati sunt. — **Augustinus in libro De haeresibus** <sup>1</sup> \*: Hi « nuptias omnino damnant, ac pares fornicationibus aliisque corruptionibus faciunt; nec recipiunt in suorum numero coniugio utentem, marem vel feminam ».
- <sup>10</sup> 2. Quod autem res bona sit coniugium, non modo ex eo probatur, quod Dominus legitur <sup>2</sup> coniugium instituisse inter primos parentes, sed etiam quod in Cana Galilaeae nuptiis interfuit Christus, easque miraculo commendavit, aqua in vinum conversa <sup>3</sup>. Qui etiam postea virum uxorem dimittere prohibuit, nisi causa fornicationis <sup>4</sup>. Apostolus etiam ait <sup>5</sup>: *Virgo non peccat si nubat*. Constat igitur rem bonam esse matrimonium. Alioquin <sup>15</sup> non esset sacramentum: sacramentum enim sacrum signum est <sup>6</sup>.

## Cap. 6 (162).

1. **Cuius rei sacramentum sit coniugium.** Cum igitur coniugium sacramentum sit, et sacrum signum est et sacrae rei, scilicet coniunctionis <sup>20</sup> Christi et Ecclesiae, sicut ait Apostolus <sup>7</sup>. Scriptum est <sup>8</sup>, inquit: *Relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne*

<sup>12</sup> quod] quia MT *Summa Sent.*, om. OV.

<sup>1</sup> Cap. 25 (PL 42, 30; CCL 46, 301), ubi Tatiani nominantur. <sup>2</sup> Resp. Gen. 2, 24. <sup>3</sup> Ioan. 2, 2-10. <sup>4</sup> Cf. Matth. 5, 32 et 19, 9; Marc. 10, 11; Luc. 16, 18. <sup>5</sup> I Cor. 7, 36. <sup>6</sup> Vide supra, Dist. 1, c. 2. <sup>7</sup> Eph. 5, 31-32. <sup>8</sup> Gen. 2, 24.

repetuntur). Tunc codex z (non autem cod. x, f. 85d) verba adiungit quae repetuntur in hoc capitulo: « Alibi tamen habetur quod indulgentia est, nec est ibi peccatum nec venia nisi in minoribus bonis. In novo enim testamento minora bona quibus non meremur, ut coniugium, et minora mala permissa sunt. In veteri vero contra mala maiora, ut *Odio habebis inimicum tuum* ».

Cap. 5: Praeter verba Augustini, fundatur in *Summa sent.*, VII, c. 2 (PL 176, 155 C); et in *Glossam* in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1586 A), seu num. 3 in editione nostra (in Proleg. ad hunc tomum).

Cap. 6, n. 1: In parte in eadem *Glossa* (1586 D - 1587 A; seu num. 9); vide etiam *Glossam* in Eph. 5, 32 (PL 192, 216 D), et *Summa sent.*, c. 4 (157 B).



una. Hoc autem magnum est sacramentum: ego autem dico in Christo et in Ecclesia. Ut enim inter coniuges coniunctio est secundum consensum animorum et secundum permixtionem corporum, sic Ecclesia Christo copulatur voluntate et natura: quia idem vult cum eo, et ipse formam assumpsit de natura hominis. Copulata est igitur sponsa sponso spiritualiter et corporaliter, id est caritate ac naturae conformitate. — Huius utriusque copulae figura est in coniugio: consensus enim coniugum copulam spiritualem Christi et Ecclesiae quae fit per caritatem signat; commixtio vero sexuum illam signat quae fit per naturae conformitatem.

2. Qualiter intelligendum sit illud: Mulier illa non pertinet ad matrimonium, cum qua non est commixtio sexuum\*. Inde est quod quidam doctorum dixerunt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quae non experitur carnalem copulam. — Ait enim Augustinus<sup>1</sup>: « Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuisse commixtio sexus ». — Item Leo Papa<sup>2</sup>: « Cum societas nuptiarum ita a principio sit instituta, ut praeter commixtionem sexuum non habeat in se Christi et Ecclesiae sacramentum, non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuisse

<sup>1</sup> est sacramentum *trp.* ARX. || in<sup>2</sup> om. BLTV. <sup>7</sup> coniugum] coniugii ALMRX.  
<sup>8</sup> signat] significat ACL. <sup>9</sup> signat] significat ACORX. <sup>17</sup> habeat] habet AMOT,  
 quod corr. interl. O<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Praeter ultima verba, eadem auctoritas est ac illa Leonis papae quae sequitur. Sed haec, ut iam notat H. Zeimentz, attribui oportet Hincmaro Remensi, qui citans verba Leonis papae quae sequuntur, *nuptiale mysterium* interpretatus est ut *commixtio sexuum*, ac continuo innuit hanc esse etiam doctrinam Augustini: «Nec habent nuptiae in se Christi et Ecclesiae sacramentum, sicut beatus Augustinus dicit, si se nuptialiter non utuntur, id est, si eas non subsequitur commixtio sexuum». Inde denuo sequitur auctoritas Leonis; ac infra, uti conclusio ipsius Hincmari, invenitur prima auctoritas Augustino attributa (PL 126, 137 B-D; 142 B). Cf. Hans Zeimentz, *Ehe nach der Lehre der Frühscholastik*, Düsseldorf 1973, 108; et N. Häring, *The Sententiae Magistri A.* (uti infra), 10-12. <sup>2</sup> *Epist.* 167 (*ad Rusticum Narbon. episc.*), inq. 4: «Cum societas matrimonium... ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae sacramentum, non dubium» etc. (PL 54, 1204 B - 1205 A).

Num. 2. Inter tales doctores enumerari debet Gratianus, C. 27 q. 2, cc. 16, 17, et dictum post c. 39 (1066, 1074); et probabiliter Magister Anselmus Laudunensis. Cf. N. M. Häring, *The «Sententiae Magistri A.» (Vat. ms. lat. 4361) and the School of Laon*, in *Mediaeval Studies* 17 (1955), 10ss, et 45; immo et H. J. F. Reinhardt, *Die Ehelehre der Schule des Anselm von Laon*, in BGPTMA, neue Folge 14, 1975, 185s, ubi textus proferuntur, et 86-93, ubi doctrina et eius historia elucidantur. Quas autem *Sententias* in manu non habuit noster Magister, ut notat cl. Häring (p. 45). Vide etiam L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 270-274.

nuptiale mysterium». — Item Augustinus<sup>1</sup>: « Non est perfectum coniugium sine commixtione sexuum ».

3. Haec si secundum superficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum ut dicat sine carnali copula non posse contrahi matrimonium, et inter Mariam et Ioseph non fuisse coniugium, vel non fuisse perfectum. Quod nefas est sentire: tanto enim sanctius fuit atque perfectius, quanto a carnali opere immunius.

4. Sed superius posita ea ratione dicta intelligendum est: non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non est permixtio sexuum, sed non pertinet ad matrimonium quod expressam et plenam teneat figuram coniunctionis Christi et Ecclesiae. Figuratur enim illam unionem Christi et Ecclesiae quae est in caritate, sed non illam quae est in naturae conformitate. Est ergo et in illo matrimonio typus coniunctionis Christi et Ecclesiae, sed illius tantum qua Ecclesia Christo caritate unitur, non illius qua per susceptionem carnis capiti membra uniuntur.

5. Augustinus in libro *De bono coniugali*<sup>2</sup>. Nec ideo tamen minus sanctum est coniugium, quia ut ait Augustinus, « in nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas ventris ». Est etiam coniugium signum spiritualis coniunctionis et dilectionis animorum, qua inter se coniuges uniri debent; unde Apostolus ait<sup>3</sup>: *Viri, diligite uxores vestras ut corpora vestra.*

## DISTINCTIO XXVII

### Cap. 1 (163).

Quae sint consideranda in coniugio. Post haec advertendum est quid sit coniugium, et quae sit efficiens causa coniugii et causa propter quam

<sup>3</sup> superficiem verborum *trp.* NORT. <sup>17</sup> sanctum *trp.* post coniugium BC, *trp.* post est V.

<sup>1</sup> *Aug. in libro de soliloquiis* (rubr. marg.); quae coniectura Magistri esse videtur; cf. tamen *Solil.*, II, c. 10, n. 17: «Nihil esse sentio quod magis ex arce deiciat animum virilem quam blandimenta feminea corporumque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest» (PL 32, 878). <sup>2</sup> Cap. 18, n. 21: «In nostrarum quippe nuptiis plus valet sanctitas sacramenti, quam fecunditas uteri» (PL 40, 388; CSEL 41, 125). <sup>3</sup> Eph. 5, 25 et 28.

Dist. XXVII. Cap. 1: Eadem quaestiones, ordine aliquantulum inverso, iam proponuntur ad caput tractatuli Magistri in *Glossa* sua in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1858 D; et in Proleg. nostris).



contrahi debeat, et quae sint bona coniugii et quomodo per ea excusetur coitus carnalis, et quae sint legitimae personae ad matrimonium. Sunt et alia plura in matrimonio considerata, quae sub compendio perstringemus.

Cap. 2 (164).

5

**Quid sit coniugium.** Sunt igitur nuptiae vel matrimonium viri mulierisque coniunctio maritalis, inter legitimas personas, individuam vitae consuetudinem retinens. — Ad 'individuam consuetudinem' pertinet quod, absque consensu alterius, neuter continentiam profiteri potest, vel orationi vacare<sup>1</sup>; et quod inter eos, dum vivunt, vinculum coniugale permanet, ut alii se copulare non liceat; et ut invicem alter alteri exhibeat quod quisque sibi. — Hac autem descriptione legitimorum et fidelium tantum matrimonium includitur.

Cap. 3 (165).

**1. De consensu qui efficit coniugium.** Efficiens autem causa matrimonii est consensus, non quilibet, sed per verba expressus; nec de futuro, sed de praesenti. — Si enim consentiunt in futurum, dicentes: Accipiam te in virum, et ego te in uxorem, non est iste consensus efficax matrimonii. Item, si consentiant mente, et non exprimant verbis vel aliis certis signis, nec talis consensus efficit matrimonium. Si autem verbis explicatur, quod

15

20

<sup>8</sup> individuam] vite add. BC, add. interl. O<sup>2</sup>, add. sed exp. X. 18 efficax] causa add. LT, add. interl. C<sup>2</sup>. 20 explicatur] explicant BCLNRWX.

<sup>1</sup> Resp. 1 Cor. 7, 5: *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi.*

Cap. 2. Definitio concinnatur ex dicto Gratiani ante c. 1 C. 27 q. 2 (1062), et quoad verba « maritalis inter legit. personas », ex eadem Glossa seu tractaculo, n. 2. — Interpretatio consuetudinis dependet a Gratiano, C. 27 q. 2 c. 3 § 1: « Individua vero consuetudo est talem se in omnibus exhibere viro, qualis ipsa sibi est, et e converso. Ad individuam itaque consuetudinem pertinent absque consensu legitimi viri orationi aliquando non posse vacare, nec continentiam profiteri » (1063). Animadversio ultima huius numeri iam in *Tract. Magistri de coniugio*, n. 2.

Cap. 3, n. 1. Doctrina de causa efficienti, iam in eodem *Tract.*, n. 4, quodammodo dependet ex tractatu Gualteri, capp. 6 et 7 (PL 176, 158 C, 160 A), ubi opponitur doctrina Hugonis, *De sacram.* II, 11, 6 (PL 176, 487 C). Sed de hoc fusius infra, in *Dist.* 28, c. 1; cf. L. Ott, *Untersuchungen*, 266-91.

tamen corde non volunt, si non sit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum quibus consentiunt, dicentes: Accipio te in virum et ego te in uxorem, matrimonium facit.

**2. Auctoritatibus probat quod consensus solus faciat matrimonium.**

5 Quod autem consensus matrimonium faciat, subditis probatur testimoniis. — **Isidorus** \*. Ait enim *Isidorus* 1: « Consensus facit matrimonium ». — **Nicolaus** \*. Item *Nicolaus* Papa 2: « Sufficiat solus, secundum leges, eorum consensus de quorum coniunctionibus agitur; qui solus si forte in nuptiis defuerit, cetera, etiam cum ipso coitu celebrata, 10 frustrantur ». — **Ioannes Chrysostomus, super Matthaeum** \*. Item *Ioannes Chrysostomus* 3: « Matrimonium quidem non facit coitus, sed voluntas; et ideo non solvit illud separatio corporis ». — **Ambrosius in libro De virginibus** \*. Item *Ambrosius* 4: « Non defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis ». — Ex his apparet quod 15 consensus, id est pactio coniugalis, matrimonium facit; et ex tunc coniugium est, etiam si non praecesserit vel secuta sit copula carnalis.

Cap. 4 (166).

**1. Quando incipiat esse coniugium.** Quod enim ab ipsa desponsatione, in qua pactio coniugalis exprimitur, coniuges sint, Sanctorum testimonia 20 probant. — **Ambrosius in libro De virginibus** \*. Ait enim *Ambrosius* 5: « Cum initiatur coniugium, coniugii nomen adsciscitur. Cum coniungitur viro coniugium est, non cum viri admixtione cognoscitur ». — **Isidorus in**

1 coactio ibi *trp.* LRTX. 4 solus faciat *trp.* MOT. 16 praecesserit] precessit BCMOTV (*lectio prima?*). 20 Rubrica *om.* RVW. 22-1 (p. 424) Rubrica *om.* CRVW.

<sup>1</sup> Ita Gratianus (*infra*); non invenitur apud Isidorum. <sup>2</sup> *Nicolaus* I, *Epist.* 97 (*ad consulta Bulgarorum*), n. iii (I. Mansi, *Concilia*, XV, 403 B; PL 119, 980 C). <sup>3</sup> *In Matth. opus imperf.*, hom. 32 (*inter opp.* Chrysost., PG 56, 802 A); apud eandem epist. *Nicolaus* I, n. iii (*ibid.*). <sup>4</sup> *De institutione virginis*, c. 6, n. 41: « Cum enim initiatur coniugium, tunc coniugii nomen adsciscitur; non enim defloratio virginitatis facit coniugium, sed pactio coniugalis. Denique cum iungitur puella, coniugium est, non cum virili admixtione cognoscitur » (PL 16 [1845], 316 C). <sup>5</sup> Ut in nota praecedenti.

Num. 2. Tres ex his auctoritatibusveniuntur in *Summa sent.*, VII, 6 (158 C-D); sed ut rubricae indicant, unacum nomine Isidori, fons *Magistri Decretum* exstat, C. 27 q. 2, dictum ante c. 1 (*Isidorus*), c. 1 (*Chrysost.*), c. 2 (*Nicolaus*), c. 5 (*Ambrosius*) (col. 1062-64).

Cap. 4: Iterum rubricae *Decretum* postulant, *ibid.* cc. 5, 6 et 9 (1064).



libro *Etymologiarum* \*. Item *Isidorus* 1: « Coniuges verius appellantur a prima desponsationis fide, quamvis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus ».

2. *Augustinus in libro De bono coniugali* \*. Item *Augustinus* 2: « Coniux vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu non agnovit nec fuerat agnitus; nec perierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, ubi nec fuerat nec futura erat carnis ulla commixtio. Propter quod fidele coniugium ambo 'parentes Christi' vocari meruerunt, non solum illa mater, sed etiam ille pater eius, sicut coniux matris eius: utrumque mente, non carne ». — Ex his evidenter insinuat quod ex tempore quo intercedit consensus voluntarius ac maritalis, qui solus coniugium facit, veri coniuges sunt sponsus et sponsa.

Cap. 5 (167).

1. *Secundum quosdam non est coniugium ante carnalem copulam, sed sponsi et sponsae sunt*. Quidam tamen asserunt verum coniugium non contrahi ante traductionem et carnalem copulam, nec vere coniuges esse aliquos antequam intercedat commixtio sexus, sed a prima fide desponsationis vir sponsus et mulier sponsa est, non coniux. Sponsos autem et sponsas 'coniuges' frequenter appellari dicunt, non quia sint, sed quia futuri sunt, cuius rei sponsionem invicem fecerunt. Et secundum hoc verba praemissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

2. *Qua ratione nituntur*. Quod vero inter sponsam et coniugem plurimum intersit, ex eo adstruunt, quia licet sponsae ante carnalem copulam, inconsulto vel nolente sponso, monasterium eligere; quo facto, sponso etiam licet aliam ducere. Coniugatus vero vel coniugata nec continentiam, nisi ex communi consensu, servare valet; nec monasterium petere, nisi uterque continentiam pariter profiteatur.

4 Rubrica om. RVW. 5 ex] a MT. 6 perierat] peierat OV, sed corr. V, corr. in pelerat T. 7 carnis] carnalis LO. 22 nituntur] utuntur BCWVX, vel u- add. interl. N<sup>2</sup>.

1 Lib. IX, c. 7, n. 9 (PL 82, 365 A). 2 Immo, *De nuptiis et concup.*, I, c. 11, n. 12 (PL 44, 420s; CSEL 42, 224).

Cap. 5. Cf. L. Ott, *Untersuchungen*, 272; et eius *Walter v. Mortagne*, in *Mélanges*, 667.

Cap. 6 (168).

1. *Quod sponsa potest monasterium eligere non exquisito sponsi consensu* \*. Quod vero liceat sponsae monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. — *Eusebius Papa* \*. Ait enim *Eusebius Papa* 1: « Desponsatam puellam non licet parentibus alii viro tradere, tamen licet sibi monasterium eligere ». — *Gregorius in Registro* \*. Item *Gregorius* 2: « Decreta legalia desponsatam, si converti voluerit, nullo penitus censuerunt damno mulctari ».

2. *Exempla ponit* \*. Refert etiam *Hieronymus* 3 quod *Macarius*, inter Christi eremitas praecipuus, celebrato nuptiarum convivio, cum vespere thalamum esset ingressurus, ex Urbe egrediens transmarina petiit et eremi solitudinem sibi elegit. *Beatus etiam Alexius* 4, similiter ex nuptiis divina gratia vocatus, sponsam deseruit et nudus Christo famulari coepit. — His auctoritatibus et exemplis liquet licere sponsis, sine consensu suarum sponsarum et e converso, continentiam profiteri.

Cap. 7-8 (169-170).

1. *Quod coniugatus vel coniugata nequeant continentiam profiteri sine alterius consensu*. Hoc autem coniugatis nullatenus licet. Non enim potest vir melioris vitae propositum sumere sine uxoris consensu, et e converso.

2 Rubrica om. AVW. 9 Rubrica om. RVW. 17 nequeant] nequeat RX, nequit V.

1 Cap. spurium; sedit solum quatuor menses, plerumque in exilio (cf. P. F. Kehr, *Italia Pontificia* VIII, 63; et H. Marot, art. *Eusèbe pape*, DHGE, XV, 1433). 2 Registrum Epist., VII, epist. 23 (20) (*ad Fortunatum et Anthemium*) (PL 77, 876 C). 3 Nihil invenitur de *Macario* inter opera S. Hieronymi genuina, nec de hac fabula apud *Rufini Historiam monachorum*, cc. 28-29, ubi agitur de duobus *Macariis* orientalibus (PL 21, 449-55). Cf. potius *Vita s. Macarii Romani... auctoribus Theophilo* (etc.), c. 18 (PL 73, 422 B). 4 De quo cf. *Acta Sanctorum Iulii* 17 (IV, Venetiis 1748, 238s); B. Mombritius, *Vitae Sanctorum*, I, Paris, 1910, 49; E. Josi, *Alessio, santo*, in *Bibliotheca Sanctorum*, I, 814-23.

Cap. 6: Omnia ex *Decreto*, C. 27 q. 2, in capp. 27, 28, et in dicto post c. 26 (1071s).

Cap. 7-8. In elencho capp. (supra, p. 17), n. 170 (8) intitulatur *De adulteriis coniugiis*, ratione, ut videtur, rubricae hic ad n. 5. Sed constat quod praeter minutissima in hoc numero non agitur de hac re; unde non oportet materiam dividi in duo capitula. — Num. 1-2 et altera pars n. 5 iam saltem in parte in *Summa sent.*, VII, 18 (PL 176, 167 A-C); sed, ut notat cl. L. Ott, *Walter v. Mortagne*, 686, Magister nunc se confert ad *Decretum*, scil. ad dictum



— **Gregorius** \*. Unde **Gregorius**<sup>1</sup> scribens Theotistae patriciae: «Sunt qui dicunt religionis gratia coniugia debere solvi. Verum sciendum est quia, etsi hoc lex humana concessit, tamen lex divina prohibuit. Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accu-  
sare? Sic enim multos sanctorum novimus cum suis coniugibus et prius  
continentem vitam duxisse, et post ad sanctae Ecclesiae regimina mi-  
grasse. Si vero continentiam quam vir appetit, mulier non sequitur; aut  
quam uxor appetit, vir recusat, coniugium dividi non potest, quia scri-  
ptum est<sup>2</sup>: *Mulier potestatem sui corporis non habet, sed vir; similiter et  
vir potestatem sui corporis non habet, sed mulier*».

2. **Idem Adriano panormitano notario** \*. Idem<sup>3</sup>: «Agathosa, latrrix  
praesentium, questa est virum suum contra voluntatem suam in monaste-  
rium esse conversum. Quapropter experientiae tuae praecipimus ut dili-  
genti inquisitione discutiatur, ne forte eius voluntate conversus sit, vel ipsa  
mutare se promiserit. Et si hoc repererit, et illum in monasterio permanere  
provideat, et hanc sicut promisit mutare compellat. Si vero nihil  
horum est, nec quondam fornicationis crimen, propter quod licet uxorem  
dimittere, praedictam mulierem commisisse cognoveris: ne illius conversio  
uxoris relictæ in saeculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut ma-  
ritum suum illi, etiam si iam tonsuratus est, reddere debeas, omni excu-  
satione cessante; quia nisi fornicationis causa virum uxorem dimittere  
nulla ratio concedit. Postquam enim copulatione coniugii viri et mulieris  
*unum corpus efficitur*<sup>4</sup>, non potest ex parte converti et ex parte remanere  
in saeculo».

3. **Item ex VIII synodo** \*. Item ex octava synodo<sup>5</sup>: «Si quis coniu-  
gatus converti ad monasterium velit, non est recipiendus nisi prius a con-

<sup>9</sup> sui corporis *trp.* AV, *trp. post mulier* LTX. <sup>10</sup> sui corporis *trp.* AV, *trp. post*  
vir LT. <sup>11</sup> Rubrica *om.* RVW. <sup>14</sup> discutiatur] discutiatur MVWX. <sup>15</sup> hoc] tua  
diligentia *add.* ABCLTV. || monasterio] monasterium ALOTVW. <sup>16</sup> promisit] vitam  
*add.* BC, debitum *add.* M. <sup>26</sup> velit *trp. post* coniugatus NRX (*Grat.*), *post* converti A.

<sup>1</sup> *Registrum Epist.*, XI, *epist.* 45 (27) (PL 77, 1161 A - 1162 A). <sup>2</sup> 1 Cor. 7, 4.  
<sup>3</sup> *Registrum Epist.*, XI, *epist.* 50 (30) (*ad Adrianum Panormitanum notarium*) (PL 77, 1169  
B-C). <sup>4</sup> Resp. 1 Cor. 6, 16. <sup>5</sup> Quid simile legitur in penultimo canone (n. 20) VIII  
Synodi seu Concilii Nicaeni II (cf. *Conciliorum Oecum. Decreta*, ed. Bononiae 1973, 153s);  
verba autem uti hic iacent S. Basilio attribuuntur ab Alexandro papa II, in *Epist.* 112  
(*Landulfo in Corsica*), post 1062, quo anno Landulfus VI] [seu VIII], Capuae princeps, in  
exsilium coactus fuit (PL 146, 1402 C-D; ex I. Mansi, *Concilia* XIX, 951 D); paraphrasis  
videntur S. Basilii *Regulae iusius tractatae* (PG 31, 947 C-D, 950 A).

ante c. 19, et ipsum c. 19 (ut in n. 1), c. 21 (n. 2), c. 22 (n. 3), c. 23 (n. 4), cc. 24 et 26 (n. 5),  
ed. cit. 1067-1070.

iuge castimoniam profitente fuerit absolutus. Tales igitur tunc sine culpa  
sequuntur Christum, relicto saeculo, si habent ex pari voluntate casti-  
tatis consensum».

4. **Ex Synodo Eugenii** \*: Item<sup>1</sup>: «Si vir et uxor divertere pro sola  
religiosa inter se consenserint vita, nullatenus sine conscientia episcopi  
fiat, ut ab eo singulariter proviso constituentur loco. Nam uxore nolente,  
vel altero illorum, etiam pro tali re matrimonium non solvitur».

5. **Augustinus, De adulterinis coniugiis** \*. Item **Augustinus**<sup>2</sup>:  
«Si abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, et pec-  
catum illius tuae imputabitur abstinentiae». — **Nicolaus Papa** \*. Item  
**Nicolaus** Papa<sup>3</sup>: «Scripsit nobis Theberga regina regia se velle digni-  
tate vel copula exui, et sola vita privata esse contentam desiderare. Cui  
scripsimus non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam vir eius Lotharius  
elegerit».

6. Ex his patet quod coniugati sine communi consensu continentiam  
profiteri vel habitum religionis sumere non valent; et si fecerint, revocari  
debent. Sponsi vero possunt sine communi consensu monasterium eligere:  
unde videtur inter sponsum et sponsam coniugium non esse.

7. Ideoque asserunt a prima fide desponsationis coniuges appellari  
non re praesentium, sed spe futurorum, quia ex fide quam ex desponsa-  
tione sibi invicem debent, postea efficiuntur coniuges. — Praemissas etiam  
auctoritates, quibus asseritur quod consensus matrimonium facit, ita in-  
telligi volunt, ut consensus vel pactio coniugalis non ante coitum faciat  
matrimonium, sed in coitu. Sicut enim defloratio virginitatis non facit  
matrimonium nisi praecedat pactio coniugalis, ita nec pactio coniugalis

<sup>5</sup> religiosa... vita] religione... in (*om.* MO) vita BCLMNOT, quod *corr.* L<sup>2</sup>N, vita *exp.* O.  
<sup>11</sup> Theberga V *Grat.*, Teberga ABLN, Tedberga X, Thyberga C, Theyberga M, Taberga ORTW.  
<sup>13</sup> non hoc *trp.* LT. || hoc aliter *trp.* BC. <sup>15</sup> consensu] monasterium eligere *add.* (*ex*  
*lin.* 17) BCN.

<sup>1</sup> Eugenius II in synodo Romano (826), c. 36 (I. Mansi, *Concilia*, XIV, 1009 A). <sup>2</sup> Ut  
iam notat Ae. Friedberg (*infra*), verba sunt potius pseudo-Chrysostomi *In Ps.* 50, hom. 1,  
de qua cf. M. Geerard, *Clavis patrum graecorum* II (Brepols 1974), n. 4544, p. 553s. Duae  
versiones latinae exstant: illa Dom. Iacobi de Billy (DHGE VIII, 1488-90) in editione Chry-  
sostomi, Parisiis 1581 (quam non vidimus), et Venetiis 1740, V, 582a, necnon et in PG 55,  
574 D - 575 A; et alia antiquior seu nostra, ut in ed. Venetiis 1583, I, 535d: «Quod si tu [uxor!]  
abstines sine illius voluntate, tribuis illi fornicandi licentiam, et peccatum illius tuae impu-  
tabitur abstinentiae». <sup>3</sup> Nicolaus I, ad Carolum Calvum regem (ep. 50, in Mansi XV,  
319 A; ep. 148, in PL 119, 1197 C).

Num. 6 conficitur ex dictis Gratiani post c. 26 (1070) et post 28 (1071).



antequam adsit copula carnalis. Ex pactioe igitur coniugali sponsi et sponsae fiunt ante coitum; in coitu vero efficiuntur coniuges. Facit enim pactio coniugalis ut quae prius erat sponsa, in coitu fiat coniux.

8. **Responsio ad praedicta cum determinatione superiorum.** His autem ita respondemus. Fit aliquando desponsatio ubi est compromissio viri et mulieris de contrahendo matrimonio, non est autem ibi consensus de praesenti; et est desponsatio habens consensum de praesenti, id est pactioem coniugalem, quae sola facit coniugium. In illa ergo desponsatione ubi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantum et sponsae fiunt, non coniuges; et talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri et monasterium eligere. In ea vero desponsatione ubi est consensus de praesenti, coniugium contrahitur, et ab illius desponsationis prima fide veri coniuges appellantur. — Secundum hanc distinctionem desponsationis, de sponsis varie loquuntur doctores.

Cap. 9 (171).

15

1. **Quomodo accipiatur sponsa in subditis capitulis.** Aliquando enim sponsas vocant, quae talem habuerunt desponsationem ubi fuit pactio coniugalis de praesenti; et illae vere coniuges sunt.

2. **Gregorius: Quod sponsam alicuius cognatus non potest ducere \*.** Unde Gregorius<sup>1</sup>: « Si quis uxorem desponsaverit vel subarrhaverit, quamquam postmodum, praeviente die mortis eius, nequiverit eam ducere in uxorem, tamen nulli de consanguinitate eius licet accipere eam in coniugio; et si inventum fuerit factum, separetur omnino ».

3. **Iulius Papa \*.** Item Iulius Papa<sup>2</sup>: « Si quis desponsaverit uxorem vel subarrhaverit, et vel praeviente die mortis, vel irruentibus quibusdam causis, eam non cognoverit, nec frater eius nec ullus de consanguinitate eius eandem sibi tollat in uxorem ullo unquam tempore ».

4. **Gregorius Mauritio imperatori ob quendam comitem qui nepotis sui mortui sponsam duxit uxorem \*.** Item Gregorius<sup>3</sup>: « Qui desponsa-

22 accipere eam *trp.* BCLMNTX.

<sup>1</sup> Decretum spurium. Secundum L. Machielsen ante Lombardum invenitur solummodo in *Decreto Gratiani* (infra): *Les spurii de S. Grégoire le Grand en matière matrimoniale, dans les collections canoniques jusqu'au Décret de Gratien*, in *Sacris Erudiri* 14 (1963) 257s. <sup>2</sup> Ex decretis Iulio I attributis (PL 8, 865 A-B); spurium, ut notat L. Machielsen (258). <sup>3</sup> De hoc decreto spurio et eius compositione, cf. L. Machielsen (258-260).

Cap. 9, n. 2: Ex *Decreto*, C. 27 q. 2 c. 14 (1066); n. 3: *ibid.*, c. 15; n. 4: *ibid.*, c. 12 (1065).

tam proximi sui puellam ceperit in coniugium, anathema sit ipse et omnes consentientes ei, quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam divinae legis est mos sponsas appellare coniuges, ut in Evangelio<sup>1</sup>: *Accipe Mariam coniugem tuam*; et in Deuteronomio<sup>2</sup>: *Si quis alterius sponsam in agro vel in quolibet loco oppresserit vel adduxerit in domum suam, moriatur, quia uxorem proximi sui violavit*: non quae iam uxor erat, sed quae a parentibus uxor fieri debebat ». — Ex his colligitur quod sponsae quaedam coniuges sunt ante commixtionem sexuum.

5. Sed forte illud movet, quod in fine capituli dicitur: « Non quae iam uxor erat, sed quae uxor fieri debebat ». Quod non ita debet intelligi, quasi uxor vere non fuerit, ex quo pactio coniugalis intercessit; sed quia nondum traducta fuerat, nec res uxoria intercesserat, scilicet concubitus coniugalis.

6. **Quod aliter accipitur in his aliis capitulis sponsa.** Vocatur etiam sponsa, quae sic viro desponsata est ut non intercesserit consensus de praesenti, sed sponsio futuri.

7. **Ex concilio Triburiensi \*.** Secundum quem modum illud decretum intelligitur<sup>3</sup>: « Si quis sponsam filii oppresserit, et post filius eius eam duxerit, pater postea non habeat uxorem, nec mulier virum; filius, qui patris facinus ignoravit, aliam ducat ». Si coniux illa fuisset, quod utique foret si in sponsalibus pactio coniugalis intercessisset, non permetteretur sponsus aliam ducere. Moechis autem poena non nubendi ex rigore infligitur, ut alii terreantur.

<sup>1</sup> ceperit] acceperit MRV *Grat.* <sup>12</sup> fuerat] fuerit BCMO. <sup>14</sup> sponsa (*rubr.*) *trp.* post accipitur BCNRV. <sup>14-15</sup> Vocatur... sponsa] Vocant... sponsam ALMR. <sup>20</sup> Si coniux] infra ubi unus duas sorores cognoscit *nota marg. add.* BCN<sup>2</sup>X.

<sup>1</sup> Matth. 1, 20. <sup>2</sup> Deut. 22, 25 ac 24, in versione ignota (Machielsen, 259). <sup>3</sup> Potius, ut videtur, ex Concilio Compendiensi (an. 757), c. 11 (I. Mansi, *Concilia*, XII, 566) vel c. 13 (PL 96, 1514 B-C), quibusdam mutatis.

Num. 7. In Glossa anonyma cod. Bamberg., *Patr.* 128, notatur supra verba: *si... pactio coniugalis intercessisset*: « Id est, pactio de presenti. Posuit tamen m(agister) P(etrus) in margine hanc notam: *Et predicto modo potest intelligi ut coniux* » (f. 19a). Cf. A. Landgraf, *Problèmes relatifs aux premières Gloses des Sentences*, in *RThAM* 3 (1931) 146. De qua nota nihil invenitur in Glossa olim Petro Pictaviensi attributa, nec in manuscriptis *Sententiarum* praeter codd. BCX, ubi ponitur tanquam rubrica: *Ex (sic) predicto modo potest intelligi ubi sponsa coniux*. Nihilominus talis traditio corroborari videtur testimonio glossae quae invenitur in *Cim* 22288: « Posuit tamen postea lombardus in margine libri sui quandam notam ubi sponsa potest intelligi pro coniuge » (f. 90r); cf. H. Weisweiler, *Eine neue frühe Glosse zum vierten Buch der Sent. des Petrus Lombardus*, in *BGPTMA*, Supplbd III, 367, n. 30.



8. **Ex eodem concilio** \*. Item ex eodem 1: « Quidam desponsavit uxorem et dotavit, et cum ea coire non potuit; quam clanculo frater eius corripuit et gravidam reddidit. Decretum est ut quamvis nupta non potuerit esse legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit; sed moechus et moecha fornicationis quidem vindictam sustineant, licita vero eis coniugia non negentur ». De illa desponsatione hoc intelligi debet, ubi non fuit consensus coniugalis de praesenti: alioquin non liceret eis alia sortiri coniugia.

9. **Ex concilio Toletano** \*. Secundum hoc etiam illud intelligi debet 2: « Statutum est a sacro conventu, ut si quis sponsam alterius rapuerit, publica poenitentia mulctetur et sine spe coniugii maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alii non negetur ». Apparet hanc fuisse desponsatam sine pactione coniugali de praesenti, et ideo non fuisse coniugem, cui vivente sponso alteri nubendi licentia non negatur. — Sunt enim quaedam nuptialia pacta de futuro ex quibus sponsi et sponsae vocantur, nec exinde coniuges sunt; et est quaedam pactione coniugalis de praesenti, quae sponsum et sponsam etiam coniuges facit. Et utraque pactione 'desponsatio' vel 'sponsalia' interdum dicitur; proprie tamen sponsalia dicuntur quaedam solemnia pacta nuptialia.

10. **Quare non mox tradantur sponsae**. — **Augustinus in libro Confessionum IIII** \*. De nuptialibus pactis ubi est tantum sponsio futuri ait Augustinus 3: « Institutum est ut iam pactae sponsae non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspiravit sponsus dilatam ».

Cap. 10 (172).

1. **Quae sponsa sit vidua mortuo sponso et quae non**. Et est sciendum quod illa sponsa quae tantum in futuro est pacta, mortuo sponso non re-

1 Rubrica om. ACRTVW. 7 fuit] fuerit LMN. 9 Rubrica om. ORVW.  
18 dicitur] dicuntur BCLMNVX. 26 Et] Item AM. || Et est] Est enim L. || est sciendum trp. AMVX.

<sup>1</sup> Concilio scil. Triburiensi (895), c. 41: « Si quis legitimam duxerit uxorem, et impediendo quacumque domestica infirmitate, uxorium opus non valens implere cum illa: frater vero eius, suadente diabolo, admatu ab ipsa, clanculum eam humiliaverit et violatam reddiderit »; quod autem sequitur non concordat cum textu nostro (Mansi, XVIII, 152 D-E).  
<sup>2</sup> Potius ex Concilio Trosleiano [Trosly] in pago Suessionico (an. 909), c. 8 (I. Mansi, XVIII, 286 D; PL 132, 696 C).  
<sup>3</sup> Rectius Lib. VIII, c. 3, n. 7 (PL 32, 752; CSEL 33, 175).

Cap. 10, nn. 1-2: textus concinnatur, partim ad verbum, ex dicto Gratiani post c.

manet vidua, quia non fuerat vir eius. Unde, si quis eam duxerit, ad sacros ordines conscendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Viduae enim maritus aequae sicut bigamus sacerdos fieri prohibetur. Ex tali autem copula nullus arcetur a sacris ordinibus.

2. **Qui alterius sponsam eo mortuo ducit, ad sacros ordines accedere potest**. — **Pelagius Papa** \*. Secundum hoc intelligendum est quod ait Pelagius Papa<sup>1</sup> de illo qui mortuo sponso, eius sponsam ducit in uxorem: « Nihil est, inquit, quantum ad hunc articulum attinet, quod ei obviet de canonicis institutis », quin ad sacros ordines promoveri valeat. Si vero talis sponsa fuisset, inter quam et sponsum eius consensus de praesenti intercessisset, eo mortuo vidua remansisset; cui copulatus in coniugio ulterius ad sacros ordines non accederet, cum viduam duxerit.

3. Non est igitur ambigendum quin solus de praesenti consensus coniugium efficiat, et exinde veri coniuges appellentur. Ideo post talem consensum si quis alii se copulaverit, etiam si carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam revocandus est.

## DISTINCTIO XXVIII

### Cap. 1 (173).

1. **Si consensus de futuro cum iuramento faciat coniugium**. Hic quaeri debet utrum consensus de futuro, addito etiam iuramento, coniugium efficiat, ut si quis promittat, vel etiam iuret alicui, se usque ad tem-

20 debet] solet BCN.

<sup>1</sup> Pelagius I (556-561), *Epist. 44 (Marcello episcopo sevoniensi)*: « Caritati tuae quae observare debeat significare curavimus, id est, ut Valentinum clericum, cui mulier cum alio ante velata, non tamen ei nupta sed virgo permanens, post mortem eius cum quo velata erat sponso, coniugali est copula sociata, quia interim velum accepit, nullum in promovendo generetur obstaculum, quia nihil est, quantum ad hunc articulum pertinet, quod ei de canonicis obviet constitutis » (ed. P. M. Gassó - C. M. Battle, *Pelagii I papae Epistulae quae supersunt*, in Abbatia Montisserati 1956, 149-152; PLS IV, 1302).

29 C. 27 q. 2 (1072), ubi et verba Pelagii referuntur. Vide etiam dictum ante c. 20 Dist. 34 (130), et ipsum c. 20 Pelagio attributum. — Num. 3. Ultima phrasia trahitur ex Hugone, *De sacram.*, II, 11, 5 (PL 176, 485 D).

Dist. XXVIII, c. 1. Cf. L. Ott, *Untersuchungen zur Briefliteratur*, 266-284, praesertim 282s; ac id., *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus*, 667-669; necnon et eius *Hat Magister*



pus placitum illam ducturum, et illa promittat vel iuret se illi nupturam, numquid talis sponsio eos coniuges fecit? Si mutato proposito, alter vel uterque ad alienam copulam transit, numquid ob priorem sponsionem iuramento subnixam secundae foederationis pactum scindetur?

2. **Responsio** \*. Considera quia longe aliud est promittere, et aliud 5  
facere. Qui promittit, nondum facit; qui ergo promisit se in uxorem ductu-  
rum aliquam, nondum eam duxit uxorem; et quae spondit se nuptu-  
ram, nondum nupsit. — Quomodo ergo coniuges appellari possunt qui  
nondum contrahunt, sed in futuro se contracturos iurando promittunt?  
Item, si ex vi iuramenti ad futurum pertinentis mox efficiuntur coniuges, 10  
cur iurant in futuro se facturos quod in praesenti efficiunt? Item, si ex  
quo iurant, mox efficiuntur coniuges, tunc hanc rem efficiunt quando  
iurant se facturos. — Ideo dico <sup>1</sup> quia coniugium tunc non fuit, sed fu-  
turum promittitur. Si vero ille post uxorem duxit et illa marito nupsit,  
coniugium utrinque fuit, et non potest dissolvi. Praecedens igitur men- 15  
dacium vel periurium poenitentia est corrigendum, sed coniugium se-  
quens non est dissolvendum. Non autem sic est quando iuramentum con-  
iugii praesentis consensus attestazione firmatur, quia post talem con-  
sensus, si quis alii se copulaverit, etiam si prolem procreaverit, irritum  
debet fieri, et ipse ad priorem copulam revocari. 20

3. **Quare videntur obviare praemissis** \*. — **Novellarum Constitutio** \*.  
Praemissae autem sententiae videtur obviare illud quod leges tradunt 2:  
« Si quis tactis divinis Scripturis iuraverit mulieri se eam legitimam uxo-  
rem habiturum, vel si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illi legitima  
uxor, quamvis nulla dos, nulla alia scriptura interposita sit ». — **Deter-** 25  
**minatio** \*. Sed hic ostenditur quid fieri vel esse debeat, non quid tunc  
fiat: non enim per illud iuramentum tunc fit uxor, sed fieri debet quia

<sup>5</sup> Responsio om. RVW. || aliud est *trp.* LT.      <sup>11</sup> Item *rep. in marg. ut rubrica* MOTX.  
<sup>19</sup> procreaverit] creaverit AL.      <sup>21</sup> videntur] videtur AW, *corr. ex* videntur R. || Consti-  
tutio] institutio ALT.      <sup>24</sup> vel] etiam *add.* BCT.      <sup>25-26</sup> Determinatio om. RVW.

<sup>1</sup> Ipse scil. Magister, verbis tamen Hugonis, uti infra (486 B).  
<sup>5</sup> (*Corpus Iuris Civilis* III, Berolini 1904, 376).

<sup>2</sup> *Novellae* LXXIV,

Rufinus die *Sentenzen des Petrus Lombardus benützt?*, in *Schol.* 33 (1958) 244-247. — Num. 1-2  
mixtim conficiuntur ex verbis Gualterii, *Summa sent.*, VII, 7 (PL 176, 160 A-B), unde ipsa  
quaestio et quaedam verba (« Quomodo... facturos »); et illis Hugonis de S. Victore, *De sa-*  
*cram.*, II, 11, 5 (PL 176, 486 A-C). — Num. 3. Difficultatem iam suscitavit Gualterus (160 A);  
textus autem Legum sumitur ex *Decreto* Gratiani, C. 30 q. 5 c. 9 (1107).

iuratum est. Potest et de illo iuramento hoc dictum intelligi, ubi de prae-  
senti consentiunt ac se invicem suscipiunt.

4. **Evaristus Papa** \*. Illi etiam sententiae, qua dictum est <sup>1</sup> solum con-  
sensus facere coniugium, videtur contraire quod Evaristus Papa  
ait <sup>2</sup>: « Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super feminam  
dominationem habere videntur et a quibus custoditur, uxor petatur, et a  
parentibus sponsetur, et legibus dotetur, et a sacerdote ut mos est bene-  
dicatur, et a paranympis custodiatur, ac solemniter accipiatur ». — Item <sup>3</sup>:  
« Ita legitima scitote esse connubia. Aliter vero praesumpta, non coniu- 10  
gia, sed adulteria vel fornicationes sunt, nisi voluntas propria suffragata  
fuerit et vota succurrerint legitima ». — **Quare hoc dixerit** \*. Hoc autem  
non ita intelligendum est, tamquam sine enumeratis non possit esse legi-  
timum coniugium, sed quia sine illis non habet decorem et honestatem  
debitam.

Cap. 2 (174).

1. **Quae ad necessitatem et quae ad decorem sacramenti pertinent** \*.

In huius enim sacramenti celebratione, sicut in aliis, quaedam sunt per-  
tinentia ad substantiam sacramenti, ut consensus de praesenti, qui solus  
sufficit ad contrahendum matrimonium; quaedam vero pertinentia ad  
decorem et solemnitatem sacramenti, ut parentum traditio, sacerdotum  
benedictio et huiusmodi, sine quibus legitime fit coniugium quantum ad  
virtutem, non quantum ad honestatem sacramenti. 20

<sup>1</sup> iuratum] iuramentum] LNRVWX, *quod corr.* NVW.      <sup>3</sup> Evaristus Papa om. RVW.  
<sup>4</sup> contraire] contradicere LT, *corr. ex* contrahere OW. || Evaristus] eucharistus AN (*quod*  
*corr.* N), eucharistus CW (*quod corr.* W<sup>2</sup>), evaristus OX, eucharistus T (*quasi eadem variatio-*  
*nes supra ad rubricam*).      <sup>5</sup> legitimum non fit coniugium *trp.* coniugium non fit legiti-  
mum ALT, non fit legit. coniug. N, legit. coniug. non fit V.      <sup>10-11</sup> suffragata fuerit]  
suffragaverit W *Grat.*, vel suffragaverit *add.* BC.      <sup>11</sup> Rubrica om. ALORTVW.      <sup>16</sup> Ru-  
brica om. TVW. || pertinent] pertineant CLNX.

<sup>1</sup> *Supra*, Dist. 27, c. 10, n. 3.      <sup>2</sup> Cap. spurium; invenitur apud I. Mansi, *Concilia*,  
I, 624 A-B. De influxu huius et seq., cf. G. Le Bras, art. *Mariage*, DThC IX, 2236 et 2257.  
<sup>3</sup> Aliud spurium; apud Mansi, I, 624 B-C.

Num. 4: Tam Hugo, *De sacram.*, II, 11, 5 (486 D) quam Gualterus, c. 6 (159 C), iam  
verba Evaristi saltem in parte offerunt; Magister autem sese confert ad textum in *Decreto*,  
C. 30 q. 5 c. 1 (1104). Conclusio, « Quare hoc dixerit », Gualteri est, c. 6 (ibid.).

Cap. 2. Circa distinctionem inter substantialia et accidentalia multa leguntur apud Hug.  
*De sacram.*, II, 11, 5-6 (PL 176, 487ss) et in dictis Gratiani ante et post c. 9 et post c. 11, C. 30  
q. 5 (1106-08). Sed quem influxum ista habuerint in Magistrum, non omnino constat.



2. Sine his ergo non quasi legitimi coniuges, sed quasi adulteri vel fornicatores conveniunt, ut illi qui clanculo nubunt; et utique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de praesenti, quae legitimum inter eos facit matrimonium. Nam et consensus occultus, de praesenti per verba expressus, coniugium facit, licet non sit ibi honestus contractus. Sed matrimonium non sancit consensus qui in occulto fuerit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiae redire et commanere cum coniuge, quia non potest probari testibus contractus qui in occulto est factus. Quod si ipsi qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum voluntarie in manifesto profiteantur, tunc utique voluntas propria suffragatur et legitima vota succurrunt<sup>1</sup> ad sanc-  
 5  
 10  
 15

## Cap. 3 (175).

1. De qua re sit consensus ille, an de carnali copula, an de cohabitatione, an de allo. Hic quaeritur, cum consensus de praesenti matrimonium faciat, cuius rei consensus sit ille, an carnalis copulae, an cohabitationis, an utriusque. Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore, pater cum filia, potest contrahere matrimonium. Si carnalis copulae, tunc inter Mariam et Ioseph non fuit coniugium. Proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet, secundum quod videtur angelo dixisse<sup>2</sup>: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?*; id est me non cognituram proposui. Neque enim quia tunc virum non cognoscebat, necesse erat inquiri quomodo posset habere filium, sed quia nunquam se cognituram proposuerat. — Beda, super Lu-

<sup>6</sup> sancit] sanxit BCLTVWX. <sup>8</sup> cum coniuge] quasi coniux M, quasi coniuges T.  
<sup>21</sup> pater cum filia om. BCLR, add. interl. N, exp. T.

<sup>1</sup> Uti supra dicit Evaristus (c. 1, n. 4). Dist. 30, c. 2, n. 2. <sup>2</sup> Luc. 1, 34; cf. verba Augustini infra,

Cap. 3, n. 1: Omnia, praeter auctoritatem Bedae (quae forsitan sumitur ex tractatu Gualteri, c. 10; PL 176, 163 B), ex dicto Gratiani, post c. 2 C. 27 q. 2 (1063).

cam\*. Dicit enim Beda<sup>1</sup> quod in virginitate manere disposuerat. Si igitur contra suum propositum post consensit in carnalem copulam, videtur facta voti rea mente, etsi non opere violati.

2. Ecce in quam rem fuit ille consensus\*. Dicamus igitur quod consensus cohabitationis vel carnalis copulae non facit coniugium, sed consensus coniugalis societatis, verbis secundum praesens tempus expressus, ut cum vir dicit: *Ego accipio te in meam*, non dominam, non ancillam, sed coniugem.

## Cap. 4 (176).

1. Quare de latere viri formata sit mulier\*. Quia enim non ancilla vel domina datur, ideo nec de summo nec de imo a principio formata est, sed de latere viri, ob coniugalem societatem. Si de summo fieret, ut de capite, videretur ad dominationem creata; si vero de imo, ut de pedibus, videretur ad servitutem subicienda. Sed quia nec in dominam nec in ancillam assumitur, facta est de medio, id est de latere, quia ad coniugalem societatem assumitur.

2. Cum igitur sic conveniunt, ut dicat vir: *Accipio te in meam coniugem*, et dicat mulier: *Accipio te in meum virum*, his verbis vel aliis idem significantibus, exprimitur consensus: non copulae carnalis vel cohabitationis corporalis, sed coniugalis societatis; ex qua oportet eos cohabitare, nisi forte causa religionis pari voto corporaliter separentur, vel ad tempus, vel usque in finem.

<sup>2</sup> igitur] ergo ALMV. <sup>4</sup> Rubrica om. NVW. || fuit] fiat BORX. || igitur] ergo MNV.  
<sup>10</sup> Rubrica om. LNVW. <sup>10-11</sup> ancilla vel domina trp. MTX.

<sup>1</sup> In Luc. 1, 34: «Propositum suae mentis reverenter exposuit, vitam videlicet virginalem se ducere decrevisse» (PL 92, 318 B; CCL 120, 33). Cf. *Glossa interl.* in h.l.: *Quomodo fiet istud*: «Ut concipiam et pariam, quae in virginitate permanere disposui» (apud Lyranum, V, 125r).

Cap. 4, n. 1: Conficitur ex verbis Hugonis, *De sacram.*, II, 11, 4 (485 A-B); dein I, 6, 35 (284 C), uti iam in II *Sent.*, d. 18, c. 2 (tom. I, 417, 3-5). — Num. 2: Item ex verbis Hugonis, *De sacram.*, II, 11, 6 (488 B), dein (quoad separationem pari voto) II, 11, 4 (485 B); de qua separationem, cf. infra, Dist. 31, c. 2, n. 1.



## DISTINCTIO XXIX

## Cap. unicum (177).

1. **Coactio excludit consensum conjugalem.** — **Urbanus Papa \***. Oportet autem consensum conjugalem liberum esse a coactione. Coactus enim consensus, qui nec consensus appellari debet, coniugium non facit, sicut testatur **Urbanus Papa**<sup>1</sup>, scribens Sanctio regi Aragonum in haec verba: « De neptis tuae coniugio, quam te cuidam militi daturum, necessitatis instante articulo, sub fidei pollicitatione firmasti, hoc aequitate dictante decrevimus: ut si illa virum illum omnino, ut dicitur, renuit, et in eadem voluntatis auctoritate persistit ut viro illi se prorsus deneget nupturam, nequaquam eam invitam ac renitentem eiusdem viri cogas coniugio copulari ».

2. **De filia Iordanis principis \***. Idem 2: « Si verum esse constiterit quod nobis legati Iordanis principis retulerunt, scilicet quod ipse coactus et dolens filiam suam, flentem et pro viribus renitentem, Rainaldo desponsaverit: quoniam legum et canonum auctoritas talia sponsalia non approbat, ne ignorantibus leges et canones nimis durum videatur, ita sententiam temperamus: ut si princeps cum assensu filiae id quod coeptum est perficere voluerit, concedamus. Sin autem legatus noster utrasque partes audiat, et si nihil fuerit ex parte Rainaldi quod amplius impediat, ab ipso Iordane sacramentum quo constant haec quae dicta sunt accipiat. Et nos, canonum ac legum scripta sequentes, deinceps non prohibemus quin alii viro, si voluerit, praedicta eius filia tantum in Domino nubat<sup>3</sup> ».

<sup>6</sup> Aragonum] aragorum AMORVWX.  
<sup>18</sup> coeptum] inceptum ALVW.

<sup>13</sup> Idem] Item MV, Ideoque A.

<sup>1</sup> Urbanus II, *Epist. et privilegia*, n. 96 (I. Mansi, XX, 713; PL 151, 373 B-C).

<sup>2</sup> Agitur de filia innominata Iordani seu frequentius Iordanis principis Capuani (1078-1091); textus resumitur in P. F. Kehr, *Italia Pontificia VIII*, Berolini 1935, n. 39, p. 209. Ubi etiam de Raynaldo filio Goffridi Ridelli ducis Caietani et comitis Pontiscurvi. <sup>3</sup> Resp. I Cor. 7, 39.

Dist. XXIX, c. un., n. 1. Omnia praeter primam phrasim, ex Gualt. de Mauritanía, *Summa sent.*, VII, c. 6 (PL 176, 159 A-B). — Num. 2: Rubrica, quae deest in *Decreto Gratiani*, C. 31 q. 2 c. 1 (1113), invenitur in *Decreto Ivonis*, VIII, 23 (PL 161, 588 D - 589 A) necnon et in *Sententiis Magistri A.*, n. 144 (ed. Reinhardt, 214s). Quae tamen, ob lectiones variantes, non videntur esse fontes Magistri.

3. Ex his apparet coniugium fieri inter consentientes spontaneos, non inter renitentes et invitos. Verumtamen, qui inviti et coacti coniuncti sunt, si postea ab aliquo temporis spatio sine contradictione et querimonia cohabitaverint, facultate discedendi vel reclamandi habita, consentire videntur; et consensus ille consequens supplet quod praecedens coactio tulerat.

4. **In libro Pandectarum \***. Consentire autem probatur qui evidenter non contradicit, secundum illud 1: « In sponsalibus eorum consensus exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper filia patri consentire, nisi evidenter dissentiat ». — Item 2: « Sponsalia sicut nuptiae consensu fiunt contrahentium: et ideo sicut in nuptiis, ita et in sponsalibus familias filiam consentire oportet »; « quae si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur ».

## DISTINCTIO XXX

## Cap. 1 (178).

1. **De errore qui evacuat consensum.** Nec solum coactio impedit vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit. Est enim error alius personae, alius fortunae, alius conditionis, alius qualitatis. Error personae, quando hic putatur esse ille homo, et

<sup>1</sup> consentientes] et add. ABCLR<sup>X</sup> *Summa Sent.* <sup>3</sup> ab om. BCLRTV<sup>X</sup>, del. N. <sup>7</sup> Rubrica om. AR, lacuna OT. <sup>12</sup> sponsalibus] patri add. C, patris add. BL<sup>X</sup>, add. interl. RT. || familias filiam trp. O<sup>2</sup>V.

<sup>1</sup> *Digesta seu Pandectae*, XXIII, tit. 1, lex 7 (*Corpus Iuris Civ.*, I, Berolini 1908, 330a).

<sup>2</sup> Ibid., lex 11 et 12 (330).

Num. 3: Ex conclusione Gualteri, c. 6 (159 B). — Num. 4: Secundum L. Ott, Magister probabiliter (*vermutlich*) se contulerit ad *Panormiam* Ivonis, VI, cc. 11-12 (PL 161, 1246 C); cf. *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus*, 667. Sed nunc quasi certi sumus quod opera Carnotensis nunquam in manibus habuerit Magister. Ex alia parte utraque auctoritas legitur in *Sententiis Magistri A.*, nn. 7-8 (ed. Reinhardt, 168), et propius ut in cod. *Vatic. lat. 4361* (ibid., 138).

Dist. XXX, c. 1. Praeter quaedam adiuncta, totum capitulum trahitur ex *Decreto Gratiani*, C. 29 q. 1 §§ 2-5 (1091s); de qua quaestione cf. J. Gaudemet, *Droit canonique et droit romain. A propos de l'erreur sur la personne en matière de mariage* (C. XXIX, q. 1), in *Studia Gratiana IX*, 45-64.



est alius. Error fortunae, quando putatur esse dives qui pauper est, vel e converso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui servus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est.

2. Error fortunae et qualitatis coniugii consensum non excludit; error vero conditionis coniugalem consensum evacuat, de qua conditione postmodum tractabimus<sup>1</sup>. — Error quoque personae consensum coniugalem non admittit: ut si quis feminam nobilem in coniugium petat, et pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos coniugium, quia non sensit vir in istam, sed in aliam. Ut si quis promitteret mihi se venditurum aurum, et pro auro offerret mihi aurichalcum, et ita me deciperet: numquid dicerer consensisse in aurichalcum? Nunquam volui emere aurichalcum: nec ergo in illud consensi, quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiae excludit consensum, ita et in coniugio error personae.

3. **Oppositio** \*. Sed obicitur de Jacob, qui pro Rachel septem annis servierat, et supposita est ei Lia<sup>2</sup>: numquid error personae exclusit coniugium, cum non in eam, sed in Rachel consenserit? — **Solvit** \*. Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbe traditur<sup>3</sup>. Ibi tamen, etsi non praecessit, secutus est consensus; nec ex illo concubitu qui consensum praecessit, fornicarii iudicantur, cum ille maritali affectu eam cognoverit, et illa uxorio affectu debitum persolverit, putans lege primogenitarum et paternis imperiis se illi iure copulatam. Excusatur etiam quia Dei consilio in mysterio ita actum est.

4. Hodie etiam excusaretur ille cui inscio uxoris soror lectulum eius ingressa se subiceret: quae cum sine spe coniugii perpetuo manere censeatur, ille tamen qui cognovit eam, per ignorantiam excusatur. — Quod per simile probatur: si enim diabolus, transfigurans se in angelum lucis<sup>4</sup>, credatur bonus, non est error periculosus. — Quod autem vir ille in illam mulierem non consenserit, ex simili ostenditur: si quis haereticus nomine Augustini vel Ambrosii alicui catholico se offerret, eumque ad suae fidei imitationem vocaret, si ille assentiret, in cuius sententiam fidei diceretur

<sup>1</sup> vel] et BCLN. <sup>9</sup> mihi se trp. C (sed corr.) VWX, add. (trp.) interl. T. <sup>16</sup> exclusit] excludit CLMNRVX, sed corr. LR. <sup>17</sup> consenserit] consensit BCMOVW. <sup>18</sup> Solvit] Solutio LX, om. ARVW. <sup>22</sup> Excusatur] Excusantur ALNRVX. <sup>24</sup> lectulum] lectum BCLTV.

<sup>1</sup> In Dist. 36, c. 1. <sup>2</sup> Resp. Gen. 29, 24-25. <sup>3</sup> \*Sed... traditur\* verba sunt ipsius Magistri; sic autem traditur ab August., *Contra Faustum*, XXII, cc. 51-58 (PL 42, 432-437; CSEL 25, 644-654). <sup>4</sup> Resp. II Cor. 11, 14.

consensisse? Non in haereticorum sectam, sed in integritatem fidei quam ille haereticus se mentiebatur habere.

5. Error fortunae consensum non excludit: quae enim nubit pauperi putans illum esse divitem, non potest renuntiare priori conditioni, quamvis erraverit. — Nec error qualitatis: ut si quis ducat in uxorem meretricem vel corruptam, quam putat esse castam vel virginem, non potest eam dimittere.

## Cap. 2 (179).

1. **De coniugio Mariae et Ioseph**. Praemissis<sup>1</sup> aliquid addendum est de modo illius consensus qui inter Mariam et Ioseph intercessit. Sane credi potest non solum Mariam, sed etiam Ioseph apud se disposuisse virginitatem servare nisi Deus aliter iuberet; eosque sic consensisse in coniugalem societatem, ut uterque de altero revelante Spiritu intelligeret quod virginitatem servare vellet nisi Deus aliter inspiraret. Sed illam voluntatem verbis non expresserant; postea vero expresserunt, et in virginitate permanserunt. Consensit ergo Maria in maritalem societatem, sed non in carnalem copulam, nisi de ea specialiter Deus praeciperet; cuius etiam consilio in maritalem consensit copulam, quia virginitatem servare volebat, et ideo non aliter consensisset in coniugalem societatem, nisi familiare Dei consilium habuisset.

2. **Augustinus in libro De nuptiis et concupiscentiis** \*. De qua Augustinus sic ait<sup>2</sup>: «Beata Maria proposuit se servaturam votum virginitatis in corde, sed ipsum votum non expressit in ore. Subiecit se divinae dispositioni. Proposuit se perseveraturam virginem, nisi Deus aliter ei revelaret. Committens ergo virginitatem suam divinae dispositioni,

<sup>1</sup> in<sup>2</sup> om. BL, add. interl. NV<sup>2</sup>, marg. W<sup>2</sup>. <sup>5</sup> in om. AMTX. <sup>9</sup> aliquid trp. post. est BCLT. <sup>17</sup> ea] eo V, eadem W, eodem ANO. || specialiter Deus trp. RTVW. || Deus trp. post nisi BCL. <sup>21</sup> Rubrica om. RVW. <sup>24</sup> perseveraturam] servaturam T, corr. ex servaturam L<sup>2</sup>. || virginem] in virginitate BCL, virginitatem T. <sup>24-25</sup> aliter ei trp. BCTW.

<sup>1</sup> Scil. in Dist. 28, c. 3, n. 1. <sup>2</sup> Verba sunt Gratiani (uti infra), sententia vero Augustini, *De sancta virginitate*, c. 4, n. 4 (PL 40, 398; CSEL 41, 237s); *Sermo 225*, c. 2; *Sermo 291*, n. 5 (PL 38, 1096s, 1318s).

Cap. 2. Cf. Gualt. de Mauretania, *Summa sent.*, VII, c. 10 (PL 176, 163 B-C); Hugo de S. Victore, *De B. Mariae virginitate* (PL 176, 857-76), et *De sacram.*, II, 1, 8; et II, 11, 5 (PL 176, 391-393; 487 D. Inter modernos, cf. L. Ott, *Untersuchungen*, 309-312, 404-415. — Num. 2: *Ex Decreto Gratiani*, C. 27 q. 2 c. 3 (1063).



consensit in carnalem copulam, non illam appetendo, sed divinae inspirationi in utroque obediendo. Postea vero simul cum viro labiis expressit, et uterque in virginitate permansit ».

3. **Quod perfectum fuit inter eos coniugium.** Inter quos, ut ait Augustinus<sup>1</sup>, perfectum fuit coniugium: perfectum quidem non in significatione<sup>2</sup>, sed in sanctitate. Sanctiora enim sunt coniugia pari voto continentium. — Augustinus, ad Ediciam\*. Unde Augustinus<sup>3</sup>: « Quod Deo pari consensu voveratis ambo, perseveranter reddere debuistis. A quo proposito si lapsus est ille, tu saltem persevera ». « Non quia pariter temperabatis a commixtione carnali, ideo maritus tuus esse destiterat; immo vero tanto sanctius coniuges manebatis, quanto sanctiora concorditer placita servabatis ». Perfectum igitur fuit Mariae et Ioseph coniugium in sanctitate.

4. Perfectum etiam fuit secundum triplex bonum coniugii, fidem scilicet, prolem, et sacramentum. — Augustinus in libro De bono coniugali\*. « Omne enim nuptiarum bonum, ut ait Augustinus<sup>4</sup>, impletum est in illis parentibus Christi: fides, proles, sacramentum. Prolem cognoscimus, ipsum Dominum; fidem, quia nullum adulterium; sacramentum, quia nullum divortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit, quia in carne peccati fieri non poterat sine pudenda concupiscentia carnis quae accidit ex peccato; sine qua concipi voluit, qui sine peccato futurus erat ».

5. Et licet non intercessisset coniugalis concubitus, coniuges tamen vere fuerunt, « mente, non carne », sicut et parentes<sup>5</sup>, quamvis Ambrsius dicat<sup>6</sup> perfectum fieri coniugium per carnalem copulam: « In omni, inquit, matrimonio coniunctio intelligitur spiritualis, quam confirmat et perficit coniunctorum commixtio corporalis ». Sed intelligendum est coniugium perfici commixtione corporali non quantum ad veritatem vel

<sup>7</sup> Rubrica om. RVW. <sup>8</sup> pari] patri RW, voto add. AM, add. interl. T, add. sed del. O, voto et add. X. <sup>15</sup> et om. CRT. || Rubrica om. RVW. <sup>22</sup> intercessisset] intercesserit BCLRTV.

<sup>1</sup> De nuptiis et concup., I, c. 11, n. 12 (PL 44, 420s; CSEL 42, 224s). <sup>2</sup> De qua supra, Dist. 26, c. 6, n. 3. <sup>3</sup> Epist. 262, nn. 3-4 (PL 33, 1078s; CSEL 57, 623s). <sup>4</sup> Id est, De nuptiis et concup., I, c. 11, n. 13 (PL 44, 421; CSEL 42, 225). <sup>5</sup> Ut dicit Augustinus (rubrica marg.), De nuptiis et concup., I, c. 11, n. 12 (420s; 224s). <sup>6</sup> In libro de patriarchis (rubr. marg.); potius autem est cap. incertum, ut notat Ae. Friedberg.

Num. 3. Prima auctoritas ex dicto Gratiani, C. 27 q. 2, post cap. 39 (1074); alia, Ad Ediciam, ex C. 33 q. 5 c. 4 (1251). — Num. 4: Rubrica (Augustinus...) Gratiani est, C. 27 q. 2 c. 9 (1064); ipse textus, c. 10 (1065).

sanctitatem coniugii, sed quantum ad significationem, quia perfectius unionem Christi et Ecclesiae tunc figurat<sup>1</sup>.

Cap. 3 (180).

1. **De finali causa coniugii\*.** Exposito quae sit efficiens causa matrimonii, consequens est ostendere ob quam causam soleat vel debeat contrahi matrimonium.

2. Est igitur finalis causa contrahendi matrimonii principalis procreatio prolis. Propter hoc enim instituit Deus coniugium inter primos parentes, quibus dixit<sup>2</sup>: *Crescite et multiplicamini* etc. — Secunda est, post peccatum Adae, vitatio fornicationis; unde Apostolus<sup>3</sup>: *Propter fornicationem unusquisque habeat uxorem, et unaquaeque habeat virum suum.* — Sunt et aliae causae honestae, ut inimicorum reconciliatio et pacis reintegratio. — Sunt etiam aliae minus honestae causae, propter quas aliquando contrahitur, ut viri mulierisque pulcritudo, quae animos amore inflammatos saepe impellit inire coniugium, ut valeant suum explere desiderium. Quaestus quoque et divitiarum possessio frequenter est causa coniugii; et alia multa, quae cuique diligentiam adhibenti facile est discernere.

3. Nec est assentiendum illis qui dicunt non esse coniugium, quod propter has causas minus honestas contrahitur. Constat enim ex praemissis<sup>4</sup> coniugium fieri ex communi consensu, verbis de praesenti expresso, quamvis amor ad hoc attraxerit. — Cuius rei documentum praestat Iacob<sup>5</sup>, qui Rachel *decoram facie et venusto aspectu* amavit, eamque diligens ait: *Serviam tibi pro Rachel septem annis.* In Deuteronomio etiam legitur<sup>6</sup>: *Si videris in medio captivorum mulierem pulchram et adamaveris eam, voluerisque uxorem habere, introduces eam in domum tuam.*

<sup>7</sup> matrimonii] matrimonium MRVW. <sup>11</sup> uxorem] suam add. AMNRX. <sup>13</sup> causae trp. post aliae NRW. <sup>14</sup> mulierisque] mulierisve RVX, et mulieris M. <sup>15</sup> valeant suum trp. BCLT. || explere] implere LMNV. <sup>22</sup> attraxerit] attraxit BC, contraxerit RW. <sup>23</sup> amavit] adamavit BCLTV.

<sup>1</sup> Vide supra, Dist. 26, c. 6, n. 1. <sup>2</sup> Gen. 1, 28. <sup>3</sup> I Cor. 7, 2. <sup>4</sup> In Dist. 27, c. 3. <sup>5</sup> Gen. 29, 17-18. <sup>6</sup> Deut. 21, 11-12.

Cap. 3, nn. 2-3. Omnia (nonnullis sane mutatis vel adiectis), ex cap. 1 operis Gualterii, scil. *Summae sent.*, VII (PL 176, 154 D - 155 B); iam in forma brevissima in tractatu primitivo *De coniugio*, n. 5, seu *Glossa* in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1586 B).



## Cap. 4 (181).

1. **Quod malus finis non contaminat sacramentum.** Et licet fine non bono contrahatur coniugium quando species contrahentis movet animum, coniugium tamen bonum est, quia vita mala vel intentio perversa alicuius sacramentum non contaminat.

2. Habuit autem coniugium Mariae et Ioseph alias causas speciales, scilicet « ut <sup>1</sup> Virgo solatio viri sustentaretur, et ut diabolo partus celaretur; ut Ioseph esset testis castitatis, defendens eam ab infamia suspicionis, ne ut adultera damnaretur ».

## DISTINCTIO XXXI

## Cap. 1 (182).

**De tribus bonis coniugii.** Post haec de bonis coniugii, quae sint et qualiter coitum excusent, dicendum est. — **Augustinus, super Genesim** \*. Tria sunt principaliter bona coniugii; unde **Augustinus** <sup>2</sup>: « Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur ne post vinculum coniugale cum alio vel alia coeatur; in prole, ut amanter suscipiatur, religiose educetur; in sacramento, ut coniugium non separetur, et dimissus vel dimissa nec causa prolis alteri coniungatur ».

## Cap. 2 (183).

1. **De duplici separatione.** Separatio autem gemina est, corporalis scilicet et sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornicationis,

<sup>4</sup> perversa alicuius *trp.* BCRX.

<sup>1</sup> *Glossa ordin.* in Matth. 1, 18: *Cum esset desponsata* (apud Lyranum, V, 7c). Cf. Hieron., *In Matth.* in h.l. (PL 26 [1845], 24 A-B). <sup>2</sup> *De Genesi ad litt.*, IX, c. 7, n. 12 (PL 34, 397; CSEL 28-I, 275s).

Dist. XXXI, c. 1. Cf. L. Ott, *Walter v. Mortagne und P. Lombard*, 661-64. — Cap. 1: iam in tract. primitivo, n. 7, seu in *Glossa* in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1586 D); ex *Summa sent.*, VII, 4 (PL 176, 157 A-B); verba August. inveniuntur in parte in *Glossa ordin.* in I Cor. 7, 6 (apud Lyran., VI, 42a; cod. 1 48c, m 48a).

Cap. 2, n. 1: Partim iam in eodem tract. primitivo, n. 8, seu in *Glossa* (158 D), ubi « ex

vel ex communi consensu causa religionis, sive ad tempus, sive usque in finem. Sacramentaliter vero separari nequeunt, dum vivunt, si legitimae personae sint. Manet enim vinculum coniugale inter eos etiam si aliis a se discedentes adhaeserint.

2. **Augustinus in libro De bono coniugali** \*. Unde **Augustinus** <sup>1</sup>: « Usque adeo manent inter viventes semel inita iura nuptiarum, ut potius sint inter se coniuges etiam separati, quam cum aliis quibus adhaeserunt ». — **In eodem** \*. Item <sup>2</sup>: « Manet inter viventes quoddam coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre; sicut apostata anima, velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita sacramentum fidei non amittit, quod lavacro regenerationis accepit. Redderetur enim redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicii, non ad meritum praemii ». — **In eodem** \*. Item <sup>3</sup>: « Quibus placuit ex consensu ab usu carnalis concupiscentiae in perpetuum continere, absit ut vinculum inter eos coniugale rumpatur, immo firmiter erit, quo magis ea pacta secum gerunt quae carius concordiusque servanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus ».

3. Et attende quod tertium bonum coniugii dicitur 'sacramentum' non quia sit ipsum coniugium, sed quia eiusdem rei sacrae signum est, id est spiritualis et inseparabilis coniunctionis Christi et Ecclesiae.

4. **Haec tria non adsunt omni coniugio.** Et est sciendum ab aliquibus contrahi coniugium quod haec tria bona non comitantur. Deest enim fides ubi vir cum alia vel mulier cum alio coit. Hoc igitur bonum ita coniugio adhaeret, ut ex eo, si adsit, amplius commendetur coniugium; si non adsit, non inde adnihilatur. Quae enim adultera est, non ideo coniux non est; immo si coniux non esset, adultera non foret. Quod cum fit, culpa commit-

15 eos] illos MOR Aug. 17 voluptariis] voluntariis BNWX, quod corr. in voluptuariis N. 20 quia<sup>2</sup>] quod BC, om. N. 27 fit] sit ALM.

<sup>1</sup> Potius, *De nuptiis et concup.*, I, c. 10, n. 11 (PL 44, 420; CSEL 42, 223). <sup>2</sup> Ibid. (420; 223s). <sup>3</sup> Cap. 11, n. 12 (420; 224).

communi consensu » trahi videtur ex *Summa sent.* VII, 18 (PL 176, 167 A); plura autem sunt nova, ex fonte ignoto. — Num. 2: Primae duae auctoritates, uti iam notavit L. Ott (663), sumuntur ex *Decreto*, c. 28 C. 32 q. 7 (1147); tertia ex fonte ignoto (invenitur in *Sent. Magistri A.*, n. 111; ed. H. J. F. Reinhardt, 199). — Num. 3: In tract. primitivo, n. 9, seu in *Glossa* in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1586 D), ex *Summa sent.*, VII, 4 (PL 176, 157 B). — Num. 4 verbis Gualteri introducitur (ibid.). Quae sequuntur, quasi in finem numeri, ex Hugone (quandoque contracte), *De sacram.*, II, 11, 8 (PL 176, 494 D - 495 B).



titur, sacramentum vero non cassatur. — Bonum quoque proles non omnibus adest coniugibus. Quidam enim pari voto continentiam servant; alii pro aetatis defectu vel alterius rei causa generare non valent. Nec omnes illi etiam qui prolem recipiunt, bonum proles habent. Nam bonum proles dicitur non ipsa proles vel proles spes quae ad religionem non refertur, 5 immo ad hereditariam successionem: ut cum quis heredes terrenae possessionis habere desiderat; sed spes ac desiderium quo proles ad hoc quaeritur, ut religione informetur. Multi ergo prolem habent, qui tamen bono proles carent; nec ideo tamen coniugium esse desinit. — Sacramentum vero ita inseparabiliter coniugio haeret legitimarum personarum, ut 10 sine illo coniugium non esse videatur, quia semper manet inter viventes vinculum coniugale, ut etiam interveniente divortio fornicationis causa, coniugalis vinculi firmitas non solvatur. Ubi vero non inter legitimas personas contrahitur coniugium, non adest illud bonum quod dicitur sacramentum, quia potest solvi talium copula; de quibus post dicitur 1.

5. **Augustinus in libro De bono coniugali** \*. Quod vero coniugium sit inter eos qui coniugali affectu, non tamen gratia proles, sed explendae libidinis conveniunt, nec fornicarii sed coniuges appellentur, ostendit Augustinus 2 inquit: « Solet quaeri, cum masculus et femina, nec ille maritus, nec illa uxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed 20 pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media ut nec illa cum altero, nec ille cum altera faciat id, utrum nuptiae sint vocandae. Et potest fortasse non absurde hoc appellari connubium, si usque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit, et proles generationem, 25 quamvis non ea causa coniuncti sunt, non tamen vitaverint: ut vel no-

1 cassatur (Hugo) quassatur AOVW, corr. ex cessatur NR. 3 pro aetatis] proprietatis ALMNRVX, quod corr. L<sup>2</sup>VX. 6 heredes trp. post possessionis ABCLTV. 8 ut] in add. interl. T. || religione] religiose MRV, vel in religione add. interl. V<sup>2</sup>. 10 haeret] adheret BCLTV, om. O, sed inest add. mg. O<sup>3</sup>. 25 sunt] sint CLNTW, corr. in sint BR.

1 In Dist. 34.

2 Cap. 5, n. 5 (PL 40, 376s; CSEL 41, 193).

Num. 5 conficitur ex dicto Gratiani ante cap. 5 C. 32 q. 2, ac inde ex verbis Augustini in ipso c. 5 (1121). Notari licet (etsi non lubet) Glossa in h.l. in cod. Bamberg. Patr. 128: « qui coniugali affectu, id est cum consensu de futuro, non filiorum procreandorum, etc., faciat id, vulgare est la chousa, scilicet stuprum, et tamen si non vitaverint: Glossa Petri [id est g.p. in codice !]: Nam quocumque modo conveniunt si tamen sub hoc pacto conveniant, ut pueros vel in utero vel extra interficiant, non sunt dicendi coniuges » (cf. A. Landgraf, *Problèmes relatifs aux premières Gloses des Sentences*, in RThAM 3 1931 146s). De hac nihil invenitur sive in codicibus *Sententiarum* sive in Glossa *Summa div. paginae* olim Petro Pictaviensi attributa. An revera legendum esset *Glossa Petri* ?

lint sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant ne nascantur. Ceterum si vel utrumque vel unum horum desit, non invenio quomodo has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliquam dignam honoribus aut suis facultatibus inveniat, 5 quam in coniugio adducat, animo ipso adulter est, nec cum illa quam cupit invenire, sed cum ista cum qua sic cubat ut cum ea non habeat maritale consortium ». — Ecce coniuges dicuntur, qui solius concubitus causa conveniunt, si tamen proles generationem aliquo malo dolo non vitent.

10 Cap. 3 (184).

**De his qui procurant venena sterilitatis.** Qui vero venena sterilitatis procurant, non coniuges, sed fornicarii sunt. — **Augustinus in libro De nuptiis et concupiscentiis** \*. Unde Augustinus 1: « Aliquando eousque pervenit haec libidinosa crudelitas vel libido crudelis, ut etiam sterilitatis venena procuret; et si nihil valuerint, conceptos fetus intra viscera aliquo modo exstinguat vel fundat, volendo suam prolem prius interire quam vivere; aut si in utero vivebat, occidi antequam nasci. Prorsus, si ambo tales sint, coniuges non sunt; et si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius convenerunt. Si vero ambo 20 non sunt tales, audeo dicere: aut illa quodam modo est mariti meretrix, aut ille adulter uxoris ».

Cap. 4 (185).

1. **Quando sint homicidae qui procurant abortum.** Hic quaeri solet de his qui abortum procurant, quando iudicentur homicidae vel non. 25 2. Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est et animam habet, ut Augustinus super Exodum 2 asserit; « informe

1 malo aliquo trp. BCLT. 5 adducat] ducat MRW, corr. in ducat LT. 11 venena sterilitatis<sup>2</sup> trp. AMNRX. 13 concupiscentiis] concupiscentia AOR. 14-15 sterilitatis venena trp. BCOTVW. 16 exstinguat] exstinguant BT. || fundat] fundant BT, corr. interl. in effundat N<sup>2</sup>. 23 Quando] Quod non MOTW. || sint] sunt MOTVW. 25-1 (p. 446) pertinet... homicidium add. marg. R<sup>2</sup>, om. (hom.) V. 26 asserit] disserit BCLN, vel a- praem. sed del. L, disputat X, vel disserit add. OW.

1 Lib. I, c. 15, n. 17 (PL 44, 423s; CSEL 42, 230). 2 Quaest. in Heptat., II, q. 80: in Exod. 21, 22-23 (PL 34, 626; CSEL 28-II, 147s; CCL 33, 111); cf. Lib. II, dist. 31, c. 7, n. 3 (I, 510).

Cap. 3. Rubrica excepta, omnia ex *Decreti Gratiani* c. 7 C. 32 q. 2 (1121s).

Cap. 4. Quaestio Gratiani est ante c. 8 C. 32 q. 2; unde etiam (1122) auctoritates Augustini (c. 8), Ambrosiastri (c. 9, sub nomine Augustini), et Hieron. (c. 10).



autem puerperium, ubi non est anima viva, Lex ad homicidium pertinere noluit. — **Augustinus in libro De quaestionibus novi et veteris testamenti** \*. Dicit etiam Augustinus<sup>1</sup> quod «informe puerperium animam non habet: ideoque mulctatur pecunia, non redditur *anima pro anima*<sup>2</sup>. Sed iam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine derivata. Nam, si cum semine et anima existit de anima, et mul-  
5  
tae animae quotidie pereunt, cum semen fluxu non proficit nativitati. Primum oportet domum compaginari, et sic habitatorem induci. Cum ergo lineamenta compacta non fuerint, ubi erit anima?»

3. **Hieronymus, ad Algasiam** \*. Item Hieronymus<sup>3</sup>: «Se-  
10  
mina paulatim formantur in utero, et tamdiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant». — Ex his apparet tunc homicidas esse qui abortum procurant, cum formatum est et animatum puerperium.

## Cap. 5 (186).

15

1. **De excusatione coitus quae fit per haec bona**. Cum igitur haec tria bona in aliquo coniugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim, servata fide thori, causa prolis coniuges conveniunt, sic excusatur coitus ut culpam non habeat; quando vero, de-  
20  
ficiente bono prolis, fide tamen servata, conveniunt causa incontinentiae, non sic excusatur ut non habeat culpam, sed venialem. — **Augustinus in libro De bono coniugali** \*. Unde Augustinus<sup>4</sup>: «Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam; concupiscentiae vero satian-  
25  
dae, sed tamen cum coniuge propter thori fidem, venialem habet culpam». — Item<sup>5</sup>: «Hoc quod coniugati, victi concupiscentia, utuntur in-

6 anima<sup>2</sup>] tunc add. TVW, add. sed del. R. 7 fluxu] fluxum BCLRW, fluxus X.  
9 erit NVW (Ambr.), erat alii codd. 16 haec bona (rubr.)] bona coniugii BC (ex elencho capp.)  
17 concurrunt] concurrant OR, occurrunt MX. 21-22 Rubrica om. RVW.  
|| Augustinus (in rubr.) om. BCTX. 24 thori fidem trp. BCLT.

<sup>1</sup> Immo Ambrosiaster, *Quaest. Vel. et Novi Test.*, q. 23 (PL 35, 2229; CSEL 50, 49s).  
<sup>2</sup> Exod. 21, 23. <sup>3</sup> Epist. 121, c. 4 (PL 22 [1859], 1015; CSEL 56, 16). <sup>4</sup> Cap. 6, n. 6 (PL 40, 377s; CSEL 41, 195). <sup>5</sup> In fragmento *Sermonis de bono nuptiarum* (PL 39, 1732); ex Floro Lugd. in I Cor. 7 (321).

Cap. 5 redit ad argumentum iam propositum in tract. primitivo, n. 10, seu in *Glossa* in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1587 A-B) et in *Summa sent.*, VII, 3 (PL 176, 156 A-C), unde omnia in num. 1.

vicem ultra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quibus quotidie dicimus<sup>1</sup>: *Dimitte nobis debita nostra* etc.

2. Ubi autem haec bona desunt, fides scilicet et proles, non videtur coitus defendi a crimine. — Unde in *Sententiolis Sexti Pythagorici*<sup>2</sup> legitur: «Omnis ardentior amator propriae uxoris adulter est». — **Hieronymus** \*. Item Hieronymus<sup>3</sup>: «Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu. Non regnat in eo impetus voluptatis, nec praeceptum fertur ad coitum. Nihil est foedius quam uxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt se causa humani generis uxoribus iungi, imitentur saltem pe-  
10  
cudes, et postquam venter uxoris intumuerit, non perdant filios; nec amatores se uxoribus exhibeant, sed maritos». — Idem<sup>4</sup>: «In matrimonio opera liberorum concessa sunt; voluptates autem quae de meretricum amplexibus capiuntur, in uxore damnatae».

## Cap. 6 (187).

15 1. **De indulgentia Apostoli, quomodo sit accipienda**. Sed si concubitus qui fit causa prolis culpa caret, quid Apostolus secundum indulgentiam permittit? Ita enim ait<sup>5</sup>: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*. Cui enim praestatur venia, nisi culpae? Per hoc etiam quidam probare volunt nuptias esse peccatum.  
20 2. Sed ut supra dictum est<sup>6</sup>, indulgentia alia est concessionis, alia permissionis. Egerat Apostolus de nuptiis et de carnali coitu, et ad utrumque retulit illud: *Hoc autem dico secundum indulgentiam*. Indulgentur enim nuptiae secundum concessionem, et concubitus nuptialis qui fit tantum

1 pro] in MOT. 13 damnatae] damnantur X, sunt add. V, add. marg. R<sup>2</sup>. 15 Apostoli... accipienda] quam facit apostolus BC (ex elencho capp.)

<sup>1</sup> Resp. Matth. 6, 12. <sup>2</sup> Sent. 222 (M. de la Bigne, *Bibl. Patrum et vet. auctorum*, V, Paris. 1610, 648 B; *Bibl. Maxima Patrum*, III, Lugduni 1677, 337 E). <sup>3</sup> Adv. Iovinianum, I, n. 49 (PL 23 [1845], 281 A-B), ubi citatur *Sextus in sententiis*. <sup>4</sup> Hier., *In Eph.* 5, 25: *Viri, diligite uxores vestras* (PL 26 [1845], 532 C-D). <sup>5</sup> I Cor. 7, 6. <sup>6</sup> Dist. 26, c. 3.

Num. 2. Dictum Sexti, iam in eodem tract., n. 11, seu in eadem *Glossa*, sed anonymum, de sequenti auctoritate Hieron. excerpitur; utraque ex *Decreto*, c. 5 C. 32 q. 4 (1128s); ultima, ex c. 14 eiusdem quaestionis (1131).

Cap. 6. Hic quaestionem perficit Magister quam iam in *Glossa* in I Cor. 7, 6, proposuit (PL 176, 1598 A). Quod illic rubricatur: *Augustinus de verbis apostoli* (etiam in cod. z f. 52a) repetitur hic in num. 3. Nullibi autem, ut videtur, invenitur inter sermones Augustino attributos, nec alibi.



causa prolis. Concubitus vero qui est praeter necessitatem generandi, ob incontinentiam, indulgetur secundum permissionem, « quia ibi aliqua culpa est, sed levis »<sup>1</sup>. Ideoque non iubetur, nec conceditur, sed permittitur, quia non est laudabilis, sed venialis.

3. **Augustinus in sermone De verbis Apostoli \***. De hoc Augustinus<sup>5</sup> sic ait: « Forte aliquis dicet: Si veniam concessit Apostolus, ergo peccatum sunt nuptiae: cui enim venia nisi peccato conceditur? Plane, quod infirmitati permisit secundum veniam, audeo dicere peccatum esse. Veniam namque concedens Apostolus, concubitus attendit coniugatorum, ubi est incontinentiae malum ».

Cap. 7 (188).

1. **Quod sit malum incontinentiae \***. Incontinentiae malum est, quod vir cognoscit uxorem etiam ultra necessitatem procreandi liberos; sed et ibi est nuptiarum bonum. — **Augustinus, super Genesim \***: « Non<sup>3</sup> enim quia incontinentia malum est, ideo coniugium » ubi est concubitus praeter intentionem generationis « non est bonum. Non propter illud malum culpabile est hoc bonum, sed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale »; quod non reprehendit Apostolus, sed malum incontinentiae.

2. **Augustinus in libro De bono coniugali \***. Idem<sup>4</sup>: « Concubitus qui non fit causa prolis, nuptiae non cogunt fieri, sed impetrant ignosci; si tamen non ita sit nimius ut impediatur tempora quae orationi debentur, nec immutetur in eum usum qui est contra naturam ». « Concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, et solus ipse nuptialis est; ille vero qui ultra necessitatem progreditur, non rationi, sed libidini obsequi-

<sup>5</sup> Rubrica om. RVW. <sup>12</sup> Quod... incontinentiae (rubrica) De malo incontinentie (ex elencho) BCV, sed BC ponunt infra ante cap. 8, om. rubrica WX. <sup>13</sup> et] etiam MV<sup>2</sup> (interl.), om. ABN. <sup>14</sup> Rubrica om. BCRVWX. <sup>19</sup> Rubrica om. RVW, trp. porum infra, ante Concubitus (22) BX. || In libro om. NO. <sup>21</sup> nimius] nimis OW, quod corr. mg. W<sup>2</sup>. <sup>24</sup> vero] est AO, quod corr. interl. in enim A, quod del. O, om. W.

<sup>1</sup> Iam in Glossa interl. in I Cor. 7, 6, sub rubrica Aug. (apud Lyran., VI, 42a; I 48v; m 48r); inde in Glossa Magistri (PL 191, 1588 D, 1589 A). <sup>2</sup> Non invenimus extra Glossam Magistri (447). <sup>3</sup> De Genesi ad litt., IX, c. 7, n. 12 (PL 34, 397; CSEL 28-I, 275). <sup>4</sup> Cap. 10, n. 11 (PL 40, 381; CSEL 41, 202).

Cap. 7, n. 1: Ex Glossa in I Cor. 7, 6 (PL 191, 1589 B), ubi etiam auctoritas Augustini, ex Floro in h.l. (321); verba autem « ubi est... generationis » inseruit Magister ex Glossa ordin. (apud Lyranum, VI, 42c; cod. I 48c, m 48a). — Num. 2: Ex Hugone, De sacram., II, 11, 9 (PL 176, 496 C-D); sed lemma « Concubitus... libidine obsequitur » corrigi videtur ex Glossa in I Cor. 7, 6 (PL 191, 1589 B).

tur; et hunc non exigere, sed reddere coniugi ne fornicetur, ad coniugem pertinet. Si vero ambo tali concupiscentiae subiguntur, rem faciunt quae non est nuptiarum: cuius delicti non sunt nuptiae hortatrices, sed deprecatrices. — « Decus<sup>1</sup> quidem coniugale est castitas procreandi, et reddendi carnalis debiti fides: hoc est opus nuptiarum quod ab omni peccato defendit Apostolus dicens<sup>2</sup>: *Non peccat virgo si nupserit* ».

3. « Cum<sup>3</sup> igitur culpabilis non sit generandi intentione concubitus, qui proprie nuptiis imputandus est, quid secundum veniam concedit Apostolus, nisi quod coniuges debitum carnis exposcunt non propaginis voluntate, sed libidinis voluptate? Quae tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, sed propter nuptias accipit veniam. — « Immoderata<sup>4</sup> igitur progressio secundum veniam conceditur ». — « Quocirca<sup>5</sup> et hinc laudabiles sunt nuptiae, quia etiam illud quod non pertinet ad se, ignosci faciunt propter se. Non enim iste concubitus, quo servitur concupiscentiae, agitur ut impleatur fetus quem postulant nuptiae ».

4. **Augustinus, Contra Iulianum haereticum \***: « Omnino<sup>6</sup> igitur in genere suo nuptiae bonae sunt, quia fidem thori servant, et prolis suscipiendae causa utrumque sexum commiscunt, et impietatem separationis horrent ». — « Sanctitati<sup>7</sup> etiam coniugii nec coniux infidelis obesse potest, sed potius fidelis prodest infideli, ut Apostolus<sup>8</sup> docet ».

5. Ex his ostenditur quod coniuges qui causa prolis tantum conveniunt, vel qui exigentibus debitum reddunt, defendit a peccato sanctitas coniugii bonumque nuptiale. Si enim absque peccato non posset fieri concubitus coniugalis, non praecepisset Dominus post diluvium eos copulari dicens<sup>9</sup>: *Crescite et multiplicamini*, cum iam sine carnali concupiscentia non possent commisceri.

<sup>2</sup> subiguntur] subiunguntur L, subiungantur X. <sup>16</sup> Rubrica om. OVW. <sup>17-18</sup> suscipiendae] suscipiendi BCOT, sed corr. CT.

<sup>1</sup> Ibid., c. 11, n. 12 (382; 204). <sup>2</sup> I Cor. 7, 28: *Et si nupserit virgo, non peccavit; ibid., 36: non peccat [vir], si nubat.* <sup>3</sup> Sine rubrica hic et in Glossa (infra). Revera est ex libro *De nuptiis et concup.*, I, c. 14, n. 16 (PL 44, 423; CSEL 42, 229). <sup>4</sup> August., *De bono coniugali*, c. 11, n. 12 (PL 40, 382; CSEL 41, 204). <sup>5</sup> August., *De nuptiis et concup.*, loc. cit. <sup>6</sup> *Contra Iulianum Pelagianum*, III, c. 16, n. 30 (PL 44, 717). <sup>7</sup> August., *De bono coniugali*, c. 11, n. 13 (PL 40, 383s; CSEL 41, 204s). <sup>8</sup> Resp. I Cor. 7, 14: *Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem.* <sup>9</sup> Gen. 9, 1.

Num. 3, ex eadem Glossa (1589 C), praeter « Immoderata... conceditur » (ex Hugone, uti supra). — Num. 4: Auctoritas *Contra Iulianum* iam ad finem *Glossae* in I Cor. 7, 6 (PL 191, 1589 D); ex fonte ignoto. Altera, ex Hugonis *De sacram.*, II, 11, 9 (496 D). — Num. 5. Secunda pars dependet a Gualt. *De coniugio*, c. 3 (PL 176, 156 B), ut notat L. Ott, *Walter v. Mortagne und Petrus Lombardus*, 660.



## Cap. 8 (189).

1. **Quod non omnis delectatio carnis peccatum est.** Sed forte aliquis dicet omnem carnis concupiscentiam et delectationem quae est in coitu malam esse et peccatum, quia ex peccato est et inordinata<sup>1</sup>. — Et nos dicimus illam concupiscentiam semper malam esse, quia foeda est et poena peccati, sed non semper peccatum esse. Saepe enim delectatur vir sanctus secundum carnem in aliqua re, ut requiescendo post laborem, edendo post esuriam; nec tamen talis delectatio est peccatum, nisi sit immoderata. Sic et delectatio quae est in coitu coniugali cui adsunt illa tria bona, a peccato defenditur.

2. **Gregorius aliter videtur dicere** \*. Videtur tamen beatus Gregorius<sup>2</sup> aliter sentire, scilicet quod sine peccato non possit fieri carnalis commixtio, dicens: « Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua ecclesiam intrare non debet. Quamvis diversae hominum nationes de hac re diversa sentiant et alia custodire videantur, Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admixtionem propriae coniugis, et lavacri purificationem quaerere, et ab ingressu ecclesiae paululum temperare. Nec hoc dicentes, culpam deputamus esse coniugium; sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu est abstinendum, quia voluptas ipsa sine culpa esse nullatenus potest ».

<sup>2</sup> Quod... est] De malo incontinentie (scil. titulus c. 7 seu 188 in elencho) BC, quod marg. parum infra add. X<sup>2</sup>. <sup>4</sup> inordinata] est add. BCLT. <sup>11</sup> Rubrica om. RVW. <sup>13</sup> coniuge] uxore BCLW. <sup>15</sup> et om. MO. || custodire videantur trp. BCLT. <sup>15-16</sup> semper om. BCLV.

<sup>1</sup> De hoc plura in Lib. II, d. 32, cc. 1-2 (I, 511-514). <sup>2</sup> Gregorius Magnus, Responsio ad interrogationem X Augustini Cantuariensis (PL 77, 1196 B-C); seu ad Interrogationem VIII, in Bedae Historia ecclesiastica, I, 27 (PL 95, 64 D). Authenticitas autem huius documenti adhuc sub lite est, non obstante eius antiquitate. Cf. S. Brechter, O.S.B., Die Quellen zur Angelsachsenmission Gregors des Grossen (Münster 1941); P. Meyvaert, Les « Responsiones » de S. Grégoire à S. Augustin de Cantorbéry, in Rev. d'Hist. eccl. 54 (1959) 879-894; id., Bede's Text of the « Libellus Responsionum » of Gregory the Great to Augustine of Canterbury, in England before the Conquest: Studies in Primary Sources presented to D. Whitelock (Cambridge 1971), 15-33.

Cap. 8, nn. 1-2 conficiuntur ex verbis et doctrina Gualteri in eodem cap. 3 (156 C-157 A); necnon, inspirante eodem, ex cap. Gregorii (iam partim ibidem) in Decreto Gratiani, C. 33 q. 4 c. 7 (1248s).

3. **Determinat auctoritatem.** Hoc autem, ne praedictis obviet, intelligendum est in illis qui non gratia prolis conveniunt, quorum voluptas non est sine peccato. Et vix aliqui reperiri possunt adhuc amplexus carnales experientes, qui non interdum conveniant praeter intentionem procreandae prolis. Hoc autem quoties fit, ab ingressu ecclesiae abstinendum est.

4. **Confirmat determinationem per verba eius** \*. Gregorius \*. Et quod ita intelligendum sit, Gregorius consequenter ostendit<sup>1</sup>: « Si quis vero sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia utitur, iste profecto, sive de ingressu ecclesiae, seu de sumendo corporis dominici mysterio, suo est iudicio relinquendus, quia prohiberi a nobis non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandae sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habeant coniuges etiam de commixtione sua quod defleant. Tunc autem vir qui post admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacram communionem valet accipere, cum ei secundum praefinitam sententiam ecclesiam licuerit intrare ».

## DISTINCTIO XXXII

## Cap. 1 (190).

1. **De solutione carnalis debiti.** Sciendum est etiam quia, cum in omnibus aliis vir praesit mulieri ut caput corpori: est enim *vir caput mulieris*<sup>2</sup>, in solvendo tamen carnis debito pares sunt. — Ideo Apostolus<sup>3</sup> utrique

3-4 amplexus carnales trp. BCLT. <sup>7</sup> eius om. BCX. <sup>10</sup> sive] seu BCWX. || seu] sive ABCRWX. <sup>12</sup> prohiberi a nobis trp. BCX. <sup>15</sup> qui om. MOW. || coniugis] si add. OW. <sup>20</sup> est etiam trp. AMO. <sup>22</sup> utrique] pariter add. ABCLW, add. interl. N, add. marg. T, pari add. X, parti add. sed del. R.

<sup>1</sup> In eadem Responsione X (PL 77, 1197 B-C, et 1198 A); seu Resp. VIII (PL 95, 65 C-66 B). <sup>2</sup> Resp. I Cor. 11, 3. <sup>3</sup> I Cor. 7, 3-4.

Num. 3 dependet a conclusione Gualterii (157 A), quae confirmatur (num. 4) ex eodem cap. Gregorii, § 2 (1249).

Dist. XXXII, cap. 1. Quasi omnia iam in Glossa in I Cor. 7, 3 (PL 191, 1588 A-B). Auctoritas vero Augustini (in num. 2) hic exactius citatur auxiliante Gratiano, c. 3 C. 32 q. 2 (1120).



praecipit (Ambrosius \*): « in <sup>1</sup> hac causa sibi invicem subici », inquit: Vir debitum reddat uxori, similiter et uxor viro, quia mulier non habet potestatem sui corporis sed vir; similiter et vir non habet potestatem sui corporis, sed mulier. — Ambrosius \*: Quia <sup>2</sup> nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem habet sui corporis; (Augustinus <sup>3</sup> \*): nec vir <sup>5</sup> ad continendum nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu; sed alter alterius potestatem habet corporis, ut poscenti alteri non liceat alteri negare debitum. — Ambrosius \*: « In <sup>4</sup> hoc enim pares sunt », quia « nec viro nec mulieri corpus suum licet alii tradere, sed sibi invicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio ». — Augustinus \*. <sup>10</sup> Per quod « non <sup>5</sup> dominium tollitur viro, sed vitium ».

2. Augustinus in libro De bono coniugali \*: « Debent <sup>6</sup> enim sibi coniugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quae prima est in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis invicem excipiendae, ad illicitos concubitus devitandos, mutuum <sup>15</sup> quodam modo servitutem, ut etsi alteri eorum continentia placeat, nisi ex alterius consensu non possit. Ad hoc enim neuter habet potestatem sui corporis. Quod adeo verum est, ut etiam quod non filiorum procreandorum, sed infirmitatis et incontinentiae causa expetit vel ille de matrimonio vel illa, non sibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damna- <sup>20</sup> biles corruptelas ». « Reddere <sup>7</sup> enim debitum coniugale nullius est criminis; exigere autem ultra generandi necessitatem, culpa est venialis; fornicari vero vel moechari puniendi est criminis ».

Cap. 2 (191).

1. Quod neuter continere valeat nisi ex communi consensu. Quod vero <sup>25</sup> sine consensu uxoris vir continere non valeat, subditis probatur testimo-

2-3 non... corporis] sui corp. potestatem non habet BCT. 3 similiter om. BC. || sui corp. trp. MR. 5 habet trp. post corporis MNV. 23 vero] autem LX, om. M. 25 Rubr. ex elencho capp. BC, diversa R<sup>2</sup>. || communi consensu trp. LMTVX.

<sup>1</sup> Ambrosiaster, In I Cor. 7, 3-4 (PL 17 [1845], 216 C; CSEL 81-II, 71). 2 Ambrosiaster, uti supra. 3 Sic in codd. nostris; in Glossa Magistri (1588 B), sub rubrica: De bono coniugali sequitur quasi idem textus ut infra in n. 2 huius capituli. 4 Ambrosiaster, In I Cor. 7, 3-4 (PL 17, 216 D; CSEL 81-II, 71). 5 Sermo 332: « Vitium tibi tollitur, non dominium » (PL 38, 1463). 6 Cap. 6, n. 6 (PL 40, 377; CSEL 41, 195). 7 August., ibid., c. 7, n. 6 (378; 195s).

Cap. 2 trahitur ex Decreto Gratiani: num. 1, ex C. 33 q. 5 c. 1 (1250); n. 2 ibidem, c. 5

niis. — Augustinus, super psalmum CXLVI \*. Ait enim Augustinus I: « Si dicat vir: 'Continere iam volo, nolo autem uxorem: non potest. Quod enim tu vis, illa non vult. Numquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alii nupserit te vivo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus <sup>5</sup> tale damnum compensari. Redde debitum; etsi non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debes uxori ».

2. Augustinus, ad Ediciam \*. Idem 2: « Secundum verba apostolica, etiam si vir continere voluisset, et tu noluisse, debitum tibi reddere <sup>10</sup> cogeretur; et illi Deus imputaret continentiam, si non suae, sed tuae concederet infirmitati, ne in adulterium caderes ». — « Quisquis <sup>3</sup> igitur, compatiens infirmitati uxoris, reddit, non exigit debitum; aut si propter propriam infirmitatem ducit uxorem, plangens potius quia sine uxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit, securus exspectat diem novis- <sup>15</sup> simum ».

3. Augustinus, ad Armentarium et Paulinam \*. Idem 4: « Una causa sola esse potest, qua te ad id quod vovisti non modo non hortaremur, sed etiam prohiberemus implere: si forte tua coniux hoc tecum suscipere animi vel carnis infirmitate recusaret. Nam vovenda talia non sunt a coniugatis <sup>20</sup> nisi ex consensu et voluntate communi; et si praeproperum factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persolvenda promissio. Non enim Deus exigit, si quis ex alieno aliquid voverit, sed potius usurpare vetat alienum ». — Augustinus in libro De adulterinis coniugiis \*. Idem 5: « Apostolus <sup>6</sup> nec ad tempus, ut vacent orationi, nisi ex consensu voluit <sup>25</sup> coniuges carnali invicem fraudari debito ».

2 nolo autem uxorem B<sup>1</sup>C<sup>1</sup>OR<sup>2</sup>, nolo iam uxorem Aug., Grat. || nolo] nolit X, nolente AN, corr. in nolente R<sup>2</sup>. || autem om. A, dicat add. L, scilicet dicat add. interl. V<sup>2</sup>, dicat subaudi add. interl. W<sup>2</sup>. || uxorem] uxore AN, uxor MTVWX, corr. in uxor B<sup>2</sup>C<sup>2</sup>, corr. in uxore R<sup>2</sup>. Utrum Magister in sua lectione secunda sic hunc textum mutaverit, nescimus. 10 si] sed BCM. 11 concederet] cederet AR Grat., quod corr. R<sup>2</sup>. 23 coniugiis (Rubr.) om. ABCX. 25 coniuges] coniuge M, coniugem ACNX, coniugium corr. in coniugem O.

<sup>1</sup> Ita et Gratianus (infra). Verius, Enarr. in Ps. 149, 8, n. 15 (PL 37, 1959; CCL 40, 2189s). 2 Epist. 262, n. 2 (PL 33, 1078; CSEL 57, 622s). 3 August., Enarr. in Ps. 147, n. 4 (PL 37, 1917; CCL 40, 2142). 4 Epist. 127, n. 9 (PL 33, 487; CSEL 44, 28). 5 Lib. I, c. 2, n. 2 (PL 40, 452; CSEL 41, 348). 6 Resp. I Cor. 7, 5.

(1252); n. 3: prima auctoritas ibidem, c. 6 (1252), altera ex C. 33 q. 4 c. 11 (1250); nn. 4-5: auctoritas ex C. 33 q. 5 c. 11 (1253), cum conclusione Gratiani; quaestio ad initium n. 5 et opinio Gratiani (« Quibusdam »), ex dicto eius post c. 11 (1254); conclusio Magistri fundatur in Decreto, C. 33 q. 5 c. 10 (1253).



4. **Augustinus in Quaestionibus Numeri** \*. — Idem 1: « Manifestum est ita voluisse Legem feminam sub viro esse, ut nulla eius vota, quae abstinentiae causa voverit, reddantur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam cum ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit Lex 2, si prius permiserit et postea prohibuerit, non tamen dixit ut faciat mulier quod voverat, quia permissa iam prius a viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuat quod prius concesserat; non tamen mulieri ex hoc iussum dedit ut, cum prius vir ei concesserat, postea si prohibuerit contemnatur ». — Ex his apparet quod vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alter alteri debitum negare debet.

5. Si vero quilibet eorum alterum a suo iure absolverit, ad praeteritam servitutem numquid revocare poterit? Hoc enim videtur Augustinus supra 3 voluisse. — Quibusdam videtur quod mulier non discedens a domo viri, quae viro permittente continentiam promiserit, eodem prohibente solvere non valeat; et hoc propter dignitatem viri, qui est *caput mulieris* 4. — Sed melius hoc intelligitur in tali casu, ubi vir concedit mulieri vovere continentiam, et ante votum prohibet implere. — **Ex concilio Remensi** \*. Si vero habitum mutaverit, non potest revocari, secundum illud 5: « Qui uxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter convertatur ».

Cap. 3 (192).

1. **Quibus temporibus cessandum sit a coitu**. Et licet debitum poscenti sit semper solvendum, non licet tamen quolibet die poscere. — **Augustinus in libro De quaestionibus veteris et novi testamenti** \*. Unde Augustinus 6: « Christiano cum uxore sua aliquando licet convenire, aliquando non. Propter processiois enim dies et ieiuniorum aliquando non ».

1 Rubrica om. ABCVWX. Quaestionibus] questione LMO. 8 concesserit] concesserat MOX. 11 suo iure trp. BCT. 15 valeat] valet LW, poterat M. 22 poscenti om. BC, add. interl. T. 23-24 Rubrica om. BCVWX. 24 quaestionibus] questione LMNO. veteris et novi trp. MO.

1 *Quaest. in Heptat.* IV, q. 59 (PL 34, 745; CSEL 28-II, 365; CCL 33, 272). 2 Resp. Num. 30, 16: *Sin autem contradixerit postquam rescivit, portabit ipse iniquitatem eius.*  
3 In num. 4. 4 Resp. 1 Cor. 11, 3; Eph. 5, 23. 5 Potius in Concilio Vermeriensi (753), c. 21 (PL 96, 1508 C). 6 Revera Ambrosiaster, quaest. 127 (PL 35, 2385; CSEL 50, 415).

Cap. 3, n. 1: Auctoritates ex eodem *Decreto*, C. 33 q. 4 capp. 5, 2, et 4 (1247s).

licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur ». — Idem 1: « Quoties enim vel dies Nativitatis vel reliquae festivitates advenerint, non solum a concubinarum consortio sed etiam a propriis uxoribus abstinete ». — **Ambrosius** \*. Item **Ambrosius** 2: « Si causa procreandorum filiorum ducitur uxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum usum, quia et dies festi, et dies processiois, et ipsa ratio conceptus et partus iuxta legem cessare usum carnis his debere temporibus demonstrant ».

2. **Hieronymus videtur dissentire a praemissis**. — **Hieronymus in sermone quodam** \*. Illi autem quod dictum est 3, reddere debitum non esse peccatum, videtur obviare quod ait Hieronymus 4: « Quicumque uxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec carnes Agni edere ». — Item 5: « Si panes propositionis ab his qui uxores suas tetigerant, comedi non poterant 6, quanto magis panis qui de caelo descendit 7 non potest ab his qui coniugalibus paulo ante haesere complexibus violari atque contingi. Non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes Agni manducaturi sumus, vacare a carnalibus operibus debeamus ».

3. Hoc capitulum proprie ad ministros Ecclesiae pertinere videtur, quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore coniugalibus amplexus 8, quo etiam praesentia Spiritus Sancti non datur. — **Hieronymus, super Matthaeum** \*. Unde idem ait 9: « Connubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo coniugales actus ge-

2 a om. BCO, add. interl. NT. 4 abstinete] abstinere BCW, est abstinendum M, corr. ex abstinente LN, corr. ex abstine V2. 22 nec] non ABCOTX.

1 Uti hic iacet, textus legitur in sermone 3 appendicis Operum S. Maximi ep. Taurinensis: « Et ideo quotiescumque aut dies Natalis Domini aut reliquae festivitates adveniunt..., non solum ab infelici concubinarum consortio, sed etiam a propriis uxoribus abstinete » (PL 57, 849 A); in forma originali est Caesarii Arelatensis *Sermo 188*, n. 4 (CCL 104, 765; cf. etiam PL 39, 1976). 2 Ambrosiaster, *In I Cor.* 7, 5 (PL 17 [1845], 217 A-B; CSEL 81-II, 72). 3 *Supra*, c. 1, n. 2 in fine. 4 Hieron., tract. *De exodo, in vigilia Paschae*: « Ut autem sciatis, fratres carissimi, quoniam quicumque uxori debitum reddit, non potest vacare orationi, nec de carnibus agni comedere... » (PL 40, 1204; CCL 78, 540, lin. 120s); de quo cf. PLS II, 93. 5 *Ibid.*, parum infra (lin. 126-132). 6 Resp. 1 Reg. 21, 4. 7 Ioan. 6, 51. 8 Cf. *Glossa ordin.* in Luc. 1, 23: « Vicis suae tempore pontifices templi tantum officiis mancipati, non solum a complexu uxorum, sed etiam a domorum ingressu abstinebant » (apud Lyranum, V, 124a), ex Beda in h.l. (PL 92, 314 A; CCL 120, 27s). 9 Verba sunt Origenis, *In Num.*, hom. 6, n. 3 (PG 12, 610 C; GCS 30 [1921], 35).

Num. 2 ex eadem q. 4 cap. 1 et c. 1, § 1 (1247). — Num. 3 ex C. 32 q. 2 c. 4 (1120), unde rubrica.



runtur praesentia Spiritus Sancti dabitur, etiam si propheta esse videatur qui officio generationis obsequitur ».

Cap. 4 (193).

**Quibus temporibus non sint celebrandae nuptiae.** — **Ex concilio Verdensi** \*. Nec solum in opere carnali observanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, secundum illud 1: « Non oportet a Septuagesima usque in Octavam Paschae, et tribus hebdomadibus ante festum sancti Ioannis, et ab Adventu Domini usque post Epiphaniam nuptias celebrare. Quod si factum fuerit, separentur ». — **Nicolaus, ad consulta Bulgarorum** \*. Item, **Nicolaus** 2: « Nec uxorem ducere, nec coniugia facere, quadragesimali tempore convenire posse ullo modo arbitror ».

DISTINCTIO XXXIII

Cap. 1 (194).

**1. De diversis legibus coniugii.** Quaeritur hic de antiquis Patribus, qui plures simul leguntur habuisse uxores vel concubinas, utrum peccaverint. — Ad quod dicimus: Pro varietate temporum varia invenitur dispensatio Conditoris.

4 sint] sunt ALVW. 7 in] ad BCNRT. || Ioannis] baptiste add. CM. 10 Nicolaus] papa add. M, add. interl. N. 14 legibus coniugii trp. ALMNTW.

1 Potius legendum est cum Gratiano (infra) *Hilirdensi* (Lerida), anno 546. Iam uti hic iacet, sub rubrica *Ex Concilio Hilirdensi in Decretis Burchardi*, IX, c. 4 (cod. apographus Vatic. *Palat.* 586, f. 4r; PL 140, 816 A); proinde non sumitur ex Concilio Salegunstadiensi, a. 1022, ut recenter asseritur post Ae. Friedberg in h.l. a H. J. F. Reinhardt, *Die Ehelehre der Schule des Anselm von Laon*, 209. 2 Nicolaus I, *Epist.* 97, n. xlviii (I. Mansi, XV, 419 A; PL 119, 999 A).

Cap. 4. Duae auctoritates ex C. 33 q. 4 capp. 10-11 (1249s). Dist. XXXIII. Cf. Hugo de S. Victore, *De sacram.* II, 11, 10 (PL 176, 496 D - 497 D); Gualterus, *Summa sent.*, VII, 5 (PL 176, 157 C - 158 C); Gratianus, C. 23 q. 4 (1125-31); *Sententiae Hermanni*, c. 31 (PL 178, 1745 C-D); *Sententiae* [pseudo-] *Anselmi*, ed. F. Bliemetzrieder, in *BGPTMA XVIII*, Heft 2-3, 136s; L. Ott, *Walter von Mortagne und Petrus Lombardus*, 664s. — Cap. 1, n. 1. Responsio ex dicto Gratiani post c. 2 C. 32 q. 4 (1127).

2. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, Adam scilicet et Evam, inchoatum est coniugium, Deo per os Adae dicente 1: *Homo adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una*. Et secundum inchoationis modum, inter duos tantum per omnem successionem temporum contraheretur, si primi homines in obedientia perstitissent. — Post eorum vero copulam, filii et filiae eorum matrimonio coniuncti sunt, sed unus uni tantum. Ideo autem fratres sororibus sunt copulati, quia non erant aliae mulieres vel viri, quibus Adae filii vel filiae iungerentur. — Primus omnium Lamech duas legitur 2 simul habuisse uxores; et hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id fecisse perhibetur. — Postea vero, cum iam pene omnes homines falsis diis servirent, paucis in cultu Dei permanentibus, consultum est a Deo plures in matrimonium copulare sibi, ne illis paucis deficientibus, cultus et notitia Dei deficeret.

3. Unde Abraham vivente uxore ad ancillam intravit et ex ea genuit 3. Iacob etiam liberis et ancillis se copulavit 4; et filiae Lot patre ebrio usae sunt 5. Cum enim, ceteris in idolatria relictis, Abraham et filios eius in peculiarem sibi populum Dominus delegisset, rite multarum fecunditate mulierum populi Dei multiplicatio quaerebatur, quia in successione sanguinis erat successio religionis. Unde etiam in Lege 6 maledicta erat sterilis quae non reliquebat semen super terram. Hinc etiam sacerdotibus coniugia decreta sunt, quia in successione familiae successio est officii. — Non igitur Abraham vel Iacob deliquit, quia praeter uxorem filios ex ancilla quaesivit; nec illorum exemplo praeter coniugale debitum fecunditatem in aliqua licet alicui quaerere, cum illorum coniugia nostrorum aequantur virginitati, et immoderatus usus coniugii nostri temporis turpitudinem fere imitetur fornicationis illius temporis.

**4. Augustinus in libro De virginibus** \*. De hoc Augustinus sic

7 sororibus] tunc add. ANVW, add. interl. T. || allae] allene MOTX, corr. ex allene N. 8 vel 2] et BCLV *Summa Sent.*, corr. ex et X. 9 legitur simul trp. CTW. 17 delegisset] elegisset BCTW *Grat.*

1 Gen. 2, 24. 2 Resp. Gen. 4, 19. 3 Gen. 16, 2-4. 4 Gen. 30, 1-23. 5 Gen. 19, 31-36. 6 Cf. Exod. 23, 26: *Non erit infecunda nec sterilis in terra tua*; Deut. 7, 14: *Non erit apud te sterilis*; Deut. 25, 5-10. Cf. August., *De bono coniugali*, c. 22 (PL 40, 391; CSEL 41, 221s).

Num. 2: Ex Gualteri *Summa sent.*, VII, 5 (157 C - 158 A). — Num. 3 conficitur ex dictis Gratiani, C. 32 q. 4, ante cap. 1 (1125), ut videtur; dein (\*Cum enim...\*), ante c. 3 (1127). — Num. 4. Ut ex ipsa rubrica apparet, fons est Hugo, *De sacram.*, II, 11, 10 (497 A).



ait 1: « Antiquis iustis non fuit peccatum, quod pluribus feminis utebantur: neque contra naturam hoc faciebant, cum non lasciviendi causa, sed gignendi hoc facerent; nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant; nec contra praeceptum, quia nulla lege erat prohibitum ».

5. **Augustinus, super Genesim** \*. Idem 2: « Obiciuntur Iacob quatuor 5 uxores: quod, quando mos erat, crimen non erat ». « Sic 3 Patriarchae coniugibus excipientibus semen suum misciebantur, non concupiscentia perficiendae voluptatis, sed providentia propagandae successionis; sicut Apostoli auditoribus suis admirantibus doctrinam suam condelectabantur, non aviditate consequendae laudis, sed caritate seminandae veritatis ». 10

6. **Idem** \*. Idem alibi 4: « Antiquis temporibus, cum adhuc salutis nostrae mysterium velaretur, iusti officio propagandi nuptias contrahebant: non victi libidine, sed ducti pietate; qui multo facilius continere possent et vellent. Utebantur tamen coniugibus, et plures uni viro habere licebat: quas castius habebat quam nunc unam quilibet istorum, in quibus videmus quod secundum veniam concedit Apostolus 5. Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo desiderii ». 15

7. **Ambrosius in libro De patriarchis** \*. Item **Ambrosius** 6: « Dixit Sara ad Abraham 7: *Ecce conclusit me Dominus ut non pariam. Intra ergo ad ancillam meam, ut filium facias ex ea*; et ita factum est. Considera 20 primum quod Abraham ante Legem Moysi et ante Evangelium fuit. Non ergo in Legem commisit Abraham si Legem praevenit: nondum enim interdictum videbatur ». Secundo considera quod « non 8 ardore aliquo vagae succensus libidinis, non petulantis formae captus decore, ancillae contubernio coniugalem posthabuit thorum, sed studio quaerendae po- 25

3 fiebant] faciebant ANRVW.  
vel si *add. interl.* V2.

9 suis *om.* ABCR.

14 et] si BCT, etsi W,

22 Legem] lege BCORTW.

1 Revera *De bono coniugali*, c. 25, n. 33 (PL 40, 395; CSEL 41, 228).  
non obstante, est *Contra Faustum*, XXII, c. 47 (PL 42, 428; CSEL 25, 639).  
c. 48 (430; 641).

2 Rubrica  
3 Ibid.,

4 *De bono coniugali*, c. 13, n. 15 (PL 40, 384; CSEL 41, 207s).  
5 Resp. I Cor. 7, 6.  
6 *De Abraham patriarcha*, c. 4, n. 23 (PL 14 [1845], 429 B; CSEL 32-1, 517s).  
7 Gen. 16, 2.  
8 Ambrosius, *ibid.*, n. 24 (430 B; 518s).

Num. 5: ex Gratiani *Decreto*, C. 32 q. 4 c. 7 (1129), ubi invenitur sine rubrica. — Num. 6 iterum ex *De sacram.* (496 D - 497 A). Quod datur sine rubrica etiam in *De sacram.* demonstrat, ut notat L. Ott (*Walter v. Mortagne* 665, n. 33), quod nec Hugo nec Magister ante se habuerant tractatulum *Cum omnia sacramenta* (ed. F. Bliemetzrieder, 136). Aequo canone excludit *Sententias Magistri A.* (ed. Reinhardt, cap. 45, p. 180). — Num. 7. Ex *Decreto* Gratiani, C. 32 q. 4 c. 3 (1128).

steritatis et propagandae sobolis. Adhuc post diluvium raritas erat humani generis, erat etiam religionis. Denique et Loth sancti hanc filiae causam quaerendae posteritatis habuerunt 1, ne genus deficeret humanum; et ideo publici muneris gratia privatam culpam praetexit ».

5 8. **Augustinus in libro De virginibus** \*. Item **Augustinus** 2: « Iustus quamvis cupiat *dissolvi et esse cum Christo* 3, tamen sumit alimentum: non cupiditate vivendi, sed officio consulendi, ut maneat, quod necessarium est propter alios. Sic misceri feminis iure nuptiarum officiosum fuit sanctis viris, non libidinosum ». « Quod enim est cibus ad salutem 10 hominis, hoc est concubitus ad salutem generis. Et utrumque non est sine delectatione carnali; quae tamen modificata, et refrenante temperantia in usum naturalem redacta, libido esse non potest. Quod autem in susten- tando vitam illicitus est cibus, hoc est in quaerenda prole fornicarius vel illicitus concubitus; et quod est in cibo licito immoderatio appetitus, 15 hoc est in coniugibus venialis ille concubitus ».

#### Cap. 2 (195).

1. **Non praefertur virginitas Ioannis castitati Abrahae. — Augustinus in libro De virginibus** \*. Quod vero castitas virginalis non praefertur in merito coniugali castitati Abrahae, **Augustinus** ostendit inquiring 4: 20 « Sicut non est impar meritum patientiae in Petro qui passus est, et in Ioanne qui passus non est; sic non est impar meritum continentiae in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, et in Abraham qui filios genuit. Nam illius caelibatus et istius connubium pro temporum distributione

2-3 Loth... causam] hanc fidem filie Loth causa L. 2 sancti] et sancti sacerdotes A, *om.* BC. 5 Rubrica *om.* NVW. 9 sanctis viris *trp.* BCLMNT. 10 salutem] humani *add.* LTW. 14 cibo licito *trp.* BCLT. || licito] vetito A, illicito MT, *quod corr.* T. 17 Titulus *ex elencho capp.* BCX. || Non] *Quod praem.* LW. 23 pro temporum distributione (*Hugo*] per temp. distributionem ANOTW.

1 Gen. 19, 31-36. 2 Rectius, *De bono coniugali*, cc. 15-16, nn. 17-18 (PL 40, 385; CSEL 41, 210s). 3 Resp. Phil. 1, 23-24: *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo... permanere autem in carne, necessarium propter vos.* 4 *De bono coniugali*, cc. 21-22, nn. 26-27 (PL 40, 391s; CSEL 41, 221s).

Num. 8: Rubrica ex Hugone *De sacram.*, II, 11, 10 (PL 176, 497 A), unde Magister deduxit quod haec auctoritas infra posita (497 C-D) esset de eodem libro.

Cap. 2, num. 1: Rubrica conficitur ex titulo Gratiani ante auctoritatem Hieron. infra positam. Illa Augustini, ex Hugone, *De sacram.* II, 11, 10 (497 B), cum eodem errore quoad rubricam. Illa Hieron., ex *Decreto*, C. 32 q. 4 c. 6 (1129).



Christo militaverunt. Sed continentiam Ioannes in opere, Abraham in solo habebat habitu. «Melior est autem castitas caelibum quam nuptiarum: quarum unam Abraham habebat in usu, ambas in habitu. Caste enim coniugaliter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit, sed tunc non oportuit». — **Hieronymus** \*. Item **Hieronymus** 1: «Quis ignoret 5 sub alta dispensatione Dei omnes retro sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc christiani sunt? Quomodo Abraham ante placuit in coniugio, sic nunc virgines placent in castitate. Servivit ille legi et tempori suo; serviamus et nos legi et tempori nostro, in quos fines saeculorum deven- runt 2».

2. Ex his apparet quod sancti Patres ante Legem sine peccato plures habuerunt uxores vel concubinas. Eas enim nunc 'uxores' appellat Scriptura, nunc 'concubinas'. Rachel et Lia ambae uxores fuere, non concubinae 3.

3. **Oppositio** \*. Si quis opponat quod fidem thori non servabant illi 15 Patres, dicimus in hoc servasse fidem thori, quia non aliis, sed propriis uxoribus vel ancillis miscebantur. — Ecce quae fuerit consuetudo in hac re ante Legem.

Cap. 3 (196).

**Quae erat consuetudo sub Lege** \*. Legis vero tempore interdixit 20 Moyses 4 carnalem copulam fieri cum matre, cum noverca, cum sorore, cum nepti, cum amita, cum matertera, cum nuru et aliis quibusdam. Permisit autem divortium fieri, dato libello repudii 5, in quo vir scribebat causas pro quibus uxorem repudiabat. Permisit etiam aliam ducere, dato priori libello: «quod 6 propter *duritiam cordis* eorum permissum Christus dicit 7, non ut concederetur dissidium, sed ut tolleretur homicidium».

3 habebat] habuit MT. || ambas] autem add. BCLT. 5 Hieronymus (rubrica)  
om. BCMRVWX. 13 fuere] fuerunt ALNRVW. 15 Oppositio om. BCRVX. || Hic  
inc. cap. 3 (196) in ABL; incipit ad Ecce (lin. 17) in MTW. 17 in hac re om. ABC.  
22 nepti] nepte LVWX. 23 vir trp. post causas BCLT.

1 Adv. Iovinianum, II, n. 4 (PL 23 [1845], 288 B). 2 Resp. I Cor. 10, 11. 3 Resp.  
Gen. 29, 16-34. Cf. August., *Contra Faustum*, XXII, c. 51: «quatuor istae uxores Iacob, qua-  
rum duae liberae, duae ancillae fuerunt» (PL 42, 432; CSEL 25, 645). 4 Resp. Levit.  
18, 6-18. 5 Deut. 24, 1. 6 Pseudo-Beda, *In Matth.* 5, 31 (PL 92, 28 C-D);  
saltem ambigitur de genuinitate (PLS 4, 2221). 7 Resp. Matth. 19, 8.

Cap. 3: Consuetudo describitur ope *Summae sent.*, VII, 5 (PL 176, 158 A); cuius ratio  
trahitur ex *Glossa ordin.* in Matth. 5, 31 (apud Lyran. V, 21c), ubi ultima phrasid Chrysostomo  
attribuitur.

— **Ioannes Chrysostomus** \*. «Permisit 1 fieri mala ne fierent peiora; et hoc permittendo, non Dei iustitiam demonstravit, sed in peccatore mi- nuit culpam».

Cap. 4 (197).

5 1. **Cui licebat plures habere vel non**. Sed numquid sub Lege licebat plures habere uxores? Audi quid scriptum est in Deuteronomio 2: *Non habebit uxores plurimas, quae allicient animam eius*. — **Augustinus** \*. Super quem locum **Augustinus** ait 3: «Manifestum est Salomonem hoc praeceptum transisse 4; David autem plures habuit 5, nec praeceptum 10 praeteriit. Permissum est enim plures habere, non *plurimas quae allicient animam* multiplicare. Cum tamen additur 6: *Ut non elevetur cor eius*, alienigenas prohibitum esse videtur. Verumtamen multiplicatio uxorum generaliter prohibita est; permissum est autem regi plures habere, sed non multiplicare».

15 2. Veniente autem plenitudinis tempore 7, quo Christi gratia ubique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremque institutionem, ut unus uni in figura Christi et Ecclesiae iungatur. — Nec quaeritur electio muneris in successione generis, sed in perfectione vitae et sinceritate scientiae; et virginitas fecunditati praefertur, et sacerdotibus 20 continentia indicitur.

3. **De virginitate mentis et carnis**. Melior est autem virginitas mentis quam carnis. — **Ambrosius in libro De virginibus** \*. Unde **Ambrosius** 8: «Tolerabilius est mentem virginem quam carnem habere. Utrumque bonum est si liceat; si non liceat, saltem non homini casti, sed Deo

5 licebat<sup>2</sup> trp. post numquid NRTVX. 7 habebit] habebis BTX (in corr.), om. C.  
|| eius] tuam T, viri BC, viri add. mg. X. 12 prohibitum] prohibitas AV, quod corr. in-  
terl. V<sup>2</sup>. || prohibitum esse trp. BCLT. 16 est dilatata trp. BCLMX. 22 Ambrosius  
(in rubrica) om. BLTX.

1 Pseudo-Chrysostomus, *In Matth. opus imperf.*, hom. 32 (PG 56, 801). 2 Deut.  
17, 17. 3 *Quaest. in Heptat.*, V, q. 27 (PL 34, 760; CSEL 28-II, 391s; CCL 33, 291).  
4 Resp. III Reg. 11, 1-3. 5 Cf. I Reg. 25, 42-44; II Reg. 5, 13. 6 Deut. 17, 20.  
7 Resp. Gal. 4, 4. 8 Lib. II, c. 4, n. 24 (PL 16 [1845], 213 B-C).

Cap. 4, n. 1: Auctoritas Augustini ex *Glossa ordin.* in Deut. 17, 17 (apud Lyran. I, 350c).  
— Num. 2: Prima pars mixtim ex dicto Gratiani ante c. 3 C. 32 q. 4 (1127) et ex Gualteri  
tractatu in *Summa sent.*, VII, 5 (158 B). Altera pars, verbotenus ex eodem dicto Gratiani. —  
Num. 3. Omnia ex *Decreto*, C. 32 q. 5 c. 1 (1132), cui praemittitur titulus: «Melior est vir-  
ginitas mentis quam carnis»; dein c. 2 (ibid.).



simus». «Virgo<sup>1</sup> prostitui potest, adulterari non potest. Nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam». — Idem 2: «Non potest caro ante corrumpi, nisi mens ante fuerit corrupta».

4. **Isidorus in Synonymis** \*. Item **Isidorus**<sup>3</sup>: «Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus corruptus fuerit. Munda enim a contagione 5 anima, caro non peccat». In fine huius capituli aperitur quomodo verum sit, nisi anima prius fuerit corrupta, corpus non posse corrumpi, scilicet peccato.

5. **Augustinus in libro De bono coniugali** \*. Illud etiam **Augustini**<sup>4</sup> advertendum est: «Sicut, inquit, sanctius est mori fame quam 10 idolothyti vesci, ita sanctius est defungi sine liberis quam ex illicito coitu stirpem quaerere. Undecumque vero nascantur homines, si parentum vitia non sectentur et Deum recte colant, honesti et salvi erunt. Semen enim, ex qualicumque homine, Dei creatura est; et eo male utenti male erit, non ipsum aliquando malum erit». 15

## DISTINCTIO XXXIV

## Cap. 1 (198).

**De personis legitimis.** Nunc superest attendere quae personae sint legitimae ad contrahendum matrimonium. Legitimae iudicantur personae 20 secundum statuta Patrum, quae diversa sunt. Aliae namque fuerunt legitimae ante Legem, aliae sub Lege, aliae in tempore gratiae. Item in pri-

4 Rubrica om. CVW. || Isidorus (in rubrica) om. BX. 12 nascantur] nascuntur CMX.

9 Rubrica om. VW. || con- 20 diversa] diverse AM.

<sup>1</sup> Ibid., n. 26 (214 A).  
n. 11 (PL 16, 370 B).  
385s; CSEL 41, 211).

<sup>2</sup> Rectius Ps-Ambrosius, *De lapsu virginis consecratae*, c. 4,  
<sup>3</sup> Lib. II, n. 7 (PL 83, 847 A).

<sup>4</sup> Cap. 16, n. 18 (PL 40,

Num. 4. Isidorus invenitur ibid., c. 8 (1134). Quod «finis huius capituli» demonstrat, sequentibus etiam capitulis 9 et 11 aequo modo illustratur (1134s). — Num. 5: ex c. 8 C. 32 q. 4 (1129).

Dist. XXXIV, cap. 1. Omnia praeter verba introductoria, ex tractatu primitivo (n. 6) seu *Glossa* in I Cor. 7, 1 (PL 191, 1586 C-D), ex fonte ignoto. Ad verbum *frigiditatem* (quod legitur in omnibus codd. tam *Glossae* quam *Sent.* quos consulimus) *Glossa* pseudo-Petri Pictaviensis annotat: «Alia littera habet *per fragilitatem*, que melior est» (codd. n. 65a, p. 113c).

mitiva Ecclesia quaedam erant legitimae, quae modo non sunt. Earum vero quae modo legitimae sunt vel illegitimae, quaedam sunt plene legitimae, quaedam omnino illegitimae, quaedam mediae. — Plene legitimae sunt, quibus non obviat votum continentiae, vel ordo sacer, vel 5 cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturae frigiditas, et si quod est aliud. — Penitus vero illegitimae sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. — Medii vero, scilicet nec plene legitimi nec omnino illegitimi, per frigiditatem vel conditionem. Si enim tales iunguntur ignoranter, commanere possunt quibusdam accidentibus causis, 10 et eisdem deficientibus dividi.

## Cap. 2 (199).

1. **De frigidis separandis.** De his qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulit beatus **Gregorius**<sup>1</sup> ut permaneant. Sed «si mulier causatur dicens: Volo esse mater et filios procreare», decernit 15 ut «uterque eorum septima manu propinquorum» iuret quod «nunquam» carnaliter convenerint, et «tunc mulier secundas nuptias» contrahat. «Vir autem qui frigidae naturae est», absque spe coniugii permaneat.

2. **Gregorius Ioanni Ravennati archiepiscopo** \*. Ait enim sic<sup>2</sup>: «Interrogasti de his qui matrimonio iuncti sunt et nubere non possunt, si ille 20 aliam, vel illa alium ducere possit. De quibus scriptum est<sup>3</sup>: Vir et mulier si se coniunxerint, et post dixerit mulier de viro quod coire non

2 sunt] *trp.* post modo BCM, *trp.* post illegitimae LT. 5 quod] quid AMVX.  
7 Medii] medie ALW, *corr.* in medie R. || scilicet] sunt ABC, sunt *praem.* M. 7-8 legiti-  
mi] sunt *add. interl.* T. 8 illegitimi] scilicet *add.* A, sunt *add.* RVX, *add. interl.* N<sup>2</sup>. ||  
vel] per *add.* ALMT. 9 iunguntur ignoranter *trp.* BCMNRV || accidentibus] *accidenti-*  
bus ANRVX. 12 separandis] vel non *add.* NRVW *elenchus capp.* 17 permaneat] permanet L, maneat AVX, *quod corr.* X<sup>2</sup>. 18 Rubrica om. VW. || Ravennati  
om. BCMOTX.

<sup>1</sup> Vide verba Gregorio attributa, infra in n. 3: *Ex epistola eiusdem.* <sup>2</sup> Potius verba Rabani Mauri sunt, in *Epist. ad Heribaldum seu Poenitentiali*, c. 29 (PL 110, 491 A), ut iam notat L. Machielsen, *Les spurii...*, 254s, ubi etiam agitur de titulo huius operis; cf. etiam P. F. Kehr, *Italia Pontificia*, V, 26. <sup>3</sup> In *legibus humanis* (rubr. marg.), scil. in *Codice*, V, 17, 10 (*Corp. Iur. Civ.*, II, Berolini 1906, 213a); cf. etiam *Capitularia* Benedicti Levitae, II, nn. 55 et 91 (PL 97, 757 C; 760 C).

Cap. 2, num. 1: Mixtim componitur ex dicto Gratiani (§ 3) ante c. 29 C. 27 q. 2 (1071) et ex verbis Gregorii in c. 2 C. 33 q. 1 (1149), uti infra in n. 3. — Num. 2: Ex *Decreto*, c. 1 C. 33 q. 1 (1149).



possit cum ea, si potest probare quod dicit per iustum iudicium, accipiat alium; si vero ille acceperit aliam, separentur ».

3. Ex epistola eiusdem \*. Item 1: « De his requisisti qui ob causam frigidae naturae dicunt se non posse, invicem operam carni dantes, commisceri. (Consulit \*.) Iste vero, si non potest ea uti pro uxore, habeat eam quasi sororem. (Et hic solvit \*.) Quod si retinaculum coniugale voluerint rescindere, maneant utriusque inuupti. Nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conveniet? Igitur si vir aliam uxorem vult accipere, manifesta patet ratio: quia, suggerente diabolo odii fomitem, exosam eam habuerit, et ideo eam dimittere mendacii falsitate molitur. Quod si mulier causatur et dicit: Volo esse mater et filios procreare, uterque eorum septima manu propinquorum, tactis sacrosanctis reliquiis, iureiurando dicat ut nunquam per commixtionem carnis coniuncti una caro effecti fuissent. Tunc videtur mulierem secundas posse contrahere nuptias: *humanum dico propter infirmitatem carnis eorum* 2. Vir autem qui frigidae naturae est maneat sine coniuge. Quod si et ille aliam copulam acceperit, tunc hi qui iuraverant periurii crimine rei teneantur; et poenitentia peracta, priora cogantur recipere connubia ».

4. Hoc servandum est cum uterque idem fatetur. Sed vir si asserit se debitum reddidisse uxori et illa diffitetur, cui potius fides habenda sit merito quaeritur. — In concilio apud Compendium \*. De hoc ita statutum est 3: « Si quis accepit uxorem et habuit eam aliquo tempore, et ipsa femina dicit quod nunquam coisset cum ea, et ille vir dicit quod sic fecit, in veritate viri consistat, quia *vir est caput mulieris* 4 ». Hoc de naturali impossibilitate statutum est.

3 Ex epistola] exempla BCLMORX, om. VW. 4 carni] carnis ALNTVW, quod corr. T. 5 Consulit (rubrica) om. RVW. 6 Et hic solvit om. ARVW. || solvit] consulit BCLMNT. || voluerint] voluerit ANORX. 14 mulierem] muller ABCLTVW. || secundas] duas BCMO, quod corr. O, vel secundas add. interl. C<sup>2</sup>. 20 habenda] adhibenda LTVW. 21 Rubrica om. RVW. 22 accepit] acceperit AMX. || habuit] habet M, habuerit ALNTX.

1 De fontibus huius numeri, cf. L. Machielsen, *Les spuril...*, 252ss. 2 Rom. 6, 19. 3 Anno 757 celebrato, coram duobus legatis pontificiis (Georgio ep. Ostiensis et Ioanne sacellario), c. 20 (PL 96, 1515; MGH, *Leges*, I, 29). 4 Eph. 5, 23; cf. I Cor. 11, 3.

Num. 3 ex eodem cap. 2 ut supra in num. 1 (1149). — Num. 4 ex dicto Gratiani ante c. 3, ex ipso c. 3 C. 33 q. 1, et ex dicto post c. 3 (1149s).

## Cap. 3 (200).

1. De his qui maleficiis impediti coire non possunt. — Hincmarus Remensis archiepiscopus \*. De maleficiis autem impedimento hoc tenendum decernitur: Quod « si 1 per sortiarias et maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt, quibus ista eveniunt, ut spiritu contrito et humiliato 2 Deo et sacerdoti de omnibus peccatis confessionem faciant, et lacrymis atque elemosynis, orationibus et ieiuniis Domino satisfaciant. Et per exorcismos ac cetera ecclesiasticae disciplinae munimina ministri Ecclesiae tales sanare procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint, illis viventibus quibus iunctae fuerint, prioribus quos reliquerant, etiam si possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt ».

2. Quod in fine huius capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est quam ex canonica aequitate. Vel intelligendum est non posse reconciliari prioribus nisi iudicio Ecclesiae, quo divisio facta fuerit.

## Cap. 4 (201).

1. De furiosis addit. — Fabianus Papa \*. Furiosi quoque, dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Unde Fabianus 3: « Neque furiosus neque furiosa matrimonium contrahere possunt; sed si contractum fuerit, non separentur ».

2. Nicolaus Papa \*. Item Nicolaus 4: « Hi qui matrimonium sani contraxerunt, et uni ex duobus vel ambobus amentia vel furor vel

2 non possunt] nequeunt BCLWX (ex elencho capp.). 2-3 Hincmarus Remensis archiepiscopus om. RVW. 4 Quod om. RW, del. L. || maleficas] maleficias ABCOT, quod corr. BOT, maleficia W. 10 fuerint corr. in fuerat LT. 15 fuerit] fuerat ACLRVX. 17 Fabianus Papa om. BCRVWX. 18 Fabianus] papa add. T, add. interl. N<sup>2</sup>. 21 Nicolaus Papa om. BCRVWX.

1 Epist. 22 (ad Rodulfum et Frotarium), quibusdam hic omissis (PL 126, 151 A-C). 2 Cf. Ps. 50, 19. 3 Cap. spurium. 4 Nicolaus I, Epist. 157: *Si [non Hi] qui* (PL 119, 1198 C; MGH, *Epist.*, VI, 678); sed rectius ab omnibus abiudicatur.

Cap. 3, n. 1: Ex *Decreto*, C. 33 q. 1 c. 4 (1150).

Cap. 4, n. 1: Mixtim ex Gualt., *Summa sent.*, VII, c. 16 (PL 176, 166 C) et ex Gratiano, C. 23 q. 1 c. 26 (1147). Capitulum non est Fabiani, sed Iulii Pauli iuristae *Sent.* II, tit. 20 c. 4 (ut notat Ae. Friedberg, *ibid.*); eadem attributio apud alios, ut in *Sent. Magistri A.*, cap. 105 (ed. H. J. F. Reinhardt, 198). — Num. 2: Ex eodem loco Iulii Pauli, secundum Ae. Friedberg (1146, annot. 228); ex *Decreto* accipitur a I. Mansi inter Decreta Nicolai, tit. XVII, c. vii (*Concilia*, XV, 447); etc.



aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium coniugia solvi non possunt. Similiter etiam sciendum de his qui ab adversariis excaecantur, vel membris truncantur, vel a barbaris exsecti fuerint ».

Cap. 5 (202).

1. **De his qui cum duabus sororibus dormiunt.** De his etiam qui cum duabus sororibus vel quae cum duobus fratribus dormiunt, videndum est quid censeant canones.

2. **Ex Aurelianensi concilio** \*: « Qui dormierit cum duabus sororibus, et una ex illis ante fuerit uxor, neutram ex ipsis habeat; nec ipsi adulteri unquam in coniugio copulentur ». Item nec proprie uxori sibi licet reddere debitum, quam sibi reddidit illicitam sororem eius cognoscendo. Nec etiam post mortem uxoris licet ei vel adulterae copulari in coniugium.

3. **Zacharias Papa** \*. Item **Zacharias Papa** 2: « Concubuisti cum sorore uxoris tuae? Si fecisti, neutram habeas; et uxor tua, si non fuerit conscia sceleris et continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu vero et adultera sine spe coniugii maneatis, et dum vivitis poenitentiam agite ». Quod ait, 'cui vult nubat', intelligendum est: post mortem viri.

4. **Gregorius** \*. Unde **Gregorius** 4: « Qui uxores suas in adulterio

2 etiam] est BCRV, om. X. || sciendum] est add. LMOX. 8 Rubrica om. ARVW.  
10 Item nec] Item: Nec ABCMOW. || sibi add. interl. NR, om. OX. 12 adulterae] alicui  
add. L (Grat.), add. interl. N<sup>2</sup>. || copulari] alicui add. W. 14 Rubrica om. RVW.  
19 Rubrica om. NRVW. 19-1 (p. 467) uxores suas... deprehendunt] uxorem suam...  
deprenderit BCM.

1 Potius, ut notat A. Friedberg, cap. 12 exstat Capitularis Vermeriensis, an. 753 (I. Mansi XII, 560; PL 96, 1508 A). 2 Spurium; ex quodam libro poenitentiali insertum in Burchardi *Decretorum libri XX*, lib. XIX, c. 5 (PL 140, 965 D). 3 Resp. I Cor. 7, 39: *Quod si dormierit vir eius...; cui vult nubat, tantum in Domino*. 4 Pars prior huius cap., ut notat L. Machielsen, *Les spurii...*, 266, fundatur in c. 11 (10) Concilii Arelatensis (A.D. 314): « De his qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et idem sunt adulescentes fideles et prohibentur nubere, placuit ut, quantum possit, consilium eis detur ne alias uxores, viventibus etiam uxoribus suis licet adulteris, accipiant » (CCL 148, 11). Altera pars, ut videtur, ex fonte ignoto.

Cap. 5, n. 2: Ex *Decreto*, C. 27 q. 2 c. 30 (1072); quod sequitur, dictum est Gratiani post hoc cap. (ubi loco *Item* legitur *Id est*). Idem cap. repetitur in C. 32 q. 7 c. 21 (1146), ubi videtur adscribi (cum c. 20) Maguntiniensi Concilio, sicut in *Sententiis* Magistri Gandulphi Bononiensis (ed. I. De Walter, 589). — Num. 3: Ex *Decreto*, C. 32 q. 7 c. 23 (1146). — Num. 4: ibidem, c. 22. Glossa Magistri ad finem capituli trahi videtur ex contextu Gratiani.

deprehendunt, nec ille nec illa aliam uxorem accipiet vel alium virum quamdiu ambo vivunt. Si vero adultera mortua fuerit, vir eius si vult nubat; adultera vero nunquam, etsi mortuus fuerit vir eius, sed omnibus diebus poenitentiae lamenta persolvat ». Hic de illo adulterio agitur, quod cum cognato viri vel cum cognata uxoris committitur.

Cap. 6 (203).

**Non est dimittenda uxor pro aliqua macula seu deformi corpore.** Illud etiam sciendum est, quod pro aliqua infirmitate vel macula corporali non licet viro uxorem dimittere, et e converso, sed debet alter alteri subsidia providere. — **Augustinus in libro De sermone Domini in monte** \*. Unde **Augustinus** 1: « Si uxorem quis habeat sterilem, seu deformem corpore, sive debilem membris, vel caecam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, sive morbis vel laboribus doloribusque confectam, et quidquid (excepta fornicatione) excogitari potest vehementer horribile, pro societate fideque sustineat ».

DISTINCTIO XXXV

Cap. 1 (204).

1. **Eodem iure utitur vir et mulier.** Hoc etiam notandum est, quod cum Dominus concedat uxorem dimitti causa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur feminis. — **Hieronymus, ad Oceanum de morte Fa-**

1 accipiet] accipiat LMVX, quod corr. X. 4 diebus] vite sue add. M Grat. || Hic in codd. ANORT hic introducit rubrica sequens, quae unicum H maiusculo initium signat novi capituli. 7 seu deformi corpore om. BCX. || deformi] deformem ORT, quod corr. R. 10 Rubrica om. MNVW. 11-12 seu deformem corpore om. MOWX, add. interl. N<sup>2</sup>R. 12 sive] seu BCV. 13 laboribus doloribusque] doloribus (om. O) laboribusque BCOR, doloribus (et interl.<sup>2</sup>) laboribus V. 18 est om. LRX, add. interl. T. 19 cum om. O, add. interl. N<sup>2</sup>.

1 Lib. I, c. 18, n. 54 (PL 34, 1257; CCL 35, 62).

Cap. 6. Dependet a Gualtero, *Summa sent.*, VII, c. 2 (PL 176, 170 B-C), ubi etiam rubrica *Augustinus...*, et ipsa auctoritas. Quam tamen correxit Magister, ut videtur, ex c. 18 C. 32 q. 5 (1137).

Dist. XXXV. Cap. 1: Principium ad initium enuntiatum derivatur a *Summa sent.*, VII,



biolae \*. Unde Hieronymus<sup>1</sup>: « Praecepit Dominus<sup>2</sup> uxorem non dimitti, *excepta causa fornicationis*; et si dimissa fuerit, *manere innuptam*. Quidquid viris praecipitur, hoc consequenter redundat ad feminas: non enim adultera uxor dimittenda est, et vir moechus tenendus ». — Item<sup>3</sup>: « Apud nos quod non licet feminis, aequè non licet viris; et eadem servitus pari conditione censetur ». — Ex his ostenditur quod mulier potest super fornicatione virum convenire ut vir mulierem.

2. **Innocentius Papa \***. Unde Innocentius Papa<sup>4</sup>: « Christiana religio adulterium in utroque sexu pari ratione condemnat. Sed viros suos mulieres non facile de adulterio accusant. Viri autem liberius uxores suas adulteras apud sacerdotes deferre consueverunt; et ideo mulieribus, pro doto earum crimine, communio negatur; virorum autem latente commisso, non facile quisquam ex suspicionibus arcetur: qui submovebitur si eius flagitium detegatur ».

## Cap. 2 (205).

15

**Quod fornicariam nequit dimittere vir nisi ipse expers fuerit, et e converso.** Si vero quaeritur an adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis, dicimus quia nequit adultera uxor dimitti a viro nisi et ipse expers fornicationis existat, et e converso.

2. **Augustinus in libro primo De sermone Domini in monte \***. Unde Augustinus<sup>5</sup>: « Nihil iniquius est quam causa fornicationis dimittere uxorem, si et ipse vincitur fornicari. Occurrit enim illud<sup>6</sup>: *In quo alterum iudicas, teipsum condemnas*. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abicere uxorem, prior debet esse a fornicatione purgatus. Quod

<sup>7</sup> fornicatione] fornicationem CMRVX, quod corr. R. <sup>8</sup> Rubrica om. BCORVWX.  
<sup>10</sup> accusant] accusent BCLT, quod corr. CT. <sup>13</sup> arcetur] arceatur AOTWX, quod corr. T.  
<sup>20</sup> Rubrica om. BCVWX. || primo om. ALN.

<sup>1</sup> Epist. 77, n. 3 (PL 22 [1859], 691; CSEL 55, 39). <sup>2</sup> Matth. 5, 32; et 19, 9; I Cor. 7, 10. <sup>3</sup> Hieron., ibid. (691; 40). <sup>4</sup> Epist. decretalis *Consulenti tibi (ad Exsuperium ep. Tolosanum)*, 20 febr. 405 (ed. H. Wurm, *Decretales selectae ex antiquissimis Romanorum Pontificum epistolis decretalibus*, in *Apollinaris* 12, 1939, 70); alibi ut *Epist.* 6, c. 4, n. 10 (PL 20, 499 B - 500 A). <sup>5</sup> Cap. 16, n. 47 (PL 34, 1253; CCL 35, 53). <sup>6</sup> Rom. 2, 1.

c. 19 (168 A); confirmatur autem capitulis ex *Decreto sumptis*. Illa Hieronymi, ex C. 33 q. 5 c. 19 et 20 (1137s); conclusio dependet a dicto Gratiani ante c. 23 (1138), quod citatur in num. 2. Cap. 2. Quaestio ponitur in dicto Gratiani ante c. 1 C. 32 q. 6 (1139); prima auctoritas (in n. 2) idem est capitulum, iam in parte in *Summa sent.*, VII, 19 (168 B); altera, ex *Decreto*, C. 32 q. 6 c. 4 (1139); conclusio Gratiani est, post c. 5 (1140).

similiter etiam de femina dixerim ». — **Idem, De adulterinis coniugiis \***. Idem<sup>1</sup>: « Indignantur mariti si audiant adulteros viros pendere similes adulteris feminis poenas, cum tanto gravius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet et virtute vincere et exemplo regere feminas ». — Ex his apparet quod adulter adulteram dimittere non valet, et e converso.

## Cap. 3 (206).

1. **Quod possunt reconciliari qui causa fornicationis separantur.** Si quis autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alii copulari non potest; sed continere oportet, vel ad dimissam redire; sic et de femina. — Unde Apostolus<sup>2</sup>: *His qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere; quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari*; et de viro addit: *Et vir uxorem non dimittat*.

2. **Ambrosius \***. Sed Ambrosius ait<sup>3</sup>: « Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere ». — Sed hoc a falsariis in Ambrosii libro positum creditur.

3. **Augustinus, super Epistolam ad Corinthios \***. Supplendum enim esse in viro quod de uxore praemisit, aperte dicit Augustinus, sic<sup>4</sup>: « Quare non addit de muliere quod praemisit de viro nisi quod si-

<sup>1</sup> etiam] et LMOTVW. || Rubrica om. BCVWX. <sup>14</sup> Rubrica om. CRVX.  
 17-18 enim esse *trp.* BCM. <sup>18</sup> esse] est MLV, sed corr. V, om. ORX.

<sup>1</sup> Lib. II, c. 8, n. 7 (PL 40, 475; CSEL 41, 389). <sup>2</sup> I Cor. 7, 10-11. <sup>3</sup> Id est Ambrosiaster, in I Cor. 7, 11: « *Et virum uxorem non dimittere*. Subauditur autem: *excepta fornicationis causa*. Et ideo non subiecit dicens, sicut de muliere: *Quod si discesserit, manere sic, quia viro licet ducere uxorem, si dimiserit uxorem peccantem; quia non ita lege constringitur vir sicut mulier; caput enim mulieris vir est* » (PL 17 [1845], 218 B-C; CSEL 81-II, 75; I Cor. 11, 3). <sup>4</sup> Ita rubrica ex Gratiano (infra); sed verius, *De serm. Domini in monte*, I, c. 16, n. 43 (PL 34, 1251; CSEL 35, 48).

Cap. 3, n. 1: Cf. Gualterus, *Summa sent.*, VII, 19 (168 C - 169 D); Gratianus, C. 32 q. 7 (1140ss); et Magister, in I Cor. 7, 10 (PL 191, 1590 B - 1591 A). — Num. 2. Iam in *Glossa* (1590 D - 1591 A) Magister citat pseudo-Ambrosium, cum eodem commento: « Quod a falsariis dicitur esse appositum »; sed unde hauserit, nescimus. Quasi eadem auctoritas apud Gratianum, C. 32 q. 7 c. 17 (1144), cum commento post cap. 18 (1145); quod tamen non est fons huius loci. — Num. 3: Ut rubrica demonstrat, prima auctoritas (praeter quaedam verba adiuncta a Magistro) ex *Decreto*, C. 32 q. 7 c. 3 (1140s). Secunda, ex c. 4 eiusdem C. 32 q. 7 (1141). Tertia, iam in *Glossa* in I Cor. 7, 10-11 (PL 191, 1590 C) praeter ultima verba; unde fons est *Decretum*, ibid., c. 6 (1141).



milem formam vult intelligi, ut si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur), maneat sine uxore, aut reconcilietur uxori?». — **Idem in libro De sermone Domini in monte** \*. Idem 1: « Si nec illi nubere conceditur vivo viro a quo recessit, nec huic alteram ducere viva uxore quam dimisit, multo minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere ». — **Idem in eodem** \*. Idem 2: « Ut non facile dimittatur uxor, Dominus solam fornicationis causam excepit; ceteras vero universas molestias, si quae exstiterint, iubet pro fide coniugali et pro castitate fortiter sustineri, et moechum dixit qui a viro solutam duxerit ».

4. Ex his ostenditur quod, si causa fornicationis fit separatio, non potest vir vel mulier in aliam transire copulam; possunt autem reconciliari et cohabitare sicut prius, si dimissum alter revocare voluerit.

5. **Quae praedictis videntur obviare.** — **Ioannes Chrysostomus, super Matthaeum** \*. Dicit tamen **Ioannes Chrysostomus** 3: « Sicut crudelis et iniquus est qui castam dimittit, sic fatuus est et iniquus qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen uxoris ». — **Hieronymus** \*. Item **Hieronymus** 4: « Cum mulier unam carnem in aliam diviserit et se fornicatione a marito separaverit, non debet teneri, ne virum quoque sub maledicto faciat, dicente Scriptura 5: *Qui tenet adulteram, stultus et impius est* ». — Idem, ad Amandum scribens presbyterum 6, de quadam quae viro suo vivente alii nupserat sic ait: « Rem novam loquor, immo non novam, sed veterem, quae veteris Testamenti auctoritate confirmatur 7: Si reliquerit secundum virum mulier et reconciliari voluerit priori, non potest ».

6. **Determinatio.** Sed haec omnia intelligenda sunt de illa quae ab adulterio recedere noluit, nec per poenitentiam peccatum delere: quod si vir scienter patitur, consentire videtur. Si enim in adulterio perseverare

14 tamen] enim BCNR.  
lult] noluerit ABCT.

17 Hieronymus (rubrica) om. CRVWX.

26 no-

1 Ibid., c. 14, n. 39 (1249; 43).

2 Ibid. (1248; 42).

3 Ps-Chrysostomus, *In*

*Matth. opus imperf.*, hom. 32 (PG 56, 802).

4 *In Matth.* 19, 9 (PL 26 [1845], 135 A).

5 Prov. 18, 22.

6 Hieron., *Epist.* 55, n. 4 (PL 22 [1859] 563; CSEL 54, 495).

7 Resp.

Deut. 24, 1-4.

Num. 4 adaptatur ex *Summa sent.*, VII, 19 (PL 176, 168 C). — Num. 5: Pseudo-Chrysostomus, ex *Decreto*, C. 32 q. 1 c. 1 (1115); prima Hieron., *ibid.*, c. 2 (1116); altera autem eiusdem, ex *Summa sent.*, VII, 19 (PL 176, 168 C-D), non, ut iam notavit L. Ott (*Walter von Mortagne*, 688), ex *Decreto*, C. 34 q. 1 c. 3 (1258). — Num. 6: Prima phrasid trahitur ex dictis supra in Dist. 39, nn. 3-4; reliqua, ex dicto Gratiani post c. 10 C. 32 q. 1 (1118).

elegit, patronus turpitudinis et lenocinii reus maritus habebitur, nisi eam adulterii ream facere voluerit.

7. Si autem a peccato recesserit et per poenitentiam illud purgaverit, poterit viro reconciliari. — **Augustinus, ad Pollentium** \*. Unde **Augustinus** 1: « Quod tibi durum videtur, ut post adulterium reconcilietur coniux, si fides adsit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus poenitentia esse sanatos? » — **Idem in libro De adulterinis coniugiis** \*. Idem 2: « Non erit turpis nec difficilis etiam post patrata et purgata adulteria reconciliatio coniugii, ubi per claves regni caelorum non dubitatur fieri remissio peccatorum 3: non ut post viri divortium adultera revocetur, sed ut post Christi consortium adultera non vocetur ».

8. **Gregorius in libro Pastorum** \*. Item **Gregorius** 4: « Debet recipere peccatricem quae poenitentiam egit, sed non saepe ». — **Hermes** \*. Item **Hermes** 5: « Si vir scierit uxorem suam deliquisse et non egerit poenitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, et vivit cum illa vir, reus erit et particeps peccati eius. Quod si mulier dimissa egerit poenitentiam et voluerit ad virum reverti, debet recipere peccatricem quae poenitentiam egit, sed non saepe ».

#### Cap. 4 (207).

1. **De illis qui se ante polluerunt per adulterium.** Solet etiam quaeri an valeat duci in coniugium quae prius est polluta per adulterium. —

1 elegit] elegerit LMV. 2 facere voluerit *trp.* BCV. 13 Rubrica om. BCVWX.  
Pastorum] pastorali A. 14 egit] egerit BCTV, quod corr. V. || Hermes (rubrica)] in libro Pastorum add. A *Summa Sent.*, om. RVW. 22 est polluta *trp.* BCLTW.

1 Scil. in *De adulterinis coniugiis ad Pollentium*, II, c. 6, n. 5 (PL 40, 473s; CSEL 41, 387).

2 Ibid., c. 9, n. 8 (476; 390s).

3 Resp. Matth. 16, 19.

4 Male in-

terpretans titulum in libro Pastorum in fonte suo, censuit Magister Gregorii *Regulam pastorem* sic allegatam esse; inde auctoritatem duplicavit.

5 Hermes, *Pastor*, II, mandatum 4, c. 1 (PG 2, 919; ed. S. Colombo, Milano 1954, 533 et 535).

Num. 7 conficitur ex rubrica et auctoritate Augustini in C. 32 q. 1 c. 7; secunda auctoritas, *ibid.*, c. 8 (1117); iam in parte invenitur in *Summa sent.*, VII, c. 19 (PL 176, 168 D). — Num. 8: De Gregorio, videtur notam supra. Verba Hermae, potius ex *Summa sent.*, VII, 19 (PL 176, 168 D - 169 A) quam ex *Decreto*, C. 34 qq. 1-2 c. 7 (1259s), ubi desunt ultima verba: \* sed non saepe \*.

Cap. 4. Hic manifeste Magister perficit quaestionem Gualteri, cap. 13 (PL 176, 165 A-B)



**Leo Papa \***. De hoc **Leo Papa** ait 1: « Nullus ducat in matrimonium quam prius polluit adulterio ». — **Ex concilio Triburiensi \***. Item 2: « Relatum est auribus sanctorum sacerdotum quendam alterius uxorem stupro violasse, et insuper moechae iuramentum dedisse quod post legitimi mariti mortem, si superviveret, duceret eam uxorem; quod et factum est. 5 Tale ergo connubium prohibemus et anathematizamus ». — His aliisque auctoritatibus vetantur in coniugium copulari qui se prius adulterio macularunt.

2. **Quae praemissis contradicunt \***. — **Augustinus in libro De nuptiis et concupiscentia \***. Sed econtra **Augustinus** testatur dicens 3: « De- 10 nique mortuo eo cum quo fuit verum connubium, fieri potest coniugium cum qua praecessit adulterium ». — **Idem in libro De bono coniugali \***. Idem 4: « Posse fieri sane licitas nuptias ex personis illicite coniunctis, honesto placito subsequente, manifestum est ».

3. **Determinatio**. Sed haec ultima auctoritas de concubinis loquitur, 15 perhibens concubinam posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem et fidem servare velit. — Prima vero auctoritas **Augustini** de illis agit qui de peccato poenituerunt et nihil in morte viri machinati sunt, nec vivente viro fidem adulterae dedit moechus quod eam in coniugio duceret, si superviveret. Qui vero haec faciunt, aliis praemis- 20 sis auctoritatibus prohibentur copulari.

1 Leo Papa (rubrica) om. BCRVX. 2 Ex concilio Triburiense om. RVW. 7-8 macularunt] maculaverunt LMNTVW. 12 Rubrica om. MRVW.

1 Rectius, ut iam demonstrat H. J. F. Reinhardt, *Die Ehelehre der Schule des Anselm von Laon*, 122, decisio est Concilii Triburiensis (895), de quo in nota sequenti. 2 Paraphrasis exstat cap. 40 Concilii (I. Mansi, *Concilia*, XVIII, 152 B-D). 3 Lib. I, c. 10, n. 11 (PL 44, 420; CSEL 42, 223). 4 Cap. 14, n. 17 (PL 40, 385; CSEL 41, 209).

ope *Decreti Gratiani*, C. 31 q. 1, ubi « Quaeritur an possit duci in coniugium quae prius est polluta per adulterium » (1108). Auctoritates in num. 1 adducuntur a Gualtero, sed hic potius formulantur ut in *Decreto*: illa Leonis in c. 1 (1108), alia Concilii in c. 4 (1109); conclusio est Gualteri. — Num. 2: Ambo Augustini, in c. 2 (1108). — Determinatio trahitur ex dictis Gratiani, post c. 2 (1108), ac inde post c. 3 (1109).

## DISTINCTIO XXXVI

## Cap. 1 (208).

1. **Si pro extrema conditione valeat uxor separari a viro et e converso**. Nunc de conditione videamus an valeat coniugium dividere. — 5 Ad quod dicimus quia non negatur ingenua posse nubere servo, sed si nescitur esse servilis conditionis, libere potest dimitti cum servitus eius fuerit deprehensa; secundum illud (**In concilio apud Vermeriam \***): « Si 1 quis ingenuus homo ancillam alterius uxorem acceperit, et aestimat quod ingenua sit, si ipsa femina fuerit postea in servitute detecta, si eam a ser- 10 vitute redimere potest, faciat; si non potest, si voluerit aliam accipiat. Si vero ancillam eam scierat et collaudaverat, post eam ut legitimam habeat ». — **In eodem \***. Item ex eodem 2: « Si femina ingenua acceperit servum, sciens quod servus esset, habeat eum, quia omnes unum Patrem habemus in caelis 3. Una lex erit viro et feminae ».

2. Cum dicitur 'sciens illum servum', datur intelligi quod si nescierit 15 illum servum esse, non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolium patitur, non cogitur adhaerere ei cuius fraude decepta est. — Si autem scierit vir conditionem mulieris, vel e converso, non valet eam dimittere. — **Zacharias Papa \***. Unde **Zacharias Papa** 4. « Si quis liber ancil-

9 servitute] servitutum ABCMOW. || detecta] redacta M, deiecta X (cf. *notatio Correctorum in h.l. apud Friedberg, Corpus I, 1093*). 11 post eam] postea eam A, postea BCMNX, corr. in postea T (cf. *notatio, ibidem*).

1 *Peppini Regis Capitulare Vermeriense* (an. 753), c. 6 (PL 96, 1507 B, ubi deest ultima phrasis « Si vero... habeat »; ipse textus deest in I. Mansi, *Concilia*, XII, 565ss). 2 Uti hic iacet, invenitur apud I. Mansi, *Concilia*, XII, 566; sub alia formula in eodem c. 6 in PL 96, 1507 B. 3 Resp. Matth. 23, 9: *Unus est enim Pater vester qui in caelis est*. 4 Non invenitur sub nomine Zachariae; sed non eo ipso negatur eius authenticitas. Pluries invenitur sine nomine Papae: cf. *Excerptiones Egberti Eborac.*, n. 124 (I. Mansi, XII, 424 E; PL 89, 393 D); *Benedictus Levita, Capitularia* II, c. 95 (PL 97, 760 D - 761 A); semper sine ultimis verbis: « nisi ob fornicationem ».

Dist. XXXVI. Cf. L. Ott, *Walter von Mortagne und P. Lombardus*, 683ss. — Cap. 1, n. 1: Quaestio de conditione est Gratiani in dicto ante c. 1 C. 29 q. 2 (1092); quod sequitur, ex dicto eius ante c. 4 (1093); dein (in c. 4 et 5) duae auctoritates (1093s), quae adducuntur etiam in *Summa sent.*, VII, c. 14 (PL 176, 165 C-D). — Num. 2: Primum dictum est Gratiani ante c. 7 C. 39 q. 2 (1094); aliud deducitur ex eodem necnon et ex dicto ante c. 4 (1093). Verba Zachariae, in c. 2 (ibid.).



iam in matrimonio acceperit, non habeat licentiam dimittere eam, si consensu amborum coniuncti sunt, nisi ob fornicationem». De illis agit quibus alterutrius conditio nota est quando coniunguntur.

Cap. 2 (209).

1. **De copula servi et ancillae diversorum dominorum.** Quaeritur 5 etiam, si servus unius ancillam alterius acceperit, an sit inter eos coniugium. — **In concilio Cabillonensi** \*. De hoc ita statutum est 1: « Dictum est nobis quod quidam legitima servorum matrimonia potestativa quadam praesumptione dirimant, non attendentes illud 2: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Unde nobis visum est ut coniugia servorum non diri- 10 mantur, etsi diversos dominos habeant; sed in uno coniugio permanentes, dominis serviant suis. Et hoc in illis observandum est, ubi legalis coniunctio fuit et per voluntatem dominorum ».

2. Attende finem huius capituli, ubi videtur innui praeter voluntatem dominorum inter servum et ancillam non posse contrahi coniugium, 15 vel si contrahitur, non esse ratum. — Quibusdam tamen videtur inter eos posse fieri coniugium dominis ignorantibus.

Cap. 3 (210).

1. **De viro qui se facit servum ut dividatur ab uxore.** Illud etiam notandum, quod si mulier virum liberum acceperit, et ille, ut causam prae- 20 stet dissidii, se alicuius servum fecerit, nec uxorem dimittere, nec illa ob vinculum coniugii in servitutem redigi poterit.

2. **In Triburiensi concilio** \*. Unde illud 3: « Perlatum est ad sanctam Synodum quod quidam ingenuus ingenuam acceperit uxorem, et post fi-

1 matrimonio] matrimonium BCW. 9 Quod] quos BCLV. 19 facit] fecit NW.

1 Concil. Cabillonense II (813), c. 30 (Mansi XIV, 99); ap. Benedict. *Levitam, Capitularia*, add. III, c. 54 (PL 97, 878). 2 Matth. 19, 6. 3 Fons incertus; non invenitur inter capitula huius Concilii.

Cap. 2, num. 1. Statutum concilii iam in *Summa sent.*, VII, 14 (PL 176, 166 A-B); sed fons est *Decretum*, ubi quaestio proponitur ante c. 8 C. 29 q. 2; auctoritas est idem c. 8 (1095). — Num. 2. Nonnullis mutatis, ex *Summa sent.*, post idem statutum (166 B); sub *Quibusdam* subaudi Gualterum (ibid.).

Cap. 3, n. 1: Ex dicto Gratiani ante c. 7 C. 29 q. 2 (1094). Num. 2 est ipsum c. 7.

liorum procreationem, occasione divortii cuiusdam se servum fecerit. Utrum mulierem necessario tenere debeat, et si tenuerit, an illa etiam servituti subici debeat, quaesitum est. Iudicatum est uxorem minime debere dimitti, non tamen ob Christi legem mulierem in servitutem redigi: dum 5 ille non ex consensu coniugis se servum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat ».

Cap. 4 (211).

1. **De aetate contrahentium.** Hoc etiam sciendum est, quod pueri ante quatuordecim annos et puellae ante duodecim, secundum leges 1, 10 matrimonium inire nequeunt. Quod si ante praedicta tempora copulam inierint, separari possunt, quamvis voluntate et assensu parentum iuncti sint. Qui vero in pueritia copulati, post annos pubertatis nolunt se relinquere, sed in coniunctione permanere, iam ex hoc efficiuntur coniuges, et deinceps nequeunt separari.

2. Item: Sponsalia ante septennium contrahi non possunt. Solo enim 15 consensu contrahuntur, qui intervenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur quod inter eos agitur.

3. Duo illa exsecuti sumus 2, cum aliorum quorundam adiectione, quibus coniugium solvi potest nec tamen solvi semper necesse est. Nunc 20 de aliis, quae personas illegitimas penitus faciunt, addendum est, et primum de ordine.

DISTINCTIO XXXVII

Cap. 1 (212).

1. **In quo ordine nequeat fieri coniugium.** Sunt igitur quidam ordines 25 in quibus nullatenus potest contrahi coniugium, et si intercesserit copula,

1 fecerit] fecit AL. 4 non] nec MT. 12 sint] sunt BCMX, fuerint N. 15 Item om. BCLRV.

1 *Digesta*, XXIII, tit. 2, lex 4 (Cor. Iur. Civ. I, 330b). 2 Scilicet de frigiditate et conditione aliisque ad personas illegitimas medias spectantibus, de quibus Dist. 34, c. 1.

Cap. 4, n. 1: Ex *Summa sent.*, VII, c. 15 (PL 176, 166 C). — Num. 2 dictum est Gratiani ante c. unicum C. 30 q. 2 (1099s).

Dist. XXXVII. Cap. 1, n. 1 derivatur ex capitulis infra citatis, praeter ultimam phrasim, quae dependet ex dicto ante c. 14 Dist. 32 (121).



fit divortium: ut sacerdotium, diaconatus et subdiaconatus. In aliis vero permittitur sortiri coniugium, nisi religionis habitum sumpserint vel votum continentiae fecerint.

2. **Leo Papa** \*. Unde **Leo Papa**<sup>1</sup>: «Clericos, lectores, ostiarios, exorcistas, acolythos, si extra votum et habitum inveniuntur et continentiam 5 profiteri nolunt, uxorem ducere virginem Ecclesia Romana permittit; non viduam, vel repudiatam, quia deinceps nec ad subdiaconatum pro-  
vehi poterunt, nec laicus uxorem sortitus non-virginem vel bigamus ad clericatum». — **Ex Carthaginensi Concilio** \*. Item ex **Carthaginensi Concilio**<sup>2</sup>: «Placuit episcopos, presbyteros, diaconos, subdiaconos etiam ab uxoribus abstinere: quod si non fecerint, etiam ab ecclesia-  
stico removeantur officio; ceteros vero clericos ad hoc non cogi».

3. **Leo Papa** \*. Item **Leo**<sup>3</sup>: «Lex continentiae eadem est ministris altaris, quae episcopis et presbyteris: qui cum essent laici vel lectores, licite uxores ducere potuerunt; sed cum ad praedictos pervenerunt gradus, 15  
coepit eis non licere quod licuit». — **In VI Synodo** \*. Item in **Sexta Synodo**<sup>4</sup>: «Si quis eorum qui ad clerum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat».

<sup>1</sup> et om. BCNV. <sup>4</sup> Papa<sup>2</sup> om. RVX. <sup>7</sup> vel] non TX. <sup>8</sup> non-virginem] nec nisi virg. M, nec virg. BCOW, quod corr. O. <sup>12</sup> cogi] cogit CLMNORTWX, quod corr. NW. <sup>14</sup> vel om. MNOW, add. interl. LT. <sup>15</sup> pervenerunt] pervenerint BCMX, corr. in pervenerint NV. <sup>17</sup> clerum] clericatum MTX. || voluerit] voluit N, corr. ex voluerint LR.

<sup>1</sup> Immo Leonis IX legatus, Humbertus episc. Silvae Candidae, *Responsio contra libellum Nicetae Abbatis* (an. 1054), n. 32 (PL 143, 999 D - 1000 A). <sup>2</sup> Prima pars: «Placuit... abstinere», invenitur inter gesta Concilii Carthagensis II (390), ad finem n. 1 (CCL 149, 13); et in *Ferrandi Carthagensis diaconi breviatio canonum*, n. 16, (ibid., 288); reliqua, ex can. 25 inter *Canones in causa Apiarii* (ibid., 108s). <sup>3</sup> Leo I, *Epist. 167 (ad Rusticum Narbon. episc.)*, inq. 3 (PL 54, 1204 A). <sup>4</sup> Sexta Synodus (seu Concil. Oecum. VI) revera erat Constantinopol. III (680-681); verba hic prolata verius sunt alterius, Quini-  
sexti seu in Trullo, ibid., an. 692, c. 6 (I. Mansi XI, 943 D).

Num. 2: Prima auctoritas, ex eodem c. 14 D. 32 (121); alia, ex c. 13 (121s). — Num. 3: Illa Leonis prima pars est c. 10 D. 31 (113); alia est c. 7 D. 32 (119s). In quibusdam codicibus mss. hic (in marginibus, ut in pluribus) inseruntur tres aliae auctoritates; de quibus vide nostra Prolegomena.

## Cap. 2 (213).

1. **De interfecto-ribus coniugum suarum.** — **Nicolaus Papa** \*. His adiciendum est de occisoribus suarum coniugum. De quibus **Nicolaus** scribit **Radulpho Bituricensi archiepiscopo**<sup>1</sup>: «Interfectores suarum  
5 coniugum sine iudicio, cum non addis 'adulterarum' vel aliquid huiusmodi, quid aliud habendi sunt quam homicidae, ac per hoc ad poenitentiam redigendi? Quibus penitus denegatur coniugium».

2. Hic videtur **Nicolaus** permittere maritis pro adulterio vel alio huiusmodi uxores suas interficere; sed ecclesiastica disciplina spirituali  
10 gladio, non materiali, criminosos feriri iubet. — **Nicolaus Papa Albino archiepiscopo** \*. Unde idem **Nicolaus**<sup>2</sup>: «Inter haec vestra Sanctitas addere studuit: si cuius uxor adulterium perpetraverit, utrum marito eius liceat secundum mundanam legem<sup>3</sup> interficere. Sed sancta Dei Ecclesia nunquam mundanis constringitur legibus, gladium non habet nisi  
15 spiritualem». — **Pius Papa** \*. Item **Pius Papa**<sup>4</sup>: «Quicumque propriam uxorem absque lege et sine causa interfecerit aliamque duxerit, armis depositis publicam agat poenitentiam; et si contumax exstiterit, anathematizetur usquequo consentiat».

<sup>2</sup> Nicolaus Papa om. RVW. <sup>4</sup> Radulpho Bituricensi archiepiscopo AMNT, om. alii codd. <sup>10-11</sup> Nicolaus... archiepiscopo] Idem A, om. CVW.

<sup>1</sup> Nicolaus I, *Epist. 66 (ad Rodulfum Bituric. archiep.)*, c. 6 (PL 119, 885 A). <sup>2</sup> *Epist. 26 (ad Carolum Moguntin. archiep. vel Albinum archiep.)* (PL 119, 811 B; MGH, *Epist. VI*, n. 156, 677); spurium tamen designatur apud A. Brackmann, *Germania Pontificia*, II-1, 124; et III, 92. <sup>3</sup> *Digestae seu Pandectae*, XLVIII, tit. 5, lex 21-25 (*Corpus Iuris Civilis*, I, 848). <sup>4</sup> Spurium; fundatur, praeter ultima tria verba, in cap. *Wormatiensi pro lege habendo*, n. 3 (PL 97, 637 A-B); de quo Hincmarus in *De divortio Hlotharii et Tebergae*, interrog. V: «Nostri etiam aevi Augustus pia memoriae in synodo ac placito generali apud Wormatiam... de hac unde agitur causa... ita discernens: Quicumque, propria uxore derelicta, vel sine culpa interfecta...; et si contumax fuerit, comprehendatur a comite...» (PL 125, 652 D-653 - A.)

Cap. 2, n. 1. Totum ex rubrica et cap. Gratiani, C. 33 q. 2 c. 5 (1152). — Num. 2: ex dicto ante seq. c. 6 et ex ipso c. 6 C. 33 q. 2 (1152). Ultima auctoritas, ex c. 7 (ibid.).



## DISTINCTIO XXXVIII

## Cap. 1 (214).

De voto. Nunc de voto inspiciamus. Votum est testificatio quaedam promissionis spontaneae, quae Deo et de his quae Dei sunt proprie fieri debet. Sunt tamen et vota stultorum <sup>1</sup>, quae frangenda sunt.

## Cap. 2 (215).

1. De votorum differentiis. Sciendum vero quod votum aliud est commune, aliud singulare. Commune, ut illud quod in baptismo omnes faciunt, cum spondent renuntiare diabolo et pompis eius; singulare, ut cum aliquis sponte promittit servare virginitatem vel continentiam vel aliquid huiusmodi. — Item singulare votum aliud est privatum, aliud solemne. Privatum est in abscondito factum; solemne in conspectu Ecclesiae factum. Item privatum votum si violetur, peccatum est mortale; solemne vero violare peccatum est et scandalum.

2. Qui privatum faciunt votum continentiae, matrimonium contrahere non debent, quia contrahendo mortaliter peccant; si tamen contraxerint, non separentur, quia probari non potest quod occulte actum est. Qui enim solemniter vovent, nullatenus coniugium inire queunt; quibus

<sup>3</sup> voto] votis BCLNRVX. <sup>7</sup> est om. NX. || est commune trp. LT. <sup>13</sup> violetur] violatur MTW. <sup>14</sup> est add. interl. L<sup>2</sup>V<sup>2</sup>, trp. post scandalum L<sup>1</sup>T. <sup>18</sup> enim] vero (et quidem rectius) BCRV, corr. in vero L. || vovent] voverunt VX, voverit C, voveret N.

<sup>1</sup> Resp. Eccles. 5, 3: *Displicet enim ei... stulta promissio.*

Dist. XXXVIII. Cf. L. Ott, *Untersuchungen zur theol. Briefliteratur*, 292-313; et eius *Walter v. Mortagne und P. Lombardus*, in *Mélanges J. de Ghellinck* II, 673-675, ubi quod quatuor sunt fontes Magistri demonstrat: Hugo, Gratianus, Gualterus, et sua propria *Glossa* in Apostolum. — Cap. 1 contracte sumitur ex Hugone, *De sacramentis* II, 12, 3 et 4 (PL 176, 521 B et C). — Cap. 2, n. 1. Prima pars trahitur ex *Glossa* in Ps. 75, 12: *Vovete et reddite* (PL 191, 708 D - 709 A); quae in parte invenitur in *Glossa ordinaria* in h.l. (cod. Florent., Laurent. XVII. 4, fol. 98v; apud Lyranum III, 194c), in parte in *interlin.*, ubi distinguitur inter vota communia et propria, « ut virginitatem servare ». Altera pars (« Item singulare... »), contracte ex Hugone, *De sacram.* II, 12, 3 (PL 176, 521 B). — Num. 2: doctrina de voto privato Hugonis est, *De sacram.* II, 11, 12 (502 D et 504 C); dictum de voto solemniter invenitur infra ad initium n. 3. Verba Augustini, in *Glossa* in I Tim. 5, 12 (PL 192, 353 C), sumuntur ex Floro in h.l. (col. 726).

non solum nubere, sed et velle damnabile est. — Augustinus, ad Iulianam de sancta viduitate \*. Unde Augustinus <sup>1</sup>: « In coniugali vinculo, si pudicitia servatur, damnatio non timetur; sed in viduali continentia et virginali excellentia virtus muneris amplioris expetitur: qua expetita et electa et voto oblata, iam non solum capessere nuptias, sed etiam si non nubatur, nubere velle damnabile est ».

3. Voventibus enim virginitatem vel viduitatem non solum nubere, sed et velle damnabile est. Quod Apostolus ostendit Timotheo scribens <sup>2</sup>: *Adolescentiores viduas devita: cum enim luxuriatae fuerint, in Christo nubere volunt*, id est cum post votum continentiae in deliciis egerint vitam. Non dico 'nubunt', sed 'nubere volunt'; in Christo, quasi tunc non sit peccatum. — Sed quod sit, ostendit subdens: *Habentes damnationem; et quare, subdit: quia primam fidem irritam fecerunt (Augustinus in eodem <sup>3</sup> \*)*: « etsi non nubendo, tamen volendo: ut voluntatem quae a proposito cecidit appareat esse damnatam, sive sequantur nuptiae sive non. Damnatur enim propositi fraus. Damnantur tales quia continentiae fidem primam irritam fecerunt », id est votum, vel in voto violato fidem quam in baptismo professi sunt.

4. Si autem pro voluntate nubendi damnantur, constat si eam effectui mancipaverint, revocandum id esse in irritum, easque arcendas redire ad propositum. — Gregorius ad Bonifacium \*. Unde Gregorius <sup>4</sup>: « Viduas a proposito recedentes viduitatis, super quibus nos consolui, credo te nosse a sancto Paulo <sup>5</sup>, nisi convertantur, olim esse damnatas. Quas et nos apostolica auctoritate damnandas, et a communione fidelium atque a

<sup>6</sup> nubatur] nubant OTVW. <sup>7</sup> Voventibus] Unde Augustinus *praem.* A. 7-8 Voventibus... damnabile est om. (hom.) BCY, sed add. marg. V<sup>2</sup>. <sup>7</sup> enim] igitur X, om. MW. <sup>12</sup> subdens] dicens LMNR. <sup>13</sup> Rubrica om. ABCLVWX. <sup>21</sup> Gregorius] Aug. BX, om. C. <sup>23</sup> olim] omnino BCN.

<sup>1</sup> *De bono viduitatis*, c. 9, n. 12 (PL 40, 437; CSEL 41, 317s). <sup>2</sup> I Tim. 5, 11-12.

<sup>3</sup> Cap. 9, n. 12 (437s; 317s). <sup>4</sup> Cf. Benedictus Levita, *Capitularia*, add. IV, c. 88 (PL 97, 900 A-B). Non invenimus inter epistolas Gregorii II nec Gregorii III ad Bonifacium.

<sup>5</sup> I Tim. 5, 11-12.

Num. 3. Prima phrasid (« Voventibus... est »), ex eadem *Glossa* in I Tim. 5, 12 (353 C-D); iam in *Glossa ordin.* (apud Lyranum VI, 121v; cod. I 167b) necnon et in *Summa sent.* VII, 10 (PL 176, 163 A); ex quibus fontibus citatur a scholasticis, ut in pluribus sub nomine Hieronymi, sed in vanum. Quod sequitur fundatur in eadem *Glossa* (353 D), unde verba Augustini quae sequuntur. — Num. 4: Auctoritas pseudo-Greg. iam in *Summa sent.* VII, 10 (PL 176, 162 B), sed sub aliis verbis; fons Magistri potius est *Decretum*, C. 27 q. 1 c. 2 (1047s).



liminibus ecclesiae arcendas fore censemus, usquequo obediant episcopis suis et ad bonum quod coeperunt invite aut voluntarie revertantur ».

5. **De virginibus non velatis.** « De <sup>1</sup> virginibus autem non velatis, si deviauerint, a praedecessore nostro Innocentio <sup>2</sup> taliter decretum habemus: Hae quae necdum sacro velamine tectae, tamen in proposito virginali semper se simulaverunt permanere, licet velatae non fuerint, tamen si nupserint, aliquo tempore his agenda poenitentia est, quia spon- sio earum a Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonae fidei contractus nulla ratione dissolvi, quanto magis ista pollicitatio, quam cum Deo pepigit, solvi sine vindicta non poterit! »

6. **Idem \***. Item: « Si <sup>3</sup> virgines nondum velatae taliter publica poenitentia puniuntur et a coetu fidelium usque ad satisfactionem excluduntur, quanto magis viduae quae perfectioris aetatis et maturioris consilii existunt et habitum religionis assumpserunt, et deinde apostataverunt atque ad priorem vomitum sunt reversae <sup>4</sup>, a nobis et ab omnibus fidelibus a liminibus ecclesiae et a coetu fidelium usque ad satisfactionem sunt eliminandae et carceribus tradendae! »

7. Ex his apparet virgines vel viduas voto continentiae adstrictas, sive fuerint velatae sive non, nullatenus coniugium sortiri posse. Quod itidem de omnibus intelligendum est qui continentiam voverunt: quod enim ante erat licitum, post votum fit illicitum.

8. **Innocentius Papa \***. Non est hic praetermittendum quod Innocentius <sup>5</sup> de viduis et puellis decrevit: « Quae Christo spiritualiter nubunt, si postea publice nupserint, non eas admittendas esse ad poenitentiam, nisi hi quibus se iunxerant de mundo recesserint. Si enim de

<sup>2</sup> revertantur] reddantur MOX, redeant T, convertantur W. <sup>6</sup> simulaverunt] simulavere L, simulaverint AMV, quod corr. V2. <sup>11</sup> Idem om. ABCNVWX. <sup>20</sup> itidem] idem X, videlicet BCL.

<sup>1</sup> Cf. Benedictus Levita (900 B); haec auctoritas invenitur inter Responsa Stephani Pp. II (an. 754), in PL 89, 1025 B-C. <sup>2</sup> Innocentius I, *Epist. 2* (ad Victricium Rothomag. episc.), c. 14, n. 16 (PL 20, 479 A et 480 A); de qua cf. H. Wurm, *Decretales selectae* etc., in *Apollinaris* 12 (1939), 42. <sup>3</sup> Continuatur auctoritas Gregorii seu Benedicti Levitae, ibid. <sup>4</sup> Resp. Prov. 26, 11; II Petri 2, 22. <sup>5</sup> In eadem *Epistola 2*, c. 13, n. 16 (PL 20, 478 B et 479 A).

Num. 5: ex eodem c. 2, § 2 (1048). — Num. 6: ex eodem c. 2, § 3. — Num. 8: de viduis et puellis agitur in rubrica ad c. 7 C. 27 q. 1 (1050); sed decretum Innocentii invenitur in c. 10; citatur etiam in *Summa sent.* VII, 10 (PL 176, 162 C), quae tamen non est fons Magistri hic.

hominibus haec ratio custoditur, ut quaecumque vivente viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agenda poenitentiae licentia conceditur, nisi unus de his fuerit defunctus, quanto magis de illa tenenda est quae ante se immortalis sponso coniunxerat, et post ad humanas nuptias transmigravit! »

9. Attende quod non solum coniugium talibus negare videtur, sed etiam locum poenitentiae. — Sed non ita intelligendum est ut aliquando excludantur a poenitentia, quae digne poenitentiam agere volunt; sed illae non sunt admittendae ad poenitentiam, quae ab incesti copula discedere noluerint: quia post religionis propositum non potest Deo per poenitentiam reconciliari, quae ad habitum suae professionis redire neglexerit. Tunc ille cui se iunxerat ei defunctus erit, cum ab eius illicitis amplexibus haec penitus recesserit. Cum igitur dicitur 'eas non esse admittendas ad poenitentiam, nisi hi quibus se iunxerant recesserint de mundo', subaudiendum est: eis. Tunc enim eis viri de mundo recedunt et defunguntur, cum ab eorum concupiscentia istae se alienant. Quem sensum subdita similitudo <sup>1</sup> declarat et confirmat.

10. **Quam grande malum sit adulterium.** Cum vir et mulier legitime coniuncti sunt, constat alterum, altero vivente, ad aliam non posse transire copulam: alioquin adulterium committit. — **Clemens Papa \***. De quo Clemens Papa <sup>2</sup> ait: « Quid in omnibus peccatis est adulterio gravius? Secundum namque in poenis tenet locum, quem primum illi habent qui aberrant a Deo ». — Gravissime igitur peccant adulteri, graviter fornicarii, sed cunctis his gravius incestuosi; quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. — **Augustinus in libro De adulterinis coniugiis \***. Unde Augustinus <sup>3</sup>: « Adulterii malum vincit fornicationem ».

<sup>1</sup> vivente om. M, add. interl. V2. || vivente viro trp. CNW. <sup>2</sup> conceditur] concedatur ALNW. <sup>4-5</sup> transmigravit] transmigraverit AORWX. <sup>12</sup> iunxerat] coniunxerat ALMOW. || ei om. BCM, add. sed del. N.

<sup>1</sup> Ipsius nempe Innocentii, supra in num. 8; vide etiam notam in altera serie. <sup>2</sup> Ps-Clemens, *Epist. I, ad Iacobum* (PG 1, 466 D - 467 A); ex *Decreto* ps-Isidori (PL 130, 22 B-C). <sup>3</sup> Potius colligitur ex August., *De bono coniugali*, c. 8, n. 8; et c. 11, n. 12 (PL 40, 379 et 382; CSEL 41, 198 et 203s).

Num. 9: Idem dictum in Gualt. de Mauretania, *Summa sent.* VII, 10: « Non enim videntur (verba Innocentii) solummodo coniugium negare velatis virginibus, sed etiam locum poenitentiae » (PL 176, 162 C). Solutio vero est Gratiani, in § 1 dicti post c. 43 C. 27 q. 1 (1062). — Num. 10: Verba pseudo-Clementis, ex *Decreto* C. 32 q. 7 c. 16 (1144). Quod sequitur fundatur in dicto Gratiani ante c. 11 C. 32 q. 7 (1142s). Auctoritas Augustini in ipso cap. 11 (1143).



tionem, vincitur autem ab incestu: peius enim est cum matre quam cum aliena uxore dormire. Sed omnium horum pessimum est quod contra naturam fit, ut si vir membro mulieris non ad hoc concessio utatur. Hoc execrabilius fit in meretrice, sed execrabilius in uxore ».

## Cap. 3 (216).

1. **De illis qui post longam captivitate redeunt.** Hic quaeritur de illis feminis quae, putantes viros suos interemptos in captivitate vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos, in aliorum coniugia transierunt: si illi qui putabantur periisse remearint, utrum eis reddi debeant, et an secundi fornicati sint et ipsae reae adulterii.

2. **Leo Papa** \*. De hoc Leo Papa<sup>1</sup> sic ait: « Necessesse est ut legitimarum foedera nuptiarum redintegrandam credamus, et remotis his quae hostilitas intulit, cuique id legitime reformetur quod intulit; procurandumque est ut recipiat quisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis iudicetur, et quasi alieni iuris pervasor habeatur, qui personam eius mariti qui iam non esse aestimabatur assumpsit. Sic enim multa, quae ad eos qui in captivitate ducti sunt pertinebant, in ius alienum transire potuerunt; et tamen plenae iustitiae est ut eisdem reversis reformentur. Ideoque, si viri post longam captivitate reversi ita in dilectione suarum coniugum perseverant, ut eas cupiant in suum redire consortium, dimit- tendum est et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, et restituendum quod fides poscit. Sin autem aliquae mulieres ita posteriorum

2 omnium horum *trp.* ALOW. 3 fit] est M, om. LOT. 4 execrabilius] fit  
add. ABCOTW, add. interl. L, add. sed del. N. 7 ab] aliqua add. T. 8 iniqua]  
aliqua BCM. || dominatione] dampnatione MW. 9 remearint] remeaverint L, remea-  
runt AM. 10 secundi] cum secundo viro X, secundo M. || fornicati] fornicarii BCTV,  
fornicate X. 14 -que] quoque C, add. interl. L<sup>2</sup>N<sup>2</sup>, om. VW. 17 captivitate]  
captivitate ALNX. 19 dilectione] delectatione ABCLTV, quod corr. BLT.

<sup>1</sup> Leo Pp. I, *Epist. 159 (ad Nicetum Aquileiensem episc.)*, cc. 1-4 (Mansi, VI, 331 D - 333 A; PL 54, 1136 B - 1137 B). Difficultates hic descriptas anno 458 Leoni praesentaverat Nicetus ut moestos fructus invasionis Attilae anno 452.

Cap. 3. Cf. J. A. Brundage, *The Crusader's Wife revisited*, in *Studia Gratiana* XIV (Bononiae 1967) 241-251; L. Ott, *Walter v. Mortagne*, in *Mélanges* II, 672s. — Num. 1: Quaestio iam in *Summa sent.* VII, c. 9 (PL 176, 161 C), sed hic intextitur Gratiani *Decreto*. Ipsa enim quaestio formulatur ex verbis Leonis I ad initium c. 1 C. 34 qq. 1-2 (1256s) et illis Gratiani ad initium huius Causae (1256). — Num. 2. Auctoritas Leonis, ut supra, c. 1 C. 34 qq. 1-2 (1257, 10ss); in parte tantum apud Gualterum (161 C-D).

virorum amore sunt captae, ut malint his cohaerere quam ad legitimum transire consortium, merito sunt notandae, ita ut ecclesiastica communionem priventur, quae de re excusabili contaminationem criminis elegerunt. Redeant ergo in suum statum coniugia, quia sicut mulieres quae ad viros suos reverti noluerint impiae sunt habendae, ita illae quae redeunt merito sunt laudandae ».

3. Ex his ostenditur illos qui taliter iunguntur ut credant virum interemptum, per ignorantiam aliquam excusationem habere de peccato; et tantum primam copulam esse legitimam, non secundam, veniam tamen habere, si careat opprobrio malae voluntatis.

4. **Quaestio** \*. Sed si quis, relicta in patria sua uxore, in longinquam abiens regionem aliam ducat, deinde poenitentia ductus eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse quae vivit, nec Ecclesia permittat, quae quod ille asserit ignorat: quaeritur an in hac secunda copula sit coniugium.

5. **Solvit** \*. Sane dici potest non esse coniugium, et mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed ex quo, ad primam redire volens nec valens, cogitur Ecclesiae disciplina hanc tenere, incipit excusari per obedientiam et timorem de hoc quod poscenti mulieri debitum reddit; a qua ipse nunquam poscere debet. Et sic de aliis huiusmodi sciendum est.

## DISTINCTIO XXXIX

## Cap. 1 (217).

1. **De dispari cultu.** Post haec de dispari cultu videndum est. Haec est enim una de causis quibus personae illegitimae fiunt ad contrahendum matrimonium.

4 Redeant] Leo papa add. marg. BCMX, Idem add. L. 5 noluerint] noluerunt MRT.  
11 Quaestio om. RVW. 15 Solvit om. RVW. 16 admisisse] commisisse ACLMWX,  
quod corr. L<sup>2</sup>.

Num. 3: ita fere concludit Gualterus (161 D). — Num. 4: Similis (non idem) casus apud Gualterum (161 D - 162 A). — Num. 5: Prima phrasis Gualteri est. Reliqua est sententia Magistri quae « non communiter tenetur ». Iam in *Glossa anonyma* cod. Bamberg. *Patr. 128* legitur super hunc locum: *incipit excusari*: « M.O. [= Magister Odo Suession. seu postea Ursicampi] voce subobscura et remissa auricularibus suis dixit quod hec solutio falsa est » (f. 21v); apud M. Landgraf, *Zwei Gelehrte aus der Umgebung des Petrus Lombardus*, in *Divus Thomas* (Fr.) 11 (1933) 163.

Dist. XXXIX, Cf. L. Ott, *Walter v. Mortagne und P. Lombardus*, in *Mélanges J. de Ghellinck* II, 669-672. — Cap. 1, n. 2: Ex *Summa sent.* VII, c. 8 (PL 176, 160 C-D); auctoritas



2. Non enim licet christiano cum gentili vel iudaea inire coniugium, quia etiam in veteri Testamento prohibitum est fideles viros infideles ducere uxores, Domino dicente 1: *Non accipies uxores de filiabus alienigenarum filiis tuis, ne traducant eos post deos suos.* Iuxta hoc Domini praeceptum Iudaeorum coniugia cum alienigenis inita Esdras separavit 2. 5 Hoc idem etiam in novo Testamento servatur. — **Augustinus, ad Pollentium** \*. Unde Augustinus 3: « Ne nubat femina nisi suae religionis viro, vel ne vir talem ducat uxorem. Id enim, ut dicis, iubet Dominus 4, docet Apostolus 5, utrumque praecipit Testamentum ».

3. **Ambrosius in libro De patriarchis** \*. Item Ambrosius 6: 10 « Cave, christiane, gentili vel iudaeo filiam tuam tradere; cave ne gentilem vel iudaeam vel alienigenam, id est haereticam, et omnem alienam a fide tua uxorem accersias tibi ». — **Ex concilio Urbanensi** \*. Item 7: « Si quis iudaeae, sive christiana iudaeo, sive iudaea christiano, carnali consortio 15 misceatur: quicumque tantum nefas admiserit, a christiano coetu protinus segregetur ». — Ex his aliisque pluribus apparet non posse contrahi coniugium ab his qui sunt diversae religionis et fidei.

Cap. 2 (218).

1. **De coniugio fidelis et infidelis et duorum infidelium.** Huic autem videtur obviare quod Apostolus ait 8 de imparibus coniugiis: *Ego dico,* 20

3 accipies] accipias LTV. 6 Augustinus (rubrica) om. ALT, rubrica om. VW.  
11-12 gentilem vel iudaeam trp. LT. 13 accersias] accersas R, quod corr. marg. R2, accipias M, quod add. interl. V2. || Rubrica om. RVW. 14 sive] vel ABCNX. 15 protinus] penitus BCT.

1 Exod. 34, 16; Deut. 7, 3-4; ex Augustino, loco mox infra cit. 2 Resp. I Esdr. 10, 11. 3 De adulterinis coniugiis, I, c. 21, n. 25 (PL 40, 465s; CSEL 41, 272). 4 Uti supra in Exodo 34, 16; Deut. 7, 3-4. 5 Resp. II Cor. 5, 14: *Nolite iugum ducere cum infidelibus;* in August. vero resp. I Cor. 7, 39: *Cui vult nubat, tantum in Domino, « id est christiano »* (ibid.). 6 De Abraham patriarcha, I, c. 9, n. 84 (PL 14 [1485], 451; CSEL 32-1, 555). 7 Rectius, ex concilio Claremontano seu Arvernensi (a. 535), c. 6 (CCL 148 A, 106s; etiam in PL 84, 291 D). 8 I Cor. 7, 12-13; expressio « imparia coniugia » est Lombardi in Glossa in h.l., (PL 191, 1591 A).

Augustini, ibidem, sed perficitur ope *Decreti Gratiani*, C. 28 q. 1 c. 9 § 6 (1086). — Num. 3: Ambrosius, ex *Decreto*, ibid., c. 15 (1088); illa Concilii Arvernensis, ibid., c. 17 (1089).  
Cap. 2: Cf. Gualterus, *Summa sent.* VII, c. 8 et c. 20 (PL 176, 160 D, et 169 C - 170 B); Hugo, *De sacram.* II, 11, 13 (PL 176, 504 D - 510 C); et Magister, *In I Cor.* 7, 12-15 (PL 191, 1591 A - 1594 B).

*non Dominus: Si quis frater habet uxorem infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si qua mulier etc.*

2. **Augustinus, ad Pollentium** \*. Sed « aliud hoc esse, aliud illud », evidenter ostendit Augustinus 1. Ibi enim agitur de illis coniugiis fidelium et infidelium quae contrahuntur ab eis in dispari religione et fide manentibus; Apostolus vero agit de illis « qui unius eiusdemque infidelitatis fuerunt quando coniuncti sunt, sed cum venisset Evangelium alter sine altera credit. Intelligisne quid dicam? Attende, ut rem ipsam diligentius explanem. Ecce coniuges duo unius infidelitatis fuerunt 10 quando coniuncti sunt: nulla de his quaestio est quae pertineat ad illud praeceptum veteris et novi Testamenti, quo prohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium. Iam sunt coniuges, et ambo adhuc sunt infideles: tales sunt adhuc, quales coniuncti sunt. Venitque Evangelii praedicator, 15 credidit eorum unus vel una, sed ita ut infidelis cum fidele habitare consentiat: non iubet Dominus ut fidelis infidelem dimittat taliter coniunctum ». — **Augustinus, De sermone Domini in monte** \*: « Nec 2 Apostolus iubet ut non dimittat, sed consulit, ut si quis aliter agat, non sit transgressor, sicut et de virginibus consulit » 3. — **Augustinus, ad Pollentium** \*: « Monet 4 ergo quod est lucrandi occasio, cum possit licite relinquere, sed 20 non expedit ». « Tunc 5 enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius aliis affert impedimentum salutis; sicut discessio fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus, quia coram illo non est iniusta, sed Apostolus ne fiat consilio caritatis suadet, ut nemo in ea re iussionis necessitate teneatur, sed consilii voluntate libere fa- 25 ciat ».

3. Ex his monstratur inter infideles coniugium esse, et consilium

14 infidelis... fideli] fidelis... infideli LT. 16 Rubrica om. RVW. 18 Rubrica om. OVW, trp. ad lin. 20 (Tunc...) alii codd. 19 ergo] enim L, autem N, ut add. T. 26 monstratur] et add. BCLR, etiam add. T, corr. in etiam R2.

1 De adulterinis coniugiis, I, c. 21, nn. 25-26 (PL 40, 465s; CSEL 41, 372s). 2 Lib. I, c. 16, n. 44 (PL 34, 1252; CCL 35, 50s). 3 I Cor. 7, 25. 4 De adulterinis coniugiis, I, c. 13, n. 14 (PL 40, 459; CSEL 41, 362). 5 Ibid., c. 18, n. 22 (463; 369).

Num. 2: *Ad Pollentium*, ex *Decreto*, C. 28 q. 1 c. 9 § 6, dein § 7 (1086); *De sermone Domini*, ex *Glossa* in I Cor. 7, 12 (PL 191, 1591 B), unde etiam (1591 B-C) ultima auctoritas (*ad Pollentium*), cui miscuit Magister quaedam verba ex *Glossa interl.* in h.l. (apud Lyran. VI, 43r; cod. I 49b; m 48c); cf. etiam *Decretum*, C. 28 q. 1 c. 8 (1082). — Num. 3: *Ad Pollentium*, ex eadem *Glossa* in I Cor. 7, 12 (PL 191, 1591 D - 1592 A); iam in parte in *Glossa ordin.* (locis cit.). Illa Ambrosiastri ibidem, parum infra (1592 A), ex *Glossa ordin.* uti supra.



Apostoli non obviare praecepto Domini<sup>1</sup>, quo iubet fidelem non iungi infideli; et si coniuncti fuerint, separari. — **Augustinus, ad Pollentium** \*: « Legitur<sup>2</sup> enim quod Esdras propheta, immo Dominus per eum, iussit Israelitis uxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad deos alienos, non illae per maritos acquirebantur Deo. Recte hoc praecepit, quia per Moysen<sup>3</sup> iusserat Dominus ne quis uxorem alienigenam duceret. Merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiserunt»; quia ut ait **Ambrosius**<sup>4</sup>, « non est imputandum matrimonium quod extra decretum Dei factum est, sed cum cognoscitur, emendandum », ut quando fidelis infideli copulatur.

4. **Augustinus, ad Pollentium** \*. Sed ut ait **Augustinus**<sup>5</sup>, « cum coepisset gentibus Evangelium praedicari, iam coniunctos gentiles gentilibus comperit coniugibus; ex quibus si non ambo crederent, sed unus vel una, et infidelis cum fidele consentiret habitare, nec prohiberi a Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec iuberi. Ideo non prohiberi, quia iustitia permittit a fornicante discedere; et infidelis hominis fornicatio est maior in corde; (**Non est vera pudicitia infidelis cum fidele** \*) nec vera eius pudicitia cum coniuge dici potest, quia *omne quod non est ex fide peccatum est*<sup>6</sup>, quamvis veram fidelis habeat pudicitiam etiam cum infideli coniuge quae non habet veram. Ideo autem nec iuberi, quia nec contra iussionem Domini gentiles fuerunt ambo coniuncti ». « Licitum<sup>7</sup> ergo erat per iustitiam fidele infidelem dimittere, sed licitum non erat faciendum, propter liberam benevolentiam ».

5. Evidenter apparet et inter infideles coniugium esse, et Apostolum<sup>8</sup> de illis agere qui in infidelitate coniuncti fuerunt; et post alter ad fidem

1 iungi] coniungi AMX, quod corr. X. 2 Rubrica om. AMVW. 7 dimiserunt] dimiserint NOW. 9 decretum Dei trp. MNT. 11 Rubrica om. MVW. 17 Rubrica om. MRVW. || fideli NOT, infideli ABCLX. 19 veram fidelis trp. LT. 20 nec<sup>2</sup>] non BCLMRV Grat. 24 infideles] fideles RT, quod corr. R<sup>2</sup>T, fideles et infideles M. 25 fuerunt] fuerint W, sunt AX.

1 Cf. supra, Cap. 1, nn. 2-3. 2 Lib. I, c. 18, n. 20 (462; 367); Cf. I Esdras 10, 10-11. 3 Exod. 34, 16. 4 Ambrosiaster, in I Cor. 7, 15 (PL 17 [1845], 219 C; CSEL 81-11, 77). 5 Lib. I, c. 18, n. 20 (462s; 367s). 6 Rom. 14, 23. 7 August., ibid., c. 20, n. 24 (465; 372). 8 Hic supra, in n. 1.

Num. 4: Mixtum ex *Glossa Magistri* (1592 A-B) et ex *Decreto*, C. 28 q. 1 c. 9 (1083). Ultima phrasid (« Licitum ergo »), ex eodem cap. *Decreti*, ad finem § 5 (1085). — Num. 5: Cf. Gualt. de Mauritania, c. 8: « Ex his auctoritatibus apparet inter infideles esse coniugia » (PL 176, 161 A); et Gratianus, C. 28 q. 1, dictum post c. 14: « Ex his itaque evidenter colligitur coniugium esse inter infideles » (1088).

conversus est, cum quo infidelis habitare consentit: et hunc non dimittere fidele consulit Apostolus, quia forte per fidelem salvabitur infidelis.

Cap. 3 (219).

**De fornicatione spirituali ob quam potest dimitti coniux.** Potest tamen licite dimittere, quia in infideli est fornicatio, si non corporis, tamen mentis. « Causam<sup>1</sup> enim fornicationis Dominus exceptit; fornicationem vero generalem et universalem intelligere cogimur », non modo scilicet corporalem, sed et spiritualementem. — **Augustinus in libro De sermone Domini in monte** \*. De qua **Augustinus** ait: « Idolatria<sup>2</sup> et quaelibet noxia superstitio fornicatio est. Dominus autem permisit causa fornicationis uxorem dimitti<sup>3</sup>, sed non iussit; et sic dedit Apostolo locum monendi, ut qui voluerit non dimittat ». Potest tamen licite dimittere<sup>4</sup>: « Si enim fornicatio carnis detestanda est in coniuge, quanto magis fornicatio mentis, id est infidelitas! »

Cap. 4 (220).

1. **Pro quibus vitiis possit dimitti.** — **Augustinus, in libro De sermone Domini in monte** \*. Si autem quaeris an propter aliud vitium, nisi propter infidelitatem vel idolatriam, possit dimitti, attende quid **Augustinus** ait<sup>5</sup>: « Si infidelitas fornicatio est, et idolatria infidelitas, et avaritia idolatria<sup>6</sup>, non est dubitandum et avaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest a fornicationis genere

5 in om. LMX, add. interl. T<sup>2</sup>, add. marg. W<sup>2</sup>. 12 voluerit] voluit (sed corr.) N, vult add. marg. T, volunt MO. || dimittat] dimittant MO. 18 quid] quod LMTW.

1 August., *De serm. Domini in monte*, I, c. 16, n. 36 (PL 34, 1253; CCL 35, 52). 2 Ibid., n. 35: « Idololatria... ut qui voluerit non dimittat uxorem infidelem, quo sic fortasse possit fieri fidelis » (1252; 51). 3 Resp. Matth. 5, 32: *excepta causa fornicationis*. 4 *De adulterinis coniugiis*, I, c. 17, n. 19 (PL 40, 462; CSEL 41, 366). 5 Lib. I, c. 16, n. 46 (PL 34, 1252s; CCL 35, 52). 6 Resp. Eph. 5, 5: *aut avarus, quod est idolorum servitus*.

Cap. 3: Prima auctoritas (sine rubrica) sumi videtur ex *Decreto*, C. 28 q. 1 c. 5 (1081). — Alia, potius ex *Glossa* in I Cor. 7, 12 (PL 191, 1591 C) quam ex initio c. 5 C. 28 q. 1 *Decreti* (1080).

Cap. 4. Cf. L. Ott, *Walter v. Mortagne*, 691. — Num. 1: Quaestio quodammodo ponitur a Gualtero: « Dignum videtur inquisitione utrum liceat viro uxorem dimittere pro qualibet fornicatione, id est pro avaritia vel aliis criminibus » (c. 20; PL 176, 170 A). Auctoritas vero Augustini sumitur ex *Decreto*, C. 28 q. 1 c. 5 § 1 (1080 s).



separare, si avaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur quod propter illicitas concupiscentias, non tantum quae in stupris cum alienis viris vel feminis committuntur, sed ob quaslibet quae animam a lege Dei aberrare faciunt et perniciose corrumpi, possit sine crimine et vir uxorem suam dimittere et uxor virum ».

2. **Augustinus, De fide et operibus** \*. Item 1: « Rectissime dimittitur si viro suo dicat: non ero uxor tua nisi mihi de latrocinio divitias congeras, vel nisi solita lenocinia exerceas, aut si quid aliud facinorosum vel flagitiosum a viro suo expetat. Tunc ille, si veraciter poenitens est habetque fidem per dilectionem operantem<sup>2</sup>, membrum quod eum scandalizat<sup>3</sup> amputabit ».

3. Ex his apparet quod non solum infidelitas, sed et quaelibet concupiscentia quae perniciose turpiterque corrumpit, fornicatio spiritualis est per quam vir uxorem vel uxor virum dimittere potest. Consulit tamen Apostolus ne fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare nec a Deo revocare.

Cap. 5 (221).

1. **Si fideli liceat aliam ducere, infideli discedente vel dimissa.** Hic quaeritur, si fidelis infidelem dimittat, vel infidelis a fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere.

2. Videtur auctoritas testari quod vivente illa, alteram ducere non valeat. **Ambrosius**<sup>4</sup> enim verba Apostoli exponens ait: « Alioquin, si disceditis ab invicem et volentes cohabitare dimittitis et aliis vos copulatis, adulteri estis; et filii vestri, qui de hac copula nascuntur, immundi,

<sup>7</sup> congeras] congreges MN, vel congreges add. interl. V2. om. ARX.

12 et] etiam BCLTW,

<sup>1</sup> Cap. 16, n. 28 (PL 40, 216; CSEL 41, 72).

<sup>3</sup> Alluditur ad Matth. 5, 29-30.

<sup>2</sup> Resp. Gal. 5, 6: *Fides quae per*

<sup>4</sup> Id est Ambrosiaster, in I

Num. 2: Mixtim, ut videtur, ex *Glossa* in I Cor. 7, 15 (PL 191, 1593 B) et ex *Decreto*, C. 28 q. 1 c. 4 (1080).

Cap. 5. Cf. L. Ott, *Walter von Mortagne*, 689-691. — Num. 1: Quaestio iam agitur a Gualtero, in *Summa sent.* VII, 20 (PL 176, 169 D), et a Gratiano in q. 2 C. 28 (1089s). — Num. 2: Sic arguit Gratianus, *ibid.*, ad initium quaestionis, ubi Ambrosiastrum citat sub verbis « testatur scriptura ». Quam attributionem corrigit Lombardus ex sua *Glossa* in I Cor. 7, 14 (PL 191, 1592 C); iam in *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyran. VI, 43a; l 49b; m 48c). — Illa Meldensis Concilii, ex *Decreto*, c. 1 C. 28 q. 2 (1089).

id est spurii sunt ». — **Ex concilio Meldensi** \*. Item 1: « Si quis habuerit uxorem virginem ante baptismum, vivente illa, post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo solvuntur, non coniugia ».

3. **Quae praemissis contraria videntur.** — **Ambrosius** \*. Sed econtra **Ambrosius** testatur<sup>2</sup>: « Si infidelis, dicit Apostolus, *discedit, discedat. Non enim est servituti subiectus frater aut soror in huiusmodi*, quia non debetur reverentia coniugii ei qui horret auctorem coniugii. Non est enim ratum matrimonium, quod sine Dei devotione est; et ideo non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum si alii se copulaverit. Contumelia enim Creatoris solvit ius matrimonii circa eum qui relinquitur, ne accusetur alii copulatus. Infidelis autem discedens et in Deum peccat et in matrimonium; nec est ei servanda fides coniugii, qui ideo recessit ne audiret Christum<sup>3</sup> esse Deum christianorum coniugiorum. Si vero ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur coniugium ».

4. **Determinatio** \*. Attende haec praedictis contraria posse videri, ita ut sibi **Ambrosius** contradicere videatur. Sed distinguendum est hic aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi lex benevolentiae non servatur, hic veritas custoditur. Et ideo, cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea vivente aliam ducere; discedentem vero sequi non oportet, et ea vivente aliam ducere licet. — Sed hoc non est intelligendum nisi

<sup>2</sup> alteram] aliam RW, om. N. <sup>6</sup> enim om. OX. || enim est *trp.* ANV. <sup>15</sup> ita] etiam add. W. <sup>16</sup> sibi] etiam add. CTV. || Ambrosius] etiam add. L.

<sup>1</sup> Potius ex Concilio Triburiensi (an. 895), c. 39: « Synodus Romana ait, quod non dimittenda sit uxor post baptismum, quae habita est et ante baptismum. In baptismo solvuntur crimina, non tamen legitima coniugia » (Mansi, XVII, 151 E); remote ex *Epist.* 2 Innocentii papae I, c. 6, n. 9: « Ac ne ab aliquibus existimetur, ante baptismum si forte quis accepit uxorem et, ea de saeculo recedente, alteram duxerit, in baptismo esse dimissum, satis errat a regula, quia in baptismo hoc putat dimitti: remittuntur peccata, non acceptarum uxorum numerus aboletur » (PL 20, 474 A - 475 B; H. Wurm, *Studien und Texte zur Decretalensammlung...*, 129-130). <sup>2</sup> Ambrosiaster, in I Cor. 7, 15 (PL 17 [1845], 219 B-C; CSEL 81-II, 76s). <sup>3</sup> Notare oportet quod in originali Ambrosiastri hic legitur: « auctorem [*loco* Christum] esse christianorum Deum coniugii » (219 C; 77).

Num. 3. Gratianum corrigit Magister hanc auctoritatem Ambrosio, non Gregorio, attribuendo, ut iam in *Glossa* in I Cor. 7, 15 (PL 191, 1593 C-D); textus autem sequitur *Decretum*. De qua cf. N. M. Häring, *The « Sententiae Magistri A » (Vat. Ms. lat. 4361) and the School of Laon*, in *Mediaeval Studies* 17 (1955) 21, et 34. — Num. 4: Contradictionem in Ambrosiastro iam discutit Magister in *Glossa* in I Cor. 7, 15 (PL 171, 1593 C-D). Hic denuo determinatur mixtim ex *Glossa* et (potius) ex dicto Gratiani post c. 2 C. 2 q. 2 (1090).



de his qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem uterque conversus est, vel si uterque fidelis matrimonio coniunctus est, et post alter eorum a fide discesserit et odio fidei coniugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur; nec tamen illa vivente alteram ducere poterit, quia inter eos fuerat ratum coniugium, quod non potest dissolvi.

Cap. 6 (222).

1. **Quidam dicunt coniugium non esse inter infideles, et quare.** Sunt tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse coniugium, quia nec rata, nec legitima est eorum copula. Rata non est, quia solvi potest; nec legitima, quia Apostolus dicit 1: *Omne quod non est ex fide, peccatum est;* eorum autem coniunctio non est ex fide, et ideo peccatum est; non est igitur coniugium, quia nullum coniugium peccatum est. — Augustinus etiam dicit 2 quia non est vera pudicitia infidelis cum fideli.

2. **Responsio** \*. Sed 'vera' negatur esse pudicitia, non quod infidelium coniugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum 3 quod excusat coitum et meretur praemium. — Item illud Apostoli, *Omne quod non est ex fide peccatum est,* non ita intelligendum est, ut quidquid fit ab infidelibus peccatum sit, sed omne quod fit contra fidem, id est conscientiam, male fit et ad gehennam aedificat; vel in omni eo quod infidelis facit peccat, non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quo debet, non referens ad debitum finem 4.

Cap. 7 (223).

1. **Quod legitimum sit coniugium infidelium, sed non ratum, et quare.** Copula igitur maritalis quae est inter infideles, coniugium est legitimum,

1 uterque om. NO.  
5 dissolvi] solvi BCMRX.

2 coniunctus] iunctus MRX.  
14 Responsio om. NVW.

4 alteram] aliam BCX.

1 Rom. 14, 23.

2 De adulterinis coniugiis, I, c. 18, n. 20 (PL 40, 462; CSEL 41, 367s).

3 De quo supra, Dist. 31, cc. 1-2.

4 Plura de his supra, Lib. II, d. 41, c. 1 (I, 561ss).

Cap. 6, n. 1: Quaestio iam disputatur a Gualtero, *Summa sent.* VII, c. 8 (PL 176, 160 D-161 B), et a Gratiano in q. 1 C. 27, unde (ante c. 1, 1078s) sumuntur argumenta hic recitata. Neuter autem hanc positionem defendit. Vide etiam quaestionem penes Mag. Anselmum Laudun., *De coniugio solet queri utr. sit inter infideles*, in O. Lottin, *Psych. et morale* V, 103. Cap. 7, n. 1: Cf. dictum Gratiani post c. 17 C. 28 q. 1 (1089).

sed non ratum. Legitimum, quia est inter legitimas personas; sed non ratum, quia sine fide 1. Coniugium vero fidelium legitimum est et ratum, si tamen legitimae sint personae.

2. **Augustinus in libro De fide et operibus** \*. Quod autem legitima sit infidelium coniunctio, Augustinus testatur dicens 2: « Uxor legitima societate coniuncta sine ulla culpa relinquitur, si cum viro christiano permanere noluerit ». — Ex hoc etiam probatur, quia infideli ad fidem converso Apostolus consulit 3 infidelem non dimittere: quod non faceret si non esset inter eos legitimum coniugium. — Legitimum est, quod legali institutione vel provinciae moribus, non contra iussionem Domini contrahitur.

DISTINCTIO XL

Cap. 1 (224).

1. **De cognatione, et prius de carnali.** Nunc superest de cognatione aliquid dicere. Est autem cognatio alia carnalis, alia spiritualis. Primum de carnali cognatione et affinitate inspiciamus.

2. Cognati igitur vel affines in septimo gradu vel infra copulari non debent. — **Gregorius episcopus Galliae** \*. Unde Gregorius 4: « Pro-

7 quia] quod ABCLMX.

14 cognatione] carnali et spirituali add. BCX.

1 Resp. Ambrosiaster, in I Cor. 7, 15: « Non enim ratum est matrimonium quod sine Dei devotione est » (PL 17, 219 B; CSEL 81-II, 77). 2 Cap. 16, n. 28 (PL 40, 216; CSEL 41, 72). 3 Resp. I Cor. 7, 12-13. 4 Secundum L. Machielsen (art. cit., 261s), auctoritas sic conficitur: prima pars (« Progeniem... generationem »), ex *Epist. 1* Gregorii papae III (PL 89, 577 D; Mansi XII, 278 D); dein (« et... denegamus »), ex *Epist. 16* Gregorii II, n. 1 (PL 89, 524 D; Mansi XII, 245 B).

Num. 2. Auctoritas Augustini, in *Decreto*, C. 28 q. 1 c. 4 (1080). — Conclusio compingitur ex dicto Gualteri, c. 8 (PL 176, 161 A), dein ex alio dicto Gratiani post c. 17 C. 28 q. 1 (1089).

Dist. XL. Cf. L. Ott, *Walter v. Mortagne etc.*, 677s; inter antecessores Magistri, Hugo de S. Victore, *De sacram.* II, 11, 14 (PL 176, 510 C - 516 B), et Gualterus, *Summa sent.* VII, c. 11 (PL 176, 163 C - 164 B); Gratianus, C. 35 q. 2 (1267s). Breviter tangit quaestionem ipse Magister in suo tract. primitivo *De coniugio*, n. 6. — Num. 2 dependet a Gualtero, loc. cit.: « Cognati in septimo gradu vel infra non possunt copulari », qui inde offert auctoritates Gregorii et concilii (163 C); plus autem, ut apparet ex rubricis, Magister dependet ex Gratiano, uti supra: illa enim Gregorii invenitur in c. 16 (1267s), cui sequitur in c. 17 (1267) altera Nicolai, et in c. 19 (ibidem) alia concilii Lugdun. Conclusio est Gratiani post idem cap.



geniem suam unumquemque usque ad septimam observare decernimus generationem; et quamdiu se agnoscunt affinitate propinquos, ad coniugalem copulam accedere denegamus. Quod si fecerint, separentur». — **Nicolaus Papa** \*. Item **Nicolaus Papa** 1: «De consanguinitate sua nullus uxorem ducat usque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest». — **Ex concilio Lugdunensi** \*. Item 2: «Nulli ex propinquitate sui sanguinis usque ad septimum gradum uxores ducant». — His aliisque pluribus auctoritatibus consanguineorum coniunctiones prohibentur usque ad septimum gradum.

## Cap. 2 (225).

1. **De computatione graduum consanguinitatis** \*. — **Isidorus** \*. Quo modo autem gradus consanguinitatis computandi sint, **Isidorus** 3 ostendit sic: «Series consanguinitatis sex gradibus dirimitur, hoc modo: filius et filia, quod est frater et soror, sit ipse truncus. Illis seorsum seiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur isti ramunculi: nepos et neptis, primus; pronepos et proneptis, secundus; abnepos et abneptis, tertius; adnepos et adneptis, quartus; trinepos et trineptis, quintus; trinepotis nepos et trineptis neptis, sextus». Attende quod sex gradus tantum ponit **Isidorus**, quia truncum inter gradus non computat. Alii vero, qui septem ponunt gradus, truncum inter gradus connumerant.

2. Varie namque computantur gradus cognationis. Alii enim patrem in primo gradu, filios in secundo ponunt. Alii primum gradum filios ap-

1 decernimus MOR *Grat.*, decrevimus *alii codd.* 3-4 Rubrica *om.* RVW. 4 Papa<sup>1</sup> *om.* CT. || Papa<sup>2</sup> *om.* BCMRX. 6 Rubrica *om.* BCWX. 7 sanguinis] generis T, vel generis *add.* M. 8 auctoritatibus *trp. post* His LMWX. 11 **Isidorus** *om.* RVWX. 15 ramunculi] ramusculi BCRWX.

1 **Nicolaus** II, *Epist.* 8 et 9, seu decreta concilii Romani an. 1059, c. 11 (PL 143, 1316 C et 1318 C; Mansi XIX, 898 E). 2 Rubrica (ex *Summa sent.*) non obstante, *Item* videtur esse idem et ibidem, scil. **Nicolaus** II, in canonibus iam citatis eiusdem Concilii Romani. In conciliis enim primitivis Galliae (et Africae) res magis concrete exprimitur. Verumtamen notari oportet quod quasi eadem verba inveniuntur (sine nostra rubrica) inter **Benedicti Levitae Capitularia**, II, c. 130 (PL 97, 765 A); proinde ante an. 847. 3 Quamvis ubique citentur, desunt haec ipsa verba apud **Isidorum**; cf. *Etymolog.*, IX, c. 6, nn. 23-29 (PL 82, 359 A - 360 B).

Cap. 2, n. 1: Ex rubrica et c. 1 C. 35 q. 5 (1271); iam in *Summa sent.* VII, 11 (PL 176, 163 D), unde dictum de trunco non computato. *Alii*, id est **Gualterus**, uti supra. — Num. 2: Ex dicto **Gratiani** post c. 21 C. 35 qq. 2-3 (1269s).

pellant, negantes gradum cognationis inter patrem et filium esse, cum una caro sint pater et filius. — Auctoritates ergo quae consanguinitatis cautelam usque in septimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu; illae vero quae usque ad sextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant. Atque ita fit ut eadem personae secundum hanc diversitatem inveniantur in sexto et septimo gradu.

3. **Zacharias Papa** \*. Patrem vero in primo gradu ponit, qui fratres dicit esse primum gradum. Hoc modo computat **Zacharias Papa** 1 inquit: «Parentelae gradus taliter computamus: Ego et frater meus una generatio sumus, primumque gradum effecimus. Rursum, filius meus fratrisque mei filius secunda generatio sunt, et gradum secundum faciunt; atque ad hunc modum ceterae successiones».

4. Inter 2 illos vero qui sex computant gradus et illos qui septem, nulla in sensu existit diversitas, quamvis in numero graduum varietas videatur. Ultima enim generatio, si a fratribus sumat initium numerandi, septima invenitur.

## Cap. 3 (226).

1. **Quare sex gradus computantur**. — **Isidorus** \*. Quare vero sex gradus computet **Isidorus**, ipse aperit dicens 3: «Consanguinitas dum se paulatim propaginum ordinibus dirimens usque ad ultimum gradum protraxerit et propinquitatis esse desierit, tunc primum lex in matrimonii vinculum eam recipiet, et quodam modo incipiet revocare fugientem. Ideo autem usque ad sextum generis gradum consanguinitas constituta est, ut sicut sex aetatibus mundi generatio et hominis status finitur, ita propinquitatis generis tot gradibus terminetur».

3 cautelam] parentelam A, vel parentelam *add. interl.* V<sup>2</sup>. || prohibent] perhibent ALX. 6 et] in *add.* LNVW. 7 Rubrica *om.* RVW. 12 successiones] continentur *add.* BCR, se habent *add. marg.* W<sup>2</sup>. 13 vero *om.* OTWX. 18 **Isidorus** (*rubr.*) *om.* NRVW.

1 Spurious, ut videtur; invenitur inter **Zachariae Decreta**, n. 3 (PL 89, 1960; I. Mansi XII, 356 B-C); reapse autem trahitur ex **Gratiano** et aliis. 2 Cf. **Alexander** II, *Epist.* 38 (ad episcopos, clericos et iudices Italiae), inter annos 1061-1073 (Mansi XIX, 969); alibi ut *Epist.* 92 (PL 146, 1382 D); ubi tota quaestio prolixè discutitur secundum **Isidorum** (tacito nomine) et **Gregorium** (uti infra in cap. 4). 3 *Etymologiae*, IX, c. 6, n. 29 (PL 82, 363 A et 364 A). Verba *Consanguinitas... fugientem* remote ex **Augustino**, *De civitate Dei*, XV, c. 16, n. 2 (PL 41, 459; CSEL 40-II, 94; CCL 48, 478).

Num. 3 conficitur ex quadam phrasi in eodem dicto et ex c. 4 C. 35 q. 5 (1275). — Num. 4: ex C. 35 q. 5 c. 2 § 10 (1274).

Cap. 3, n. 1: Ex dicto **Gratiani** ante c. 1 C. 35 q. 4 et ex ipso capitulo (1270s).



2. « In<sup>1</sup> his sex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur, ultra quos nec affinitas inveniri, nec successio potest amplius prorogari ».

3. **Quare septem** \*. Secundum alios septem gradus ideo computantur, ut ita post septem gradus sponsus sponsae iungatur, sicut post hanc vitam, quae septem diebus agitur, Ecclesia Christo iungetur.

Cap. 4 (227).

1. **De dispensatione Gregorii erga Anglos** \*. His autem occurrit illud quod « Gregorius<sup>2</sup> Augustino, Anglorum episcopo, a quo requisitus fuerat quota generatione debeant copulari, rescribit sic<sup>3</sup>: Quaedam lex Romana<sup>4</sup> 10 permittit ut sive fratris vel sororis, seu duorum fratrum germanorum seu duarum sororum, filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere; unde necesse est ut quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi coniungantur ».

2. « Sed<sup>5</sup> post multum temporis idem Gregorius a Felice, Messinae Siciliae praesule, requisitus<sup>6</sup> utrum Augustino scripserit, ut An-

<sup>1</sup> sex] septem M, corr. ex septem RT, om. NX. 2-3 prorogari] propagari BCRV, vel prorogari add. interl. V<sup>2</sup>. 8 dispensatione] dispositione LOT, desponsatione M, dispensatione BCX. || erga] apud BCX. 11 vel] sive CMN, et RVn. 14 coniungantur] iungantur BCLRVX. 15 Sed] Johs crisost. rubrica marg. ALRT, quod del. L; Johs Cris. constantinopolitanus eps. rubr. BCNOX; Johs Crisost. Constantinis Messine eps rubr. M (cf. *Notationes Correctorum, apud Decretum Gratiani, ad c. 20, p. 1268s; necnon et rubricas Hugonis de S. Vict., De sacr. II, p. 11, c. 14 [PL 176, 514 D et 515 A]*).

<sup>1</sup> Ex fonte incerto; invenitur in Hugonis *De sacram.*, II, 11, 14 (PL 176, 511 D), ubi tamen legitur: « In iis septem gradibus » (ut in num. 3); ita etiam « in septem gradibus » in *Sententis Magistri A.*, ed. H. J. F. Reinhardt, n. 217, cum rubrica *Ex Concilio Agripinensi* (p. 237). <sup>2</sup> Ioannes Diaconus (825 - c. 880), *S. Gregorii Magni vita* (scripta rogatu Ioannis Pp. VIII), II, n. 37 (PL 75, 101 B-C); excerptum ad verbum, ut videtur, ex Bedae, *Historia ecclesiastica*, I, resp. V (PL 95, 59 D - 60 A). <sup>3</sup> Ibid., n. 38 (101 C-D); et Gregorius I, *Registrum Epist.*, XI, *Epist. 64*, interrog. 6 (PL 77, 1188 B et 1189 A); quoad authenticitatem cf. supra, Dist. 31, c. 8, n. 2. <sup>4</sup> *Codex*, V, tit. 4, lex 19 (*Corp. Iuris Civ.*, II, 196a). <sup>5</sup> Ioannes Diaconus, ibid., n. 38 (101 C-D). <sup>6</sup> *Epistola Felicis* exstat in *Registro Epist. Gregorii*, XIV, 16 (PL 77, 1320 D - 1321 A), et responsio Gregorii, ibid., *Epist. 17* (1323 C). Utraque spuria adiudicari debet tam ex modo scribendi (ut apparet ex

Num. 2 conclusio Isidori (?) est, ad finem c. 6 C. 35 q. 5 (1277). — Num. 3. Nihil invenimus de dicto de septem diebus.

Cap. 4. Verbis introducitur Hugonis, ut videtur, *De sacram.* II, 11, 14 (PL 176, 514 D). Textus autem rescripti, potius ex *Decreto*, C. 35 q. 2 c. 20 (1268s).

glorum quarta generatione contracta matrimonia non solverentur, inter cetera talem reddidit rationem: Quod scripsi Augustino, Anglorum episcopo, ipsi etiam Anglorum genti, quae nuper ad fidem venerat, ne a bono quod coeperat metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter me cognoscas scripsisse. Nec ideo haec eis scripsi, ut postquam in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inventi fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem, iungantur ».

DISTINCTIO XLI

Cap. 1 (228).

1. **De affinitatis gradibus.** Nunc de affinitate videndum est. — **Gregorius** \*. De qua Gregorius ait<sup>1</sup>: « Porro de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quae ad virum ex parte uxoris, seu quae ex parte viri ad uxorem pertinet, manifesta ratio est: quia si secundum divinam sententiam<sup>2</sup> ego et uxor mea sumus *una caro*, profecto mihi et illi mea suaque parentela propinquitatis una efficitur. Quocirca ego et soror uxoris meae in uno et primo gradu erimus; filius vero eius secundo gradu erit a me, neptis vero tertio; idque utrinque in ceteris agendum est successoribus. Uxorem vero propinqui, cuiuscumque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua femina propriae propinquitatis sit. Quod nimirum uxori meae de propinquitatis viri sui in cunctis cognationis gradibus convenit observare. Qui vero aliorum sentiunt, antichristi sunt ».

11-12 Gregorius (rubr.) om. RVW.

litteris genuinis eidem Felici directis, PL 77, 493 C - 494 A; 522 C - 523 B; 541 B - 542 A) tam ex morte Felicis ante vel circa 595, scilicet ante adventum Augustini in Angliam. Anno enim illo Gregorius pallium misit Dono, eius successori (PL 77, 801 C - 802 A). <sup>1</sup> Iuxta L. Machielsen, decretum hoc Italiae confectum est saec. XI (*Lesspurii de S. Grégoire le Grand...*, 256). Alibi invenitur sub nomine Zachariae papae, ut in *Sent. Magistri A.* (ed. Reinhardt, 243s); cf. *Decreta Zachariae*, n. 3 (PL 89, 960 A-B; Mansi XII, 356). <sup>2</sup> Resp. Matth. 19, 6: *Iam non sunt duo, sed una caro*; Gen. 2, 24.

Dist. XLI, c. 1, n. 1: ex *Decreto*, C. 35 q. 5 c. 3 (1274s).



2. **Ex concilio Maticensi** \*. Item Iulius Papa 1: «Aequaliter vir coniungatur consanguineis propriis et consanguineis uxoris». — Item Isidorus 2: «Sane consanguinitas quae in proprio viro conservanda est, etiam in uxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est, quia constat eos duos fuisse in carne una, ideoque communis illis est utraque parentela».

3. **Iulius Papa** \*. Item Iulius Papa 3: «Nullum in utroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel uxoris usque in septimum generationis gradum uxorem ducere vel incesti macula copulari quia sicut non licet cuiquam christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate uxoris coniugem ducere, propter carnis unitatem».

4. **Gregorius in concilio Meldensi** \*. Item Gregorius 4: «De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis, placuit usque ad septimam generationem observare. Nam et hereditas rerum, per legales instrumentorum definitiones sancita, usque ad septimum gradum heredum tendit successionem. Non enim eis succederent, nisi de propagine cognationis deberetur». — His auctoritatibus insinuat et quae sit affinitas et usque ad quem gradum sit observanda, scilicet usque ad septimum.

Cap. 2 (229).

1. **Variae traditiones de affinitate**. Sed alii videntur concedere in quinta generatione inter affines contrahi coniugium; et in quarta etiam, si contractum fuerit, non separari.

1 Ex] Iulius papa *praem.* (mg.) BCX. 2 Item] Isidorus *rubrica marg. add.* AMX.  
7 Rubrica *om.* LNORTVW. 8-9 septimum... gradum] septimo... gradu BCM.

1 Rubrica hic posita in codicibus pertinet ad auctoritatem sequentem; eadem verba infra, c. 2, n. 2, Fabiano papae attribuuntur. 2 Non invenitur in Conciliis Maticensis (an. 583 et 585); neque in aliis conciliis Galliae ante an. 695 (cf. CCL 148 et 148 A). Eadem attributio ex parte Hugonis, *De sacram.* II, 11, 15 (PL 176, 517 B); et in collectione S. Genovefae, cod. 166, f. 108r; etc. Videat Gratianus. 3 Spurium. Non invenitur in Concilio Aurelian. an. 538, sicut vult Gratianus (cf. CCL 148 A, 118). 4 Licet affine sit epistolae Gregorii III ad Bonifacium, uti supra (Dist. 40, c. 1, n. 2), spurium adiudicari debet; cf. L. Machielsen, *Les spurii*, 263s.

Num. 2: auctoritas Iulii, ex C. 35 q. 1-2 c. 13 (1267); illa Isidori, ex sequenti c. 14. — Num. 3: cap. Iulii, ex c. 7 eiusdem C. 35 q. 1-2 (1265). — Num. 4: ex c. 1 eiusdem (1264). Cf. dictum post c. 19 (1268).

Cap. 2, n. 1 dependet a rubrica Gratiani ad c. 3 C. 35 q. 2-3 (1264), unde cap. Fabiani in num. 2.

2. **Fabianus Papa** \*. Ait enim Fabianus Papa 1: «De propinquis qui ad affinitatem per virum et uxorem veniunt, defuncta uxore vel viro, in quinta generatione iungantur; in quarta, si inventi fuerint, non separantur. In tertia autem propinquitate non licet uxorem alterius accipere post obitum eius. Aequaliter vir iungatur in matrimonio eis qui sibi consanguinei sunt, et uxoris suae consanguineis post mortem uxoris». Ecce hic conceditur in quinta vel quarta propinquitate affinium fieri coniugium.

3. **Iulius Papa** \*. Iulius etiam Papa ait 2: «Statutum est ut relictam patris uxoris suae, relictam fratris uxoris suae, relictam filii uxoris suae nemo sibi in matrimonium sumat; relictam uxorem consanguineorum uxoris suae usque in tertiam progeniem nemo in uxorem sumat; in quarta vero et quinta, si inventi fuerint, non separantur».

4. Ecce quam varie de affinitatis observatione loquuntur auctores! Alii enim usque ad septimum gradum eam observari sanciunt; alii vero in quinta vel quarta matrimonia contracta non dividunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiae dispensationem videntur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium usque ad tertium gradum, sicut Gregorius 3 dispensavit in quarto gradu consanguinitatis.

5. **Gregorius** \*. Illud etiam non est praetereundum quod Gregorius 4 Venerio episcopo scribit: «Sedem Apostolicam consulere decrevisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro coniuncta, cognationi eius pertineat; si eo defuncto cognatio maneat, vel si sub alio viro cognationis vocabula dissolvantur; vel si susceptae soboles possunt legitime ad prioris viri cognationis transire copulam. Si una caro fuerit, quomodo potest

1 Rubrica *om.* RVW. || Papa 1 *om.* BTX. 8 Rubrica *om.* ARVW. 15 quinta... quarta] quinto... quarto NX, quintum... quartum V, *trp.* AW, generatione *add.* L. 15 vel] in *add.* CMW. 19 Rubrica *om.* RVW. 20 scribit] scripsit ANOW.

1 Manifeste spurium. 2 Spurium. Non invenitur inter Decreta Iulio ascripta (PL 8, 969). Quodammodo sonat in c. 11 (10) Concil. Aurelian. an. 538, ubi interdictum est... ne quis sibi coniugii nomine sociare praesumat relictam patris, filiam uxoris, etc. (CCL 148 A, 118); *progenies* autem non habetur inter verba Conciliorum Galliae. 3 Supra, Dist. 40, c. 4, n. 1. 4 Haec epistola, quae incipit *Fraternitatis vestrae*, pluries citata ante Lombardum, non apparuit ante saec. XI (cf. L. Machielsen, *Les spurii*..., 256s).

Num. 3: ex c. 12 ibidem (1267). — Num. 5: ex c. 1 C. 35 q. 10, multis omissis (1286s); cf. Hugo, *De sacram.* II, 11, 10 (PL 176, 516 B - 517 B), qui tamen non est fons Magistri. Conclusio post auctoritatem Gualteri est in *Summa sent.*, VII, 11, pleraque ad litteram. Qui inde subdit: «Hoc autem decretum Gregorii non servat Ecclesia. Iam enim sequeretur quod nulli de duabus diversis cognationibus praeter duas personas solas possent copulari. Unde contingeret quod fere nullus coniugem sibi congruam inveniret» (PL 176, 164 B).



aliquis eorum propinquus uni pertinere nisi pertineat alteri? Hoc minime posse fieri credendum est. Porro uno defuncto, in superstite affinitas non deletur; nec alia copula coniugalis affinitatem copulae prioris solvere valet. Sed nec alterius coniunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri consortium transire. Si quis ergo sacrilego et temerario ausu in defuncto 5 quaerit propinquitatem extinguere, vel sub altero affinitatis vocabulo dissipare, vel susceptas soboles alterius copulae propinquitati prioris credit legitime sociari, hic negat Dei verbum validum esse», quod «dixit 1: *Erunt duo in carne una*». — Ecce hic prohibet, si mortuo primo viro uxor eius alii nupserit, filios de secundo viro genitos ducere uxores de cognatione 10 prioris viri, quia filii mediante matre ad cognationem prioris viri pertinent, cum quo mater eorum una caro exstiterat.

6. **Innocentius Papa** \*. Hoc idem etiam **Innocentius Papa** ait 2: «Si qua mulier ad secundas nuptias transierit et ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognationis prioris viri pertinere 15 ». Hoc autem observandum est usque ad septimum generis gradum 3, sed maxime usque ad tertium vel quartum, sicut supra positum est 4.

Cap. 3 (230).

1. **Si coniugium sit inter eos qui nota consanguinitate dividuntur.** Et est sciendum quod Ecclesia infra praedictos gradus consanguinitatis 20 coniunctos separat.

2. Si autem ignoranter coniuncti fuerint in conspectu Ecclesiae, et postmodum, probata consanguinitate, eiusdem iudicio separati, quaeritur utrum copula illa coniugium fuerit. — Quibusdam 5 videtur non fuisse coniugium, quia non erant legitimae personae; sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, et quasi coniugium reputatur, quia bona fide 25 et per manum Ecclesiae convenerunt; unde et filii eorum legitimi habentur.

6 vocabulo MNOX, vocabula alii (et X2). 13 Rubrica om. RVW. || Papa<sup>2</sup> om. ABCRX, quod add. interl. R<sup>2</sup>. 16 generis] generationis RTW.

1 Gen. 2, 24; Matth. 19, 5. 2 Cap. ad minus incertum (ut notat Ae. Friedberg, ed. *Decretum Gratiani*, 1288). 3 Secundum auctoritates cap. 1 praesentis Dist. 4 Hic, in num. 4. 5 Nempe Gualterus de Mauritania, *De sacr. coniugii*, c. 11 (PL 176, 164 A).

Num. 6: Ex *Decreto*, C. 25 q. 10 c. 3 (1288), quod dicitur esse «ex Romano sinodo». Nomen Innocentii non invenitur hic, sed ante c. 2 (1287).

tur. — Alii<sup>1</sup> vero dicunt fuisse coniugium, licet non essent legitimae personae, quia talium coniunctiones vocantur canones 'coniugia', ubi de personis agunt quarum testimonio consanguineorum sit dirimenda coniunctio.

Cap. 4 (231).

5 1. **Quibus personis testificantibus sint dirimenda coniugia** \*. — **Urbanus Papa** \*. Unde **Urbanus Papa** 2: «Si duo viri vel tres consanguinitatem iureiurando firmaverint, vel ipsi forte confessi fuerint, coniugia dissolvantur. Si vero neutrum contigerit, episcopi eos per fidem Christi obtestentur, quatenus palam fateantur si se recognoscunt consanguineos. Si se iudicio episcoporum segregaverint, alia matrimonia contrahere non prohibeantur 10 ».

2. **Ricario Genuensi episcopo** \*. Idem 3: «Notificamus tibi ut, cum tres vel duo ex propinquieribus eius qui accusatur hanc propinquitatem iuramento firmaverint, vel si tres vel duo ex antiquioribus Genuensibus 15 quibus haec propinquitas est nota, qui bonae famae et veracis testimonii sint, remoto amore, timore, pretio et omni malo studio, praedicto modo firmaverint, sine mora coniugia dissolvantur».

3. **Fabianus Papa** \*: «Consanguineos 4 vero extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in synodo computet; sed propinqui, ad quorum 20 notitiam pertinet. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus et veracioribus, quibus propinquitas tota nota sit, episcopus canonicè perquirat; et si inventa fuerit, separentur». — Ecce quibus accusantibus vel testificantibus dirimenda sit consanguineorum coniunctio quae coniugium vocatur.

5-6 Rubricae om. RVW. 6-7 consanguinitatem iureiurando *trp.* LT. 12 Rubrica om. RVW. || Ricario] Idem *praem.* BCX. 15 est] sit ABCRVX *Grat.* || est (sit) nota *trp.* ALX. 18 Fabianus Papa om. VWX.

1 Inter quos Hugo, *De sacram.*, II, 11, 4 (PL 176, 484 D). Cf. L. Ott, *Walter von Mortagne*, in *Mélanges J. de Ghellinck*, II, 679. 2 Urbanus II, in Concilio Troiano in Apulia (an. 1093), c. 1 (I. Mansi, XX, 789-790). 3 Urbanus II, *Epist.* 123, ad Ricarium vel Cariatum, sed rectius Cyriacum, episcopum, c. 1090-94 (PL 151, 394 B-C; P. F. Kehr, *Italia Pontificia* VI-2, 265, n. 4). 4 Cap. spurium.

Cap. 4, n. 1: Ex *Decreto*, C. 35 q. 6 c. 4 (1278), pluribus omissis. — Num. 2 ex eadem C. 35 q. 6 c. 3 (1278). — Num. 3: ex eadem, c. 1 (1277); conclusio fundatur in quaest. Gratiani ante idem c. 1.



## Cap. 5-9 (232-236).

1. **Distinctio utilis.** Hic dicendum est quod aliud est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus.

2. **Quid sit fornicatio** \*. Fornicatio licet sit genus omnis illiciti coitus qui fit extra uxorem, tamen specialiter intelligitur in usu viduarum vel meretricum vel concubinarum. — **Quid sit stuprum** \*. Stuprum proprie est virginum illicita defloratio. — **Quid sit adulterium** \*. Adulterium est alieni thori violatio: unde adulterium dicitur quasi ad alterius thorum accessio. — **Quid sit incestus** \*. Incestus est consanguinearum vel affinium abusus: unde incestuosi dicuntur qui consanguineis vel affinibus suis abutuntur. — **Quid sit raptus** \*. Raptus admittitur cum puella violenter a domo patris educitur, ut corrupta in uxorem habeatur. Sive puellae sive parentibus vis illata constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad ecclesiam cum rapta confugerit, privilegio ecclesiae mortis impunitatem meretur.

3. **Alexander Papa** \*. Attendendum est etiam illud Alexandri quod ait: « Quod frater sororve uxoris tuae cognati dicuntur, aequivocationis iure fit et necessitate vulgaris appellationis, potius quam ulla cognationis causa. Uxor enim fratris 'fratris' potius quam cognata vocatur. Mariti frater 'levir' dicitur. Duorum fratrum uxores 'ianitricae' vocantur, quasi eandem ianuam intrantes. Viri soror 'glos' appellatur; sororis autem vir non habet speciale nomen, nec uxoris frater ».

2 dicendum] distinguendum BC, videndum W. 8 ad alterius thorum] alterius thori MNOTW, quod corr. in parte N. 9 consanguinearum] consanguineorum BLM, quod corr. L<sup>2</sup>. 15 Rubrica om. RVW. || Papa om. BCX. 16 quod] qui LMT, quod corr. L<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Uti hic iacet (ex *Decreto*, ut infra) non est Alexandri pp. II; verba enim « Uxor... uxoris frater » Isidori sunt, *Etymolog.*, IX, c. 7, nn. 17-18 (PL 82, 366 A). Nihilominus quodammodo fundatur in epistola Alexandri *De parentelae gradibus*, anno 1063 (PL 146, 1402 D-1403 C; I. Mansi, XIX, 961, n. 27); cf. P. F. Kehr, *Regesta Pontificum Rom.: Italia Pontificia*, VIII, 452.

Capp. 5-9. Ut apparet ex elencho capp. (supra, p. 20), unicuique crimini assignatur proprium brevissimum cap. — Num. 2: Omnia ex dicto Gratiani post c. 2 C. 36 q. 1, §§ 1-5 (1289). — Num. 3: ex c. 5 C. 35 q. 5 (1275).

## DISTINCTIO XLII

## Cap. 1 (237).

1. **De spirituali cognatione.** De parentalium graduum famosa quaestione aliquid, licet minus sufficienter, diximus. Iam de spirituali cognatione addamus, quae etiam personas impedit, ut non sint legitimae ad ineundas nuptias.

2. Tria quaedam sunt: consanguinitas, affinitas et spiritualis germanitas. Consanguinitas est inter eos qui iunguntur secundum lineam generis. Affinitas inter eos qui genere quidem non sunt coniuncti, sed mediante genere sunt sociati; verbi gratia, uxor filii fratris mei, quae non est de genere meo, per ipsum, qui est de genere meo, mihi affinis facta est et ego illi.

3. Spiritualis proximitas est inter compatrem et commatrem, et inter eos quorum unus alterum de sacro fonte levavit, vel in catechizatione aut confirmatione tenuit. Est etiam inter filios eiusdem hominis carnales et spirituales.

## Cap. 2 (238).

1. **Qui sint filii spirituales.** Spirituales filii sunt, quos de sacro fonte levamus vel in catechizatione seu confirmatione tenemus. Filii etiam et filiae spirituales eorum sunt, qui trinae mersionis vocabulo eos sacro baptisate tingunt. Dicitur et spiritualis filia sacerdotis, quae ei peccata sua confitetur.

3 De spirituali cognatione *trp. ante* Iam (lin. 4) ABCRT<sup>2</sup>VX. Vide notam ad textum. 15 aut] in *add.* LT. 19 seu] vel ABC. 21 et] etiam BCRV, etiam et AX.

Dist. XLII. Ex codicibus non immediate apparet ubi aperiatur novum capitulum (237), ac proinde ubi ponenda sit nova Dist. haesiana; scilicet utrum uti hic ad *De parentalium* (ut in codd. LMNOW), an ad verba *Iam (nunc) de spirituali* (ut in codd. ABCVX, et minus clare in RT). Ad solutionem nihil confert *Glossa* Magistri Alex. de Hales, quae ultra Dist. XXXIX non prosequitur (nec divisionem textus sufficienter indicat). Primam divisionem sequimur, quae magis concordat codici Assisiensi, *Bibl. commun.* 103, f. 169a; de quo cf. *Mag. Alex. de Hales Glossa*, I, pp. 85\*-91\*; et IV, pp. 5\*-9\*. — Cap. 1: Cf. L. Ott, *Walter von Mortagne*, 679-681. — Num. 2: ex Hugone, *De sacram.* II, 11, 17 (PL 176, 518 D). — Num. 3: ex tract. Gualteri, *Summa sent.* VII, 12 (PL 176, 164 C). — Cap. 2, n. 1. Prima definitio Gualteri est, c. 12 (164 C); reliqua ex dicto Gratiani ante c. 8 C. 30 q. 1 (1099).



2. **Symmachus Papa** \*. Unde **Symmachus** Papa 1: « Omnes quos in poenitentia suscipimus, ita nostri spirituales sunt filii ut et ipsi quos vel nobis suscipientibus, vel sub trinae mersionis vocabulo mergentibus, unda baptismi regeneravit. — **Sylvester Papa** \*. **Sylvester** etiam admonet ut ad suam poenitentialem nullus sacerdos accedat, quia 5 scriptum est: Omnes quos in poenitentia accipimus, ita nostri filii sunt ut in baptismo suscepti ». Quorum omnium flagitiosa est commixtio.

3. **Ex Concilio Maguntiensi** \*. Quod autem compater et commater sibi iungi nequeant, nec pater spiritualis vel mater filiae vel filio spirituali, ex Concilio Maguntiensi 2 docetur: « De eo quod interrogastis, si aliquis 10 filiolum suam duxerit uxorem, et de eo qui concubuit cum matre spirituali, et de eo qui filium suum baptizaverit et uxor eius eum de fonte suscepit, hac causa, ut discidium fieret coniugii, si post in tali copula posunt permanere, sic respondendum est: Si filiolum aut commatrem suam aliquis in coniugio duxerit, separandos esse iudicamus et gravi poenitentia 15 plectendos. Si vero coniuges legitimi, unus vel ambo, ex industria hoc fecerint, ut filium suum de fonte suscipere, si inuerti manere voluerint, bonum est; sin autem gravis poenitentia insidiatori iniungatur et simul maneant; et si praevaricator coniugii supervixerit, acerrima poenitentia mulctetur et sine spe coniugii maneant ». — Ex his apparet quod 20 aliquis filiolum suam vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter, et si praesumptum fuerit, separandi sunt. Qui autem legitime coniuncti sunt, non ideo separandi sunt quia alter eorum insidiosè filium de fonte levavit.

1 Rubrica om. RVW. 8 Rubrica om. RVW. 12 baptizaverit] baptizavit BCLR.VW. 12-13 suscepit] suscepit AV, levaverit N. 15 coniugio] coniugium M, coniugem N, uxorem AX.

1 Spurius (PLS 3, 1249). 2 Praeter fontes Magistri (infra), hoc cap. sub eadem rubrica et eisdem quasi verbis offertur apud alios canonistas ac theologos: cf. Ivo Carnot., *Decretum* IX, 82, et *Panormia* VII, 66 (PL 161, 680 D - 681 A; 1297 A-B et 1298 A); in forma breviorè, *Sententiae Magistri* A, n. 210 (ed. Reinhardt, 234); Hugo, *De sacram.*, II, 11, 16 (PL 176, 518 A-B). Sed quid vel ubi sit originale, non constat; non est idem ac epistola Rabani Mauri ad Heribaldum seu *Poenitentiale*, c. 20 (PL 110, 486 D - 487 A); nec invenitur inter acta conciliorum quae Maguntiensi celebrata sunt.

Num. 2: idem c. 8; in fine, pars dicti Gratiani ante idem cap. — Num. 3. Capitulum concilii verbis introducit *Summa sent.* VII, c. 12 (PL 176, 164 C); textus autem sumitur ex Gratiani *Decreto*, C. 30 q. 1 c. 5 (1097s). Conclusio fundatur supra *Decretum*, ex dicto ante c. 1 C. 30 q. 1 (1095s) et ex rubricis ad capp. 3-4 (1097).

4. **Nicolaus Papa Salonitano episcopo** \*. Quod etiam **Nicolaus** 1 confirmat dicens: « Nosse desideras utrum mulier quae viri filium, ex alia femina genitum, de sacro fonte levaverit, postmodum possit cum eodem viro copulari? Quos ideo coniungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet 5 coniux dimittere coniugem, cum Apostolus praecipiat 2: *Nolite fraudari invicem, nisi forte ex consensu ad tempus* » etc.

5. **Ex Concilio Cabillonensi** \*. Item 3: « Dictum est nobis quasdam feminas desidiose, quasdam vero fraudulenter, ut a viris suis 10 separentur, proprios filios coram episcopis ad confirmandum tenuisse. Unde nos dignum duximus ut, si qua mulier filium suum desidia aut fraude aliqua coram episcopo tenuit ad confirmandum, propter fallaciam vel fraudem, quamdiu vivat poenitentiam agat; a viro tamen suo non separetur ».

6. **Ioannes Papa Anselmo Lemovicinae episcopo ecclesiae** \*. Item **Ioannes** Papa 4: « Ad limina beati Petri homo nomine Stephanus veniens, nostro praesulatu innotuit quod filium suum, in extremo vitae positum necdum baptismi unda lotum, absentia sacerdotum cogente baptizavit eumque propriis manibus suscepit. Atque pro huiusmodi negotio 20 Reverentia tua praefatum hominem a sua coniuge iudicavit esse separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura 5: *Quod Deus coniunxit, homo non separet*. Et Dominus 6 non dimittere uxorem nisi causa fornicationis iubet. Et nos tanta auctoritate freti, dicimus dimittendum esse

1 Salonitano] salomitano CLNTX. 4 decernimus] decrevimus ARTVX. 4-5 canones sacros *trp.* AMX. 6 fraudari] fraudare BCR. 10 separentur] separarentur ABOT. 12 tenuit] tenuerit BCNV. 15 Lemovicinae L, lemozine BCRX, Lemmozeno (etc.) AMNO, om. T. || ecclesiae om. NT. 22 uxorem *trp.* post Dominus LTV. 23 dicimus om. V, non add. LW, non add. interl. T<sup>2</sup>.

1 Revera est *Epist.* 132 Nicolai I ad Salomonem episc. [858-867] S. Constantiae ecclesiae (PL 119, 1128 C-D; A. Brackmann, *Germania Pontificia* II-1, 124, n. 3); vide etiam infra, c. 5, n. 1. 2 I Cor. 7, 5. 3 Concil. Cabilonense II (an. 813), cap. 31 (I. Mansi, XIV, 99 D). 4 Ioannes VIII (872-882), *Epist.* 226 (an. 879), ad Anselmum Lemovicensem (869-897) episc. (PL 126, 839 B-D; *Gallia christiana*, II, 508; cf. DThC VIII, 612). 5 Matth. 19, 6. 6 Matth. 5, 32.

Num. 4: idem c. 3 (1097); iam in *Summa sent.* VII, 20 (PL 176, 171 A). — Num. 5: idem c. 4, uti supra (1097); idem legitur in Hug. *De sacram.* II, 11, 16 (PL 176, 518 A) et in *Summa sent.* VII, 20 (171 C). — Num. 6: Partim in *Summa sent.* ibid. (171 B); sed fons est *Decretum*, C. 30 q. 1 c. 7 (1098s), licet hic in forma abbreviata. Conclusio, ex *Summa sent.*, ibid. (171 C).



et inculpabile iudicandum quod necessitas intulit; nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, libere conceditur. Unde si supra- dictus homo, filium morientem aspiciens, ne animam perpetuo perire di- mitteret, unda baptismi lavit ut eum de potestate mortis eriperet, bene fecisse laudatur; ideoque suae uxori, sibi iam olim legitime sociatae, im- pune dum vixerit iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc separari debere. — His aliisque pluribus auctoritatibus edocetur coniuges non esse separandos, si post legitimam copulam alter alterius filium de fonte levat vel in confirmatione tenet.

7. **Quid praemissis obviet.** — **Deusdedit Papa Gordiano Hispalensis ecclesiae episcopo** \*. His autem obviate videtur quod **Deusdedit** Papa ait<sup>1</sup>: « Pervenit ad nos diaconus Sanctitatis vestrae epistolam de- ferens, quod quidam viri et mulieres praeterito sabbato paschali, pro ma- gno populi incurso, nescientes filios suos suscepissent de lavacro. Cupis ergo scire an propter hoc debeant viri ac mulieres ad proprium usum re- dire vel non. Nos vero hac re moesti inquisivimus priorum dicta, et invenimus in archivis (id est in armariis) Apostolicae Sedis, iam talia contigisse in pluribus Ecclesiis. Quarum episcopis, ab hac Apostolica Sede volentibus scire utrum viri ac mulieres redirent ad proprium tho- rum, beatae memoriae sancti Patres Iulius, Innocentius et Coelestinus, cum episcoporum plurimorum consensu in Apostolo- rum principis Ecclesia, prohibentes talia rescripserunt, et confirmaverunt ut nullo modo se in coniugio reciperent mulieres ac viri, quicumque aliqua ratione susceperunt natos, sed separarent se, ne suadente diabolo tale vi- tium inolesceret ». — **Ex concilio apud Vermeriam** \*. Item 2: « Si quis fi-

10 Deusdedit... episcopo om. VW, add. marg. R<sup>2</sup>. || Hispalensis] hispalensi NO, hispanensis A, spalensis T. 14 suscepissent BCLTVX Grat., susceperint A, susceperunt RW, suscepisse N, suscipientes MO. 16 vero] ergo de T, autem W. || hac] ac NRX, quod corr. N. || hac re] inde W. 17 id... armariis add. marg. BN, interl. L, om. CV. 18 in om. ABLWX. || Quarum] Quare LMNOT, quod corr. N, ab add. LMNOTWX, add. interl. R<sup>2</sup>, quod corr. NO. 23 se in coniugio trp. BCRW. 24 susceperunt] susceperint ANX. || separarent] separant ALMRTVW, quod corr. L<sup>2</sup>T. 25 inolesceret] inolescat LMRV, sed corr. R<sup>2</sup>V<sup>2</sup>, corr. in inolescat T<sup>2</sup>. || Rubrica om. AVW, add. marg. V<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Epistola Gordiano Spalensis (vel: Hispalensis) episc. (PL 80, 361 B et 362 B); non tantum dubia sed et spuria (PLS 4, 1653). <sup>2</sup> Econtra est ex Capitulari Compendiensi an. 757, c. 15 (PL 96, 1514 C); apud Benedictum Levitam, *Capitularium collectio*, I, 7 (PL 97, 706 A).

Num. 7. Prima auctoritas iam in *Summa sent.*, ibid. (171 C-D), sed etiam hic textus quaerendus est in *Decreto* C. 30 q. 1 c. 1 (1096), unde etiam in cap. sequenti (2) invenitur illa concilii apud Vermeriam.

liastrum vel filiastram suam ante episcopum tenuerit ad confirmationem, separaretur ab uxore sua et aliam nunquam accipiat ».

8. Haec autem vel ad terrorem dicta sunt: non quod ita esset faciendum, sed ne illud fieret summopere cavendum; vel de illis est intelligendum, qui prius filios suos vicissim de fonte susceperunt quam fierent coniuges. — Praemissis autem auctoritatibus omnino consentiendum est, ut sive proprium seu tantum viri filium mulier de fonte susceperit, non ideo a viro separaretur. Quod et de viro similiter oportet intelligi.

Cap. 3 (239).

10 **De copula spiritualium vel adoptivorum et naturalium filiorum.** — **Nicolaus Papa, ad consulta Bulgarorum** \*. Quod autem spirituales vel adoptivi filii naturalibus copulari nequeant, Nicolaus Papa testatur<sup>1</sup> ita inquires: « Ita diligere debet homo eum qui se suscepit de sacro fonte sicut patrem. Inter fratres et filios spirituales gratuita et sancta communio est, quae dicenda non est consanguinitas, sed habenda spiritualis proximitas. Unde inter eos arbitror non posse fieri legale coniugium, quia nec inter eos qui natura et eos qui adoptione filii sunt, venerandae leges matrimonia contrahi permittunt ». Item: « Si<sup>2</sup> inter eos non contrahitur matrimonium, quos adoptio iungit, quanto potius a carnali oportet inter se conturbatio cessare, quos per caeleste sacramentum regeneratio Sancti Spiritus vincit? »

3 quod] quia ABCRWX. 4 summopere] est add. M, add. interl. V<sup>2</sup>. || cavendum] est add. T. || vel om. TX, add. interl. N<sup>2</sup>O<sup>2</sup>. 7 seu] sive BCLNWX. 8 et] etiam BLTVX, etiam add. interl. N<sup>2</sup>. 11 Nicolaus... Bulgarorum om. RVW. 21 vincit] iungit AVX, id est iungit add. interl. L<sup>2</sup>, vel vincit add. interl. V<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Cap. 2 (I. Mansi, XV, 402 A; PL 119, 979 A-C).

<sup>2</sup> Ibid. (402 C; 979 C).

Num. 8. Conclusio quod ad terrorem dicta (vel interdicta) sunt talia, sumi videtur ex Gualt., *Summa sent.* VII, 13 (PL 176, 165 B), quamvis enuntiata circa aliam materiam; altera pars (« vel de illis... »), ex eodem, c. 20: « His auctoritatibus confirmatur quod coniuges separari non debent si, postquam legitime coniuncti sunt, alter levat filium alterius de sacro fonte vel tenet ad confirmandum » (PL 176, 171 C). Conclusio Gratiani est, post c. 10 C. 30 q. 1 (1099).

Cap. 3. Cf. L. Ott, *Walter von Mortagne*, 681, ubi notat quod auctoritas Nicolai tantum in parte habetur apud Gualt., c. 12 (PL 176, 164 D); unde sequitur quod fons Magistri *Decretum* est, in dicto ante c. 1, et ipsum c. 1 C. 30 q. 3 (1100).



## Cap. 4 (240).

1. Si filii ante compaternitatem vel post nati valent coniungi. Hoc autem quidam volunt intelligere de illis tantum filiis quibus compatres facti sunt. De aliis vero, qui ante compaternitatem vel post geniti sunt, concedunt quod legitime et licite iungi possunt.

2. Urbanus Papa, Vitali presbytero Brisciensi \*. Quibus videtur consentire Urbanus II dicens 1: « Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur respondendum: ut et baptismus sit, si instante necessitate femina puerum in nomine Trinitatis baptizaverit; et quod spiritualium parentum filii vel filiae ante vel post compaternitatem genitae possunt legitime coniungi, praeter illam personam qua compatres sunt effecti ».

3. Paschalis Papa \*. Paschalis vero secundus post compaternitatem genitos copulari prohibet, scribens Regino episcopo 2: « Post susceptum filium de fonte vel filiam spiritualem, qui ex compatre vel ex commatre fuerint nati, matrimonio iungi non possunt ».

4. Ex Triburiensi concilio \*. Illud etiam notandum est, quod in Triburiensi Concilio legitur 3: « Si quis suae spiritualis commatris filiam fortuito, et ita contingente rerum casu, in coniugium duxerit, consilio maturiore servato, habeat atque legitimo connubio honeste operam det ».

## Cap. 5 (241).

1. Si quis ducere possit duas commatres, alteram post alteram. — Nicolaus Papa, Constantiensi episcopo \*. Solet etiam quaeri si commatrem

2 Si] De copula filiorum qui ante compaternitatem vel post nati sunt *praem.* (ex *elencho capp.*) BCX (qui inde duas rubricas habent). || nati] natis ORW, om. T. || Hoc hic non signant initium novi capituli ABCTX. 5 legitime et om. BCLRVX. 6 Rubrica om. RVW. || Vitali presbytero Brisciensi om. A. 11 sunt effecti *trp.* LMTV. 15 iungi] coniungi ABCRX. 16 Rubrica om. LRVW. 22 Nicolaus... episcopo om. RTVW.

1 Exstat fragmentum inter epistolas Urbani II, ut n. 271 (PL 151, 529 A, ut ex *Decreto Gratiani*; non invenitur apud I. Mansi, tom. XX). Ut genuina accipitur a P. F. Kehr, *Italia Pontificia*, VI-1, 334, n. 4. 2 Paschalis II (1099-1118), *Epist. 414* (*Bonoseniori Regino episcopo*), n. 1 (PL 163, 369 A); cf. P. F. Kehr, *Italia Pontificia*, V, 367, n. 7. 3 Habito an. 895, c. 48 (I. Mansi, XVII, 154 E).

Cap. 4, n. 1: Sub *quidam* latet Gratianus, in dicto ante c. 4 eiusdem quaest. (1101). — Num. 2 est idem cap. 4. — Num. 3 rubrica est ad sequens c. 5 et ipsum cap. (1102). — Num. 4: pars posterior est c. 7 (ibid.).

Cap. 5, n. 1. Quaestio suggeritur, ut notat L. Ott, *Walter v. Mortagne*, 681, in *Summa*

uxoris, post eius obitum, quis ducere valeat. — De hoc Nicolaus Papa sic scribit 1: « Sciscitatur a nobis Sanctitas vestra si quis duas commatres habere valeat, unam post alteram. In quo meminisse debes scriptum esse 2: *Erunt duo in carne una*. Cum igitur constet quod vir et mulier una caro efficiuntur, restat virum compatrem constitui mulieri cuius assumpta uxor commater erat, et ideo virum illi feminae non posse coniungi, quae commater eius erat cum qua idem fuerat una caro effectus ».

2. Ex Concilio Triburiensi \*. Huic autem illud contrarium videtur 3: « Qui spiritualement habet compatrem cuius filium de lavacro acceperit, et eius uxor commater non est, licet ei, defuncto compatre suo, eius viduam ducere in uxorem; quos nulla generatio spiritualis secernit ». — Item ex epistola Paschalis Papae 4: « Post uxoris obitum, cum commatre uxoris coniugio copulari nulla ratio videtur vel auctoritas prohibere: non enim per carnis unionem ad unionem spiritus pertransitur ».

3. Determinatio \*. Sed sciendum est quod auctoritas Nicolai de illo agit, qui uxori suae debitum reddidit postquam illius commater exstitit. Aliae vero auctoritates de illo agunt, cuius uxor postquam a viro suo derelinquitur illius commater efficitur, nec post compaternitatem a viro suo cognoscitur. Vel de illo potius agunt, cuius uxor ante defungitur quam ab eo cognoscatur.

3 debes] debet AT. 8 Rubrica om. ORW. 13 ratio videtur *trp.* ABCRX. 14 pertransitur] transitur BCM, pervenitur RX, quod corr. interl. R<sup>2</sup>, pertransierunt W.

1 Nicolaus I, *Epist. 130* (*Salomoni episc. S. Constantiae*), an. 867 (PL 119, 1128 A-B), uti supra in cap. 2, n. 4. 2 Gen. 2, 24; Matth. 19, 5. 3 Ex eodem concilio et cap. 48 uti supra, cap. 4, n. 4. 4 Ex eadem *Epist. 414* uti supra (c. 4, n. 3), n. 2 (PL 163, 369 A-B).

*sent.* VII, 13: « Est etiam attendendum quod idem papa Salomoni episcopo scribens affirmat, eidem viro non licere duas habere commatres, unam post alteram; quam constitutionem non multum observat Ecclesia » (PL 176, 164 D). Auctoritas autem sumitur ex *Decreto*, C. 30 q. 4 c. 1 (1102s); invenitur etiam in Hugonis *De sacram.* II, 11, 16 (PL 176, 517 C-D). Utrobique legitur (contra Magistrum): « meminisse debet », et parum infra: « cuius matrimonio assumpta ». — Num. 2: « Econtrario » dicit Gratianus ante sequentem auctoritatem, c. 4 C. 30 q. 4 (1103); unde etiam in sequenti cap. illa Paschalis. — Num. 3: solutio est Gratiani, post idem c. 5 (1103s).



## Cap. 6 (242).

**Si vir et uxor simul possint tenere puerum.** Solet etiam quaeri si uxor cum viro simul debeat in baptismo suscipere puerum. — **Urbanus Papa** \*. De hoc **Urbanus II** ita scribit <sup>1</sup>: « Quod uxor cum marito in baptismo simul non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate reperitur prohibi-  
5 tum; sed ut puritas spiritualis paternitatis ab omni labe et infamia conservetur immunis, decrevimus ut utrique simul ad hoc aspirare non praesumant. Quia vero piaculare flagitium commisit, qui duabus com-  
matribus velut sororibus nupsit, magna poenitentia ei debet iniungi ».

## Cap. 7 (243).

1. **De secundis et tertiis et deinceps nuptiis.** Sciendum est etiam quod non solum primae vel secundae nuptiae sunt licitae, sed etiam tertiae et quartae non sunt damnandae.

2. **Augustinus in libro De sancta viduitate** \*. Unde **Augustinus** <sup>2</sup>: « Secundas nuptias omnino licitas Apostolus concedit ». « De <sup>3</sup> 15 tertiis autem et quartis et de ultra pluribus nuptiis solent homines movere quaestionem. Sed quis audeat definire quod nec Apostolum video definisse? Ait enim <sup>4</sup>: *Si dormierit vir eius, cui vult nubat*; non dicit 'primus' vel 'secundus' vel 'tertius' vel quotuslibet; nec nobis definiendum est quod non definit Apostolus. Unde, ut breviter respondeam, nec illas <sup>20</sup> nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numerositatis auferre ». « Nec contra humanae verecundiae sensum audeo dicere, ut quoties voluerint nubant, nec ex meo corde praeter Scripturae auctoritatem quotuslibet nuptias damnare ».

<sup>3</sup> debeat] debeant MNW. <sup>4</sup> II (Secundus) om. NOTW. <sup>9</sup> nupsit] nupsit BMT, quod corr. BT. <sup>14</sup> Rubrica om. VW. || viduitate] divinitate T. <sup>15</sup> Apostolus concedit trp. BCX. <sup>16-17</sup> movere quaestionem trp. BCL.

<sup>1</sup> In eadem Epist. uti supra, c. 4, n. 2 (PL 151, 529 B). <sup>2</sup> De bono viduitatis, c. 4, n. 6 (PL 40, 433; CSEL 41, 309s). <sup>3</sup> Ibid., c. 12, n. 15 (439s; 320s et 322). <sup>4</sup> I Cor. 7, 39.

Cap. 6. Quaestio proponitur ad finem eiusdem dicti post c. 5; auctoritas sequitur in c. 6 (1104).

Cap. 7, n. 2: Ut rubrica manifestat, ex *Glossa* Magistri in I Cor. 7, 40 (PL 191, 1600 C-D); in parte tantum in *Decreto*, C. 30 q. 1 c. 13 (1112) et in *Summa sent.* VII, 21 (PL 176, 172 C). Verba «*Si dormierit... auferre*» iam in *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, VI, 44c-d; cod. 151c).

3. **Hieronymus** \*: Idem testatur **Hieronymus** <sup>1</sup>: « Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Ecclesia digamam, immo nec trigamam; et ita licere quinto et sexto, quemadmodum secundo marito nubere ».

5 4. Apostolus tamen bigamos a sacerdotali honore excludit <sup>2</sup>. — Sed hoc non facit pro vitio digamiae, immo pro sacramenti virtute, ut sit una unius sicut unica unici.

5. Illud tamen *Caesariensis Concilii* <sup>3</sup> videtur innuere digamiam esse peccatum: « Presbyterum, inquit, in nuptiis digami prandere non con-  
10 venit, quia cum poenitentia bigamus indigeat, quis erit presbyter qui talibus nuptiis possit praebere consensum? » — Sed hoc de illo intelligi potest, qui primae uxori insidiatus putatur desiderio secundae. Vel pro signaculo sacramenti illud dicitur, quod in bigamo non servatur.

6. **Ambrosius, super Epistolam ad Corinthios** \*. **Ambrosius** <sup>4</sup> etiam dicit <sup>5</sup> quod « primae nuptiae tantum a Domino sunt institutae, secundae vero sunt permissae. Et primae nuptiae sub benedictione Dei celebrantur sublimer, secundae vero etiam in praesenti carent gloria ».

2 digamam... trigamam] digamiam (bigamiam W)... trigamiam BCL<sup>2</sup>WX. <sup>3</sup> et] vel ABC. <sup>5</sup> honore] ordine L, vel ordine add. M. <sup>9</sup> digami] bigami LW, corr. in bigami V<sup>2</sup>. <sup>10</sup> bigamus] digamus ABCL, quod corr. L. <sup>14</sup> Rubrica om. RTVW. <sup>15</sup> sunt] sint CMR.

<sup>1</sup> Epist. 43 (ad Pammachium), n. 18 (PL 22 [1859], 508; CSEL 54, 383s). <sup>2</sup> Resp. I Tim. 3, 2: *Oportet ergo episcopum irreprehensibilem esse, unius uxoris virum.* <sup>3</sup> Id est Concilium Neocaesariense, c. 7, iuxta versionem Dionysii Exigui, *Codex canonum eccl.*, c. 51 (PL 67, 156 C; vide etiam PL 56, 444 B); alia seu prisca versio in I. Mansi, *Concilia*, VI, 1122 A. <sup>4</sup> Ambrosiaster, in I Cor. 7, 10 (PL 17 [1845], 225 D; CSEL 81-II, 90).

Num. 3: ex Gualt., *Summa sent.*, loc. cit. — Num. 4: ex eadem *Summa* (172 D), ubi forsitan clarius est commentum Gualteri: « Sed sciendum est illud fieri non culpa bigamiae, sed pro sacramenti honestate. Honestius enim vicem Christi gerit episcopus qui iunctus est soli mulieri, sicut uni Ecclesiae iunctus est Christus » (PL 176, 172 D). Ibi etiam auctoritas Concilii in num. 5; hic tamen interpretatio Magistro propria esse videtur. — Num. 6: Ex *Glossa Lombardi* in I Cor. 7, 39 (PL 191, 1600 A).



## DISTINCTIO XLIII

## Cap. 1 (244).

1. **De resurrectione et iudicii conditione.** Postremo de conditione resurrectionis et modo resurgentium, necnon et de iudicii ac misericordiae qualitate, breviter disserendum est.

2. **Augustinus, in Enchiridion** \*: « Omnibus<sup>1</sup> quaestionibus quae de hac re moveri assolent satisfacere non valeo; resurrecturam tamen carnem omnium, quicumque nati sunt atque nascentur, et mortui sunt atque morientur, nullatenus ambigere debet christianus ». — Ait enim Isaias 2: *Resurgent mortui, et resurgent qui erant in sepulcris*. Et Apostolus 3: *No-* 10 *lulus vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini sicut et ceteri qui spem non habent, scilicet resurrectionis. Hoc* 4 *enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos qui vivimus, qui residui sumus, non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu et in voce archangeli et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui qui in Christo sunt resurgent primi.* 15 *Deinde nos qui vivimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obviam Christo in aëra; et sic semper cum Domino erimus.*

3. His verbis et veritas resurrectionis et causa atque ordo resurgentium praeclarissime insinuatur.

3 resurrectione] resurrectionis CRT *elenchus capp.* 6 Rubrica om. N<sup>1</sup>VW, Aug. add. mg. N<sup>2</sup>. 11 fratres om. ABCX. 11-17 ut... erimus] etc. M. 13 sumus] in adventum (adventu CR) domini add. BCRX. 16-17 Deinde... erimus] etc. L.

<sup>1</sup> Cap. 84 (PL 40, 272; CCL 46, 95). <sup>2</sup> Isai. 26, 19. <sup>3</sup> I Thess. 4, 12. Verbum « resurrectionis » in fine, ex *Glossa interl.* in h.l. (apud Lyranum VI, 111v; cod. m, f. 140v), ex August., *Sermo 172*, n. 1 (PL 38 [1845], 936). <sup>4</sup> I Thess. 4, 14-16.

Dist. XLIII-L. Inter fontes tractatus *De novissimis* praeminet *Prognosticon futuri saeculi* Iuliani episc. Toletani (PL 96, 453-524; CCL 115, 17-126). Cf. N. Wicki, *Das «Prognosticon futuri saeculi» Julianus von Toledo als Quellenwerk des Petrus Lombardus*, in *Divus Thomas* (Fr.) 31 (1953) 349-360. Vide etiam tract. *De novissimis* scholae Anselmi Laudunensis, ed. O. Lottin, in *Psych. et morale* V, 391-400; et quasdam Quaestiones eiusdem scholae, ibid., 79 (n. 92), 319-323; necnon et Hug. de S. Victore, *De sacram.* II, 16-18 (PL 176, 579 C - 618 B); quod tamen hii tractatus fonti Magistro essent, non nobis videtur. — Cap. 1, nn. 2-3. Praeter verba Augustini in *Enchiridion*, reliqua sumi videntur ex opere Hugonis *De sacram.*, II, 17, 11 (PL 176, 600 D - 601 A); remotius inveniuntur in *De civit. Dei*, XX, 20, 1 (PL 41 687s; CSEL 40, 475s; CCL 48, 733s).

## Cap. 2 (245).

1. **De voce tubae.** Causa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubae, quae in adventu iudicis ab omnibus audietur, et cuius virtute excitabuntur mortui et de monumentis resurgent. — Unde Propheta 1: *Dabit voci* 5 *suae vocem virtutis*, « id est effectum resuscitandi mortuos ». Et Ioannes Evangelista ait 2: *Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt audient vocem Filii Dei, et procedent boni in resurrectionem vitae, mali vero in resurrectionem iudicii.*

2. Si vero quaeritur cuius vel qualis erit vox illa, Apostolus dicit quia 10 erit *archangeli* 3, id est ipsius Christi, qui est princeps archangelorum 4; vel vox erit alicuius vel plurium angelorum. Eademque dicitur *tuba* 5 quia erit manifesta; et *novissima* 6 quia post eam non erit alia. — **Augustinus in libro De gratia novi testamenti** \*. « Haec tuba, ut ait A u g u s t i n u s 7, est clamor de quo dicitur in Evangelio 8: *Media nocte clamor* 15 *factus est: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Tubae nomine aliquod evidens et praeclarum signum intelligitur, quod vox archangeli et tuba Dei ab Apostolo dicitur 9, et in Evangelio 10 *vox Filii Dei et clamor* appellatur; quod mortui audient, et resurgent ».

3 et om. BCLVX. 12 et] id est AMNOW, quod corr. N. 12-13 Rubrica om. TVW. 13 novi] et veteris add. MNO.

<sup>1</sup> Ps. 67, 34; seq. *Glossa ordin.* in h.l.: « effectum resuscitandi omnes mortuos » (apud Lyran., III, 179c; cod. Laurent. XVII.4, f. 85b), ex Cassiodoro super h.l. (PL 70, 475 B; CCL 97, 602), ubi et sequens textus Ioannis. <sup>2</sup> Ioan. 5, 28-29. <sup>3</sup> I Thess. 4, 15; unacum *Glossa ordin.* hic: « vel sui ipsius archangeli vel angelorum » (ap. Lyran., VI, 112a; cod. l 153c; m 141a). Prima expositio est Ambrosiastri in h.l.: « ipse enim Christus Dominus voluntate Patris quasi primus angelus Dei... » (PL 17 [1845], 450 B; CSEL 81-III, 227); altera, Haymonis Altissid. (PL 117, 771 D). <sup>4</sup> Resp. Iosue 5, 14: *sum princeps exercitus Domini.* <sup>5</sup> *Glossa ordin.* in I Thess. 4, 15: *tuba Dei*: « vox, quae dicitur tuba quia manifesta » (apud Lyranum VI, 112a; l 153c; m 141a). <sup>6</sup> I Cor. 15, 52: *in novissima tuba*; ubi *Glossa interlin.*: « post quam non erit alia » (apud Lyranum, VI, 60r; l 72r; m 69v). <sup>7</sup> Id est *Epist. 140 (ad Honoratum)*, c. 34, n. 78 (PL 33, 573; CSEL 44, 226s). <sup>8</sup> Matth. 25, 6. <sup>9</sup> I Thess. 4, 15. <sup>10</sup> Ioan. 5, 28, uti supra in n. 1; et Matth. 25, 6.

Cap. 2, n. 2. Cuius erit vox illa, exponitur in *Glossa* in I Thess. 4, 15 (PL 192, 304 A). Quod Christi, opinio Ambrosiastri est, in h.l. (PL 17 [1845], 450 B; CSEL 81-3, 227); quod angeli vel angelorum, Haymonis in Hebr. 12, 19 (PL 68, 782 D) et Magistri in h.l. (PL 192, 506 D). — Auctoritas Augustini, iam in *Glossa Magistri* in I Cor. 15, 52 (PL 191, 1690 C; cod. x, 114c; z, f. 68v), ex Floro in h.l. (442); anon. in *Glossa ordin.* (apud Lyran. VI, 60a; cod. l 72b; m 69c).



## Cap. 3 (246).

**De nocte media.** *Media* autem nocte dicitur venturus, ut ait Augustinus<sup>1</sup>, non pro hora temporis, sed quia tunc veniet, cum non speratur. *Media ergo nocte*, scilicet « cum valde obscurum erit, id est occultum », veniet. *Dies enim Domini, sicut fur in nocte, ita veniet*<sup>2</sup>. — **Cassiodorus, super Octonarium** \*. Potest non incongrue intelligi mediae noctis tempore venturus, quia ut ait Cassiodorus<sup>3</sup>, « hoc tempore primogenita Aegypti percussa sunt, quando etiam sponsus venturus est ».

## Cap. 4 (247).

**1. De libris qui tunc aperti erunt** \*. Pluribus etiam locis contestantur auctores<sup>4</sup> quod adventus Christi dicitur *dies Domini*<sup>5</sup> non pro qualitate temporis, sed rerum, quia tunc cogitationes et consilia singulorum patebunt. Unde in Daniele<sup>6</sup>: *Vetustus dierum sedit, et libri aperti sunt coram eo*. Libri sunt conscientiae singulorum, quae tunc aperientur aliis; et tunc implebitur<sup>7</sup>: *Nihil occultum quod non reveletur*. Adveniente enim summo Iudice, non solum tenebrae aëris illuminabuntur, sed etiam abscondita cordium manifestabuntur<sup>8</sup>.

<sup>2</sup> nocte media *trp.* ABCTX. <sup>4</sup> speratur] sperabitur TW, *corr. in* sperabitur (?)O<sup>2</sup>.  
<sup>5-6</sup> Rubrica *om.* ARVW. || Cassiodorus] ysidorus O. <sup>10</sup> Rubrica *om.* RW. || aperti erunt] aperientur BCTVX *elench. capp.* <sup>17</sup> cordium] cordis LM.

<sup>1</sup> *Epist.* 140, c. 34, n. 78: « Non enim tunc veniet cum speratur, sed *media nocte*, cum valde obscurum, id est occultum, erit an veniat » (PL 33, 573; CSEL 44, 226). <sup>2</sup> I Thess. 5, 2. <sup>3</sup> *Expos. in Ps.* 118, 62 (PL 70, 856 B-C; CCL 98, 1084). <sup>4</sup> Praeter Iulianum (uti infra), cf. *Glossa interlin.* in I Thess. 5, 2: *Dies Domini sicut fur*: « Non pro tempore diei, sed quia tunc omnia aperta » (apud Lyranum, VI, 112v; I 153v; m 141v); quod repetit Magister in h.l. (PL 192, 306 A). <sup>5</sup> Cf. etiam Joel 2, 1: *Quia venit dies Domini*; 2, 11: *Magnus enim dies Domini et terribilis valde*. <sup>6</sup> Dan. 7, 9-10; Apoc. 20, 12. <sup>7</sup> Matth. 10, 26. <sup>8</sup> Resp. I Cor. 4, 5: *Dominus... illuminabit abscondita tenebrarum et manifestabit consilia cordium*.

Cap. 3: Prima pars, ex Floro ubi supra (442); illud Cassiodori, iam in *Glossa Magistri* in Ps. 118, 62 (PL 191, 1075 A), ex *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyran. III, 266c; anon. in cod. Laurent. XVII.4, f. 166d).

Cap. 4, n. 1: In parte fundatur in *Prognosticon* Iuliani, III, 36 (PL 96, 514 C; CCL 115, 109) ubi etiam (514 A; 109s) auctoritas Augustini in n. 2.

**2. [Augustinus:]** « Virtute<sup>1</sup> igitur divina fiet, ut cuique opera sua, vel bona vel mala, cuncta in memoriam revocentur, et mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset hominem conscientia », eaque teste salvetur vel damnetur.

## Cap. 5 (248).

**1. De memoria electorum, si tunc praecedentia mala teneat.** Hic quaeritur utrum electis tunc adsit memoria praecedentium malorum sicut bonorum.

**2.** Quaedam auctoritates videntur tradere bonos non habituros tunc memoriam praecedentium malorum, id est peccatorum vel tormentorum. Ait enim Isaias<sup>2</sup>: *Ego creo caelos novos et terram novam, et non erunt in memoria priora, et non ascendent super cor, sed gaudebitis in aeternum*. — Item<sup>3</sup>: *Oblivioni traditae sunt angustiae priores et absconditae ab oculis nostris*. — **Hieronymus** \*. Quae de futuro exponens, Hieronymus ait<sup>4</sup>: « Oblivioni tradentur priora mala, quia forsitan in futuro pristinae conversationis memoria omnino delebitur, succedentibus bonis aeternis, ne sit pars malorum prioris angustiae memorari ».

**3.** Sed haec et his similia possunt accipi sic, ut non excludant memoriam praecedentium malorum, sed ex ea molestiam et laesionem amoveant. Non enim eorum memoria Sanctos contristabit, vel eorum beatitudinem obfuscabit, sed gratiores Deo reddet. — **Gregorius** \*. Unde super Ps. LXXXVIII, ait Gregorius<sup>5</sup>: « Quomodo misericordias in aeternum canit, qui miseriae non meminit? Quomodo autem plena beatitudo, si memoria reatus mentem tangit? Sed saepe laeti tristium meminimus ».

<sup>2</sup> vel<sup>1</sup> BCRX Aug., Iulianus, Hugo; *om. alii codd.* <sup>6</sup> praecedentia] praeterita BCX *elenchus capp.* <sup>13</sup> absconditae] sunt *add.* MWX. <sup>14</sup> nostris] vestris ABCR, meis W. <sup>21</sup> Gregorius (*rubrica om.* NRW. <sup>22</sup> LXXXVIII AVW, 86 L, 87 alii.

<sup>1</sup> Augustinus (sine rubrica), *De civit. Dei*, XX, c. 14 (PL 41, 680; CSEL 40-II, 462; CCL 48, 724). <sup>2</sup> Isai. 65, 17-18. <sup>3</sup> Isai. 65, 16. <sup>4</sup> *In Isaiam* 65, 16 (PL 24 [1845], 644 A-B; CCL 73 A, 759s). <sup>5</sup> *Revera, Moralia*, IV, c. 36, n. 72 (PL 75, 678 B-C).

Cap. 5. Quaestio suggeritur, ut videtur, verbis Augustini, *De civitate Dei*, XXII, 30, n. 4 (PL 41, 803; CSEL 40, 667; CCL 48, 864), quae inveniuntur apud Iulianum, Lib. III, 57 (PL 96, 522 D - 523 A; CCL 115, 123); discutitur autem et solvitur verbo Gregorii ope *Glossae* in Ps. 88, 2 (PL 191, 818 D - 819 A), ex *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyran. III, 218r; cod. Laurent. XVII.4, f. 118b).



et sani dolorum meminimus sine dolore, et inde amplius laeti et grati sumus». — Ex his apparet quod, si priorum malorum memoriam Sancti habebunt in futuro, non erit tamen eis ad poenam vel gloriae derogationem, sed ad gratiarum actionem.

4. Si vero quaeritur utrum peccata quae fecerunt electi, tunc prodeant in notitiam omnium, sicut mala damnandorum omnibus erunt nota, non legi hoc expressum in Scriptura. Unde non irrationabiliter putari potest peccata hic per poenitentiam tecta et deleta, illic etiam tegi aliis; alia vero cunctis propalari.

Cap. 6 (249).

10

1. **De his qui vivi reperientur.** — Augustinus. De civitate Dei\*: «Quaeri<sup>1</sup> solet utrum illi quos vivos inveniet Christus nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto quo rapiuntur obviam Christo, ad immortalitatem mira celeritate sint transituri. Non enim dicendum est fieri non posse ut per aëra in sublime portentur, in illo spatio et moriantur et reviviscant».

2. «Ad hunc autem sensum, quo aestimemus illos in parvo spatio et passuros mortem et accepturos immortalitatem, Apostolus nos urgere videtur, ubi dicit<sup>2</sup>: *In Christo omnes vivificabimur*; et alibi<sup>3</sup>: *Quod seminas non vivificatur, nisi prius moriatur*». «Cur autem nobis incredibile videatur illam multitudinem corporum in aëre quodam modo seminari, atque ibi protinus immortaliter et incorruptibiliter reviviscere, cum credamus in ictu oculi<sup>4</sup> futuram resurrectionem, et in membra sine fine victura tanta velocitate rediturum antiquissimorum cadaverum pulverem?»

3. «Sed<sup>5</sup> vellem de his potius audire doctiores». «Si<sup>6</sup> igitur Sanctos<sup>25</sup>

7 legi] legimus LTVW. 11 Augustinus, De civitate Dei om. RVW, De civ. Dei om. BCX. 12 Quaeri] etiam add. NR. || solet] etiam add. TW. 14 celeritate sint trp. LTVW. 19 vivificabimur] vivificabuntur BCVWX. 20 vivificatur] vivificabitur LTV, quod corr. V. || nobis incredibile trp. BCLM. 25 doctiores] doctores ABLMNORV, quod corr. NR.

<sup>1</sup> Lib. XX, c. 20, nn. 2-3 (PL 41, 688s; CSEL 40-II, 476ss; CCL 48, 734s). <sup>2</sup> I Cor. 15, 22. <sup>3</sup> I Cor. 15, 36. <sup>4</sup> I Resp. I Cor. 15, 52. <sup>5</sup> August., Epist. 193 (ad Mercatorem), c. 4, n. 10 (PL 33, 873; CSEL 57, 173). <sup>6</sup> August., De civit. Dei, XX, c. 20, n. 3 (PL 41, 689; CSEL 40-II, 477; CCL 48, 755).

Cap. 6, nn. 1-2: Ex Glossa Magistri in I Thess. 4, 16 (PL 192, 304 C - 305 A), qui omnia sumpsit ex Floro in h.l. (681); quaedam in parte iam inveniuntur in Glossa in I Cor. 15, 51 (PL 191, 1690 B). — Num. 3: Prima phrasis in eadem Glossa in I Thess. 4, 16 (304 C); sumitur

qui reperiuntur Christo veniente viventes, eique obviam rapiuntur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, et ad eadem mox immortalia redituros, nullas in verbis Apostoli patiemur angustias», generaliter accipientes illud quod dictum est<sup>1</sup>: *Omnes quidem resurgemus*, scilicet tam boni quam mali; *sed non omnes immutabimur*, scilicet in solemnitate resurrectionis<sup>2</sup>.

4. **Ambrosius**\*. De hoc etiam Ambrosius<sup>3</sup> ait: «In ipso raptu eorum qui vivi reperientur, mors erit et resurrectio, ut anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddatur».

5. **Hieronymus**\*. Econtra vero, scribens ad Marcellam<sup>4</sup>, Hieronymus testari videtur, dicens «quosdam in fine saeculi, adveniente Christo, non esse morituros, sed vivos repertos in immortalitatem repente mutandos». — Horum autem quod verius sit, non est humani iudicii definire.

Cap. 7 (250).

1. **Quomodo intelligitur Christus iudex vivorum et mortuorum.** His autem adiciendum est dupliciter intelligi quod dicitur: Christus iudica-

4 accipientes illud trp. LTV. 5 scilicet<sup>1</sup> om. AM. 7 Rubrica om. ORVW. 10 Rubrica om. ORVW. 10-11 Hieronymus trp. post vero BCNX. 13 quod] quid MVX.

<sup>1</sup> I Cor. 15, 51; et Glossa interl. hic: «tam boni quam mali» (apud Lyran., VI, 60r; I 72r; m 69r), ex Haymone Altiss. in h.l. (PL 117, 602 C-D). <sup>2</sup> Hanc glossam non invenimus. <sup>3</sup> Id est Ambrosiaster, in I Cor. 15, 53, et quoad ultimam partem in I Thess. 4, 16 (PL 17 [1845], 271 C, 450 C-D; CSEL 81-II, 185; et 81-III, 228). <sup>4</sup> Epist. 59, n. 3 (PL 22 [1859], 587; CSEL 54, 543s), quoad sententiam; sed verba citata sunt Augustini, Epist. 193 (ad Mercatorem), c. 4, n. 9: «Videtur (Apostolus) asserere quosdam in fine saeculi, adveniente Domino... non esse morituros, sed vivos repertos in illam immortalitatem... repente mutandos» (PL 33, 872; CSEL 57, 173).

ex Floro (688), ubi rubricatur *Ex libro ad Dulcitium*, id est *De octo Dulciti quaestionibus*, q. 3, n. 3 (PL 40, 159; CCL 44A, 276); ubi Augustinus sua verba refert in *Epistola ad Mercatorem*, uti supra notatur. Quod sequitur trahitur ex Glossa in I Cor. 15, 51 (PL 191, 1690 B), ex Floro in h.l. (440). — Num. 4-5: ex Glossa in I Thess. 4, 16 (PL 192, 304 C). Sed num. 5 aenigma continet, quatenus in Glossa verba hic Hieronymo adscripta Augustino iure assignantur in *epistola ad Dulcitium*, uti supra in num. 3, sub eadem q. 3, n. 2 (PL 40, 159; CCL 44A, 276).

Cap. 7, n. 1. Doctrina est Augustini in *Enchiridion*, c. 55 (PL 40, 258; CCL 46, 79); sed propius mediante Glossa in II Tim. 4, 1 (PL 192, 378 C). Cf. Iulianus, *Prognosticon* III, 16 (PL 96, 504 A-B; CCL 115, 92).



*turus*<sup>1</sup> *vivos et mortuos*. Aut enim *vivi* accipiuntur qui in adventu eius *vivi* reperientur, licet in raptu moriantur; et *mortui*, qui ante decesserant. Vel *vivi et mortui* accipiuntur iusti et iniusti.

2. **Quomodo omnes incorrupti.** Cumque ex praedictis sane credi valeat omnes resurrecturos, credendum est etiam quod omnes *resurgent incorrupti*<sup>2</sup>: non utique impassibiles, quia mortem patientur aeternam, sed « sine diminutione membrorum »: omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria ac specie impassibilitatis induentur.

## DISTINCTIO XLIV

## Cap. 1 (251).

10

1. **De aetate et statura resurgentium.** Solent autem nonnulli percunctari et quaerere an in eadem aetate et statura corporis omnes resurrecturi sint.

2. Quidam putaverunt omnes resurrecturos secundum mensuram aetatis et staturae Christi, ideo quia Apostolus ait<sup>3</sup>: *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi*. — Sed his verbis non eadem resurgentibus assignatur statura, sed aetas. — **Haymo**<sup>4</sup>: « Omnes<sup>4</sup> enim in eadem aetate resurgent, in qua Christus

4-5 valeat] et add. MNOWX, sed del. O. 6 quia] quidam add. interl. L; ad sensum reddendum melius legatur qui. || aeternam] aliqui add. interl. V2. 8 tamen] mali add. interl. R2. || impassibilitatis] immortalitatis LMX, quod corr. interl. L. 18 Haymo om. NRWV.

<sup>1</sup> II Tim. 4, 1: *Qui iudicaturus est vivos et mortuos*; duplex expositio hic posita habetur in *Glossa interlin.* super h.l.: « Qui vivi reperientur », et « qui residui erunt vel iustos vel iniustos » (apud Lyranum, VI, 126v; cod. 176v; m 158v), ex August., *Enchiridion*, c. 55 (PL 40, 258; CCL 46, 79). <sup>2</sup> I Cor. 15, 52: *Et mortui resurgent incorrupti*, ubi *Glossa interlin.*: « sine diminutione membrorum » (apud Lyran., VI, 60r; l 71r; m 69v), ex Haymone in h.l. (PL 117, 603 B). Resp. etiam Ambrosiaster in h.l.: « id est immortales erunt, non tamen impassibiles » (PL 17 [1845], 271 C; CSEL 81-II, 185). <sup>3</sup> Eph. 4, 13. <sup>4</sup> Haymo Altiss., in Eph. 4, 13: « Quidam hoc modo illud intelligunt, quod... omnes in eadem aetate resurgent, in qua Christus resurrexit, cuiuscumque etiam aetatis fuerint... Tamen hoc melius est ut aliter intelligatur » (PL 117, 720 C-D).

Dist. XLIV, c. 1, n. 1: Rubrica et quaestio sese referunt ad Iulianum, III, 20 (505 B; 94). — Num. 2: Prima opinio *Glossae ordin.* est, in Eph. 4, 13 (apud Lyran. VI, 201c; cod. 1

mortuus est et resurrexit, cuiuscumque aetatis mortui fuerint ». *Virum* autem posuit non ut distingueret sexum, sed ut significaret perfectionem virium quam tunc habebunt<sup>1</sup>. Sed non omnes eandem staturam corporis obtinebunt.

3. **Augustinus in libro De civitate Dei**<sup>\*</sup>. Unde Augustinus<sup>2</sup>: « Non ait *in mensuram* corporis vel staturae, sed *aetatis*, quia unusquisque suam recipiet mensuram corporis quam vel habuit in iuventute, etiam si senex obiit; vel fuerat habiturus, si ante est defunctus. Aetas vero erit illa ad quam pervenit Christus, scilicet iuvenilis, ut circa triginta annos ». <sup>10</sup> Triginta enim duum annorum et trium mensium erat aetas Christi, in qua mortuus est et resurrexit. « Non est autem fas dicere quod in resurrectione accidat corpori magnitudo quam nec habuit hic, nec erat habiturum diu vivendo; nec maiora corpora redigenda sunt ad modum Dominici corporis. Periret enim multum de illis corporibus, cum nec periturus sit capillus, ut ait Dominus<sup>3</sup>: *Capillus de capite vestro non peribit* ». <sup>15</sup>

## Cap. 2 (252).

1. **Quod resurget quidquid fuit de substantia et natura corporis, etsi non in eadem parte corporis.** — **Augustinus in Enchiridion**<sup>\*</sup>: « Non<sup>4</sup> enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro; sed in <sup>20</sup> quemlibet pulverem cineremve solvatur, in quolibet halitus aurasque diffugiat, in quamcumque aliorum corporum substantiam vel in ipsa elementa vertatur, in quorumcumque animalium, etiam hominum, cibum carnemque mutetur, illi animae puncto temporis redit, quae illam primitus, ut homo fieret, cresceret, viveret, animavit ».

5 Rubrica om. RVW. 10 duum ANOT, corr. in duorum N, duorum alii. 11 Non] Aug. rubr. marg. LM, in textu R. 12 accidat] accedat LTV. 17 etsi non] et AMOX. 18 Augustinus in Enchiridion om. RVWX. 20 solvatur om. M, et add. LTV.

<sup>1</sup> *Glossa interlin.* in Eph. 4, 13: « Non sexu, sed perfectione virtutis » (apud Lyranum, VI, 94r; l 120c; m 113v). <sup>2</sup> Lib. XXII, c. 15 (PL 41, 777s; CSEL 40-II, 623s; CCL 48, 834). <sup>3</sup> Luc. 21, 18. <sup>4</sup> Cap. 88 (PL 40, 273; CCL 46, 97).

120c; m 113c). Cetera omnia, adiuvante Floro (585), ex *Glossa Magistri* in h.l. (PL 192, 201 C-D); unde et Num. 3, qui iam habetur, saltem in parte, in *Glossa ordin.* hic (apud Lyranum VI, 94a; cod. 1, 120d; m, in tertia columna, 113v).

Cap. 2; c. 3, n. 1; et c. 4: Exemplum sequens Iuliani, *Prognosticon* III, cc. 29, 31, 22 et 32 (PL 96, 510, 512, 506, 515; CCL 115, 103, 105, 96, 106s), Magister se confert ad ipsum *Enchiridion* Augustini; eadem capp. inveniuntur in Hugonis *De sacram.* II, 14, cc. 15 et 17 (PL 176, 603s), sed de eius influxu non omnino constat.



2. « Ipsa<sup>1</sup> igitur terrena materies, quae discedente anima fit cada-  
ver, non ita resurrectione reparabitur, ut ea quae dilabuntur et in alias  
atque alias rerum species vertuntur, quamvis ad corpus redeant unde  
dilapsa sunt, ad easdem quoque corporis partes ubi fuerunt redire necesse  
sit. Alioquin, si capillis redit quod tam crebra tonsura detraxit, si un- 5  
guibus quod toties dempsit exsectio, immoderata et indecens cogitantibus  
resurrectionem carnis, et ideo non credentibus, occurrit informitas ».

3. **Congrua similitudo per exemplum statuæ \***. « Sed<sup>2</sup> quemadmodum  
si statua cuiuslibet solubilis metalli igne liquesceret, vel contereretur in  
pulverem, vel confunderetur in massam, et eam vellet artifex rursus ex 10  
illius materia et quantitate reparare, nihil interesset ad eius integritatem  
quae particula materiae cui membro statuæ redderetur, dum tamen to-  
tum ex quo constituta fuerat, restituta resumeret: ita Deus, mirabiliter  
atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro nostra exstiterat, eam mirabili  
celeritate restituet; nec aliquid attinebit ad eius redintegrationem utrum 15  
capilli ad capillos redeant et ungues ad ungues, an quidquid eorum pe-  
rierat mutetur in carnem et in partes alias corporis revocetur, curante Ar-  
tificis providentia ne quid indecens fiat ». « Indecorum<sup>3</sup> quippe aliquid  
ibi non erit, sed quidquid futurum est, hoc decebit; quia nec futurum est  
si non decebit ».

## Cap. 3 (253).

1. **Quod sancti sine omni deformitate resurgent.** — **Augustinus in eodem \***. Hoc autem in corporibus sanctorum intelligendum est, de quibus  
consequenter adiungit<sup>4</sup>: « Resurgent igitur sanctorum corpora sine ullo  
vitio, sine ulla deformitate, sicut sine ulla corruptione, onere, difficultate: 25  
in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit. Propter quod et spiritualia  
dicta sunt<sup>5</sup>, cum procul dubio corpora sint futura, non spiritus ».

2. **Determinatio \***. Ex his apparet quod una erit aetas omnium resur-  
gentium, scilicet iuvenilis; statura vero diversa, scilicet « quam<sup>6</sup> quisque

<sup>5</sup> capillis] capillus BCMORTWX, quod corr. BW, capilli N, quod corr. N<sup>2</sup> || quod] quem MT, corr. in quem O<sup>2</sup>. <sup>5-6</sup> unguibus corr. in unguis O<sup>2</sup>. <sup>6</sup> quod] quos M, quem O<sup>2</sup>. || dempsit (dempssit Lomb. ?) depressit BCOTX, decerpsit A, expressit LMR. || exsectio] exsecutio (?) A<sup>2</sup>, exceptio L, sectio M, exsecatio X. <sup>7</sup> informitas VW Aug., Iul. Hugo, infirmitas alii codd. Nota interl. ad infirmitas: sic in originali, al. infirmitas, scil. mentis V<sup>2</sup>; corr. in infirmitas W<sup>2</sup>. <sup>14</sup> exstiterat] constiterat BCNR Aug., constiterit X. <sup>18-19</sup> aliquid ibi trp. BCLTV. <sup>28</sup> Determinatio M, om. alii.

<sup>1</sup> Ibid., cap. 89 (273; 97).

<sup>2</sup> Ibid.

<sup>3</sup> Cap. 90 (274; 97).

<sup>4</sup> Cap. 91

(274; 98). <sup>5</sup> Resp. I Cor. 15, 44: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

<sup>6</sup> Verba sunt Augustini, uti supra, cap. 1, n. 3.

habuit in iuvenili aetate, vel erat habiturus si ante est defunctus ». — Nec  
de substantia, de qua hominis caro creatur, aliquid peribit, sed omnium  
particularum ante dispersarum collectione redintegrabitur naturalis sub-  
stantia corporis. Sanctorumque corpora sine omni vitio, fulgida sicut sol<sup>1</sup>  
5 resurgent, praecisis cunctis deformitatibus quas hic habuerunt.

## Cap. 4 (254).

**Si mali tunc habeant quas hic habuerunt deformitates.** De reprobis  
autem quaeri solet an cum deformitatibus hic habitis resurgant. — **Augu-  
stinus in Enchiridion \***. Hoc autem Augustinus non asserit, sed  
10 dubium relinquit, ita inquiens<sup>2</sup>: « Quicumque ab illa perditionis massa,  
quae per Adam facta est, non liberantur per Christum, resurgent quidem  
etiam ipsi, unusquisque cum sua carne, sed ut cum diabolo eiusque an-  
gelis puniantur. Utrum vero ipsi cum vitiis et deformitatibus suorum cor-  
porum resurgant, quaecumque in eis gestarunt, in requirendo laborare  
15 quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel  
pulcritudo, quorum erit certa et sempiterna damnatio ». — Ecce non de-  
finit an tunc habeant deformitates, quas hic habuerunt reproborum cor-  
pora.

## Cap. 5 (255).

20 **Quod non consumentur corpora quae tunc ardebunt.** Si vero quaeritur  
de corporibus malorum, quomodo igne ardeant et non consumantur,  
Augustinus<sup>3</sup> variis exemplis adstruit et sempiternis ignibus ea  
ardere et non consumi illa combustione: sicut « animus<sup>4</sup>, cuius praesentia  
corpus vivit, et dolorem pati potest et mori non potest. Hoc enim erit  
25 tunc etiam in corporibus damnatorum, quod nunc esse scimus in animis  
omnium ».

<sup>12</sup> sua carne trp. LTWX. <sup>14</sup> in requirendo] inquirendo ACNV Iul. <sup>21</sup> quo-  
modo] in add. BCLNRVX. <sup>24</sup> corpus vivit trp. LTVW. <sup>25</sup> animis] animas NW,  
quod corr. N, naturis M. <sup>26</sup> omnium] hominum AX, corr. in hominum L.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 13, 43: *Tunc iusti fulgebunt sicut sol.* <sup>2</sup> Cap. 92 (PL 40, 274; CCL 46, 98).

<sup>3</sup> *De civit. Dei*, XXI, cc. 2-5 (PL 41, 709-716; CSEL 40-11, 513-523; CCL 48, 759-766).

<sup>4</sup> Ibid., c. 3, n. 2 (711; 515; 760).



## Cap. 6 (256).

1. **Si daemones corporali igne cremantur.** Quaeri etiam solet an daemones corporali igne ardeant. — **Augustinus, super Genesim \***. Ad quod Augustinus respondens ait<sup>1</sup>: «Cur non dicamus, quamvis miris, veris tamen modis, etiam spiritus incorporeos posse poena corporalis ignis affligi, si spiritus hominum, etiam ipsi incorporei, et nunc potuerunt includi corporalibus membris, et tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari?» — «Gehenna illa, quae *stagnum ignis et sulphuris* dicta est<sup>2</sup>, corporeus ignis erit, et cruciabit damnatorum corpora, hominum vel daemonum, sed solida hominum, aëria daemonum. Unus enim utrisque ignis erit, ut Veritas ait<sup>3</sup>».

2. **Qualis vel ubi sit ille ignis \***. — **Augustinus \***. De quo igne si quaeritur qualis vel ubi sit, Augustinus sic respondet<sup>4</sup>: «Ignis aeternus cuiusmodi sit, et in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui Spiritus divinus ostendit».

## Cap. 7 (257).

1. **Si animae sine corporibus sentiunt ignem corporalem.** Cum autem constet animas igne materiali in corporibus cruciandas, quaeri solet an interim, ante resurrectionem corporum, animae defunctorum reproborum materiali igne cremantur.

2. De hoc Iulianus, Toletanae Ecclesiae episcopus, Gregorii dicta secutus ita scripsit<sup>5</sup>: «Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem etiam corporeo igne teneatur?»

3 Rubrica om. TVW. 6 potuerunt] poterunt LM, corr. in poterunt T. 7 poterunt] potuerunt BNTX, quod corr. BNT. 11 ignis erit *trp.* BCRW. 12 Augustinus (*rubr.*) AMNO, om. alii. 15 Spiritus divinus *trp.* MWX. 17 sentiunt] sentiant BCMX. 19 resurrectionem] resurrectionem BCLTV. 20 cremantur] concrementur BCNRX. 21 De] Iulianus *rubr. marg. add.* BCX.

<sup>1</sup> Rubrica non obstante, est *De civit. Dei*, ibid., c. 10, nn. 1-2 (724; 537s; 776).

<sup>2</sup> Resp. Apoc. 20, 9. <sup>3</sup> Resp. Matth. 25, 41: *Discedite a me, maledicti, in ignem aeternum, qui paratus est diabolo et angelis eius.*

<sup>4</sup> *De civit. Dei*, XX, c. 16 (682; 465; 726). <sup>5</sup> *Prognosticon futuri saeculi*, II, c. 17 (PL 96, 482 B-C; CCL 115, 54), ipsa verba Gregorii refert, *Dialogi*, IV, c. 29 (PL 77, 365 D et 368 A-B).

Cap. 6, n. 1: ex eodem, cap. 41 (516 C - 517 A; 112s). — Num. 2: ibidem, c. 43 (517 C; 114).

Teneri autem per ignem spiritum dicimus, ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Quod autem non solum videndo, sed etiam experiendo anima ignis tormentum patiat, ex Evangelio colligitur, ubi Veritatis voce dives mortuus dicitur<sup>1</sup> *in inferno sepultus*. Cuius anima quod in igne teneatur insinuat, cum Abraham deprecatur dicens<sup>2</sup>: *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma*. Dum ergo peccatorem divitem damnatum in ignibus Veritas perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? — **Augustinus, super Genesim \***. Praecipue cum humanam animam corporis similitudinem habere doceat Augustinus<sup>3</sup>, ita inquit: «Profiteri animam habere posse similitudinem corporis et corporalium omnino membrorum, quisquis renuit, potest negare animam esse quae in somnis videt vel ambulare se vel sedere, vel huc atque illuc gressu vel etiam volatu ferri. Hoc sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde, si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similem, ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus, sive in requie, sive in doloribus».

3. «In Cassiani etiam voluminibus legitur quod non sint otiosae neque nihil non sentiant, cum dives ille in inferno se flamma cruciari clamat<sup>5</sup>. Unde probatur animas defunctorum non solum suis sensibus non privari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, tristitia, gaudio ac metu, carere, et ex his quae sibi in illo generali examine reservantur, quidam eas iam incipere praegustare».

## Cap. 8 (258).

1. **De abortivis fetibus et monstris.** Illud etiam investigari oportet, si abortivi fetus et monstra resurgent, et qualia.

6 ut<sup>2</sup>] et LOTX, corr. in et A. 9 Augustinus super Genesim om. MORTVW. 18 sint] sunt MOTW. 23 eas] eis BCM. 26 abortivi] abortivus MN.

<sup>1</sup> Resp. Luc. 16, 22. <sup>2</sup> Luc. 16, 24. <sup>3</sup> Lib. XII, c. 33, n. 62 (PL 34, 481; CSEL 28-I, 428). <sup>4</sup> Iulianus, ibid., c. 15 (PL 96, 481 A-B; CCL 115, 52); ex Ioan. Cassiani *Conlationibus*, conl. I, c. 14 (PL 49, 500-503 B; CSEL 13, 22ss). <sup>5</sup> Luc. 16, 24.

Cap. 8: Influxus Iuliani, III, cc. 27-28 (PL 96, 509 C - 510 B; CCL 115, 100-102) ex rubricis Magistri apparet; verba autem Augustini ex originali sumuntur.



2. **Augustinus in Enchiridion** \*: De quo Augustinus ita ait 1: « Occurrit de abortivis fetibus quaestio, qui iam nati sunt in uteris matrum, sed non ita ut iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus, de his qui iam formati sunt tolerari potest utcumque quod dicitur; informes vero quis non proclivius perire arbitretur, sicut semina quae concepta non fuerunt? » — **Attende!** \* « Scrupulose<sup>2</sup> quidem inter doctores quaeri ac disputari potest quando incipit homo in utero vivere, an sit quaedam vita occulta quae nondum motibus viventis appareat. Negare enim vixisse puerperia, quae ideo membratim exsecantur, ut eiciantur ex uteris praegnantium, ne matres etiam, si mortua ibi relinquuntur, occidant, impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo vivere, ex illo utique iam mori potest. Mortuus vero, ubicumque illi mors potuit evenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo ».

3. **Hic de monstris** \*. « Neque<sup>3</sup> enim et monstra quae nascuntur et vivunt, quamlibet cito moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt, sed potius correcta emendataque natura. — **(De bimembre)** \*) Absit enim ut illum bimembrem, quem nuper natum in Oriente fratres fidelissimi, qui eum viderunt, retulerunt et sanctus Hieronymus scriptum reliquit<sup>4</sup>, ut unum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum erat si gemini nascerentur, resurrecturos aestimemus. Ita et cetera, quae nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanae naturae figuram resurrectione revocabuntur ».

1 quo] hoc ABCLT. 6 fuerunt] fuerint BCRVX Aug., in corr. N. || Attende om. RTVW. || doctores] doctos LNTX, doctissimos Aug., Hugo. 7-8 sit quaedam vita] sint quedam vitia M. 8 vita corr. ex vitia O. 14 Rubrica om. RVW. 17 De] quodam add. LR. || De bimembre om. MVW. 18 fidelissimi] dilectissimi LRX. 21 aestimemus] existimemus TW. 22 figuram] in add. N Iul., add. interl. RV.

1 Cap. 85 (PL 40, 272; CCL 46, 95). 2 Ibid., c. 86 (272; 96). 3 Ibid., c. 87 (272s; 96). 4 Epist. 72 (ad Vitalem), n. 2 (PL 22 [1859], 674; CSEL 55, 9s).

## DISTINCTIO XLV

## Cap. 1 (259).

1. **De diversis animarum receptaculis**. — **Augustinus, super Ioannem** \*. Praeterea sciendum est quod « omnes animae, ut ait Augustinus<sup>1</sup>, cum de saeculo exierint, diversas habent receptiones: bonae habent gaudium, malae tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, et bonorum gaudium amplius erit, et malorum tormenta graviora, quando cum corpore torquebuntur ». — Ex his ostenditur quod maius erit gaudium sanctorum in resurrectione et post quam fuerit ante, et quod diversa receptacula habebunt animae sanctorum.

2. **Augustinus in Enchiridion** \*. De quibus idem Augustinus ait 2: « Tempus quod inter hominis mortem et ultimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut unaquaeque digna est vel requie vel aerumna, pro eo quod sortita est in carne cum viveret ».

## Cap. 2 (260).

1. **De suffragiis defunctorum**. — **Augustinus in Enchiridion** \*: « Neque negandum est, ut ait Augustinus<sup>3</sup>, defunctorum animas pietate suorum viventium relevari, cum pro illis sacrificium Mediatori offertur, vel eleemosynae fiunt in Ecclesia ».

2. **Quibus prosint orationes et eleemosynae et sacrificium, et quomodo** \*. « Sed haec eis prosunt, qui cum viverent, haec sibi ut postea possent prodesse meruerunt. Est enim quidam vivendi modus, nec tam bo-

3 receptaculis] post mortem add. BLNR elenchus capp. || Augustinus super Ioannem om. RVW. 5 de] hoc add. MNTV. 13 continet] tenet ALOTW. 14 cum] dum BCNVWX. 17 Augustinus in Enchiridion om. NVW. 21-22 et quomodo om. BCX.

1 Tract. 49, n. 10 (PL 35, 1751; CCL 36, 425). 2 Cap. 109 (PL 40, 283; CCL 46, 108). 3 Cap. 110 (283s; 108).

Dist. XLV: De doctrina Augustini, cf. F. Bonnín Aguiló, *¿ Vision beatífica en el Antiguo Testamento o limbo de los padres?*, in *Burgense* 9 (1968), 65-175, praesertim 165ss. — Cap. 1, n. 1: Ex *Glossa Magistri* in I Thess. 4, 15 (PL 192, 305 B), ex Floro in h.l. (678). — Num. 2: textus Augustini iam in *Prognosticon*, II, 9 (PL 96, 479 A; CCL 115, 49), sed hic sumitur ex originali, sicut et in cap. sequenti, nn. 1-2.



nus ut non requirat ista post mortem, nec tam malus ut ei non prosint ista post mortem. Est vero talis in bono ut ista non requirat, et est rursus talis in malo ut nec his valeat, cum haec vita transierit, adiuvari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo possit post hanc vitam quispiam gravari vel relevari. Nemo autem speret quod hic neglexit, cum obierit 5 apud Deum promereri. Non igitur ista, quae pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi apostolicae sunt adversa sententiae, qua dictum est 1: *Omnes adstabimus ante tribunal Christi, ut referat unusquisque secundum ea quae per corpus gessit*, scilicet bona vel mala: quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viveret comparavit, ut possent ei 10 ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare non, nisi propter differentiam vitae quam quisque gessit in corpore? Cum ergo sacrificia, sive altaris, sive quarumcumque eleemosynarum, pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valde bonis gratiarum actiones sunt; pro non valde malis, propitiationes; sed pro valde malis, etiam si nulla sunt adiumenta mortuo- 15 rum, tamen qualescumque vivorum consolationes sunt. Quibus vero prosunt, vel ad hoc prosunt ut sit plena remissio, vel certe ut tolerabilior sit ipsa damnatio ».

3. **Augustinus in sermone De verbis Apostoli \***: « Orationibus 2 ergo sanctae Ecclesiae, et sacrificio salutari et eleemosynis quae pro eorum spiri- 20 tibus offeruntur, non est dubium mortuos adiuvari, ut cum eis misericordius agatur a Domino quam eorum peccata meruerint. Hoc enim a Patribus traditum tota observat Ecclesia: ut pro eis qui in communionem Corporis et Sanguinis defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorantur, oretur; ac pro illis quoque id offerri commemoretur. 25 Non est igitur ambigendum ista prodesse defunctis, sed talibus qui ita vixerunt ante mortem, ut possint eis haec utilia esse post mortem. Nam qui sine fide operante per dilectionem 3 eiusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis a suis huiusmodi pietatis officia impenduntur, cuius dum hic essent pignore caruerunt, non misericordiam sibi thesaurizantes, 30

9 etiam hoc *trp.* BCNX. 15 sed] sunt BCL *Aug., Iul., Lomb.* (PL 192, 40A), sunt sed WX. 23 observat] servat OX. 29 exierunt] exierint BCLW. || impenduntur] impenduntur AW, *corr. ex* impediuntur M, *ex* impediuntur R. || cuius] cum AOW<sup>1</sup>, *om.* MN, *corr. marg. in* culus W<sup>2</sup>, *pletatis add. interl.* V<sup>2</sup>, *scil. pletatis add. marg.* W<sup>2</sup>. 30 dum] cum BN.

1 II Cor. 5, 10. 2 *Sermo 172*, c. 2, n. 2 (PL 38, 936s). 3 *Resp. Gal.* 5, 6: *sed fides quae per caritatem operatur.*

Cap. 2, num. 3: *Ex Glossa in I Thess.* 4, 12 (PL 192, 302 A-B), *ex Floro in h.l.* (678-679).

sed iram 1. Non ergo mortuis nova merita comparantur, cum pro eis aliquid boni operantur sui, sed eorum praecedentibus consequentia ista redduntur. Nam istam quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit non poterit habere post eam ».

5 4. Ecce quibus et qualiter prosint illa quae pro defunctis frequentat Ecclesia: mediocriter malis suffragantur ad poenae mitigationem; mediocriter bonis ad plenam absolutionem, qui non habent tantae perfectionis merita ut non indigeant iuari per *pauperes* quorum est *regnum caelorum* 2, quos sibi fecerunt *amicos de mammona iniquitatis* 3. Quorum tanta est 10 perfectio ut his adiutoriis non indigeant, quales sunt Apostoli et martyres. — **Augustinus, De verbis Apostoli \***. Ut enim ait Augustinus 4, « iniuria est pro martyre in Ecclesia orare, cuius debemus orationibus commendari; pro aliis autem defunctis oratur ».

Cap. 3 (261).

15 1. **De officiis sepulturae.** — **Augustinus in sermone De verbis Apostoli \***. De pompis vero exsequiarum idem Augustinus ita dicit 5: « Pompa funeris, agmina exsequiarum, sumptuosa diligentia sepulturae vivorum sunt qualiacumque solatia, non adiutoria mortuorum ». « Si 6 aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis vel nulla. Praeclaras exsequias in conspectu hominum purpurato illi diviti 7 exhibuit turba famulorum, sed multo clariores in conspectu Domini ulceroso illi pauperi ministerium exhibuit angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, sed in Abrahae gremium ».

2. **Augustinus in eodem \***: « Sit 8 tamen cura mortuos sepeliendi et 25 sepulcra construendi, quia haec in Scripturis sanctis inter bona opera de-

11 Rubrica *om.* AVW. 15 Augustinus... Apostoli *om.* VWX. 16 *idem om.* BCV. 24 Rubrica *om.* ALNW.

1 *Rom.* 2, 5: *thesaurizas tibi iram in die irae.* 2 *Resp. Matth.* 5, 3. 3 *Resp. Luc.* 16, 9. 4 *Sermo 159*, c. 1, n. 1 (PL 38, 868). 5 *Sermo 172*, c. 2, n. 2 (PL 38, 936). 6 *Reapse De civit. Dei*, I, c. 12, n. 1 (PL 41, 26; CSEL 40-1, 24; CCL 47, 14). 7 *Resp. Luc.* 16, 19-22. 8 *Scil. in Sermone 172*, c. 2, n. 3 (PL 38, 937).

Num. 4: Verba Augustini in fine, *ex Glossa in Hebr.* 12, 4 (PL 192, 501 D); *ex Floro in h.l.* (840).

Cap. 3, n. 1: Prima auctoritas iam in *Glossa in I Thess.* 4, 12 (PL 192, 301 D - 302 A), *ex Floro in h.l.* (678). — Altera, ut videtur, *ex Hugone, De sacram.* II, 16, c. 8 (PL 176, 595 B), vel *ex fonte ignoto.* — Num. 2: *Ex eadem Glossa* (302 C); *ex Floro, ut videtur* (679).



putata sunt. Non solum in corporibus Patriarcharum aliorumque sanctorum, sed etiam in ipsius Domini corpore qui ista fecerunt, laudati sunt <sup>1</sup>. Impleant igitur haec homines erga suos officia postremi muneris et sui humani lenimenta moeroris. Verum illa quae adiuvant spiritus defunctorum, scilicet oblationes, orationes, multo observantius procurent ».

## Cap. 4 (262).

1. **De duobus aequae bonis, quorum alter plura post mortem habet auxilia.** Solet moveri quaestio de duobus, uno divite, altero paupere, pariter sed mediocriter bonis, qui praedictis suffragiis indigent, et meruerunt pariter post mortem iuari. Pro altero vero, id est pro divite, speciales et communes fiunt orationes multaeque eleemosynarum largitates; pro paupere vero non fiunt nisi communes orationes. Quaeritur ergo an tantum iuветur pauper paucioribus subsidiis, quantum dives amplioribus. — Si non pariter iuветur, non ei redditur secundum merita: meruit enim pariter iuari, quia pariter boni exstiterunt. Si vero tantum suffragii consequitur quantum dives, quid contulerunt diviti illa specialiter pro eo facta?

2. **Responsio** \*. Sane dici potest non ei magis valuisse generalia et specialia, quam pauperi sola generalia suffragia. Et tamen profuerunt diviti specialia: non quidem ad aliud vel maius aliquid, sed ad idem ad quod generalia, ut ex pluribus et diversis causis unum perciperetur emolumentum. — **Aliter** \*. Potest tamen dici illa plura subsidia contulisse diviti celeriolem absolutionem, non pleniolem.

## Cap. 5 (263).

1. **Quibus suffragiis iuvabuntur mediocriter boni qui in fine reperientur.** Sed iterum quaeritur de aliquo mediocriter bono, qui talibus indigens suffragiis, in ipso consummationis saeculi articulo cum reliquis migrabit, si salvus fuerit. Pro eo non offertur ulterius sacrificium vel oratio vel

1 Non] Nec ABCLRV Aug., Glossa. 3 Impleant] Impleant AMNORTX, quod corr. NT. 7 post mortem trp. post auxilia BCV. 11 largitates] largitiones AL<sup>2</sup>NRTVX. 16 specialiter] spiritaliter R, specialia LT. 18 Responsio om. MRVW. 22 Aliter om. AMORTVW. 28 offertur] offeretur ARVWX.

<sup>1</sup> Resp. Matth. 26, 10-13.

elemosyna, nec habebat tantae perfectionis merita quae his suffragiis non egerent: numquid ergo salvabitur?

2. Aestimo eum, quasi per ignem transeuntem <sup>1</sup>, salvari meritis et intercessionibus caelestis Ecclesiae, quae pro fidelibus semper intercedit voto et merito, donec impleatur Christus.

## Cap. 6 (264).

1. **Quomodo sancti glorificati audiunt preces supplicantium et quomodo intercedunt pro nobis ad Deum.** Sed forte quaeris: Numquid preces supplicantium audiunt, et vota postulantium in eorum notitiam perveniunt?

2. Non est incredibile animas sanctorum, quae in abscondito faciei Dei <sup>2</sup> veri luminis illustratione laetantur, in ipsius contemplatione ea quae foris aguntur intelligere, quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim angelis, ita et sanctis qui Deo assistunt, petitiones nostrae innotescunt <sup>3</sup> in Verbo Dei quod contemplantur. Unde et dicuntur angeli orationes et vota nostra offerre Deo <sup>4</sup>, non quia eum doceant, sed quia eius voluntatem super eis consulunt.

3. **Augustinus in libro De orando Deum** \*. Unde Augustinus <sup>5</sup>: « Angelis qui sunt apud Deum innotescunt petitiones nostrae, ut quodam modo eas offerant Deo et de his consulant, et quod Deo iubente implendum esse cognoverint, hoc nobis vel evidenter vel latenter reportent. Unde et angelus hominibus ait <sup>6</sup>: *Cum oraretis, orationem vestram obtuli Deo* ».

1 habebat] habebit AWX. 8 intercedunt] intercedant ARX. || Deum] dominum LWX. 21 cognoverint] cognoverunt BMORTVWX, quod corr. T.

<sup>1</sup> Resp. 1 Cor. 3, 15: *Ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem.* <sup>2</sup> Resp. Ps. 30, 21: *Abscondes eos in abscondito faciei tuae.* <sup>3</sup> Cf. Phil. 4, 6: *petitiones vestrae innotescant apud Deum.* <sup>4</sup> Tob. 3, 25; et 12, 12. <sup>5</sup> Epistola 130 (ad Probam), c. 9, n. 18 (PL 33, 501; CSEL 44, 61). <sup>6</sup> Tob. 12, 12.

Cap. 6, nn. 1-2: Quaestio iam proponitur quasi eisdem verbis ab Hugone, *De sacram.* II, 16, 11: « Multi in quaestione adducunt an preces supplicantium audiunt, et... utrum vota postulantium usque ad ipsorum cognitionem perveniunt... Hoc unum certum est, sanctorum animas in secreto divinae contemplationis constitutas, eorum quae foris aguntur tantum scire quantum illis vel ad gaudium, vel nobis ad auxilium prodesse constat » (PL 176, 596 A-B). Vide etiam quaestionem affinem in schola Anselmi Laudunensis (ed. O. Lottin, in *Psych. et morale*, V, n. 504, p. 323). — Num. 3: Iam in *Glossa* in Phil. 4, 6 (PL 192, 253 D - 254 A); ex Floro in h.l. (642s).



4. **Augustinus in libro De Trinitate XV \***: « Ad omnia <sup>1</sup> quidem scienda sufficit Deo sua perfectio. Habet tamen nuntios, id est angelos, non qui ei quae nescit annuntient: non enim sunt ulla quae nesciat, sed bonum eorum est de operibus suis eius consulere veritatem. Et hoc est quod ei dicuntur nonnulla 'nuntiare': non ut ipse ab eis discat, sed ut ab eo ipsi, <sup>5</sup> per Verbum eius sine corporali sono. Nuntiant etiam quod voluerit, ab eo missi ad quos voluerit: totum ab illo per illud Verbum eius audientes, id est in eius veritate invenientes quid sibi faciendum, quid, quibus et quando nuntiandum sit. Nam et nos orantes eum, non eum docemus, quia *novit*, ait Verbum eius <sup>2</sup>, *Pater vester quid vobis necessarium sit priusquam* <sup>10</sup> *petatis ab eo*. Nec ista ex tempore cognovit, sed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid et quando ab illo petituri fueramus, et quos et de quibus rebus vel exauditurus vel non exauditurus esset, sine initio ante praescivit ».

5. **Augustinus in libro De gratia novi Testamenti \***: « Non <sup>3</sup> ergo dicitur angelus orationes nostras offerre Deo, quasi Deus tunc noverit quid velimus et quo indigeamus », qui omnia antequam fiant, sicut et postea quam facta sunt novit <sup>4</sup>; « sed quia necesse habet rationalis creatura temporales causas ad aeternam veritatem referre, sive petendo quid erga se fiat, sive consulendo quid faciat ».

6. **Quod dictum est de angelis attribuit sanctorum animabus**. Si autem angeli a Deo per Verbum eius discunt petitiones nostras, et quid de eis implendum sit vel non, cur non credamus et animas sanctorum, Dei faciem contemplantium, in eius veritate intelligere preces hominum et quae implendae sint vel non? — Inde est quod Deus dicitur exaudire preces <sup>25</sup>

<sup>1</sup> Rubrica om. VW. || Aug.] Idem AL. || XV om. CLN, *trp. post* in A, *post* libro TX. <sup>4</sup> veritatem] voluntatem CX Florus, *Glossa*. <sup>6</sup> voluerit] voluerint OTX, *quod corr.* OT. <sup>10</sup> eius] scit *add.* BC, *add. marg.* L<sup>2</sup>, *add. interl.* T<sup>2</sup>, scit namque *add. interl.* R<sup>2</sup>. <sup>16</sup> tunc] non *add.* LTW, *add. interl.* R<sup>2</sup>. <sup>17-18</sup> postea quam] postquam BCLNRVX, *corr. in* postquam T. <sup>21</sup> Rubrica om. AMOVW. <sup>25</sup> dicitur *trp. post* quorundam BC, *add. interl.* T, om. ALO.

<sup>1</sup> Cap. 13 (PL 42, 1075s; CCL 50 A, 494s). <sup>2</sup> Matth. 6, 8. <sup>3</sup> *Seu Epist.* 140 (*ad Honoratum*), c. 29, n. 69 (PL 33, 568; CSEL 44, 216s). <sup>4</sup> Resp. Eccli. 23, 29: *Deo antequam crearentur, omnia sunt agnita; sic et post perfectum respicit omnia.*

Num. 4: Prima pars (« Ad omnia... nuntiandum sit »), in eadem *Glossa* (254 A-B) et apud Florum. Ultima vero pars (« Nam et nos... praescivit ») deest in utraque forma *Glossae* (254 B; x, 110d; z, 190d). Ultima phrasid (« Nec ista... ») iam supra, lib. I, d. 38, c. 1, n. 2 (I, 276, 6-10). — Num. 5: ex eadem *Glossa* (254 B), ex Floro in h.l. (643), non sine quadam paraphrasi originalis.

quorundam non solum quando effectui mancipat, sed etiam quando innotescit curiae angelorum et sanctarum animarum quid inde futurum sit vel non. Et quod cognoscunt in Dei voluntate esse, volunt et ipsi. Adeo enim supernae Veritati addicti sunt, ut nihil praeter eius voluntatem queant <sup>5</sup> velle. — Intercedunt igitur ad Deum pro nobis sancti, et merito: dum eorum merita suffragantur nobis, et affectu: dum vota nostra cupiunt impleri; quod tamen non faciunt nisi in voluntate Dei implenda didicerint. Oramus ergo ut intercedant pro nobis, id est ut merita eorum nobis suffragentur; et ut ipsi velint bonum nostrum, quia eis volentibus, Deus <sup>10</sup> vult, et ita fiet.

7. Ex praemissis constat quod cum quibusdam misericordius agit Deus quam aliqua eorum peccata meruerint, scilicet cum mediocriter malis <sup>1</sup>, qui suffragiis Ecclesiae iuvantur.

## DISTINCTIO XLVI

## Cap. 1 (265).

15

1. **Si valde malis detur mitigatio poenae**. Sed quaeritur hic de valde malis, utrum et ipsi in aliqua poenarum mitigatione Dei misericordiam sentiant, ut minus quam meruerint puniantur.

2. Quidam autumant eos nullam relevationem poenae habituros. <sup>20</sup> Quod confirmant Iacobi auctoritate dicentis <sup>2</sup>: *Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam*. Augustinus etiam ait <sup>3</sup>: « Mi-

<sup>7</sup> impleri] implere MOWX. <sup>16</sup> detur] prestatur BC *elenchus capp.*, prestetur RT.

<sup>1</sup> Cf. supra, Dist. 45, c. 2, n. 4. <sup>2</sup> Iac. 2, 13. <sup>3</sup> *Enarr. in Ps. 100, 1: Misericordiam et iudicium*, n. 1: « Si ergo per tempora distinguamus haec duo, forte invenimus modo tempus esse misericordiae, futurum autem tempus iudicii » (PL 37, 1282; CCL 39, 1405); « iudicium in futuro » potius invenitur in *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyran., III, 234c; cod. Laurent. XVII.4, f. 134b).

Dist. XLVI. Cf. A. Michel, *Mitigation des peines de la vie future*, in DThC X, 1998-2209, ubi parum vel nihil de doctrina Magistri; et A. M. Landgraf, *Die Linderung der Höllenstrafen nach der Lehre der Frühscholastik*, in ZfKTh 60 (1936) 299-370; in *Dogmengesch.* IV-2, 255-320, ubi de Magistro agitur, 268-70. — Cap. 1, n. 2: Cf. Magister in Ps. 100, 1 (PL 191, 901 A-B), ubi prima auctoritas Augustini; altera invenitur in *Glossa* in Ps. 118, 151 (1120 D).



sericordia hic, iudicium in futuro». — **Augustinus, super Octonarium XIX\***. Idem<sup>1</sup>, distinguens quomodo omnes viae Dei sint misericordia et veritas<sup>2</sup>, ait: «Erga sanctos omnes viae Dei misericordia, omnes veritas; quia et in iudicando subvenit, et ita non deest misericordia; et in miserando id exhibet quod promisit, ne desit veritas. Erga omnes autem, 5 quos liberat et damnat, omnes viae sunt misericordia et veritas, quia ubi non miseretur, vindictae veritas datur». Dicens 'ubi non miseretur', dat intelligi aliquid a Deo fieri ubi ipse non miseretur.

3. **Cassiodorus\***. Sed his occurrit quod ait **Cassiodorus** super Psalmum L<sup>3</sup>, loquens de misericordia et pietate Dei: «Hae duae, inquit, 10 res iudicio Dei semper adiunctae sunt». Ergo et in punitione malorum non est iustitia sine misericordia. — **Cassiodorus, in Psalmo C\***. Idem de misericordia et iudicio ait<sup>4</sup>: «Haec duo mutua societate sibi iunguntur. In his breviter omnia opera Dei includit».

4. **Augustinus contra illos qui asserunt malorum cruciatus terminandos\***. Augustinus quoque, respondens illis qui reproborum supplicia finem habitura contendunt, ita illorum repellit opinionem, asserens reprobos perpetuo puniendos, ut eorum supplicia aliquatenus mitigari non neget. — **Augustinus in Enchiridion\***: «Frustra, inquit<sup>5</sup>, nonnulli aeternam damnandorum poenam et cruciatus sine intermissione perpetuos humano miserantur affectu, atque ita futurum esse non credunt: non quidem Scripturis adversando divinis, sed pro suo motu dura quaeque molliendo et in leniorem flectendo sententiam, quae putant in eis terribilius esse dicta quam verius. Non enim, inquit, obliviscetur misereri Deus, aut continebit in ira sua misericordias suas. Hoc quidem in Psalmo legi- 25

1-2 Rubrica om. RVW. || xix] xviii BCX. 2 Dei] domini LRT. 3 Dei] domini LT, sunt add. ANV. 7 Dicens] Cassiodorus rubr. mg. BCX, Aug. super ps. C rubrica M. 9 Cassiodorus (rubrica) om. RVW. 12 in Psalmo] super psalmum NR. 15 Rubrica om. MRVW. 17 illorum] eorum BCR. 19 Augustinus (rubrica) om. ABCVWX. || in Enchiridion trp. post Augustinus (lin. 15) ABCX, om. VW.

<sup>1</sup> Enarr. in Ps. 118, 151: Et omnes viae tuae veritas, Sermo 29, n. 8 (PL 37, 1588; CCL 40, 1766s), mediante Glossa ordin. in h.l. (apud Lyranum III, 272c; cod. cit. 173c).  
<sup>2</sup> Ps. 24, 10. <sup>3</sup> Expos. in Ps. 50, 16: Et exsultabit lingua mea iustitiam tuam (PL 70, 368 D; CCL 97, 466), mediante Glossa ordin. in h.l. (ap. Lyranum, III, 158a; cod. Laurent. XVII.4, f. 65c).  
<sup>4</sup> In versum 1: Misericordiam et iudicium (PL 70, 700 B; CSEL 98, 891), mediante Glossa ordin. in h.l. (ap. Lyranum, III, 234c; cod. cit., f. 134a, sine nomine); cf. Glossa Magistri in h.l. (PL 191, 901 B).  
<sup>5</sup> Cap. 112 (PL 40, 284s; CCL 46, 109s).

Num. 3: Cf. Glossa in Ps. 50, 16 (491 B); dein eadem in Ps. 100, 1 (901 B).

tur<sup>1</sup>. Sed de his intelligitur qui sunt vasa misericordiae<sup>2</sup>, quia et ipsi non pro meritis suis, sed Deo miserante de miseria liberantur. Aut si hoc ad omnes aestimant pertinere, non ideo necesse est ut damnationem opinentur finiri posse eorum de quibus dictum est<sup>3</sup>: *Ibunt hi in supplicium aeternum*, ne hoc modo putetur habitura finem felicitas illorum de quibus e contrario dictum est<sup>4</sup>: *Iusti autem in vitam aeternam*. — Sed poenas damnatorum certis temporibus aestiment, si hoc eis placet, aliquatenus mitigari. Etiam sic quippe intelligi potest manere ira Dei in illis<sup>5</sup>, id est ipsa damnatio. Haec enim vocatur ira Dei, non divini animi perturbatio. 10 Ut in ira sua<sup>6</sup>, id est manente ira sua, non contineat miserationes suas: non aeterno supplicio finem dando, sed levamen adhibendo vel interponendo cruciatibus; quia nec Psalmus ait 'ad finiendam iram suam' vel 'post iram suam', sed in ira sua. (**Intellige!**\*) Quae si sola esset alienari a regno Dei, carere magna multitudine dulcedinis Dei<sup>7</sup>, tam grandis 15 tamen est poena, ut ei possint nulla tormenta quae novimus comparari, si illa sit aeterna, ista autem sit quamlibet multis saeculis longa». «Manebit<sup>8</sup> ergo sine fine mors perpetua damnatorum et omnibus erit ipsa communis, sicut manebit communiter omnium vita aeterna sanctorum».

5. Ecce ita asserit hic poenas reproborum non esse finiendas, quod non improbat si dicatur eorum supplicio aliquod levamen adhiberi. Unde non incongrue dici potest Deum, etsi iuste id possit, non omnino tantum punire malos in futuro quantum meruerunt, sed aliquid eis, quantumcumque mali sint, de poena relaxare.

6. **Determinat praemissas auctoritates**<sup>9</sup>. Quod ergo dictum est: *Iudicium sine misericordia fiet illi qui non fecit misericordiam*, ita intelligi potest: quod iudicium damnationis fiet illi qui non fecit misericordiam, pro eo quod fuit sine misericordia; vel fiet ei iudicium sine misericordia liberante et salvante, qui tamen in aliqua poenae alleviatione misericordiam Dei sentiet. — Ita cum dicitur: «Misericordia hic, iudicium in futuro», non negatur quin in futuro sit misericordiae effectus, et in electis, qui per misericordiam ab omni miseria liberabuntur; et in reprobis, qui minus quam meruerint cruciabuntur. Sed hic non sine causa dicitur fieri miseri-

8 ira] iram OR. 13 Intellige LMNO, om. alii. 25 fiet] fieri MVW, fi. NO. 32 meruerint] meruerunt ABCV.

1 Ps. 76, 10. 2 Resp. Rom. 9, 23. 3 Matth. 25, 46. 4 Ibid. 5 Resp. Ioan. 3, 36: Sed ira Dei manet super eum. 6 Resp. Ps. 76, 10, de quo parum supra in hoc numero. 7 Resp. Ps. 30, 20: Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine. 8 Enchiridion, c. 113 (285; 110). 9 Scil. in num. 2.



cordia, et iudicium in futuro, quia et hic multis modis miseretur Deus, quibus non miserebitur tunc: vocat enim nunc peccatores et iustificat, quod tunc non faciet; et tunc reddens singulis secundum merita, manifeste iudicabit, qui nunc occulte iudicat.

Cap. 2 (266).

1. **De occulto iudicio.** — Augustinus, super IX Psalmum \*. Cuius « occultum iudicium, ut ait Augustinus<sup>1</sup>, intelligitur poena qua quisque vel exercetur ad purgationem, vel monetur ad conversionem, vel, si contemnit, excaecatur ad damnationem ». Occultum igitur Dei iudicium dicitur poena qua iudicat purgando, convertendo, excaecando. — Iudicia quoque Dei interdum appellantur « dispositiones eius de omnibus rebus »; unde<sup>2</sup>: *Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius! et iudicia eius abyssus multa*<sup>3</sup>.

2. **De sententia iudicis** \*. Iudicium autem quo in futuro iudicabit, intelligitur sententia qua ventilabitur area<sup>4</sup>, id est dividetur localiter boni a malis ministerio angelorum<sup>5</sup>; et illi *in vitam* ducentur, illi *in supplicium* mittentur<sup>6</sup>, qui nunc simul mixti sunt.

Cap. 3 (267).

1. **De iustitia et misericordia Dei.** Sed quomodo iustitiam Dei et pietatem, id est misericordiam, supra<sup>7</sup> Cassiodorus « duas res » esse

<sup>6</sup> occulto] dei add. BCR *elenchus capp.* || Augustinus... Psalmum om. CMVW. <sup>8</sup> movetur] movetur BCLVW. <sup>14</sup> Rubrica om. NRW.

<sup>1</sup> Enarr. in Ps. 9, n. 1 (PL 36, 117; CCL 38, 58).

<sup>2</sup> Rom. 11, 33.

<sup>3</sup> Ps. 35, 7.

<sup>4</sup> Resp. Matth. 3, 12: *Ventilabrum in manu sua, et permundabit aream suam.* <sup>5</sup> Resp. Matth. 13, 39: *Messores autem angeli sunt; et 13, 49: Exibunt angeli et separabunt malos de medio iustorum.*

<sup>6</sup> Matth. 25, 46: *Et ibunt hi in supplicium aeternum, iusti autem in vitam aeternam.* <sup>7</sup> In Cap. 1, n. 3.

Cap. 2, n. 1: Verba Augustini in Ps. 9, ex *Glossa Magistri* in titulum Ps. 9 (PL 191, 129 D), ex *Glossa ordin.* hic (ap. Lyranum, III, 98c; cod. Laur. XVII. 4, f. 8b); dein, *Glossa* in Rom. 11, 33 (PL 191, 1492 C), ex *Glossa ordin.* hic (apud Lyranum, VI, 26r; l. 26r; m. 27v). — Num. 2: Cf. *Glossa Lombardi* in Ps. 49, 3-5: *Deus manifeste veniet, ... tempestas valida: « Tempestas haec, iudicatio Dei est, quae non ventis fiet, sed potentia Dei, per quam fiet ut eius sententia area ventiletur, et grana a paleis secernantur; ... et angeli messores bonos a malis separabunt »* (PL 191, 476 B-C); remote ex Cassiodoro in h.l. (PL 70, 350 A et C; CCL 97, 442s).

Cap. 3: Cf. Ch. Lefebvre, *La notion d'équité chez Pierre Lombard*, in *Miscellanea Lombardiana*, 223-29.

« dixit, quae « semper adiunctae sunt Dei iudicio? » Iustitia enim Dei et misericordia non duae res, sed una res, id est divina essentia est, sicut supra<sup>1</sup> pluribus auctoritatibus ostensum est. Quia non est Deo aliud esse misericordem quam misericordiam, nec iustum quam iustitiam, sed idem prorsus. Nec aliud est esse misericordem quam iustum, vel misericordiam quam iustitiam, sed omnino idem, quia non denominative, sed essentialiter haec de Deo dicuntur.

2. **De operibus iustitiae, misericordiae et bonitatis** \*. Cur igitur dicit Scriptura de operibus Dei, quaedam esse misericordiae, quaedam iustitiae? Si enim iustitia Dei misericordia est, quaecumque sunt opera misericordiae, esse videntur iustitiae et e converso.

3. **Responsio** \*. His responderi potest sic: Illis locutionibus, quibus huiusmodi operum fiunt distinctiones, ut alia misericordiae, alia iustitiae, alia bonitati tribuantur, non diversitas subiacentis, id est rei his vocalibus significatae exprimitur, sed varietas sensuum et effectuum in creaturis monstratur. (**Da memoriae!** \*) Cum enim dicitur Deus iustus vel iustitia, essentia divina praedicatur; et etiam quod ipse sit distributor et iudex meritorum intelligi datur. Ita et cum dicitur misericors, essentia divina praedicatur; et insuper quod ipse sit miserorum liberator intelligi datur. Similiter cum dicitur bonus, essentia divina praedicatur, ut cum dicitur Deus; et insuper auctor omnium bonorum ostenditur. Ita et cum dicitur Deus, essentia divina praedicatur, et ipse timendus ostenditur. — Inde ergo quaedam opera misericordiae, quaedam iustitiae dicuntur: non quin essentia divina haec et illa operetur, et quin haec et illa sint opera divinae essentiae, quae dicitur misericordia et iustitia; sed quia quaedam sunt quibus ostenditur iudex et aequus distributor, quaedam quibus ostenditur miserator. Misericors enim dicitur in natura, miserator in exhibitione<sup>2</sup>. Et in quibusdam operibus dicitur effectus esse misericordiae, in quibusdam effectus iustitiae: non quod aliud efficiat iusti-

<sup>6</sup> idem] est add. BCL. || denominative] determinate BC. <sup>8</sup> Rubrica om. RVW, *trp. supra ad* Quia non (lin. 3) NOTX. <sup>10</sup> enim] ergo LMO, om. W. <sup>12</sup> Responsio om. BCVWX. <sup>16</sup> Da memoriae om. MRVW.

<sup>1</sup> Lib. I, dist. 8, cc. 4-8; et Dist. 19, c. 2 (tom. I, 98-103; 160).

<sup>2</sup> Cf. Cassiodorus, *Exposit. in Ps. 102*, 8: « *Misericors et miserator Dominus... Misericors est qui natura sua clementissimus approbatur. Miserator, quando misericordiae suae dona largitur* » (PL 70, 721 B; CCL 98, 916); unde Magister in h.l.: « *Dominus est miserator actu, et misericors natura* » (PL 191, 922 A); et infra, in Ps. 111, 4: *misericos et miserator et iustus: « Dominus misericors natura et dum exspectat, et miserator exhibitione, dum iustificat, et iustus remunerando »* (1013 A).



tia, aliud misericordia Dei, si ad essentiam referas; sed quia ex quibusdam effectibus intelligitur iudex, ex quibusdam miserator, vel, ut quibusdam placet, iustus et misericors.

4. Sed secundum hoc occurrit quaestio, quomodo ex aliis ostendatur iustus et ex aliis misericors, cum sit ei idem esse iustum et esse misericor- 5 dem. Si enim secundum eandem rationem dicitur iustus et misericors, ex eo opere quo intelligitur iustus, intelligitur misericors, et e converso.

5. Sed dixi supra<sup>1</sup> quia cum dicitur Deus iustus et misericors, ita eadem divina essentia significatur et secundum eam idem praedicatur, ut etiam quaedam diversa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum mi- 10 seratorem et iustum iudicem. — **Origenes, super Ieremiam** \*. Quod evidenter **Origenes** ostendit dicens<sup>2</sup>: «Omnia quae Dei sunt, Christus est: ipse sapientia eius, ipse fortitudo, iustitia, sanctitas, ipse prudentia. Sed cum unum sit in subiacti, pro varietate sensuum diversis nuncu- 15 patur vocabulis. Aliud enim significat sapientia, aliud iustitia. Quando enim sapientia dicitur, disciplinis te divinarum humanarumque rerum instruere intelligitur; quando iustitia, distributor vel iudex meritorum in- sinuatur. Ita et prudentia cum dicitur, doctor et demonstrator bonarum et malarum rerum vel neutrarum intelligitur».

Cap. 4 (268).

1. **Auctoritatibus probat quaedam iustitiae, alia misericordiae, alia bonitati tribui.** Quod autem quaedam opera misericordiae, quaedam iusti- 20 tiae, quaedam bonitati attribuantur, in Scripturis facile est reperire. Et de misericordia quidem et iustitia manifestum est; de bonitate vero et misericordia amplius latet.

2. **Augustinus, super Psalmum CXXXV** \*. Sed **Augustinus** docet<sup>3</sup> illa opera proprie ad misericordiam pertinere, quibus aliqui a mi- 25 seria liberantur; ad bonitatem vero non solum illa, sed facturam et gubernationem naturalium, ita dicens: «Ad misericordiam pertinet quod a

<sup>4</sup> Sed] *Questio rubr. marg. add.* BCX. *brica om.* VW. || *Origenes (marg.) om.* BCX.

<sup>5</sup> esse misericordem *trp.* BCT. 11 Ru- 22 tribui] attribui BCRVX.

<sup>1</sup> In num. 3. <sup>2</sup> *Hom.* 8, n. 2 (PG 13, 338 C); mediante *Glossa ordin.* in *Ier.* 10, 12 (apud *Lyranum*, IV, 126c) vel forsitan ex *Glossa ignota Magistri* in h.l.; cf. etiam tom. I, p. 101, nota ad *Dist.* 8, c. 8. <sup>3</sup> *Enarr.* in *Ps.* 135, 4, n. 4 (PL 37, 1758; CCL 40, 1960).

Cap. 4, n. 2: Ex *Glossa* in *Ps.* 135, 4 (PL 191, 1196 A).

peccatis mundat et de miseria liberat; ad bonitatem vero quod caelum et terram et omnia *valde bona creavit ut essent* »<sup>1</sup>.

3. **Idem, super Psalmum XXXII** \*. Idem<sup>2</sup>: «Caeli non indigent mi- 5 sericordia, ubi nulla est miseria; in terra hominis abundat miseria, et superabundat Domini misericordia. Miseria igitur hominis et *misericordia* Dei *plena est terra* »<sup>3</sup>; non caeli, qui non indigent misericordia. Indigent tamen regente Domino. Omnia enim indigent Domino, et misera et felicia, quia sine illo miser non sublevatur, felix non regitur ».

4. Item alibi<sup>4</sup>: «Misericordia est erga miseros, bonitas erga quosli- 10 bet ». Interdum tamen misericordia large accipitur ut bonitas.

Cap. 5 (269).

1. **Quomodo universae viae Domini dicantur misericordia et veritas.** Post haec considerari oportet ex quo sensu *universae viae Domini* dicantur *misericordia et veritas* <sup>5</sup>.

2. Hoc multiplicem recipit expositionem. *Universae viae Do- 15 mini* quibus ad nos venit, ut ait **Augustinus** super Psalmum<sup>6</sup>, intelliguntur duo adventus: primus, in quo manifestam et multiplicem misericordiam nobis exhibuit; et secundus, in quo requirendo merita iustitiam exhibebit. — *Universae etiam viae Domini*, id est quibus ad Domi- 20 num ascendimus, sunt iustitia qua a malo declinamus, et misericordia qua bonum facimus. In his enim duobus omne bonum meritum includitur.

<sup>6</sup> Dei] domini BCLTW *Aug., Glossa.* <sup>7</sup> misera] miseria (A)BLMNRTV, *quod corr.* NR. <sup>7-8</sup> misera et felicia] in miseria et in felicitate A, *trp.* BCLT. <sup>19</sup> Domi- num] deum NRTV.

<sup>1</sup> *Resp.* *Gen.* 1, 31: *valde bona*; et *Sap.* 1, 14: *Creavit enim, ut essent omnia.* <sup>2</sup> *Enarr.* in *Ps.* 32, 5, sermo 2, n. 4 (PL 36, 287; CCL 38, 259). <sup>3</sup> *Resp.* *Ps.* 32, 5. <sup>4</sup> *Glossa ordin.* in *Ps.* 24, 7: *Secundum misericordiam tuam memento mei tu, propter bonitatem tuam* (apud *Lyran.*, III, 119c; cod. *Laurent.* XVII.4, f. 28c); non videtur esse Augustini, cui non attribuitur in *Glossa ordinaria.* <sup>5</sup> *Ps.* 24, 10. <sup>6</sup> Ambae expositiones Augustini sunt. Prima, in *Enarr.* in *Ps.* 24, n. 10: «Et ideo *universae viae Domini*, duo adventus Filii Dei, unus miserantis, alter iudicantis» (PL 36, 185; CCL 38, 138s); dein, in *Ps.* 60, 8, n. 9: «nobis Deus exhibuit misericordiam suam...» (PL 36, 728; CCL 39, 771); altera, in *Enarr.* in *Ps.* 137, 2, n. 5, ubi subditur: «Non sunt aliae viae quibus ad nos veniat; non sunt aliae viae quibus ad illum veniamus» (PL 37, 1776; CCL 40, 1981).

Num. 3: Ex *Glossa* in *Ps.* 32, 5 (PL 191, 328 D). — Num. 4: Ex eadem *Glossa*, in *Ps.* 24, 7 (255 C).

Cap. 5, n. 2: Cf. *Glossa Magistri* in *Ps.* 24, 13 (PL 191, 256 B).



3. Sed cum superius <sup>1</sup> *Cassiodorus* dixerit in his duobus omnia opera Dei includi, merito quaeri potest an in omni opere Domini haec duo mutuo sibi iungantur.

4. Quibusdam <sup>2</sup> placuit non in omni opere Domini haec duo concurrere: secundum effectum dico. Nam secundum essentiam non dividitur misericordia a iustitia, sed unum est. Verum secundum effectum non in omni opere dicunt esse misericordiam et iustitiam, sed in quibusdam tantum misericordiam, in aliis iustitiam, atque in aliis misericordiam et iustitiam. — Fatentur tamen Deum omnia quae facit, misericorditer agere et iuste, referentes rationem dicti ad Dei voluntatem quae iustitia est et misericordia, non ad effectus misericordiae et iustitiae qui sint in rebus.

<sup>11</sup> qui] que AC, quibus B. || sint] sunt ABCWX, corr. in sunt LR.

<sup>1</sup> Cap. 1, n. 3. <sup>2</sup> In *Glossa in Sent.* olim Petro Pictaviensi attributa hic notat auctor: «*Quibusdam placuit*, ut m. R<sup>to</sup> et etiam m. man., non in omni tempore (!); nam in puero nuper nato qui dampnatur que misericordia? vel qui salvatur, que iustitia? certe hic latet misericordia, hic latet iustitia. *Aliis autem* [n. 5], non nobis. *Signum*. Magister autem Anselmus Cantuariensis dicebat: Coniuncte erat [= erant] misericordia et veritas non quantum ad eandem personam, sed ad diversas. Cum enim Deus iustitia aliquem punit et alius corrigitur, ex eo opere apparet misericordia. Quod enim alter corrigitur ex misericordia, sancti etiam letantur quod mali generaliter puniuntur» (cod. Neapoli, BN VII.C.14, f. 68d). Quod Magister Robertus sit Pullanus (fl. Parisius c. 1144), clare apparet ex *Sententiis suis*, I, 13: «Auctoritas super istum versum: *Prope es tu, Domine, et omnes viae veritas*, sic exponit: 'Erga omnes quos Deus liberat et damnat, omnes viae misericordia et veritas, quia nullum immeritum damnat, sed multos immeritos liberat'. Itaque *universae viae Domini misericordia et veritas*. Quia nulla sunt eius opera nisi ab harum alterutra, ut fiat hic iniquorum per misericordiam exspectatio, conversorum emendatio, et in futuro per iustitiam utrorumque aequa retributio» (PL 186, 701 B-C). Auctoritas est August., *Enarr. in Ps. 118*, 151, sermo 29, n. 8 (PL 37, 1588; CCL 40, 1766s); apud Lyran. in h.l. (III, 272c). *M. Man.* idem est ac Magister Manegoldus Lautenbachensis (saec. XI) seu pseudo-Beda, *In Psalmorum librum*, Ps. 118, 121: *Prope es tu, Domine, et omnes viae tuae veritas* (PL 93, 1081 C-D); cf. Clavis, n. 1384, et bibliogr. ibidem. Quoad Anselmum, cf. *Proslogion*, c. 11 (PL 158, 233s; ed. F. S. Schmidt, I, 109). - Glossator noster manifeste dependet ab ore ipsius Magistri in scholis eius.

Num. 4-5: Eadem Glossa in h.l. (uti supra) incorporatur in quadam Glossa anon. in cod. Clm 22288 (ff. 96-97), quam ita transcripsit et interpretatus est cl. M. Landgraf: «*Quibusdam placuit*, ut m[agistro] Odoni et etiam m[agistro] Man[ducatori], non in omni tempore (!). Nam in puero nuper nato, qui dampnatur, que misericordia, vel, si salvatur, que iustitia? Hic latens misericordia [fol. 97], hic latens iustitia. *Aliis* non nobis sequentibus. M[agister] autem Anselmus Cantuariensis dicebat: coniuncta erant misericordia et veritas non quantum ad eandem personam, sed ad diversas; cum enim Deus ex iustitia aliquem punit et alius corrigitur ex misericordia. Sancti enim letantur, quod mali gehennaliter puniuntur»; in *Zwei Gelehrte aus der Umgebung des Petrus Lombardus*, in *Divus Thomas* (Fr.) 11 (1933), 171. En ratio nostrae diatribae.

5. Aliis <sup>1</sup> autem videtur quod, sicut dicitur Deus omnia opera sua facere iuste et misericorditer, ita concedendum sit in omni opere Dei iustitiam esse et misericordiam, id est clementiam, secundum effectum vel signum; quia nullum opus Dei est, in quo non sit effectus vel signum aequitatis et clementiae, sive occulte, sive aperte. Aliquando enim manifesta est clementia sive benignitas, et occulta aequitas, aliquando e converso.

## DISTINCTIO XLVII

### Cap. 1 (270).

10 1. **De sententia iudicii.** Solet etiam quaeri qualiter dabitur iudicii sententia. Sed non est perspicuum id explanare. Non enim Scriptura aperte definit an voce illa proferantur <sup>2</sup>: *Venite benedicti* et *Ite maledicti*, an virtute iudicis ita fiat, conscientias singulorum attestantibus <sup>3</sup>, ut modo dicitur futurum: ut iudicis potentiae effectus ipsius dictione significetur.

15 2. Illa etiam <sup>4</sup>: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare*, et huiusmodi, magis conscientias exprimenda plurimi putant quam verbis, quia Apostolus <sup>5</sup> *in momento, in ictu oculi*, mysterium consummandum tradit. — Sed illud ad resurrectionis statum tantum referunt, non ad iudicium, qui iudicii sententiam et malorum increpationes et bonorum praeconia verbis  
20 exprimenda asserunt.

### Cap. 2 (271).

1. **Quod sancti iudicabunt et quomodo.** Non autem solus Christus iudicabit, sed et sancti cum eo *iudicabunt nationes* <sup>6</sup>.

<sup>11</sup> explanare] explicare ALNRVX. <sup>12</sup> proferantur] proferatur ACLNVW. || benedicti] patris mei add. CNV. <sup>13</sup> fiat] in add. NWX, add. sed del. V. || singulorum] ita add. LT. <sup>17</sup> momento] et add. ABCMR<sup>2</sup> (marg.) T.

<sup>1</sup> Cf. supra, cap. 1, n. 3, huius Dist., et ipse Magister, *Glossa in Ps. 24*, 10 (PL 191, 256 B), et *in Ps. 56*, 4 (5) (529 C-D). Nihil ultra invenimus. <sup>2</sup> Matth. 25, 34 et 25, 41. <sup>3</sup> Resp. Rom. 2, 15-16: *Testimonium reddente illis conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationibus accusantibus... in die, cum iudicabit Deus occulta hominum*. Cf. supra, Dist. 43, c. 4, n. 1. <sup>4</sup> Matth. 25, 42. <sup>5</sup> Resp. I Cor. 15, 52. <sup>6</sup> Sap. 3, 8.

Dist. XLVII, Cap. 2. Cf. Iulianus, *Prognosticon*, III, 11-13 (PL 96, 502 B - 503 B; CCL 115, 89s).



2. **De duodecim sedibus** \*. Ipse enim Apostolis ait <sup>1</sup>: *Sedebitis et vos super duodecim sedes, iudicantes duodecim tribus Israel.* — **Augustinus, super Psalmum XC** \*: «Nec <sup>2</sup> est putandum quod duodecim Apostolis tantum hoc promiserit Christus. Ubi enim sedebit Paulus, qui plus omnibus laboravit <sup>3</sup>, si non ibi sedebunt nisi duodecim? Per duodecim igitur <sup>5</sup> sedes perfectio tribunalis », id est « universitas iudicantium intelligitur » <sup>4</sup>, scilicet omnes perfecti qui relictis omnibus secuti sunt Christum <sup>5</sup>; « per duodecim tribus, universitas iudicandorum ».

3. Iudicabunt vero eos sancti non modo comparatione <sup>6</sup>, sed etiam auctoritate et potestate; unde <sup>7</sup>: *Gladii ancipites in manibus eorum*, « id <sup>10</sup> est sententia de bonis et malis in potestate eorum ». — Si vero quaeritur quae erit eorum potestas vel auctoritas in iudicando, puto non ante posse sciri quam videatur, nisi divina revelatione quis didicerit.

Cap. 3 (272).

1. **De ordinibus eorum qui iudicandi erunt.** Erunt autem quatuor <sup>15</sup> ordines in iudicio. — **Gregorius, super Iob** \*: «Duae quippe sunt partes, electorum scilicet et reproborum, ut Gregorius ait <sup>8</sup>; sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alii enim iudicantur et pe-

<sup>1</sup> Rubrica om. RVW. <sup>2-3</sup> Rubrica om. NRVW. || xc] xx BMT. <sup>3</sup> Nec] Non BWX, Non enim L. <sup>12-13</sup> posse sciri trp. BCNW. <sup>15</sup> iudicandi] iudicaturi R, in iudicio BCLTW elenchus capp. <sup>16</sup> Gregorius] Aug. T. || Gregorius super Iob om. RVW.

<sup>1</sup> Matth. 19, 28. <sup>2</sup> Enarr. in Ps. 90, n. 9 (PL 37, 1156; CCL 39, 1262). <sup>3</sup> I Cor. 15, 10: *Sed abundantius illis omnibus laboravi.* <sup>4</sup> Resp. Glossa ordin. in Matth. 19, 28: « Per duodecim sedes, universitas iudicantium; per duodecim tribus, universitas iudicandorum intelligitur. Qui reliquerunt omnia et secuti sunt Dominum, hi iudices erunt » (apud Lyranum, V, 60a); ex Beda, *In Evang.*, II, hom. 17 (PL 94, 225 A) vel hom. 13 (CCL 122, 89). <sup>5</sup> Resp. Matth. 19, 28: *Amen dico vobis, quia vos qui secuti estis me... sedebitis et vos super sedes duodecim etc.* <sup>6</sup> Glossa Magistri in I Cor. 6, 2: *An nescitis quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt?* « comparatione, quia exemplo fidei illorum perfidia huius mundi damnabitur. Iudicabunt etiam auctoritate et potestate » (PL 191, 1576 C). <sup>7</sup> Ps. 149, 6; cum Glossa in h.l. (PL 191, 1290 B). <sup>8</sup> *Moralia*, XXVI, c. 27, n. 50 (PL 76, 378 C - 379 B).

Cap. 3: Praeter quaedam verba et conclusionem (ad finem n. 4) idem textus unacum alia materia invenitur in Glossa Magistri in Ps. 1, 5 (PL 191, 65 A - 67 A), ubi introducitur verbis: *Nota quod.* Problema hic indicatum ex inadvertentia non examinavimus in Prolegomenis nostris ad tomum I (pp. 58\*ss). Manifestum est autem quod agitur de quodam additamento ad textum originalem Glossae occasione lectionis eius publicae. Sed unde sumantur hae auctoritates et quare ultima *In apocalypsi* rubricetur, nescimus.

reunt; alii non iudicantur et pereunt. Alii iudicantur et regnant; alii non iudicantur et regnant ».

2. « Iudicantur et pereunt quibus dominica inclamatione dicitur <sup>1</sup>: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare etc.* Non iudicantur et pereunt <sup>5</sup> quibus Dominus ait <sup>2</sup>: *Qui non credit, iam iudicatus est* ». Eorum enim damnatio toti Ecclesiae nota est et certa; et ideo dicuntur tunc non iudicari (**Gregorius Papa** \*) « quia <sup>3</sup> ad conspectum districti iudicis cum aperta damnatione suae infidelitatis accedent. Qui vero professionem fidei sine operibus habent, iudicabuntur et peribunt, id est redarguentur ut pereant. <sup>10</sup> Qui vero nec fidei sacramenta tenuerunt, increpationem iudicis in se fieri non audient, quia infidelitatis suae tenebris praeiudicati, eius quem desperaverant invectione redargui non merentur. Illi saltem verba iudicis audient, qui eius fidem saltem verbo tenuerunt. Illi in damnatione sua aeterni iudicis nec verba percipiunt, qui eius reverentiam nec verbo tenus servare <sup>15</sup> voluerunt ». Et ideo illi iudicandi, isti non iudicandi dicuntur.

3. « Ex <sup>4</sup> electorum vero parte alii iudicantur et regnant, scilicet qui vitae maculas lacrymis tergunt et eleemosynarum superinductione operiunt; quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicit <sup>5</sup>: *Esurivi, et dedistis mihi manducare.* Alii autem non iudicantur et regnant, qui <sup>20</sup> etiam praecepta legis perfectionis virtute transcendunt; quia non hoc solum quod lex praecipit implere contenti sunt, sed et quod ad perfectionem consulitur implere student. De quibus Propheta ait <sup>6</sup>: *Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui.* Et Salomon de Ecclesiae sponso loquens ait <sup>7</sup>: *Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terrae.* Et Iob <sup>8</sup>: *Non salvat impios, et pauperibus iudicium tribuit* ». « Hi ergo recte sub generali iudicio non tenentur, sed iudices veniunt, quia et praecepta generalia vivendo vicerunt, et omnibus relictis Christum secuti sunt ». « Recte *pauperibus iudicium tribuit*, qui quanto huic mundo magna humilitate despecti sunt, tanto tunc maiori culmine potestatis exerescent ».

4. **In Apocalypsi** \*. De talibus dicitur <sup>9</sup>: « *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo, sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.*

<sup>7</sup> Gregorius Papa (rubr.) om. ARVW. <sup>8</sup> accedent] accedunt LMR, accedant W. <sup>12</sup> saltem] autem BCT. <sup>17</sup> tergunt] tergent MNOW, quod corr. N. <sup>21</sup> et] etiam BCLMV. <sup>29</sup> exerescent] exercent BCL, sed corr. C<sup>2</sup>L<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> Matth. 25, 42. <sup>2</sup> Ioan. 3, 18. <sup>3</sup> Ibid. (379 A). <sup>4</sup> Gregorius, ibid., n. 51, pluribus intermediis omissis (PL 76, 379 C - 380 A, 380 B-C). <sup>5</sup> Matth. 25, 35. <sup>6</sup> Isai. 3, 14. <sup>7</sup> Prov. 31, 23. <sup>8</sup> Iob 36, 6. <sup>9</sup> Greg., *Moralia*, XXVI, c. 28, n. 53 (PL 76, 381 C-D); qui citat Apoc. 3, 21.



Vincens Dominus cum Patre in throno sedit, quia post passionis certamen et resurrectionis palmam, quod Patri esset aequalis omnibus claruit. Nobis vero in throno Filii sedere, est ex eiusdem Filii potestate iudicare: quia enim iudicandi principatum ex eius virtute percipimus, quasi in eius throno residemus». — Ex his apparet quod etiam perfectiores sancti cum Christo iudicabunt potestate, et quare quidam dicuntur iudicandi, alii non iudicandi.

Cap. 4 (273).

1. **De ordine iudicii et ministerio angelorum.** Cum autem in Evangelio legatur<sup>1</sup> quod Dominus *mittet angelos suos*, qui *colligent de regno eius omnia scandala et mittent iniquos in caminum ignis*; et item 2: *Exibunt angeli, et separabunt malos de medio iustorum et mittent eos in caminum ignis*; et item: *Mittet angelos suos cum tuba, et congregabunt electos a quatuor ventis*; et Propheta dicit 3: *Congregate illi sanctos eius*: ministerio angelorum illa impleri dubitandum non est.

2. Domino enim veniente ad iudicium, *praecedet ante eum ignis*<sup>4</sup>, « quo comburetur facies mundi huius »; et peribit *caelum et terra*<sup>5</sup>: « non secundum substantiam, sed secundum speciem, quae immutabitur »; caelum quidem « aërium, non aetherium ». « Tantum<sup>6</sup> enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquae in diluvio ».

4-5 eius throno *trp.* LTNV. 11 mittent] mittant ALMORTX, quod corr. O<sup>2</sup>. 14 et] cum *add.* L. || dicit] dicat LNR (*rectius, quia post Cum*).

<sup>1</sup> Matth. 13, 41-42.

<sup>2</sup> Matth. 13, 49-50; seq. Matth. 24, 31.

<sup>3</sup> Ps. 49, 5.

<sup>4</sup> Resp. Ps. 96, 3: *Ignis ante ipsum praecedet*; vel potius Ps. 49, 3: *Ignis in conspectu eius exardescet*, ubi *Glossa Magistri*: « Vel secundum aliam litteram: *Ignis ante eum praeibit*... quo comburetur facies mundi huius et mali comburentur; boni vero purgabuntur » (PL 191, 476 B). Quae verba citantur in edit. *Glossa ordin.* hic (apud Lyran, III, 155c), sed desunt in cod. Laurent. XVII.4 in h.l. <sup>5</sup> Matth. 24, 35: *Caelum et terra transibunt*, ubi *Glossa ordin.*: « Innovabuntur, deposita priori forma, permanente autem substantia »; et *interlin.*: « *Caelum*, aëreum, non aethereum » (apud Lyranum, V, 75r). Cf. etiam Beda, *In Marcum* 13, 31 (PL 92, 264 D; CCL 120, 602); et *In Lucam* 21, 33 (590 C; 371). <sup>6</sup> *Glossa interlin.* in II Petri 3, 10 (apud Lyranum, VI, 227r); ex August., *De civitate Dei*, XX, c. 18 (PL 41, 684; CSEL 40-II, 469s; CCL 48, 729s).

Cap. 4, n. 1. De ministerio angelorum, cf. Iulianus, *Prognosticon* III, 35 (PL 96, 514 A-B; 514 A-B; CCL 115, 108s); et *Glossa Magistri* in Ps. 49, 5 (PL 191, 477 B), ex Augustino in h.l. (PL 36, 573; CCL 38, 585s). — Num. 2: Dictum Augustini in fine, iam in opusculo Iuliani, III, 49 (519 B-C; 117), et apud Hugonis *De sacram.* II, 17, 28 (PL 176, 610 A).

3. Ille autem ignis malis qui reperti fuerint vivi erit consumptio, bonis vero non. Ut enim ait Augustinus<sup>1</sup>, « hoc erit incendium mundi sanctis, quod fuit caminus tribus pueris ». In quibus « aliquid<sup>2</sup> purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur »; aliis vero nullam ingeret molestiam.

4. Purgato vero per ignem mundo, et ad iudicium veniente Domino, emittetur vox illa magna<sup>3</sup> qua resurgent omnes mortui. Et tunc ministerio angelorum ventilabitur area<sup>4</sup>: quia boni congregabuntur ei de quatuor partibus orbis<sup>5</sup> angelico ministerio; quo et rapiuntur *obviam Christo in aëra*<sup>6</sup>, reprobis in terra quam dilexerunt remanentibus. — Et tunc praeconia illa bonorum<sup>7</sup>: *Esurivi, et dedistis mihi manducare*, et increpationes illae malorum: *Esurivi, et non dedistis mihi manducare* etc. proferentur, vel sono vocali vel alio modo<sup>8</sup>. — Denique proferetur sententia super utrosque<sup>9</sup>: *Venite benedicti* etc., *Ite maledicti* etc.; et ministerio angelorum, virtute Dei cooperante, mittentur mali *in caminum ignis*<sup>10</sup>, hoc est in infernum.

Cap. 5 (274).

1. **Si post iudicium daemones praecerunt hominibus ad puniendum.** Et solet quaeri utrum in inferno malis ad puniendum praesint daemones post iudicium, quos carnifices tortoresque animarum Scriptura appellat<sup>11</sup>.

2. Apostolus dicit<sup>12</sup> quod Christus tunc evacuabit *omnem principatum et potestatem et virtutem*. — Haymo, **super Epistolam ad Corinthios**<sup>\*</sup>: « Dum<sup>13</sup> enim durat mundus, angeli angelis, daemones daemonibus, ho-

2 ait Augustinus *trp.* TVW. 9 orbis] mundi NVW. 13 vocali] vocabuli TW. 16 hoc] id LTX. 22 Rubrica *om.* RVW.

<sup>1</sup> *De civitate Dei*, XX, 18 (685; 470; 730). <sup>2</sup> *Glossa ordin.* in II Petri 3, 10: « Caeli, id est sancti, si quid in eis purgandum est, per ignem purgabuntur » (apud Lyranum, VI, 227a). <sup>3</sup> De qua supra, Dist. 43, c. 2. <sup>4</sup> Matth. 3, 12; cf. August., *Enarr. in Ps.* 49, 3, n. 8: *Tempestas valida*: « ventilatura tam magnam aream... qua separabitur a sanctis omne immundum » etc. (PL 36, 570; CCL 38, 581). Cf. supra, Dist. 46, c. 2, n. 2. <sup>5</sup> Resp. Matth. 24, 31; cf. supra, num. 1 huius cap. <sup>6</sup> I Thess. 4, 16. <sup>7</sup> Matth. 25, 35 et 42. <sup>8</sup> Cf. supra, c. 1, n. 1. <sup>9</sup> Matth. 25, 34 et 41. <sup>10</sup> Resp. Matth. 13, 40s. <sup>11</sup> Resp. Matth. 18, 34: *Tradidit eum tortoribus*; cum *Glossa interlin.* hic: « in manus romanorum, vel tartareis ministris » (apud Lyran., V, 57v). <sup>12</sup> I Cor. 15, 24. <sup>13</sup> *Glossa ordin.* in I Cor. 15, 24 (apud Lyran., VI, 58a; I 70a; m 67a); ex Haymone, *In I Cor.* 15, 24 (PL 117, 597 A); cf. supra, Lib. II, d. 6, c. 4 (I, 356s).

Num. 3 forsitan dependet a *Glossa* in Hebr. 1, 11 (PL 192, 412 A), ubi invenitur auctoritas Augustini.



mines hominibus praesunt; sed omnibus collectis, iam omnis praelatio cessabit». — Hinc quidam putant post iudicium daemones non habere potestatem cruciandi homines, sicut modo; sed ut daemones virtute Dei cruciari, sine creaturae ministerio, asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem daemonum, sed virtute divina tantum aeternis subici 5 cruciatibus.

3. Praemissa tamen auctoritas non id cogit sentire, quae, etsi asserat tunc nec daemones daemonibus nec homines hominibus praesent, non definit tamen an daemones hominibus praesint ad torquendum. — Unde quibusdam videtur eos sic constare hominibus tortores in poena, sicut 10 exstiterunt incentores in culpa.

## DISTINCTIO XLVIII

## Cap. 1 (275).

1. **De forma iudicis.** Solet etiam quaeri in qua forma Christus iudicabit. — In forma utique servi iudicabit 1, quae omnibus in iudicio apparet, ut videant mali in quem pupugerunt 2. Divinitatem vero eius mali non videbunt; unde Isaias 3: *Tollatur impius, ne videat gloriam Dei.* « Humanitatem 4 videbunt, ut timeant; divinitatem vero non, ne gaudeant ». Divinitas enim sine gaudio videri non potest.

8 tunc nec *trp.* NX. || nec] non TW, *om.* O. stare W. 16 mali<sup>2</sup> *trp.* post videbunt NRVX. 10 constare] exstare ABCLTX, 17-18 Humanitatem] vero *add.* BCR.

1 August., *In Ioan.*, tr. 19, n. 16: « Videbunt in quem pupugerunt... Forma ergo servi videbitur, occulta erit forma Dei » (PL 35, 1553; CCL 36, 199). Cf. etiam tr. 21, n. 13 (1571; 219s). 2 Resp. Apoc. 1, 7: *Ecce venit cum nubibus, et videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt*; Ioan. 19, 37: *Videbunt in quem transfixerunt.* 3 Isai. 26, 10, magis iuxta LXX (ex Iuliano). 4 Isidorus, *Sententiae*, I, c. 27, n. 8: « In iudicio reprobi humanitatem Christi in qua iudicatus est videbunt, ut doleant; divinitatem vero eius non videbunt, ne gaudeant. Quibus enim divinitas ostenditur, utique ad gaudium demonstratur » (PL 83, 596; iterum ex Iuliano).

Dist. XLVIII, c. 1. Cf. Lombardus, *Glossa in Ps.* 20, 6 (PL 191, 222 C), et Iulianus, *Prognosticon* III, cc. 8-9 (PL 96, 501 B-D; CCL 115, 87s); qui fontes esse videntur potiusquam Augustinus et Isidorus.

## Cap. 2 (276).

1. **Qualis apparebit tunc forma servi.** Sed cum in forma humana constet eum appariturum, quaeritur an forma illa gloriosa appareat, sicut vere est; an infirma, qualis in passione exstitit.

2. Quidam putant a malis talem videri qualem crucifixerunt, id est infirmam, quia dicit Scriptura 1: ut videant in quem pupugerunt. — Augustinus, super Ioannem \*. Sed aperte Augustinus dicit 2 formam servi glorificatam a bonis et a malis tunc videri, sic: « Cum in forma servi glorificata iudicantem viderint boni et mali, tolletur impius, ut non videat claritatem Dei 3, qua Deus est, quam soli mundi corde videbunt 4: quod erit eis vita aeterna ».

3. **Quare dicitur Christus iudicaturus \*.** Forma igitur humana in Christo glorificata videbitur a cunctis; unde et Christus dicitur iudicaturus quia filius hominis est. Ita enim legitur in Evangelio Ioannis 5: *Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est*: non quod ipse ex virtute hominis sit iudicaturus, vel quod ipse solus, sine Patre et Spiritu Sancto, sit iudicium factururus, sed quia ipse solus in « forma 6 servi

2 tunc *om.* BCL *elenchus capp.* 3 an] in *add.* NW, *add. interl.* A<sup>2</sup>V<sup>2</sup>. 4 infirma] in forma AMRTW, *quod corr.* RT, *corr. in* in forma BC. 6 infirmam] infirmum L, in forma M, *corr. in* in formam B. 9 glorificata] clarificata BMTX. || ut non] ne LV. 12 Rubrica *om.* NRVW. || iudicaturus BCX, *om. alii.*

1 Cf. supra, Cap. 1. 2 Tract. 111, n. 3: « Cum viderimus enim claritatem quam dedit Pater Filio, etiamsi eam dici hoc loco intelligamus, non quam Pater aequali Filio gignens eum dedit, sed quam facto hominis filio dedit ei post mortem crucis: quando ergo videbimus illam Filii claritatem profecto tunc fiet iudicium vivorum atque mortuorum, tunc tolletur impius, ne videat claritatem Domini; quam, nisi illam qua Deus est? » (PL 35, 1927; CCL 36, 630s). 3 Isai. 26, 10. 4 Matth. 5, 8: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* 5 Ioan. 5, 27. 6 Rubr. marginalis: *Aug. super ioan.*, una cum punctis superscriptis in textu ad « in forma... videbitur », qui potius est *Glossae ordin.* in Ioan. 5, 27 (apud Lyran., V, 202c), ex Tract. 19, n. 16 (PL 35, 1553; CCL 36, 199).

Cap. 2, n. 2. *Quidam* forsitan illi sunt qui nimis adhaeserunt cuidam verbo Augustini: « Forma illa erit iudex quae stetit sub iudice; illa iudicabit quae iudicata est » (*In Ioan.*, tr. 19, n. 6; PL 35, 1553; CCL 36, 199). Quatenus hic textus solus citatur a Iuliano, in III, c. 9 (501 C; 88), fortasse hanc opinionem sustinuit. Simili modo in *Libro Pancrisis* (n. 92) Magistri Anselmi Laudunensis legitur: « Sed hoc certum est quod filius hominis in eadem forma in qua iudicatus est apparebit » (ed. O. Lottin, in *Psych. et morale*, V, 79). — Textus Augustini, ex *Glossa ordin.* in Ioan. 17, 24 (apud Lyran., V, 235c), a qua potius dependet Magister quam ab originalibus Augustini; ita etiam in cap. sequenti.



iudicans bonis et malis videbitur». Cum ergo dicitur 1: *Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit Filio*, non ita est intelligendum quasi Filius solus iudicet, et non Pater, sed quia forma Filii humana cunctis in iudicio apparebit: non infirma, sed gloriosa. Iudicabit autem ex virtute divinitatis, non sine Patre et Spiritu Sancto. Et apparebit terribilis impiis 5 et mitis iustis 2: erit enim terror malis et lumen iustis.

Cap. 3 (277).

1. **Quare secundum formam servi dicitur Christus suscitaturus corpora.** Et sicut dicitur Christus secundum formam servi iudicaturus propter causam praemissam, ita etiam dicitur suscitaturus corpora mortuorum secundum humanitatem, cum tamen virtute divinitatis sit suscitaturus, non humanitatis. Sed hac ratione illud dicitur: quia in humanitate suscepit quod est causa nostrae resurrectionis, id est passionem et resurrectionem, ideo ei adscribitur secundum hominem suscitatio mortuorum.

2. **Augustinus, super Ioannem \***. Unde Augustinus 3: «Per Verbum filium Dei fit animarum resurrectio; per Verbum factum in carne filium hominis fit corporum resurrectio». — Item 4: «Iudicat et suscitaturus corpora non Pater, sed Filius secundum dispensationem humanitatis, in qua est minor Patre». «Christus 5 in eo quod est Filius Dei, est vita quae vivificat animas; in eo quod filius hominis, iudex».

3. Ecce secundum formam humanitatis dicitur suscitaturus corpora et iudicaturus. Iudicaturus autem, quia illa forma cunctis in iudicio apparebit; et suscitaturus, quia in eadem forma meritum et causam nostrae resurrectionis suscepit, et quia secundum eandem formam *vocem dabit*

3 Filius solus *trp.* BCLX. 15 Rubrica *om.* MVW. 19 Patre. Christus in] Patre Christus. In BCN. 20 quod] est *add.* BCLV. 24-1 (p. 545) et... procedent *om.* ANOX, *add.* *interl.* R<sup>2</sup>.

1 Ioan. 5, 22. 2 Verba sunt Isidori, *Sent.*, I, c. 27, n. 9: «Et mitis apparebit... electis, et terribilis reprobis» (PL 83, 596 B); sed hic potius in forma Iuliani, *Prognosticon*, III, c. 7: «et mitis erit iustis, et terribilis erit iniustis» (PL 96, 501 A; CCL 115, 87). 3 Tract. 19, nn. 15-16 (PL 35, 1552s; CCL 36, 198s). 4 Tract. 23, n. 13 (1591; 242). 5 Tract. 19, n. 15, et tr. 22, n. 11 (1552s et 1580; 198s et 229s).

Cap. 3, n. 2: Prima auctoritas Augustini sumitur ex *Glossa ordin.* in Ioan. 5, 27 (in parte apud Lyran. V, 202c; in toto, in PL 114, 379 C, et in ed. Lugdun. [1610], V, 1110). Secunda, in *Glossa* in Ioan. 5, 21 (202a). Tertia, in *Glossa* in 5, 27 (202c). — Num. 3: Auctoritates Augustini, ex *Glossa* in Ioan. 5, 21 (202a), et in Ioan. 5, 26 (202c).

qua mortui de monumentis surgent et procedent 1. Secundum quod Deus est, vivificat animas; non Pater tantum, quia non tantum Pater vita est, sed et Filius cum eo et Spiritus Sanctus (Augustinus: 2\*) «eadem vita» est. Quae «pertinet ad animam, non ad corpus. Corpus enim non sentit vitam sapientiae, sed anima, quae illuminatur a lumine» aeterno. — Licet igitur Christus potentia deitatis vivificet animas et suscitetur corpora et iudicet, non otiose tamen et praeter rationem ei secundum formam Dei tribuitur vivificatio animarum, et secundum formam servi iudicium et resuscitatio corporum.

Cap. 4 (278).

1. **De loco iudicii.** Putant quidam Dominum descensurum in vallem Iosaphat in iudicio, eo quod ipse per Ioel prophetam sic loquitur 3: *Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Iosaphat, et disceptabo ibi cum eis.*

2. In cuius capituli expositione 4 ita reperi: «Hoc quidam pueriliter intelligunt, quod in valle quae est in latere montis Oliveti, descensus sit Dominus ad iudicium. Quod frivolum est, quia non in terra, sed in spatio huius aëris sedebit, contra locum montis Oliveti ex quo ascendit 5. Et sicut Ioannes Chrysostomus dicit 6, angeli deferent ante eum signum crucis». Unde in Evangelio Veritas ait 7: *Et tunc apparebit signum filii hominis* etc. «Iosaphat autem interpretatur 'iudicium Domini' 8»: *in vallem* ergo *Iosaphat*, id est iudicii Domini, «congregabuntur omnes impii. Iusti vero non descendent in vallem iudicii, id est damnationis, sed *in nubibus* elevabuntur *obviam Christo* 9».

1 procedent] et *add.* BCLV<sup>2</sup>, sed *add.* T. 2 tantum Pater *trp.* BCLNX. 3 Augustinus *om.* AMRTVWX. 11 Putant] Et *praem.* BCLMX, *add.* N<sup>2</sup>, Imputant R. || vallem] valle ALNR, *quod corr.* L<sup>2</sup>. 22 vallem] valle ALV. || iudicii CLNTX (*subaudi* vallem *cum Iul.*), iudicium BOVW, in iudicio AM. 23 vero] autem BCX.

1 Ps. 67, 34: *Ecce dabit voci suae vocem virtutis*; inde Ioan. 5, 28-29. 2 Tract. 19, n. 14 (1552; 198). 3 Ioel 3, 2. 4 In *Glossa ordin.* in h.l. (apud Lyranum, IV, 356a). 5 Resp. Act. 1, 9-12. 6 *De cruce et latrone*, I: «Sic Domino de coelo veniente angelorum cœtus et archangelorum multitudo illud signum portant humeris excelsis, et regalem nobis nunciant» (ed. Venetiis 1583, III, 303a in fine; cf. PG 49, 404). 7 Matth. 24, 30. 8 Ita et Hieron., *In Ioel* 3, 2 (PL 25 [1845], 979 D). 9 1 Thess. 4, 16.

Cap. 4, n. 1: *Quidam*, scil. Iulianus, *Prognosticon*, III, 2 (PL 96, 497 C; CCL 115, 82), ubi et textus Ioel; et in c. 4 (499 B - 500 C; 83s), ille Chrysostomi. Unde in toto num. 2 Magister se confert ad *Glossam ordin.* in h.l.



## Cap. 5 (279).

1. **De qualitate luminarium et temporis post iudicium.** Veniente autem ad iudicium Domino in fortitudine et potestate magna<sup>1</sup>, sol et luna dicuntur obscurari<sup>2</sup>: non sui luminis privatione, sed «superveniente maioris luminis claritate». Virtutes quoque caelorum<sup>3</sup>, id est angeli, dicuntur moveri: non metu damnationis vel aliqua perturbatione pavoris, «sed quadam admiratione» eorum quae viderint. Unde Iob<sup>4</sup>: *Columnae caeli pavent adventum eius.*

2. Ante diem vero iudicii sol et luna eclipsim patientur, sicut Iob testatur dicens<sup>5</sup>: *Sol convertetur in tenebras et luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus et horribilis.* Magnus vero dicitur propter magna quae ibi fient.

3. Cum autem fuerit factum *caelum novum et terra nova*<sup>6</sup>, tunc erit lux lunae sicut lux solis, testante Isaia<sup>7</sup>, *et lux solis septempliciter*, id est sicut lux septem dierum, quia quantum luxit sol in prima conditione septem dierum, ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium<sup>8</sup>. Minorata enim fuit lux solis et lunae aliorumque siderum per peccatum primi hominis<sup>9</sup>; sed tunc recipiet sol mercedem sui laboris<sup>10</sup>, quia septempliciter lucebit.

4. Et tunc non<sup>11</sup> erit vicissitudo diei et noctis, sed tantum dies. Unde Zacharias: *Et erit dies una quae nota est Domino, non dies neque nox; et*

<sup>9</sup> eclipsim patientur *trp.* LT.

<sup>1</sup> Resp. Luc. 21, 27; cf. Matth. 24, 30. <sup>2</sup> *Glossa ordin.* in Matth. 24, 29: *Sol obscurabitur*: «Vel sol et luna et stellae ad tempus suo lumine privabuntur... Vel superveniente claritate veri luminis videbuntur obscurari... Iob dixit [26, 11]: *Columnae caeli contremiscunt et pavent adventum eius*» (apud Lyranum, V, 74c); ultima expositio est Ps.-Bedae in h.l. (PL 92, 104 A); ex Hieron. in h.l. (PL 26 [1845], 180 A). <sup>3</sup> Matth. 24, 29, ubi *Glossa interlin.*: «Timebunt angeli, quanto magis homines!» (apud Lyranum, V, 74v). <sup>4</sup> Iob. 26, 11, ubi *Glossa interlin.*: «Non timore poenali, sed admiratione» (apud Lyranum, III, 51r); ex Gregorio, *Moralia*, XVII, c. 29, n. 44 (PL 76, 31 C). <sup>5</sup> Iob. 2, 31. <sup>6</sup> Isai. 65, 17; 66, 22; Apoc. 21, 1. <sup>7</sup> Isai. 30, 26. <sup>8</sup> *Glossa interlin.* in h.l.: *sicut lux septem dierum*: «Scilicet quando creatus est mundus» (apud Lyranum, IV, 57v); ex Isidoro, *De ordine creaturarum*, c. 5, n. 5 (PL 83, 924 A). <sup>9</sup> *Glossa interlin.* in h.l.: *Et erit lux lunae*: «Post iudicium et caelum erit novum et terra nova. Quia enim propter hominem facta, in eius lapsu peiorata sunt sol et luna, suo lumine minorata» (apud Lyranum, IV, 57v); ex Isidoro, *ibid.*, n. 3 (923 C - 924 A). <sup>10</sup> *Glossa ordin.* in h.l.: *Et erit lux lunae*: «Cum praemium laboris percipient» (57c); cf. num. 6 infra. <sup>11</sup> *Glossa interlin.* in Zach. 14, 7: *Non dies*: «Non vicissitudo diei nec noctis» (apud Lyranum, IV, 421r).

*in tempore vesperi erit lux*, quia non erit tunc varietas diei et noctis quae modo est, sed continua dies et lux.

5. Isaias tamen videtur dicere quod tunc non luceat sol vel luna, loquens congregationi beatorum<sup>1</sup>: *Non erit tibi*, inquit, *amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunae illuminabit te; sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam.* — Sed his verbis non negat solem et lunam tunc lucere, sed significat his qui erunt «in aeterna beatitudine»<sup>2</sup> nullum lucis usum praestare; quia ut ait Hieronymus super eundem locum<sup>3</sup>, «caeli terraeque, solis atque lunae nobis cessabit officium, et erit ipse Dominus lumen suis in perpetuum».

6. **Isidorus in libro Creaturarum**<sup>\*</sup>. Potest etiam intelligi istud Isaiae ea ratione dictum, quia sol et luna non tunc habebunt ortum et occasum sicut nunc. Unde Isidorus<sup>4</sup>, illud Isaiae quasi exponens, ait: «Post iudicium sol laboris sui mercedem suscipiet; unde Propheta<sup>5</sup>: *Lucebit septempliciter.* Et non veniet ad occasum nec sol nec luna, sed in ordine quo creati sunt, stabunt, ne impii in tormentis sub terra positi fruantur luce eorum. Unde Habacuc<sup>6</sup>: *Sol et luna steterunt in ordine suo.* — Ecce aperte dicit solem et lunam tunc lucere, sed stabiliter permanere; ubi etiam significat infernum esse sub terra.

7. Si vero quaeritur quis sit usus lucis solis et lunae tunc, fateor me ignorare, quia in Scripturis non memini me legisse.

## DISTINCTIO XLIX

## Cap. 1 (280).

1. **De differentia mansionum in caelo et in inferno.** — Augustinus in **Enchiridion**<sup>\*</sup>: «Post resurrectionem vero, facto universo impletoque

3 vel] et A, neque NVW. 4 beatorum] bonorum LW, sanctorum NV. 9 atque] ac W, et CX. 11 Rubrica *om.* CNRVW. || in libro *Creaturarum om.* BX. || istud] illud ALRTWX. 14 mercedem *trp.* post sol BCLRT. 16 positi *trp.* post impii O, post tormentis W *Glossa.* 24 Augustinus in *Enchiridion om.* RVW.

<sup>1</sup> Isai. 60, 19. <sup>2</sup> *Glossa interlin.* in h.l. (apud Lyran., IV, 99r). <sup>3</sup> In *Isaiam* 60, 19, (PL 24 [1845], 597 A; CCL 73 A, 704), mediante *Glossa ordin.* in h.l. (99a). <sup>4</sup> *De ordine creaturarum*, c. 5, nn. 6-7 (PL 83, 924 B - 925 A); sed verba sunt *Glossae ordin.* in Isai. 60, 19: «Isidorus in libro *creaturarum*: Post iudicium... in habitaculo suo» (apud Lyran., IV, 99a). <sup>5</sup> Isai. 30, 26: *Et lux solis erit septempliciter.* <sup>6</sup> Habac. 3, 11. <sup>7</sup> Cap. 111 (PL 40, 284; CCL 46, 109).



iudicio, suos fines habebunt civitates duae: una Christi, altera diaboli; una bonorum, altera malorum, utraque tamen angelorum et hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse peccandi, vel ulla conditio moriendi; istis in aeterna vita feliciter viventibus, illis infeliciter in aeterna morte sine moriendi potestate durantibus, quoniam utrique sine fine. 5 Sed in beatitudine isti, alius alio praestabilius; in miseria vero illi, alius alio tolerabilius permanebunt ».

2. Ex his apparet quod sicut boni differenter glorificabuntur, alii magis, alii minus, ita et mali differenter in inferno punientur. — **Chrysostomus** <sup>1</sup> \*: « Sicut enim in domo Patris, id est in regno caelesti, mansiones <sup>10</sup> multae sunt <sup>2</sup>, id est praemiorum differentiae, ita et in gehenna diversae sunt mansiones, id est suppliciorum differentiae ». Omnes tamen aeternam patientur poenam, sicut omnes electi eundem habebunt *denarium*, quem Paterfamilias dedit omnibus qui operati sunt in vinea <sup>3</sup>. Nomine *denarii* aliquid omnibus electis commune intelligitur, scilicet vita aeterna, <sup>15</sup> Deus ipse quo omnes fruuntur, sed impariter. Nam sicut erit differens clarificatio corporum, ita differens erit gloria animarum. *Stella enim a stella*, id est electus ab electo, *differt in claritate* <sup>4</sup> mentis et corporis. Alii

<sup>8</sup> glorificabuntur] gloriabuntur LVW. <sup>9-10</sup> Chrysostomus] Cassiodorus BCX, Iohannes praem. AN, om. RVW. <sup>15</sup> omnibus electis *trp.* BCL. <sup>17</sup> enim] differt add. NVW.

<sup>1</sup> Ad Theodorum lapsum, I, versus finem (PG 47, 307-308); uti textus hic profertur, viciniore est versioni quae exstat in cod. Bibl. Casinensis 152: « Sic enim scriptura pronunciat dicens: Ipse reddit unicuique secundum opera eius [cf. Matth. 16, 27]. Non solum enim in gehenna suppliciorum, set in regno caelesti [praemiorum] multe erunt differentiae. Mansiones inquit multe sunt apud patrem meum [Ioan. 14, 2]. Et iterum: alia gloria solis et alia lune [I Cor. 15, 41] » (Bibl. Casinensis 3, 1877; Florilegium, 410a); idem textus, sed hic incompletus, invenitur in Bibliotheca publica Leningrad, cod. lat. F.v.1, N<sup>o</sup> 4, de quo cf. A. Staerk, *Mitteilungen aus den lateinischen Handschriften zu St. Petersburg*, in *Studien u. Mitteilungen aus dem Benediktiner- und dem Cistercienser-Orden* 31 (1910) 3-36. Aliae versiones in editione Venet. Chrysostomi (1583), V, 474 D; et PG 47, 307-308. <sup>2</sup> Resp. Ioan. 14, 2. <sup>3</sup> Resp. Matth. 20, 1-16. <sup>4</sup> I Cor. 15, 41.

Dist. XLIX, c. 1, n. 2. Ad hunc numerum enodandum revertere oportet ad *Glossam* Magistri in I Cor. 15, 41: *Stella enim a stella differt* (PL 191, 1686 C-D; x, f. 113b; z, f. 68a), ubi citantur verba Chrysostomi quae in alia nota supra offeruntur. Quod hic sequitur de uno denario synopsis est (quandoque ad verbum) auctoritatum Augustini quae sequuntur in eadem *Glossa* (1686 D): *Super Ioannem*, tr. 67, n. 2 (PL 35, 1812; CCL 36, 495s); et *De sancta virginitate*, c. 26 (PL 40, 410; CSEL 41, 262); utrobique *denarius* dicitur esse vita aeterna omnibus communis, et tamen alio magis, alio minus; unde *multae mansiones*. Conclusio huius num. nobis evadit.

enim aliis vicinius clariusque Dei speciem contemplabuntur, et ipsa contemplandi differentia diversitas mansionum vocatur. Domus ergo est una, id est denarius est unus; sed diversitas est ibi mansionum, id est differentia claritatis. Quia unum est et summum bonum beatitudo et vita omnium, <sup>5</sup> scilicet Deus ipse. Hoc bono omnes electi perfruentur, sed alii aliis plenius. Perfruentur vero videndo per speciem, non *per speculum in aenigmate* <sup>1</sup>. Habere ergo vitam, est videre vitam, id est cognoscere Deum in specie. Unde Veritas in Evangelio ait <sup>2</sup>: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te, et quem misisti Iesum Christum*, esse unum et solum verum Deum, hoc <sup>10</sup> est, habere vitam est cognoscere te. Non est ipsa cognitio quod tu es, sed per cognitionem habere bonum quod tu es, id est vita.

3. **Si omnes homines volunt esse beati.** Solet etiam quaeri de beatitudine, utrum omnes eam velint, et sciant quae sit vera beatitudo.

4. **Augustinus in libro XIII De Trinitate** \*. De hoc Augustinus <sup>15</sup> in libro XIII *De Trinitate* ita disserit<sup>3</sup>: « Mirum est, cum capessendae retinendaeque beatitudinis voluntas una sit omnium, unde tanta existat de ipsa beatitudine rursus diversitas voluntatum: non quod eam aliquis nolit, sed quod non omnes eam norint. Si enim omnes eam nossent, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, ab aliis in voluptate corporis, ab aliis <sup>20</sup> atque aliis alibi atque alibi. Quomodo ergo omnes amant quod non omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit? sicut supra disputavi <sup>4</sup>. Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? An forte sciunt omnes quae ipsa sit, sed non omnes sciunt ubi sit, et inde contentio est? »

<sup>25</sup> 5. **Augustinus** \*: « An <sup>5</sup> forte falsum est quod pro vero posuimus, beate vivere omnes homines velle? Si enim beate vivere est, verbi gratia, secundum animi virtutem vivere, quomodo beate vivere vult, qui hoc non vult? Nonne verius diximus: homo iste non vult beate vivere, quia non vult secundum virtutem vivere, quod solum est beate vivere? Non igitur

<sup>10</sup> est] enim add. ABCVX, add. interl. LT. <sup>11</sup> habere ANO<sup>1</sup>T<sup>1</sup>VX, habetur BCMRW, haberetur L, corr. in habetur O<sup>2</sup>T<sup>2</sup>. || vita] vitam AT. <sup>12</sup> esse beati] beate vivere BCX. <sup>14</sup> Rubrica om. RVW. <sup>18</sup> omnes eam<sup>1</sup> *trp.* BLW. || omnes eam<sup>2</sup> *trp.* BRW. <sup>19</sup> voluptate] voluntate LNTWX, quod corr. LWX. <sup>20</sup> ergo] igitur AMVW. <sup>25</sup> posuimus] proposuimus ALT, quod corr. L, ponimus M. <sup>26</sup> beate] bene LW (et sic deinceps, cum quibusdam corr. in L.). <sup>28</sup> diximus] dicimus LT, dixerimus CNV Aug.

<sup>1</sup> I Cor. 13, 12. <sup>2</sup> Ioan. 17, 3. <sup>3</sup> Cap. 4, n. 7 (PL 42, 1018; CCL 50 A, 389s). <sup>4</sup> Citatur supra, Lib. III, d. 24, cc. 4-5 (p. 151s). <sup>5</sup> August., uti supra (1019; 390s).

Num. 4-8 manifeste sumuntur ex originali Augustini.



omnes beate vivere volunt, immo pauci hoc volunt, si non est beate vivere, nisi secundum virtutem animi vivere: quod multi nolunt. Itane falsum erit, unde nec ipse Cicero dubitavit? Ait enim 1: 'Beati certe omnes esse volumus'. Absit ut hoc falsum esse dicamus! Quid igitur? An dicendum est, etiam si nihil sit aliud beate vivere quam secundum 5 virtutem animi vivere, tamen et qui hoc non vult, beate vivere vult? Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale est enim ac si dicamus: Qui non vult beate vivere, beate vult vivere. Istam repugnantiam quis audiat, quis ferat? Et tamen ad hanc contrudit necessitas, si et omnes beate vivere velle verum est, et non omnes sic volunt vivere, quomodo solum 10 vivitur beate ».

6. « An 2 illud ab his angustiis nos poterit eruere, si dicamus nihil esse beate vivere, nisi vivere secundum delectationem suam, et ideo falsum non esse quod omnes beate vivere velint, quia omnes ita volunt ut quemque delectat? — Sed 'id 3 quidem falsum est. Velle enim quod non 15 deceat, est esse miserimum; nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oportet'. Quis ita sit caecus ut dicat aliquem ideo beatum, quia vivit ut vult, cum profecto etsi miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quae perperam voluisset, habere potuisset? Mala enim voluntate vel sola miser quisque efficitur; sed miserior 20 cum desiderium malae voluntatis impletur ».

7. « Quapropter 4, quoniam verum est quod omnes homines esse beati velint, idque ardentissimo amore appetant, et propter hoc cetera quaecumque appetunt; nec quisquam potest amare quod omnino quid vel quale sit nescit, nec potest nescire quid sit quod se velle scit, sequitur ut 25 omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamvis non omnes qui habent quod volunt, continuo sint beati. Continuo autem miseri sunt, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non recte volunt ».

8. **Quid sit beatus** \*. « Beatus 5 igitur non est, nisi qui et habet omnia 30 quae vult et nihil vult male ». « Ille 6 quippe beate vivit, qui vivit ut vult, nec male aliquid vult ». « Cum 7 igitur ex his duobus constet beata

4 igitur] ergo BCM. 6 virtutem animi trp. BCLOWX. 9-10 vivere velle  
trp. BCNV Aug. 17 velis BCX Aug. (Cicero), vult W, velit alii. 23 propter] pre-  
ter N, corr. in preter O. 30 Rubrica om. RVW.

1 In Hortensio dialogo (rubr.), nunc deperdito. 2 August., ibid., c. 5, n. 8 (1019s; 390s).  
3 Verba Hortensii Ciceronis iterum allegat Augustinus. 4 August., ibid. (1020; 392s).  
5 August., loc. cit. 6 Ibid., c. 8, n. 11 (1022; 396). 7 Ibid., c. 6, n. 9 (1020; 393).

vita, licet in malis sit aliquis bonus, non tamen nisi finitis omnibus malis est beatus ». — « Cum 1 vero ex hac vita qui in his miseriis fidelis et bonus est, venerit ad beatam, tunc erit vere quod nunc esse nullo modo potest, ut sic homo vivat quomodo vult. Non enim ibi volet male vivere, 5 aut volet aliquid quod deerit, aut deerit quod voluerit. Quidquid amabitur, aderit; nec desiderabitur quod non aderit. Omne quod ibi erit, bonum erit, et summus Deus summum bonum erit; et quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit ». — « Beatos 2 autem esse se velle omnium hominum est; beatos esse se velle omnes in corde suo vident; 10 nec tamen omnium est fides, qua ad beatitudinem pervenitur ».

### Cap. 2 (281).

1. **Si quid de Deo cognoscet aliquis quod ibi non intelligant omnes.** Solet quaeri utrum aliquid de Deo cognoscat aliquis magis meritis, ut Petrus, quod non cognoscat aliquis minus meritis, ut Linus.

2. Pluribus videtur quod omnia de Deo ad beatitudinem spectantia, omnes communiter electi cognoscant, sed differenter. Nihil enim in Deo noscibile maius digniusque videtur, quam eum intelligere trinum et unum; hoc autem omnes tunc per speciem cognoscent. Unde sequitur ut non sit aliquid beatitudini pertinens incognitum alicui beatorum. Omnes igitur 20 cuncta illa videbunt, quorum cognitio beatitudini servit; sed in modo videndi different. — **Augustinus** \*: « Alius 3 enim alio magis, alius alio minus fulgebit ».

### Cap. 3 (282).

1. **De paritate gaudii.** Solet etiam quaeri an in gaudio dispares sint, 25 sicut in claritate cognitionis differunt.

2. **Augustinus in libro De civitate Dei** \*. De hoc Augustinus

12 de Deo om. LT. || cognoscat] cognoscat BCX, cognoscit LT. 21 Augustinus  
om. BCNRVWX. 24 paritate] parilitate BCX elenchus capp.

1 Ibid., c. 7, n. 10 (1020s; 394). 2 Ibid., c. 20, n. 25 (1034; 417). 3 De virginitate, c. 26, n. 26 (PL 40, 410; CSEL 41, 263).

Cap. 2 invenitur ad litteram inter sententias scholae Anselmi Laudun. attributas, n. 501 (ed. O. Lottin, in *Psych. et morale*, V, 322). Sed sicco pede transeamus. — Num. 2: Auctoritas Augustini, ex *Glossa* in I Cor. 15, 41: *Stella a stella differt* (PL 191, 1686 D).

Cap. 3, n. 2: Auctoritas Augustini iam in *Glossa* in I Cor. 15, 28 (PL 191, 1681 D); ex Floro



ait 1: « *Multae mansiones* 2 in una vita erunt, scilicet variae praemiorum dignitates. Sed ubi Deus erit *omnia in omnibus* 3, erit etiam in dispari claritate per gaudium: ut quod habebunt singuli, commune sit omnibus, quia etiam gloria capitis omnium erit per vinculum caritatis ». — Ex his datur intelligi quod par gaudium omnes habebunt, etsi disparem cognitionis claritatem, quia per caritatem, quae in singulis erit perfecta, tantum quisque gaudebit de bono alterius, quantum gauderet si in se ipso haberet 4.

3. Sed si par erit cunctorum gaudium, videtur quod par sit omnium beatitudo: quod constat omnino non esse. — Ad quod dici potest quod beatitudo par esset, si ita esset par gaudium ut etiam par esset cognitio; sed quia hoc non erit, non faciet paritas gaudii paritatem beatitudinis. — Potest etiam sic accipi 'par gaudium', ut non referatur paritas ad intensionem affectionis gaudentium, sed ad universitatem rerum de quibus gaudebitur: quia de omni re unde gaudebit unus, gaudebunt omnes. 15

Cap. 4 (283).

1. **Si maior sit beatitudo sanctorum post iudicium.** Post haec quaeri solet si beatitudo sanctorum maior sit futura post iudicium quam interim.

2. Sine omni scrupulo credendum est eos habituros maiorem gloriam post iudicium quam ante, quia et maius erit eorum gaudium, ut supra testatus est Augustinus 5, et amplior erit eorum cognitio. — Hie-

7 tantum... quantum] ita... qualiter LMTX.  
21-1 (p. 553) Rubrica om. AVW.

15 gaudebitur] gaudebunt BCL.

1 Rubrica nonobstante, verba sunt Prosperi Aquitani, *Sent. ex operibus Augustini*, n. 362 (PL 45, 1892; 51, 486 C); vel n. 364 (CCL 68 A, 352); ex August., *In Ioan.*, tr. 67, n. 2 (PL 35, 1812; CCL 36, 495s).  
2 Resp. Ioan. 14, 2. 3 I Cor. 16, 28. 4 Cf. verba Augustini quae sequuntur in eodem tr. 67, n. 2: « Per caritatem fiat ut quod habent singuli, commune sit omnibus. Sic enim quisque etiam ipse habet, cum amat in altero quod ipse non habet » (PL 35, 1812; CCL 36, 496).  
5 In Dist. 45, c. 1.

(427), ubi recte rubricatur. In eodem florilegio, parum supra invenitur alia rubrica: *Ex libro XXII De civ. Dei*; quam ex inadvertentia forsitan hic transtulit Magister. Iam in parte in *Glossa ordin.* in I Cor. 15, 28 (apud Lyran. VI, 58c; cod. l 70c; m 67c), unde Magister sumpsit alteram partem auctoritatis (« in dispari... caritatis »).

Cap. 4, n. 3: Auctoritas Augustini, ex opere Iuliani, *Prognosticon*, II, 11 (PL 96, 479 C - 480 A; CCL 115, 50).

nymus, super Osee \*. Unde Hieronymus 1: « Peracto iudicio, amplio-rem gloriam suae claritatis Deus monstrabit electis ».

3. Augustinus \*: « Si quem 2 movet, quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si eis potest sine corporibus summa beatitudo praeberi, difficilis quaestio est, nec potest a nobis perfecte definiri. Sed tamen dubium non est et raptam a carnis sensibus hominis mentem, et post mortem ipsa carne deposita, non sic videre posse incommutabilem substantiam sicut sancti angeli vident, sive alia latentiore causa, sive ideo quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo retardatur quodam modo ne tota intentione pergat in illud summum caelum, donec ille appetitus conquiescat. Porro si tale sit corpus, cuius sit difficilis et gravis administratio, sicut haec caro quae corrumpitur 3, multo magis avertitur mens ab illa visione summi caeli. Proinde cum hoc corpus iam non animale, sed spirituale 4 receperit, angelis aequata 5, perfectum habebit naturae suae modum, obediens et imperans, vivificata et vivificans, tam ineffabili facilitate, ut sit ei gloriae quod fuit sarcinae ».

DISTINCTIO L

Cap. 1 (284).

20 1. **Si mali in inferno peccabunt.** Hic oritur quaestio ex praemissis ducens originem. Supra enim Augustinus 6, loquens de malis in inferno damnatis et bonis in caelo glorificatis, dixit quod nec bonis voluntas, nec malis facultas peccandi esse poterit. Et de bonis quidem constat; sed de malis, a quibus voluntatem malam non removet, quaeritur

3 Augustinus om. AVW, add. mg. W2, add. sed del. R.

1 *Glossa ordin.* in Osee 6, 1 (apud Lyranum, IV, 340a); cetera huius glossae (non autem verba hic prolata) leguntur apud Hieron. in h.l. (PL 25, [1845] 867 C). 2 August., *De Genesi ad litt.*, XII, c. 35, n. 68 (PL 34, 483s; CSEL 28-1, 432s). 3 Resp. Sap. 9, 15: *Corpus enim quod corrumpitur aggravat animam.*

4 Cf. I Cor. 15, 44: *Seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.* 5 Resp. Luc. 20, 36: *aequales enim angelis sunt.*

6 In Dist. 49, c. 1, n. 1.

Dist. L, cap. 1. Cf. quaestionem propositam in *Glossa Magistri* in Rom. 2, 5-6: « Postremo quaeritur utrum mala voluntas atque conscientia reproborum in gehenna punitorum sit peccatum vel tantum poena » etc. (PL 191, 1341 B-C).



quomodo verum sit eos non posse peccare, immo quomodo verum sit eos non peccare, cum malam habeant voluntatem.

2. **Solvit secundum diversos** \*. Quidam autumant illam malam voluntatem non esse peccatum, sed supplicium tantum. Alii vero peccatum esse fatentur, sed per illud eos non mereri aliquam poenam, quia non est 5 ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt non esse meritum supplicii, sed supplicium mali meriti quod in hac vita praecessit.

3. **Augustinus in libro De fide ad Petrum** \*. De hoc autem Augustinus ita dicit 1: «Tempus acquirendi vitam aeternam in hac tantum vita Deus hominibus dedit, ubi voluit esse etiam poenitentiam fructuosam. 10 Ideo hic poenitentia fructuosa est, quia potest hic homo, deposita malitia, bene vivere; et mutata voluntate, merita simul operaque mutare, et ea gerere quae Deo placeant. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem poenitentiam in futuro saeculo de malis suis 2, sed indulgentiam in conspectu Dei non inveniet 3; quia etsi erit ibi stimulus poenitudinis, nulla 15 ibi erit correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas sua, ut nullatenus ab eis possit vel diligi vel desiderari iustitia. Voluntas enim eorum talis erit, ut habeat in se semper malignitatis suae supplicium, nunquam tamen recipere possit bonitatis affectum. Quia sicut illi qui cum Christo regnabunt nullas in se malae voluntatis reliquias habebunt, 20 ita illi qui erunt in supplicio ignis aeterni cum diabolo et angelis eius deputati, sicut nullam habebunt ulterius requiem, sic bonam habere nullatenus poterunt voluntatem; et sicut coheredibus Christi dabitur perfectio gratiae ad aeternam gloriam 4, ita consortibus diaboli cumulabit ipsa malignitas poenam, quando exterioribus deputati tenebris 5, nullo illustra- 25 buntur interiori lumine veritatis».

4. Ex his apparet reprobos in inferno sic poenitentiam gesturos, ut per eam pravam voluntatem non deserant; et illa maligna voluntas erit eis ad cumulum poenae: per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur nisi in hac vita.

3 Rubrica om. AMRVW. 4 sed om. MO. 8 autem] etiam M, om. BCLO.  
14 saeculo om. ARW. 15 Dei] domini BCLNTV. 16 correctio] correptio BL,  
corruptio C, prave add. BT. || A talibus] Aug. add. seu rep. marg. BCLMX. 22 habere  
nullatenus trp. ALNRV.

1 Id est Fulgentius, cap. 3, n. 38 (PL 65, 689 B-D; CCL 91 A, 736s). 2 Resp. Sap.  
5, 3: Poenitentiam agentes et prae angustia spiritus gementes. 3 Resp. Eccli. 18, 20: Et  
in conspectu Dei invenies propitiationem. 4 Resp. I Petri 5, 10: Deus autem omnis gratiae,  
qui vocavit nos in aeternam suam gloriam... ipse perficiet. 5 Cf. Matth. 8, 12; 22, 13; 25, 30.

Num. 2: Eaedem opiniones ibidem (1341 C-D).

Cap. 2 (285).

1. **Quare dicuntur tenebrae exteriores.** Hic quaeri potest quare illae tenebrae, quibus involventur mali in gehenna, dicuntur exteriores 1. — Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem et spiritualem, scilicet 5 Deum, erunt. Nunc enim, etsi patiantur tenebras in caecitate mentis, non tamen penitus extra lucem Dei sunt, nec corporali luce privantur.

2. **Augustinus, super Psalmum VI** \*. De hoc Augustinus sic ait 2: «Ira Dei et in iudicio erit, et hic est in caecitate mentis, cum dantur mali in reprobum sensum 3. Ibi exteriores tenebrae erunt, quia tunc pec- 10 catores penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, nisi esse in summa caecitate? Siquidem Deus habitat lucem inaccessibilem 4. Hae autem tenebrae hic iam incipiunt in peccante, cum ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitus dum in hac vita est». — Ecce quare peccator ibi dicitur pati exteriores tenebras et non hic: quia ibi secludetur 15 penitus a luce Dei, quod non hic.

3. Sed quomodo intelligenda est illa seclusio? An quia non videbunt Deum per speciem? Sed nec aliquis hic videt Deum per speciem. An per dissimilitudinem quam facit peccatum inter Deum et hominem? Sed et hic multi per gravia peccata elongantur a Deo. An quia Deum odiunt, 20 ita ut velint eum non esse? Sed et hic multi Deum oderunt, de quibus scriptum est 5: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper*. Quae est igitur illa elongatio? — Sane exteriores tenebrae intelligi possunt quaedam malignitas odii et voluntatis, quae tunc excrescet in mentibus reproborum, et quaedam oblivio Dei, quia tormentorum interiorum et exteriorum 25 doloribus adeo afficientur et turbabuntur, ut ab illis ad cogitandum aliquid de Deo vix et raro vel nunquam mentem revocent: ut qui nimio

5 patiantur] patiuntur LX, patientur T. 9-10 peccatores penitus trp. MX. || peccatores trp. post erunt BCR. 10 penitus erunt trp. T. || erunt trp. post Deum M. || enim om. BCL. 14 secluditur] secluditur BCMVW. 22 igitur] ergo BMX, om. NW. || intelligi] intelligere RT. || possunt] possumus MORT, unde corrigitur in: tenebras intelligere possumus quandam malignitatem T.

1 Matth. 8, 12: eiicientur in tenebras exteriores; ubi Glossa ordin.: «Quia a Domino foras expellentur, id est in aeternam noctem, quia hic sponte ceciderunt in exteriores, id est in caecitatem mentis» (apud Lyranum, V, 30c). 2 Enarr. in Ps. 6, 8, n. 8 (PL 36, 94; CCL 38, 32). 3 Resp. Rom. 1, 28. 4 I Tim. 6, 16. 5 Ps. 73, 23.

Cap. 2, n. 2. Auctoritas Augustini iam in Glossa in Ps. 6, 8 (PL 191, 107 D - 108 A). — Num. 3 non dependet, ut videtur, ex Glossa in Matth. 8, 12; nec in 22, 13; nec in 25, 30.



pondere premuntur, adeo stupescunt et turbantur, ut interim in alia cogitationem non extendant, sed illuc tendit impetus cogitationis, ubi sentitur vis doloris. Sed in hac vita nullus adeo malus est ut penitus secludatur a cogitatione Dei, qui nec perdit appetitum beatitudinis et quendam boni amorem, quem naturaliter habet rationalis creatura.

4. Illas autem exteriores et profundissimas tenebras reprobos perpressuros post iudicium, dicit Augustinus<sup>1</sup>, opponens de illo divite qui, in inferno positus, *elevans oculos vidit Abraham, et in sinu eius Lazarum*<sup>2</sup>: « Cuius comparatione coactus est confiteri mala sua, usque adeo ut et fratres roget<sup>3</sup> ab his praemoneri; quod ante iudicium factum legitur. 10 « Sed post iudicium in profundioribus tenebris erunt impii, ubi nullam Dei lucem videbunt cui confiteantur ».

Cap. 3 (286).

1. De animabus damnatorum, si quam habent notitiam eorum quae hic fiunt. Praeterea quaeri solet si reproborum animae, quae nunc in inferno cruciantur, notitiam habent eorum quae circa suos in hac vita geruntur; et si aliquo modo doleant super infortuniis suorum carorum.

2. Augustinus, super Psalmum CVIII\*. Hanc quaestionem Augustinus commemorat<sup>4</sup>, ex parte eam explicans, ex parte vero insolutam relinquens. Ait enim: « Quaeret aliquis an ullus dolor tangat mortuos de his quae in suis post mortem contingunt, vel quomodo ea quae circa nos aguntur noverint spiritus defunctorum. Cui respondeo magnam esse quaestionem, nec in praesenti disserendam. Verumtamen breviter dici potest quod est cura mortuis de suis caris, ut de divite legitur<sup>5</sup> qui, dum

<sup>1</sup> alia LO, alta NX (melius?), aliam AMBCTVW, illa R. 1-2 cogitationem] mentem add. interl. T<sup>2</sup>. <sup>4</sup> qui] quia BCLX.

<sup>1</sup> Enarr. in Ps. 6, 5: In inferno quis confitebitur tibi, n. 6 (PL 36, 93; CCL 38, 30s).

<sup>2</sup> Resp. Luc. 16, 23.

<sup>3</sup> Resp. Luc. 16, 27-28.

<sup>4</sup> Enarr. in Ps. 108, 15, n. 17

(PL 37, 1437s; CCL 40, 1952).

<sup>5</sup> Resp. Luc. 16, 27-28.

Num. 4: Ex Glossa in Ps. 6, 6 (PL 191, 106 C-D), quae dependet in parte ab illa Gilberti Porretani in h.l.; ed. D. Van den Eynde, *L'oeuvre litt. de Géroch de Reichersberg* (Romae 1957), 360.

Cap. 3, n. 1: Quasi eadem quaestio apud Iuliani *Prognosticon* II, 31 (PL 96, 492 B-C; CCL 115, 68s), quod tamen non est fons. Forsitan et hic invenire iuvabit *Glossam* Magistri in Lucam! Quod valet etiam pro capp. sequentibus. — Num. 2: Verba Augustini iam in *Glossa* Magistri in Ps. 108, 9 (PL 191, 990 C - 991 A).

tormenta apud inferos pateretur, levavit oculos ad Abraham, et inter alia dixit: *Habeo enim quinque fratres: ut testetur illis, ne et ipsi veniant in hunc locum tormentorum*. Habent enim mortui curam de vivis: quos sciunt vivere, quia nec in locis poenarum vident eos, ubi dives sine fratribus erat; nec in requie beatorum, ubi Lazarum et Abraham, quamvis longe, agnoscebat. Non tamen ideo consequens est eos scire quae circa suos caros aguntur hic, vel laeta, vel tristia ».

Cap. 4 (287).

10 Quomodo accipienda sunt quae de Lazaro et divite leguntur. — Augustinus, super Genesim\*. Si quis autem quaerat quomodo intelligatur quod de Lazaro et divite legitur<sup>1</sup>, audiat Augustini responsum dicentis<sup>2</sup>: « Si quis putat animas corpore exutas locis corporalibus contineri, cum sint sine corpore, non deerunt qui faveant, et divitem sitientem in loco fuisse corporali contendant, ipsamque animam corpoream praeparasse linguam, et stillam de Lazari digito cupisse. Sed melius est dubitare de occultis quam litigare de incertis. Divitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur lingua divitis, digitus Lazari, flamma inferni, sinus Abrahae et huiusmodi, vix a mansuetis, a contentiosis nunquam invenitur ».

20 Cap. 5 (288).

1. Si se vident boni et mali. Quaeri etiam solet utrum vicissim se videant illi qui sunt in inferno et illi qui sunt in gloria. — Sicut Sancti<sup>3</sup>

5 beatorum] bonorum M, sanctorum NV. || quamvis] a add. TX. <sup>6</sup> suos caros trp. ACNTV. || suos om. L. || caros. om. WX. 9-10 Augustinus super Genesim om. NRW. 17 divitis interl. OR, om. ABCMNW. 17-18 digitus add. marg. TV<sup>2</sup>, add. interl. OR, om. ABCMNWX. 18 Lazari] Lazarus A, add. marg. TV<sup>2</sup>, om. X, vel divitis add. BC. || inferni] infernus A.

<sup>1</sup> Luc. 16, 22-31.

<sup>2</sup> De Genesi ad litt., VIII, c. 5, n. 9 (PL 34, 376; CSEL 28-1, 237).

<sup>3</sup> Ita Gregorius, *In Evang.*, hom. 40, n. 8: « Credendum vero est quod ante retributionem extremi iudicii iniusti in requie quosdam iustos conspiciunt... iusti vero in tormentis semper intuentur iniustos » (PL 76, 1308 D - 1309 A); inde Beda, *In Lucam* 16, 27-28 (PL 92, 536 B-C; CCL 120, 305); et *Glossa ordin.* in Luc. 16, 23: *Vidit Abraham* (apud Lyranum, V, 167c).

Cap. 4. Cf. Iuliani *Prognosticon* II, 4 (PL 96, 477; CCL 115, 45s). Fons autem Magistri est *Glossa ordin.* in Gen. 2, 8 (apud Lyranum, I, f. 36c).

Cap. 5. Quaestio ponitur a Iuliano, lib. II, 32 (PL 96, 492 D; CCL 115, 69). Responso



tradunt, et boni malos, et mali bonos vident usque ad iudicium; post iudicium vero boni videbunt malos, sed non mali bonos. — **Gregorius, super Lucam** \*. Unde **Gregorius** 1: « Infideles in imo positi, ante diem iudicii fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt ».

5

## Cap. 6 (289).

1. **De chaos inter bonos et malos.** Sed cum sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos moventur? Nonne eos de tormentis liberari cupiunt? — Recole illud evangelicum, quod Abraham diviti respondit 2: *Inter nos et vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc ad vos transire, non possint, neque inde hic transmeare.* Quid est illud chaos inter bonos et malos, nisi hinc iustitia, inde iniquitas, quae nullatenus sociari valent? Adeo enim sancti Dei iustitiae addicti sunt, ut nulla compassione ad reprobos transire valeant, nulla pro eis inter sanctos fiat intercessio.

15

